Digitized by Google

Digitized by Google

NILI MYSTICI
EX PARADISO VOLUPTATIS,
SIVE
VERBI DIVINI, SEPTEMPLICI ALVEO DEFLUENTIS,
ET
TOTIDEM EFFUSIONIBUS PRETIOSI SANGUINIS
D. N. JESU CHRISTI
SACRI
ALVEUS SEXTUS,
SIVE
ANNUS SEXTUS
Concionum in omnes Dominicas & Feſta per Annum, additis duodecim Roſis ſive Exhortationibus ad Sodales Congregationis Chriſti in Cruce Agonizantis, cum Indicibus neceſſariis.

AUCTORE

R. P. PHILIPPO KISELIO
Fuldenſi, è Societ. JESU, in Almâ Bambergenſium Ottoniana, S. Scripturæ Profeſſore Ordinario.

Cum Privilegio Sacræ Cæſareæ ac Regiæ Majeſtatis.

BAMBERGÆ,
Sumptibus JOANNIS ELIÆ HÖFFLING.

M DC LXXI

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE


NILI
MYSTICI
ALVEUS
Sextus
Margarita
pretiosa
Decor Cæsareæ
Coronæ
AVCTORE P. PHILIPPO KISELIO FVLDENSI è Soc: IESV

Digitized by Google



Digitized by Google



Ioan. Bap: ad Vivum Pinx: A. 1673. J. Ph. Thelott Sculp: Francofurti

Digitized by Google

REVERENDISSIMO
ET
CELSISSIMO DOMINO,
DOMINO

LOTHARIO FRIDERICO,

EPISCOPO SPIRENSI, S.R.I. PRINCIPI,

ARCHIEPISCOPATUS ET ELECTORATUS MOGUNTINI

COADJUTORI,

Præpoſito in Weiſſenburg, & Udenheim, &c.

Domino meo Clementiſſimo.

Digitized by Google

IN Alveo Sexto Nili mei Myſtici, Cygnos, cum Cygnis Conchas, in Conchis Margaritas tibi offero Reverendiſſime, & Celſiſſime Princeps LOTHARI FRIDERICE, Septena ſunt Nili, tam illius, qui Ægyptum, quàm mei, qui Germaniam, placito alluit curſu, fluenta. Fluenta dico, ſed cruenta; quem colorem illis addit divini purpura Sanguinis JESU Crucifixi, cui ſacratos eſſe cupio meos labores: nec colorem illa tantùm addit, ſed & honorem, & amorem. Quamvis eadem ſibi vendicet meus Nilus ex tuo Illuſtriſſimo nomine, quod, cum gentilitiis METTERNICHIANÆ familiæ ſymbolis, illarum ferax, & Margaritarum, quas in tuis Conchis, vel Nilus parturit meus, vel tua etiam SOLA, SOLI æmula, producit Dignitas. Felix profectò Nilus hic meus, quem tales dotant Conchæ; dum Dotant, ditant.

Felix

Digitized by Google

Felix Nilus, qui tales profert Uniones; dùm profert, offert. Felix Nilus, quem tales amant Olores; dùm amant, clamant. Fallor, non clamat Olor, ſed cantat: *Cantator Cygnus, funeris ipſe ſui.* At enim exeſto feralis Cantus; Cantus meus oloris, non eſt doloris; amoris iſt; honoris eſt. Quocircà liceat mihi duos mutare apices, ut unus exurgat honoris apex illuſtrior, & dicam, *Cantator Cygnus, muneris ipſe tui.*

Hoc nimirùm illud eſt munus, quo aliquot abhinc menſibus Aurea Moguntia, argentum tuum Olorem condecoravit; dùm Archiepiſcopatus & Electoratus ſui COADJUTOREM nominavit. Et non gratuletur Cygno tuo ſpecioſo Nilus hic meus? gratulatur certè, & Oſtiis effuſus ſeptenis ad Dignitatis tuæ Oſtium, longè auguſtius, undis quàm poteſt placidiſſimis allabitur. Nec ſunt vel inviſi, vel ignoti latices; meminiſti adhuc credo, PRINCEPS CELSISSIME, annos omninò ſex, Spirenſem tuam Eccleſiam, rigatam his aquis, fœcundatam his fluentis: quo tempore (memini & ego, nec illius me, fuerit dùm vita ſuperſtes, recordatio deſtituet) multa expertus eſt, benevolentiæ tuæ ſymbola, Nilus hic meus. Quid mirum, ſi nunc una mecum ſymbola reponat ſymbolis; quin & Margaritas ut tuas exprimat Virtutes, tuis natas in

 Con-

Conchis. Nam quia Candidum te novit & ſincerum Principem, idcircò ſubſcribit hoc lemma, CANDOR, DOS MARGARITÆ. Hâc par erat irradiari, auream Archiepiſcopalis Eccleſiæ Moguntinæ tiaram. Ecce in aliâ conchâ Margaritam, ob colorem, ob claritatem, ob pulchritudinem, Æmulam, vel partum Cœli; talis eſt zelus tuus pro DEO, Religione, Patriâ, & Imperio. Hæc gemma, tanti Capitis, jubar eſt. Hoc amabile & ſpecioſum eſt, in tuis Margaritis, quod ſint ABSQUE TUMORE; nec tibi minus innata, quàm agnata eſt animi Celſiſſimi demiſſio, abſque Tumore; Virtus, quàm rara, tam chara; Quis neſcit decantatiſſimum LOTHARII FRIDERICI Elogium, quod inopum æque, ac divitum amans, ſingulari cum modeſtiâ, & humanitate eximiâ, omnium ſibi amores vendicet, omnium animos demereatur. Ita Archiepiſcopalis Crucis, hæc eſt gemmea & aurea forma, & omnium *Oculos, animosq́; exhilarat.*

Viden', ut in aliâ Concha candicat Margarita, CLARA NITORE: Sic tua hactenus emicat, & emicuit Virtus, ut ob ejus claritatem, & eximiam præſtantiam, ut tantæ Dignitatis, æquiſſimi ſuffragatores, unanimi, & ſagaci omnium conſenſu, æquiſſimum judicarint, ut tantæ claritatis Margarita exornaretur Archiepiſcopale Pedum; accedente alia eximia & rara hoc tempore Margaritæ proprietate

tate

Google

tate, quod NON OPERTA, SED APERTA ſit omnibus, ob admirabilem animi Principalis Candorem, quo LOTHARIUS FRIDERICUS, iterum omnium oculos; animosq; exhilarat.

Et ecce, ut plures in Nilo, non jam Meo, ſed Tuo, plaudentes, pulchro ordine adnatant alites. Ut quisquè ſuam contemplatur Concham. Ut ſibi applaudunt, ob eximias, quas præferunt, Margaritas. Plaudit præ reliquis Olor, ornatus unione, cujus epigraphe eſt, DECOR OMNIS AB INTUS; celeri natatu concham ſuam gyrat, in qua Margarita micat, cum lemmate; AURORA PARTUS. Triumphare videtur ille, cujus concha & gemma has voculas nobis legendas offert, DECOR CÆSAREÆ CORONÆ. Agnoſco in his gemmis, Conchis, & Margaritis, alias eximias Virtutes; animi munditatem, cordis puritatem, pietatem, & devotionem, Religionem, Juſtitiam, quæ & ſimiles Principales Virtutes, Tibi, *Celſiſſime Princeps*, gemmei fuerunt gradus, ad tantæ Dignitatis ſublime theatrum, in quo te hodiè, totus Germanicus orbis, Tibi & ſibi gratulabundus contemplatur. Ità tantæ Virtutes, Moguntinæ Rotæ, novi & lucidiſſimi ſunt radii. His fulget gemmis Archiepiſcopale Pallium; hæc decora, Electoralis ſibi vendicavit Pileus; imò Cæſarea Corona; his Margaritis inſculpi debuit *S. R. Imperii Auguſtale Sigillum.* Vivat LOTHARIUS

FRIDERICUS, Non jam aurei tantùm, ſed gemmei gloria Rheni; &, ſi tibi ita placet, *Celſiſſime Princeps*, mei, *Gemmea gloria Nili.*

Cum magna Virtus ſuos patiatur æmulos, unus è gentilitiis tuis Cygnis Concham offert, cujus unio ait; ME SCOPULI JUVANT. Ità Celſi Principis Virtus, à Decumanis fluctibus non raro ad ſcopulos, alliditur; ſed juvant ſcopuli, ut Conchæ illis alliſi Margaritas proferant ſpecioſiores. Quâ de causâ Nicolao Bernardino Principi Biſignani pro ſymbolo placuit Concha maritima, quæ ſe Soli, Rorique ad ſcopulum explicabat, cùm lemmate, *His perfuſa*, ſcilicet, ut Plinius ait, UNIONES PARIO. Non ſecus, mens tua, *Celſiſſime Princeps*, juvante, & velut obſtetricante Sole, & Rore, hoc eſt Luce, & Gratiâ Cœleſti, ad ſcopulum Fortunæ variæ non raró alliſa, illas nihilominus concepit, & peperit Virtutum gemmas, quibus nemo non bonus cum gaudio exhilaratur; addique gentilitiis tuis Cygnis, ille ſymbolicus, Conſtantii Pfortiæ, Soræ Ducis; natans in aquis; in aëre verò ſuper illum tres volitant Veſpertiliones; Margarita verò pendentis è collo Cygni hanc præfert Epigraphen, CANDOR ILLÆSUS. Quo ſignificatum volebat invictus Heros Orbi ſimul & Urbi, ſe licet inter calumniatores, & hoſtiles undi-

undique animos verſaretur; Candorem tamen illæſum, & illæſam animi ſemper invicti Conſtantiam cum ipſo Conſtantij nomine circumferre. Nec me latet, quod olim Salvius Brabo (quem Brabantiæ nomen dediſſe nonnulli autumant) militarem per Belgium Ordinem Cygni nomine, ſymboloque auſpicatus feratur; ut hoc pacto ſubjectos ſibi milites, ſincerâ fide, concordiâque adverſus hoſtes devinciret. Ex intimis animi præcordiis S. Moguntinæ Eccleſiæ, & toti S. R. gratulor Imperio, quibus ſymbolici ſivè *Metternichiani*, & Nili mei Myſtici Cygni, ſimilem, candido omine, præſagiunt felicitatem.

Socrates, etiam in ſomnio, eximiam Platonis diſcipuli ſapientiam prævidit; nam pridiè quàm à patre adoleſcens in ipſius diſciplinam traderetur, Candidum Cygnum in ſuum ſinum advolare, dulcique aërem concentu implere non ſine admiratione ſpectavit. Quiſquis imaginem Nilo meo præfixam intuebitur, longè candidiora & feliciora auguria ſapientiſſimi & feliciſſimi Regiminis, ſub Sapientiſſimo Principe LOTHARIO FRIDERICO, conſpicabitur. Deniq; (ſi qua fides Alex. ab Alexand.) dierum genial. nautis & navigantibus in mari, proſperum navigationis curſum auguratur; ſimilem ſibi promittit, mea Cymba, in cruentis Nili fluentis

circumnatans, ſi faventem ſibi *Metternichianum* Cygnum, quod futurum ſpero, & opto, experiatur. Ità, *Reverendiſſime & Celſiſſime Princeps*, ter felix erit meus Nilus à tuis Cygnis, ter fortunatus à tuis Conchis, & Margaritis. Ita voveo. Bambergæ 19. Martij, Feſto S. Joſephi, Anno 1671.

Reverendiſſ. & Illuſtriſſimæ

Celſitudinis Tuæ

Humillimus Servus,

Philippus Kiſelius, Soc. JESU.

PRIVI-

Digitized by Google

PRIVILEGIUM CÆSAREUM,

ET Poteſtas Bibliopolæ facta à R. P. Provinciali Provinciæ Rhenanæ Superioris Soc. JESU.

Cùm Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Decreto omnibus & ſingulis Typographis & Bibliopolis, ac aliis quamcúnque librariam negotiationem exercentibus ſeriò firmitérque inhibeatur, nè quisquam ullos libros à Noſtris Patribus hactenus editos, vel impoſterum edendos intra S. R. Imperij Regnorum & Dominiorum Suæ Cæſ. Majeſtatis Hæreditariorum fines, ſimili vel alio characteris genere aut formâ, ſive in toto, ſive in parte recudere, vel aliò recudendos mittere, aut alibi etiam impreſſos adducere & diſtrahere clàm vel palàm audeat, vel præſumat; Concedo ego Philippus Colbinus *Soc. Jeſu per Rheni Super. Provinciam Præpoſitus Provinc. poteſtate ad id mihi facta à* R. P. *Noſtro* Joanne Paulo Oliva, Præpoſito Generali, Joanni Eliæ Höffling, *Bibliop. Bambergenſi facultatem excudendi Nyli Myſtici Alveum Sextum, ſeu ſextum annum Concionum Dominicalium à* R. P. Philippo Kiſelio *Soc. noſtræ Sacerdote conſcriptum. In cujus rei fidem hoc ei teſtimonium dari curavi.*

Moguntiæ 27. Sept. An. 1670.

L. S. Philippus Colbinus mppr.

Prædictus *D. Joannes Elias Höffling* ceſſit jus ſuum prædicti Privilegii *D. Joanni Arnoldo Cholino.*

APPRO

Digitized by Google

APPROBATIO
R. P. Prov. Provinciæ Rhenanæ Super. Societatis JESU.

EGo Philippus Colbinus Societatis Jesu, in Provincia Rhenana Superiore Præpoſitus Provincialis, poteſtate ad id mihi facta à R. P. Joanne Paulo Oliva, Præpoſito Generali, Nili Myſtici Alveum Sextum, ſive ſextum annum Concionum Dominicalium à R. P. Philippo Kiſelio, Societatis noſtræ Sacerdote conſcriptum, atque à deputatis ad id Societatis Ejusdem Theologis lectum & approbatum typis mandari permitto. In cujus rei fidem has literas manu propriâ ſubſcriptas, conſuetoque Officii Sigillo munitas dedi. Moguntiæ 27. Sept. Anno 1670.

L. S. *Philippus Colbinus mppr.*

Digitized by Google

INDEX RERUM.

A

ABominationes templorum C. 6.§.13.
Quo medio Abraham ſuam Saram liberaverit ex manibus Pharaonis C.25.§.4.
Achar plorans pro moriente filio, Geneſ. 21.C.26 §.4.
Cur conſilia Achitophelis contra David à Domino fuerint diſſipata C. 25. §. 10.
Actus eximiæ reſignationis C.8.§ 12.
Adventum Chriſti Domini deſideravimus ob juſtiſſimas cauſas C.1.§.4.
Adventus Prophetarum in aliquam urbem plerumque Judæis fuit ingratus C.1.§.1.
Adventus verò Chriſti D. eſt nobis cauſa magni gaudii C.1.§.2.
Adventus ejus videtur terribilis, ſed eſt amabilis C.70.§.12.
Pro adventu Jeſuli debent corda noſtra mundari per pœnitentiam C.4.§.12.
Advocatam humani generis decuit in cœlis aſſiſtere Filio animâ & corpore C.79 §.10.
Utinam hæc æternitas noſtris ſemper obverſaretur oculis C.67.§.8.
Cum ægri multum non poſſint orare, aſſueſcere debent ſanctis cogitationibus.C.49.§.9.
Suadetur ægris uſus horologii Paſſionis.C.49.§.13.
Varias pias cogitationes ægris ſuggerit ſitis.C.49.§.10.
Favores exhibiti S. Agneti à cœleſti ſponſo.C.12.§.6.
Amatores & cultores vulnerum Chriſti piè & quietè moriuntur.C.21.§ 16.
Amor noſter erga Crucifixum debet eſſe conſtans. E.11.§.5.
Regula S. Ambroſii, ſecundum quam advertere poſſumus, an amemus Deum ſuper omnia. C.41.§.6.
Amore hoc nihil pretioſius.C.65.§.2.
In variis ſimilibus exponitur, quid ſit amor in SS. Triade ſeu Spiritus ſancti. C.70.§ 3.
Amoris & Spiritus ſancti Analogiæ.C.70. §.8.
De re, quam amamus, libenter loquimur, quod ex quibusdam locis ſacræ ſcripturæ oſtenditur. C.40.§.3.
Amœnus apologus de reperto amore inter

ter roſas, in vino ſubmerſo & epoto. c. 19. §. 1.
Cui debeamus noſtrum amorem. c. 41. §. 1.
Amori Chriſti in ſacroſancta Euchariſtia c. 29. §. 2.
Amorem Dei ſuper omnia deſtruit peccatum mortale. c. 41. §. 7.
Amor erga ſacroſanctam Trinitatem, debet eſſe incomparabilis. c. 28. §. 2.
Amor hic nos facit unum quid cum Chriſto reſurgente. c. 65. §. 7.
Quid ſit amare Deum ſuper omnia, ex mente ſancti Chryſologi & S. Auguſtini. c. 41. §. 8.
Ab amore hoc omne pretium. c. 65. §. 5.
Amor Jeſu reſurgentis eſt dulciſſimus. c. 65. §. 1.
Analogia, inter arborem amœnam & illum qui cogitat de cœlo. c. 24. §. 6.
Varia ex SS. Patribus Angelorum cuſtodum nomina. c. 83. §. 1.
Angeli cuſtodes ſæpe terrent impios. c. 83. §. 6.
S. Angeli veri conſolatores. c. 83. §. 15.
Exempla eorum quos Angelus cuſtos ad ſalutem perterrefecit. c. 83. §. 7.
Repræſentavit Angelicum præſidium. c. 83. §. 4.
Quid agendum, ut & nos Angelos habeamus conſolantes. c. 83. §. 14.
Angeli aliis terribiles, aliis amabiles. c. 83. §. 5.
Cuſtos Angelus tentato cadaver oſtendit. c. 83. §. 5.
Angeli ſunt ſolatio morientibus; probatur exemplis. c. 83. §. 13.
Angeli ſanctos Martyres recrearunt in tormentis. c. 83. §. 17.
Anima ex purgatorio hortatur Confeſſarium, ut ferventer dicat. c. 86. §. 1.
Multæ animæ in purgatorio ardent diutiſſimè. c. 86. §. 5.
Non poſſunt juvare ſeipſas: nos poſſumus ſuccurrere. c. 86. §. 6.
In purgatorio ſunt dæmones. c. 86. §. 1.
Quantæ ſint pœnæ animarum in purgatorio. c. 86. §. 2.
Offerendo præſertim pro illis ſanguinem Chriſti. c. 86. §. 7.
Feſtum Annuntiationis eſt feſtum ſuaviſſimum. c. 64. §. 1.
Tragicus Apologus ex S. Damaſc. c. 84. §. 9.
Colloquium Apoſtolorum in Aſcenſione Chriſti. c. 68. §. 3.
Percuſſo paſtore in paſſione Apoſtoli fuerunt oves diſperſæ, ſed poſt reſurrectionem congregavit illos bonus paſtor. c. 22. §. 1.
Archangelus Raphael valedicit clienti ſuo Tobiæ & parentibus ejus. c. 68. §. 2.
Benevolentia Regis Aſſueri erga Eſtherem fuit figura amoris Chriſti D. erga ſuam oviculam. Nam Aſſuerus I. deſcendit de ſolio ſuo, idem fecit Chriſtus D. c. 31. §. 7.
Aſſuerus ſuſtentavit Reginam, Chriſtus D. oviculam impoſuit humeris, cum magna tamen differentia, ille metuens, hic gaudens. c. 31. §. 8.
Aſſuerus fuit Reginæ abblanditus verbis, idem facit bonus Paſtor. c. 31. §. 11.
Arca figura aſſumptæ virginis. c. 79. §. 3.
Ob quas cauſas circumtulerint arcam. c. 71. §. 6.
Aſinus piſcis habet cor in ventre. c. 41. §. 3.

Avari-

Avaritia diſpas, infernus, ſanguiſuga.c.45. §.8.
Avaritia eſt ardens fornax, in quâ inſtrumenta Paſſionis Chriſti denuò efformantur.c.45.§.3.
Acerrimæ minæ contra avaros.c.45.§.11.
Avari vivunt in ſtatu periculoſo.c.45.§.9.
Avari plerumque in vitiis ſunt obſtinati. c.45.§.4.
Avaritia eſt præcipitium in varia ſcelera. c.45.§.2.
Miſerabilis avarorum mors.c.45.§.15.

B

Gemmei gradus ad beatitudinem. c. 85.§.6.
Beneficentia eſt virtus utilis & glorioſa.c. 32.§.2.
Benignitas Chriſti Salvatoris erga peccatores.c.47.§.1.
Propoſitum S.Bernardi. c.2.§.11.
Rejiciuntur blaſphemiæ contra Chriſtum D.c.46.§.1.
Bona hujus mundi fluunt & diffluunt, ideo S. Joannes vidit meretricem Babylonicam ſedentem ſuper aquas. c. 23.§.3.
Bona hujus mundi, in æternitate, ſunt guttulæ aquæ.c.23.§.6.
Sunt paululum mellis. c.23.§.4.
Apparitio B.Patris Borgiæ.E.7.§.7.

C

Caiphas cur dicatur impietatis inventor. c.36.§.13.
Calix adverſitatum.c.76.§.12.
Calix æternæ damnationis.c.76.§.10.
Calix Babylonicæ meretricis.c.76.§.9.
Similiter calix Chriſti erga electos. c. 76.§.14.
Calix paſſionis Chriſti.c.76.§.11.
Connexio hujus calicis cum cœleſti gloria.c.76.§.15.
Efficax medium internæ cœcitatis eſt ſanguis Chriſti.c.12.§.16.
Deplorandi effectus ſpiritualis cœcitatis.c.12.§.3.
Explicatur ex Cicerone, in quo hæc cœcitas mentis conſiſtat. c.12.§.4.
Obſtinati cœci derelinquentur à Deo ne convertantur, de quo Chriſtus D. queſtus fuit in cruce.c.12.§.8.
Mulier Cananæa Matth. 15. & hæmorrhoiſſa Marc.5. docent nos excellentiſſimum modum orandi. c. 14. §.1.
Cananæa ſuam orationem prudenter exorſa fuit à nomine Jeſu.c.14.§.2.
Tribulatio ſuggeſſit Cananææ hanc oratiunculam.c.14.§.5.
Cananæa humili oratione ad ſe inclinavit miſericordiam Jeſu.c.39.6.
Cananæa nos docet orationem frequentem & aſſiduam.c 14.§.11.
Particula Mei, indicat Cananææ humilitatem, quæ comes debet eſſe orationis.c.14.§.15.
Captivas & ligatas oves in captivitate diaboli, ſolvit & liberavit Chriſtus Dominus.c.22.§.3.
Rarum factum Caracottæ latronis in Hiſpania.c.3.§.3.
Dictum Caroli V. in morbo.c.49.§.8.
S.Catharinæ Senenſis. c.8.§.4.
Quinam Chriſtiani ſint nequiores Turcis.c.6.§.6.
Chriſtus D. venit in hunc mundum propter nos homines.c.1.§.7.
Qualis Rex ſit Chriſtus D. ex Pſal. 88. c.1.§.8.

Chriſtus D. venit pauper & manſuetus in quo decepti ſunt Judæi. C.1.§.9.
Chriſtus D. veluti Rex voluit amari & timeri. C.5.§.6.
Chriſtus D. amabilis & terribilis: exemplo Moyſis. C.5.§.7.
Pugnaturus cum diabolo fugit mundum & ſecedit in deſertum. C. 13. §.2.
Cum quanto animæ & æternæ ſalutis periculo. C.12.§.2.
Ut ſimiliter & nos vincamus. C. 13. §.4.
Chriſtus D. per tempeſtates conatur excitare dormientem noſtram fidem & fiduciam. C.9.§.8.
Pia petitio ad Chriſtum D. pro converſione peccatorum. C.15.§.12.
In quo Deus maximè commendet ſuam Charitatem. C.15.§.13.
Attribuitur Chriſto D. præſertim in Converſione boni latronis quæ ad ſummam Chriſto D. ceſſit gloriam. C. 15.§.10.
Quod in Cruce fecit vulneratis ſuis manibus. C.15.§.7.
Summam gloriam Jeſu fecerunt, amor populi, fides & admiratio cum honore. C.18.§.4.
Chriſtus D. de Cruce latroni promittit Paradiſum. C.19.§.16.
Ad majus tormentum fuit Chriſto D. ſibi ſub cruce aſſiſtere matrem. C.19. §.19.
Quibus oculis Chriſtus D. de Cruce aſpexerit matrem. C.19.§.21.
Quâ ratione filius à Patre fuerit derelictus. C.19.§.34.
Alius ſenſus hujus derelictionis. C.19. §.35.
Alius C.19.§.36.
Vita Chriſti fuit peregrinatio, prælium, ſacrificium &c. omnia ſunt conſummata. C.19.§.41.
Varii affectus compaſſionis erga Jeſum ſitientem. C.19.§.30.
Chriſtus ſurrexit à mortuis. C.20.§.1.
Sub pedibus Chriſti gemit devictus diabolus cum ſuis aſſeclis. C. 20. §.11.
Idem adhuc hodie facit dum peccatores ad ſe recipit, cum ingenti illorum gaudio & conſolatione. C.22.§.4.
Vita Chriſti D. veluti boni Paſtoris fuit plane laborioſa. C.22.§.7.
Quomodo viri ſancti talibus cogitationibus ſe fuerint conſolati. C. 24. §.7.
Ipſe Chriſtus D. S. Martyres his cogitationibus fuit conſolatus. C.24.§.10.
Quomodo Chriſtus D. illos juſſerit parare ſacculos. C.32.§.11.
Exemplo Dei & Chriſti D. oportet nos eſſe excellentes & perfectos in noſtris actionibus. Quod fit per bonam intentionem. C.33.§.2.
Offerre opera ſua in nomine Chriſti, eſt illa unire cum infinitis ejus meritis. C.33.§.11.
Affectuoſus modus uniendi ſuas actiones cum ſanguine Chriſti. C.33.§.12.
Ingens Deo & Chriſto D. eſt lætitia, ſi ob dilectionem erga inimicos ſimus filii Dei. C.34.§.2.
In quo conſiſtat latitudo Charitatis in Chriſto, quam nobis commendat S. Paulus ad Eph.3. C.34.§.5.
Quantam Chriſtus D. in eremo paucis panibus cibaverit multitudinem hominum. C.35.§.1.

Ex

Ex quo diſcurſu patet, cur plebis multitudo Chriſtum D. ſecuta fuerit in deſertum. C.35.§ 4.
Efficaciam ſuorum verborum Chriſtus D. immenſum auxit admirabili quadam manſuetudine. C.33.§.5.
Chriſtus D. fuit auceps, & venator. C.35. §.6.
Titulus tertius, quo Chriſtus D. poſt ſe traxit homines, fuit ejus miſericordia. C.35.§.8.
Si Chriſtum D. velimus imitari, oportet nos imprimis eſſe pulchros in animâ C.35.§ 9.
Judex Chriſtus ſcrutabitur corda & renes in lucernis. C.37.§ 3.
Deus & Chriſtus judex omnia intuentur. C.37.§.4.
Pari ratione Chriſtus D. Jeroſolymæ placare voluit Patrem ſuum cœleſtem. C.38.§.5.
Internus & acerbus Chriſti dolor, ob populi Judaici interitum, fuit cauſa lacrymarum. C.38.§.13.
Quo ſenſu Chriſtus D. ſedens ad dexteram Patris dicatur adhuc lugere, flere interitum animarum. C.38.§.15.
Chriſto D. placent opera abſcondita, non oſtentata. Id patuit Luc.7. in Simone & Magdalenâ. C.39.§.3.
Quare Chriſtus D. ex anguſtia ſudaverit ſanguinem? cur Joan. 13. cap. & cap. 11. turbatus fuerit & infremuerit ſpiritu. C.42.§.8.
Chriſtus D. matri & filiis objicit triplicem ignorantiam. C.76.§.6.
Quare omnia Chriſti D. membra ſudaverint ſanguinem. C.76.§.17.
Pactum Chriſti cum ſuis hæredibus. C.76.§.16.
Chriſtus D. ſcit omnia. C.47.§.5.
Chriſtus D. ſcivit occultiſſimas Phariſæorum cogitationes. Inde probat, ſe eſſe filium Dei. C.47.§.2.
Chriſtus D. oſtendit ſe filium Dei per viſibile miraculum. C.47.§.11.
Oſtendit ſe filium Dei dum remittit peccata. 47.§.8.
Apoſtrophe & adhortatio ad peccatores, ut accedant ad Chriſtum. C.47. §.12.
Suaviſſima Chriſti Domini verba ad S. Gertrudem de contritione. E. 11. §.2.
Quale Xenium Chriſtus D. dederit S. Gertrudi. E.1.§.7.
Adhortatio Chriſti D. ad perfectam contritionem. E.11.§.3.
Perſuadere nobis debemus nos eſſe veluti flores, qui tenentur in dextera Chriſti D. ad cuſtodiam. C.43. §.9.
Chriſtus D. totus oculus, ut reſpiciat peccatores. C.82.§.1.
Quid Chriſtus D. intellexerit per voculam, mundus. C.84.§.1.
Omnis durities cedit aſpectui Chriſti D. C.82.§.9.
Chriſtus D. aperiens os ſuum, aperuit ſimul theſaurum ſapientiæ. C.85.§.2.
Eximium elogium Chriſti Domini. C. 85.§.4.
Quare à ſponſa comparetur hinnulo. C 61.§.5.
Quomodo Chriſtus D. à ſanctis patribus vocetur Filius cordis Mariæ, ideo erga peccatores ſit totus miſericors. C. 62.§.12.
Natura Chriſti D. eſt, ut etiam peccatores ad ſe vocet C.63 §.3.
Piiſſimus affectus Chriſti D. vocantis expo-

exponitur ſimili & effectuoſis verbis S.Dionyſii.c.63.§.4.

Chriſtus D.Crucifixus,gallina,ut recipiat peccatores , pelicanus ut vivificet & paſcat.c.63.§.7.

Felix nobis erit paſcha , ſi Chriſtum amemus.c.65.§.4.

Hoc Chriſtus intendit in glorioſa reſurrectione,ut illũ amemus.c.65.§.6.

Varii affectus erga Jeſum reſurgentem. c.65.§.10.

Amor & gaudium Mariæ Magdalenæ de Chriſto reſurgente.c.65.§.9.

Chriſtus D. in paſſione granum ſynapis, debilis, in reſurrectione reſurgit fortiſſimus.c.66.§.2.

Glorioſus Athleta Anteon, fortior Chriſtus D.c.66.§.3.

Devicti hoſtes ſcabellum pedum ejus. c.66.§.5.

Chriſtus reſurgens fortiſſimas habuit manus.c.66.§.8.

Affectus deſiderii videndi Chriſtum D.aſcendentem ad cœlos.c.68.§.1.

Chriſtus D.reliquit mundum ſecundum naturam humanam, non divinam. c. 68 §.6.

Chriſtus D. in gloria noſtri non obliviſcitur. c.68.§.15.

Solatium à futura carnis reſurrectione. c.68.§.16.

Chriſtus D.ſolvit vincula linguæ in homine muto.c.40.§.1.

Similia,quibus Chriſtus D.in hodierno Evangelio probat Dei circa nos ſolicitudinem. c.43.§.7.

Chriſtus D. eſt Salvator noſter. c. 46. §.2.

Chriſtus D. dupliciter habet poteſtatem dimittendi peccata.c.47.§.9.

Prima pars Evangelii. Clementia Regis condonantis debita.c.50.§.2.

Variæ figuræ immaculatæ Conceptionis ex S.ſcript.c.55.§.1.

Quomodo Deus elegerit fieri homo, & ex qua voluerit naſci. c.55.§.3.

Chriſto Domino liberum fuit , eligere matrem cum macula conceptam vel non.c.55.§.6.

Aliæ variæ analogiæ inter olivam & immaculatã conceptionem. c.55. §.15.

Immaculatam virginis conceptionem Dei filius meruit ſua paſſione & ſanguine.c.55.§.19.

Concionatorum corda debent ferri ſurſum, vel abſtrahi à creaturis.c.4.§.4.

Confeſſiones ſacrilegæ diſponunt peccatores ad deſperationem in ſupremo agone.Hoc contigit Judæ.c.16.§.6.

Cogitationes de cœlo ſunt melleæ. c. 24. §.4. S.Ignatii & Bernardi cogitationes de cœlo.c.24.§.8. Si volumus cœlum conſcendere, debemus calcare vitia.c.68.§.12.

Conglobatio cauſarum, ob quas populus adhæſit Jeſu.c.35.§.7.

Congregatio agoniæ eſt cohors fortiſſimorum militum. Videant ut ſua arma ornent roſis. Inde victoria & triumphus.E.9.§.6. S.Paulus à conjugatis exigit caſtitatem & puritatem. c.7.§.5. Larvatus lupus ſub pelle ovinâ fuit Cõſtantius Imp.c.36.§.3. Iterum Conſtantius Auguſtus Imperator.c.36.§.7.

Converſio alicujus impii eſt opus divinæ omnipotentiæ.c.15.§.8.

Converſio Davidis triumphus divinæ gratiæ.c.15.§.14.

Converſio pertinacis Thomæ fuit peculiaris effectus divinæ bonitatis.c.56.§.1.

Digitized by Google

Regia Chriſti D. fuit liberalitas, offerre Thomæ SS. Vulnera, & præſertim cor ſuum. c. 56. §. 5.

Chriſtus D. convertendo Thomam, longe ſuperavit Clementiam Cæſaris. c. 56. §. 3. Quam ſuaviter Chriſtus D. ad ſe attraxerit Thomam, oſtenditur eleganti ſymbolo. c. 56. §. 2.

Converſio ſceleratæ fœminæ. E. 4. §. 2.

Quomodo Cor Sauli fuerit liquefactum ad omnem nutum divinæ voluntatis. c. 8. §. 11.

Cor virginis Matris decuit ſervari incorruptum in ſepulchro. c. 79. §. 9.

Varia cordis amantis deſideria. c. 79. §. 1.

Suſpiria & ardores in corde B. Virginis Mariæ. c. 70. §. 4.

Aurea verba S. Anſelmi, de cordis Mariani ardoribus. c. 70. §. 7.

Cor *hominis poſt* commiſſum peccatum mortale laborat, proculcatur, ſtimulatur. c. 42. §. 5.

Oportet Deo offerre cor molle, non durum, ut vocatio fiat efficax. c. 30. §. 12.

Crux ejus facta eſt glorioſa. c. 20. §. 3.

Armatus virga ferrea S. Crucis. Crucis elogia. c. 66. §. 9.

Supremis in Cruce verbis ex Pſal. 21. Deus meus, illum dolorem adhuc fuit teſtatus. c. 38. §. 14.

Nam licet Phariſæi ſub Cruce illum blaſphemarent, ipſe pro illis oravit. c. 19. §. 3.

Cur Chriſtus D. permiſerit ſuos diſcipulos terreri tam gravi maris tempeſtate. c. 9. §. 1.

Cur Chriſtus D. poſt mortem in Cruce voluerit aperiri latus ſuum, & transfigi Cor? c. 12. §. 17.

Cur Chriſtus D. à Sponsâ vocatus fuerit hinnulus cervorum. c. 15. §. 5.

Cur Chriſtus D. dum octo propoſuit beatitudines, mentionem fecerit Regni Cœlorum. c. 24. §. 5.

Cur Chriſtus D. in cruce voluerit pendere inter duos latrones. c. 34. §. 6.

Cur Chriſtus D. de ſe dicat: Ego quaſi fluvius Diorix. c. 42. §. 13.

Cur S. Joannes in Apocalypſi Chriſti D. oculos vocet flammam ignis. c. 82. §. 2.

Cur malorum conſilia contra juſtos comparentur telis araneæ. c. 36. §. 15.

Cur ſuper Chriſtum D. cum baptizatus fuit, apparuerit columba. c. 1. §. 12.

Cur ſponſus Pſal. 44. dicatur præcinctus gladio non armatus. c. 34. §. 11.

Cur tam multi invitati ad cœnam magnam, tamen non veniant. c. 30. §. 2.

Factum Cypri Regis Perſarum. c. 10. §. 11.

D

David Rex mitiſſimus, ſimul tamen hoſtibus formidabilis! pari ratione Chriſtus Dominus. c. 5. §. 9.

David paſtor eruens arietem ex ore leonis, fuit figura Chriſti Dom. c. 22. §. 2.

Cur David primo ſtatim lapide tetigerit frontem Goliathis. c. 25. §. 15.

David præcepit ne quis manum mitteret in Abſolonem: Jeſus vult, ut nos non noceamus ulli inimico. c. 38. §. 9.

David oratione vicit ſuos hoſtes præſertim Goliathum. c. 14. §. 12.

Qua ratione David in ſpeluncâ Engaddi vicerit diabolum. c. 13. §. 3.

Pia auctoris deſideria. c. 28. §. 1.

Patri-

Patriarchæ, reges & Prophetæ arſerunt ſimili deſiderio v.g. Jacob. C 1.§ 2.
Devotio P. Joſephi Anchietæ in Braſiliâ. C.28.§.11.
Vult Deus igne tribulationis comburi vincula noſtrorum peccatorum. C.80. §.4.
Immittit Deus tribulationes, ut ſimus memores cœleſtis gloriæ, cujus ſpes nos facit animoſos. C. 80.§.8.
Deus illas nobis repræſentavit per varia tormenta. C.86.§.3.
Cur frequentes ad Deum aſpirationes comparentur thuri. C.61.§.14.
Deus & cœleſtis Jeroſolyma pulcritudine ſuperant omnes creaturas. C. 67. §.14.
Ubi Deus non reperiatur. C.6.§.3.
Aſtringe te Deo. C.8.§.17.
Deum tecum habe, & nihil timeas. C.9. §.10.
Deus permittit tempeſtates ad miſericordiam. C.9.§.5.
Cur Deus diluvium voluerit durare per 40. dies. C.9 § 2.
Cur Deus afflicto Jobo apparuerit in turbine. C.9 §.5.
Deus immittit morbos. C.49.§.2.
Deus lentè procedit ad vindictam. C.53. §.11.
Secundum: Deus tandem juſtè punit. C.50.§.7.
Juſtiſſimus vindex horum ſcelerum eſt Deus. C.6.§.14.
Quam Deus diu diſtulerat ut agerent pœnitentiam. Minatur antequam puniat. C.53.§.9.
Ut Deo fidamus, magnam de ejus providentiâ debemus concipere opinionem, quod ſimili declaratur. C.43.§.3.
Eſt ſanctus modo perfectiſſimo. C. 46.§ 8.
Cur Deus permittat hominem obſideri à Diabolo. C.15.§.1.
Tortuoſum aliquem ſerpentem ſolus Chriſtus ex corde impii educere poteſt C. 15.§.6.
Sic Deus punit impios cæcitate mentis C.12.§.15.
Deus impios tandem punit per ſpinas. C. 11.§.15.
Ex quâ terra Deus formaverit corpus Adami in paradiſo. C.55.§.4.
Ex Origine, quid ſit diligere Deum ex corde. C.41.§.4.
Non quivis dicere poteſt Deus meus! quis poſſit. C.41. §.2.
Subinde alio medio Deus ſuam vocationem facit efficacem. C.30.§.13.
Fructus memoriæ Dei nobis ubique præſentis. C.68.§.7.
Quâ ratione diabolus vincat fortiſſimos leones. C.12.§.12.
Diabolus eſt, qui peccatori ſuadet dilationem pœnitentiæ. C.3.§.10.
Diabolus ob odium & iram erga genus humanum comparatur Pardo. C. 15. §.3.
Diabolus eſt præcipitator animarum, nemo illi fidat: exponitur modus, quo diabolus Jeſum aſſumpſit in civitatem. C.13.§.6.
Ipſe diabolus in modo tentandi non potuit diſſimulare, ſed intendere ruinam. C.13.§.8.
Lucta inter diabolum & Chriſtum D. de poſſeſſione animæ hominis. C.15. §.4.
Ipſe diabolus contra Chriſtum nihil potuit. C.20.§.6.

Diabo-

Google

Diabolus nihil poteſt ſine noſtro conſenſu. c. 30. §. 6.
Diabolus facit impios obliviſci mortis. c. 44. §. 3.
Ideo diabolus inſidiatur oculis humanæ mentis. c 12. §. 10.
Qui vult ſuperare tentationes diaboli, debet fugere occaſiones peccandi. c. 13. §. 5.
Quid ſit diabolum tollere ex anima, velut viâ verbum divinum. c. 11. §. 2.
Dies nativitatis fuit B. Virgini dies lætitiæ cordi ejus. c. 57. §. 5.
Differentia inter ſacrificium Abelis & Caini. c. 33. §. 10.
Differentia inter Abſolonem dum regnũ affectavit & Jeſum, dum hodie Rex Iſrael voluit declarari. c. 18. §. 12.
Quatuor indicia dilectionis peculiaris. primum ſecretorum revelatio. c. 59. §. 2.
Deſcriptio univerſi diluvii ex doctiſſimo Patre Avancino. c. 55. §. 11.
Divites per miſericordiam debent mereri cœlum. c. 35. §. 13.
Apud divitem liberalem ſunt benedictiones & divitiæ. c. 32. §. 4.
Tanta eſt proſperitas alicujus divitis, quanta ejus liberalitas: cujus rei ſymbolum, eſt oleum & lux in lucerna. c. 32. §. 5.
An divitiæ, voluptates, ſpinæ? c. 11. §. 14.
Divitiæ ſunt primus gradus ad damnationem, contra paupertas eſt gradus ad cœlum. c. 55. §. 8.
Dolor & anxietas orta ex commiſſo peccato mortali, comparatur cum dolore parturientis fœminæ; vel alicujus ulceris. c. 42. §. 2.
Quam variis verbis regius Pſaltes in Pſalmis pœnitentialibus explicet hunc dolorem. c. 42. §. 9.
Ex doloribus Jobi colligere poſſumus pœnas damnatorum. c. 48. §. 8.
Dolores B. Virginis inceperunt hodierno feſto à primo momento conceptionis. c. 64. §. 2.
Primi dolores aucti fuerunt in nativitate. c. 64 §. 4.
Aliud incrementum illorum dolorum ex incremento cognitionis & amoris.
B. Virgo fuit roſa inter ſpinas. c. 64. §. 7.
Dolores illi fuerunt continui. c. 64. §. 8.
Præſertim in depoſitione Filii de cruce. c. 64. §. 16.
Dolores Virginis explicantur primo per ſciſſionem cordis. 2. per gladium. 3. per ſagittam. c. 64. §. 10.
Dulcedo Euchariſtiæ. c. 71. §. 11.
Duri, immites erga pauperes; latrones, vultures, homicidæ. c. 45. §. 5.

E

Eccleſia Chriſti comparatur agro, fideles ſpicis. c. 62. §. 6.
Eccleſia urbs fortitudinis, turris, &c. c. 73. §. 10.
Mater Eccleſia nobis proponit varia ſpecula. c. 75. §. 10.
Eccleſia Romana eſt terribilis, ſicut caſtrorum acies ordinata. c. 73. §. 14.
Eccleſia, licet non deſint hoſtes, non habet quod timeat. c. 73. §. 8.
Eccleſia Chriſti Domini tempeſtatibus convulſa (ex Iſaia) ſed eò firmior & ſtabilior ob pretioſos lapides fundamenti. c. 73. §. 5.

Eccleſiæ Romanæ fundamenta Juſtitia & ſanctitas.c.73.§.7.
Acres minæ S. Chryſoſtomi in illos, qui peccant in Eccleſiis.c.6 §.7.
Quomodo vel quales debeamus ingredi Eccleſias.c.6.§.18.
In timore oportet nos ingredi Eccleſias.c.6.§.16.
Cur mater Eccleſia concionem S. Joannis Baptiſtæ de pœnitentia nobis proponat.c.4 §.10.
Ad efficaciam divinæ vocationis concurrunt Deus, ſive gratia, & homo. c.30.§.5.
Rara hiſtoria de Elephante. c. 33. §.9.
Unde Eliſabeth agnoverit præſentiam Matris Dei & tanta myſteria.c.72.§ 10.
Euchariſtia indignè illam ſumentibus eſt lethalis. De regio convivio, in quo Aman rapitur ad patibulum. Idem Aman fuit figura Judæ proditoris, primi indignè communicantis.c.17.§.2.
Ne in hoc mari ſubmergamur, fides facit.c.29.§.7.
Sacramentum Euchariſtiæ eſt myſterium obſcuriſſimum.c.29.§.5.
Quanta ſit excellentia hujus Sacramenti.c.29.§.8.
Alii favores Euchariſtici.c.71.§.13.
Laudetur ſanctiſſimum ſacramentum, ſpiritualis teſſera pro feſto corporis Chriſti.c.71.§.1.
Fructus paſſionis, crucis & mortis & ſanguinis Chriſti renovantur in ſumptione Euchariſtiæ.c.17.§.11.
Cur Chriſtus D. nobis voluerit adeſſe in SS. Euchariſtia.c.29.§.11.
Priſcorum Belli-ducum exequiæ. c. 77.§.8.
Cur Ezechiel viderit Angelos aſtantes altari armatos gladiis.c.16.§.4.

F

Facies & oculi produnt internos animi affectus.c.38.§.2.
Unde ortus ſit error circa falſitatem Deorum.c.41.§.5.
Fides agnoſcit, ſub ſpeciebus hoſtiæ latere Deum & Chriſtum Jeſum.c.29.§.3.
Sola fides habet oculos, quibus Deum intuetur.c.29.§.4.
Fides Euchariſtica in nobis excitare debet varios actus virtutum.c.29.§.9.
In tentationibus contra fidem circa hoc myſterium confugere oportet ad fidem.c.29.§.10.
Elogium fidei.c.29.§.12.
Quænam fuerit modica illa fides, quam Chriſtus D. arguit in Apoſtolis. c.9.§.6.
Qualis inter tempeſtates debet eſſe fides & fiducia noſtra.c.9.§.7.
Doctrina Lutheranorum de vera fide. c.52.§ 9.
Admirabilis fides trium Magorum. c. 52.§.8.
Ex certis ſignis colligere debemus quænam ſit fides ſalvum faciens, quænam illa in qua homo damnabitur. c. 52.§.1.
Quænam de fide inter Catholicos & Acatholicos certa ſunt.c.52 §.2.
Prima veræ fidei proprietas eſt ut ſit ſimplex & humilis.c.52.§.5.
Talis fuit fides Abrahami.c.52.§.6.
Teſtimonia S. Scripturæ quibus nos probamus ſolam fidem non ſufficere. c.52.§.10.

Fidu-

Fiducia poſcit alias virtutes, quod per varia ſymbola oſtenditur v.g. orationem. c.43.§.12.

Figura fuit ira Nabuchodonoſoris erga Regem Sedeciam c.5.§.4.
Sed cur Judex, omiſſis aliis terribilibus nominibus, vocatur filius hominis? prima cauſa ex S. Auguſtino. c.5.§.2.
Altera cauſa: dicitur filius hominis ad majorem pœnam impiorum. c.5.§.3.

Filii hujus ſæculi habent mundum, non Deum. c.23.§.9.

Flos immaturè demeſſus dolori eſt, multò magis adoleſcens à morte abreptus. c.44.§.1.
Optat auctor, hanc panegyrin eſſe floſculum vel gemmam in corona S. Xaverii. c.54.§.1.
Ethnici cogitarunt S. Xaverium eſſe quendam Deum in terris. c.54.§.2.
Miracula primitivæ Eccleſiæ à S Xaverio perpetrata ſunt in fundatione Eccleſiæ in Indiis, Donum linguarum. c.54.§.3.
Gratia orationum. c.54.§.4.
Ob efficacem eloquentiam S. Xaverius habitus fuit velut cœleſtis Mercurius aut Hercules. c.54.§.5.
Miracula à S. Xaverio perpetrata in Elementis. c.54.§ 6.
S. Xaverius è plurimis periculis liberatus. c.54 §.8.
Prædictio futurorum. c.54.§.10.
S. Xaverius in diverſis locis flagellum dæmonum. c.54.§.11.
Conglobatio miraculorum. c.54.§.12.
Epilogus cum duplici affectu laudis divinæ & deſiderii, ut S. Xaverius nobis benedicat. c.54.§.13.

Fons Idumæ. c.10.§.10.
Cur fons parvulus Eſtheris, deinde exundans, in fluvium converſus fuerit in ſolem. c.23.§.5.
Seraphici S. Franciſci 8.§.3.
Seraphici affectus S. Franciſci & aliorum ſanctorum. c.28.§.10.

G

Futuram paſſionem Filii annunciavit Gabriel. c.64.§.3.

Gaudium eſt complementum deſiderii. c.1.§.3.
Partum virginis in ſtabulo præceſſit ineffabile gaudium mentis. c.57.§.2.

Gaudium & voluptas cœleſtis, unde? c.70.§.10.
Exordium ſumitur à dicto Philippi Regis Macedonum de Athenis. c.67.§.1.

Gaudia cœli maxima & immenſa. c.67.§.2.

Gaudia illarum manſionum ſunt æterna. c.67.§.7.
Primus fons gaudii memoria Chriſti patientis. c.78.§.4.
Secundus fons, memoria cœli vel præmii. c.78.§.8.
Rara gemina. c.64.§.6.

Gloria cœleſtis ſimilis eſt Cereo ſpinoſo, elegantiſſimo in Indiis flori. c.10.§.8.
Superant omnia tormenta, qui Deum & gloriam cœleſtem habent præ oculis. c.24.§.9.
Hâc cogitatione ſancti Angeli confortarunt Martyres inter tormenta. c.24.§.3.

Gloria Chriſti, ſi illum amemus, noſtra eſt. c.65.§.8.

Digitized by Google

Conglobatio gratiarum quæ conferuntur dignè communicantibus. c. 17. §. 12.
Explicatur ſimili, quomodo gratia perficiat ſimilitudinem Dei in homine. c. 51. §. 4.
Similitudo per gratiam, quantum elevet animam hominis. c. 51. §. 5.
Unde patet vis & efficacia divinæ gratiæ. c. 55. §. 9.
Gratiarum maxima eſt, diligi à Jeſu. c. 58. §. 1.
Gubernaculum navis, & ſtella polaris. c. 33. §. 5.

H

Heroicum dictum ægræ Virginis. c. 49. §. 4.
Hiſtoria elegans. c. 67. §. 9.
Homo juſtus eſt organum divinæ pietatis, impius juſtitiæ & judicii. c. 5. § 8.
Homini veluti militi, operario & mercenario parata eſt gloria æterna. c. 10. §. 2.
Eximia hominis encomia. c. 51. §. 3.
Honor exhibitus Agno in Cœlo, Chriſto D. fuit exhibitus in hodierno triumpho. c. 18. §. 10.
Hoſtes Chriſti voluerunt eradere nomen ejus, & fecerunt illud longè glorioſius. c. 20. §. 8.
Hoſtes occulti ſunt periculoſi. Comparantur ſcorpiis. c. 36. §. 9.
Clandeſtinæ hoſtium Chriſti murmurationes non obfuerunt ejus gloriæ. c. 18. §. 5.
Humilitas & fiducia ſunt duo fortiſſima brachia, quæ nos ſtringunt Deo, c. 8. §. 18.
Non ſum. Encomia humilitatis. c. 4. §. 7.
Humilis in conſpectu Dei ambulat tutè, ſuperbus periculosè. c. 39. §. 2.
Quantum humilis pœnitentia profuerit regibus. c. 39. §. 7.
Humilis oratio eſt fortis & efficax. c. 39. §. 5.
Humilia Deus reſpicit, alta à longè cognoſcit. c. 39. §. 4.
Humilitas neſcit caſum, ſuperbia labitur. c. 39. §. 12.
Quanta fuerit humilitas publicani. c. 39. §. 8.
Humilitatem. c. 43. §. 17.
Hypocrita fuit Adonias. c. 36. §. 6.
Tales hypocritæ fuerunt Phariſæi erga Chriſtum D. tempore Paſſionis. c. 36. §. 4.
Talis Scorpius fuit Judas. c. 36. §. 10.
Hypocriſis eſt larva immundi ſpiritus qua pleraque teguntur vitia. c. 36. §. 11.
Hypocriſis eſt ſumma malitia, & quare. c. 36. §. 12.
Quo ſenſu tales hypocritæ & inimici occulti non ſint timendi. Tandem illorum iniqua conſilia deteguntur. c. 36. §. 14.
Juſto Dei judicio tales tandem puniuntur. c. 36. §. 16.

I

Jejunium noſtrum eſt flagellum diabolorum. c. 13. § 11.
Encomia jejunii ex SS. Patribus. c. 13. §. 12.
Neceſſitas jejunii contra tentationes diaboli, inde declaratur, quod Chriſtus D. non permiſerit ſe tentari, niſi poſtquam jejunaſſet. c. 13. §. 10.

Pugna-

Pugnaturi contra dibolum, debemus jejunare ne nos vincat, & nobis noceat.c.13.§.10.
Jeroſolyma everſa.c.53.§.2.
Principium & continuatio obſidionis. c.53.§.4.
Proſopopœia everſæ Jeroſolymæ ex eodem Propheta.c.53 §.7.
Cauſæ everſionis, ſive divinæ punitionis.c.53.§.8.
Sumuntur inde cauſæ, propter quas Chriſtus D. fleverit ſuper Jeroſolymam c.38.§.9.
Ingreſſus Chriſti D. in Jeroſolymam fuit pacificus, Ideo omnes deſiderarunt videre vultum ejus.c.18 §.2.
Quanta Dei erga Jeroſolymam dilectio! quanta ejus ingratitudo! quantum ſupplicium.c.38.§.1.
Jeſus in Cruce ſitivit animas noſtras.c.19. §.32.
Jeſus poſitus eſt *in ruinam*, id eſt, ad majorem impiorum pœnam, ipſe erit illorum Judex.c.5.§.1.
Beatus qui invenit Jeſum.c.6.§.1.
Jeſus Crucifixus eſt ſcala ad cœlum, gradus ſunt roſea ejus vulnera. E. 9. §.7.
Jeſu Crucifixo placent roſæ contritionis. E.11.§ 1.
Ex mente S. Bernardi eſt Jeſus Crucifixus roſa rubens & ardens. E.12. §.3.
Jeſus! *florum omnium pulcherrimus*. E. 10.§.3.
Jeſulus virgini Matri fuit lac & mel.c.57. §.8.
Gaudium nati Jeſuli.c.57.§.4.
Si à Jeſu velimus amari, amemus. Elegans hiſtoria.c.59.§.9.
Per varios affectus præfert Jeſum huic mundo.c.68.§.8.
Jeſus glorioſè à mortuis reſurgens, deſiderat eſſe nobiſcum.c.21.§.15.
Sed redditur nobis ſuave, ob auctoritatem legislatoris, qui eſt cœleſtis ſponſus, dilectus Jeſus.c.34.§.4.
S. Ignatius ad magna natus. c. 77. §.1.
S. Ignatius moritur nullo præſente, c.77. §.3.
Apoſtrophe ad SS. Angelos teſtes morientis Ignatii.C.77.§.4.
Affectus morientis Ignatii, c. 77. §.5.
Duo emblemata glorioſæ mortis S. Ignatii.c.77 §.10.
Iterum alia duo emblemata applicantur S. Ignatio. c.77.§.12.
Alia quatuor ex S. literis emblemata. c. §.13.
Varia epitaphia S. P. Ignatio applicantur.c.77.§.14.
In translatione S. Ignatii, apparent ſtellæ, auditur concentus Angelicus. c. 77. §.15.
Quid illæ ſtellæ ſignificent, varia myſteria.c.77.§.16.
An ſtellæ S. Ignatio conſepultæ. c.77. §.18.
Ignis ſymbolum divinitatis.c.69.§.4.
Ignis centrum ubinam? & ubinam centrum Spiritus ſancti.c.69.§.6.
Variæ ignis proprietates applicantur Spiritui ſancto c.69.§.7.
Præcipuus ignis effectus eſt ardor: & Spiritus ſancti præcipuus eſt amor c. 69.§.8.
Quo pacto divinus ille ignis in nobis accendatur.c.69.§.10.

Digitized by Google

Imaginatio ardentis Sodomæ proponere nobis poteſt ignes inferni. c. 48. §. 5.
Nemo impunè in anima ſua violat imaginem Dei. c. 51. §. 9.
Capitale fuit, portare imaginem alicujus tyranni, quid erit geſtare, imaginem diaboli in invidam Chriſti. c. 51. §. 10.
Imagini Protogenis defuit gratia, non Mariæ. c. 55. §. 5.
Variæ SS. Patrum opiniones in quo conſiſtat imago Dei, & ejus ſimilitudo, quæ eſt in homine. c. 51. §. 2.
Impii ſunt incapaces cœleſtium conſolationum. c. 57. §. 10.
Inclinatio capitis. c. 19. §. 44.
Indigna Communio præcipitavit Judam in abyſſum graviſſimi ſceleris & deſperationis. c. 17. §. 3.
Indignè communicantib. Jeſus in Euchariſtia propinans ſuum ſanguinem eſt pincerna mortis. c. 17. §. 10.
Pœnæ inferni ſunt exquiſitæ. c. 48. §. 3.
Infernus! horribilis eſt Vulcania. c. 48. §. 7.
In inferno terribilis grando. c. 48. § 4.
Damnatis nulla prorſus erit conſolatio. 48. §. 6.
Pœnæ inferni comparantur pluviæ. c. 48. §. 2.
Utile eſt concionari ſæpe de inferno. c. 48. §. 1.
Pergunt tales cœci recta ad infernum, & non vident niſi in agone. c. 10. §. 6.
Sed per modum mercedis & bravii, quod duplici metaphora declaratur. c. 10. §. 3.
Infirmiſſimus poteſt eſſe beatiſſimus. c. 49 §. 6.
Qui inimico non vult ignoſcere, fruſtra petit remiſſionem peccatorum. c. 40. §. 8.
Quanta ſit difficultas præcepti de diligendis inimicis. c. 34. §. 3.
Pulchrum eſt poſſe, & tamen nolle nocere! exemplo Davidis. c. 34. §. 10.
Qui hoſti parcit, illum Deus peculiariter protegit, & tuetur. c. 34. §. 12.
Sine inimici dilectione opera noſtra non ſunt grata Deo. c. 34. § 13.
Si vis tibi tua peccata dimitti, dimitte. c. 34. §. 14.
Inquietudo orta ex peccato mortali, confertur cum ebrietate. c. 42. § 4.
Bona intentio eſt trochlea vel rota architectonica. c. 33. §. 3.
Invectiva in viros cholericos. c. 7. §. 6.
Invectiva in malas uxores. c. 7. §. 7.
S. Joannes Baptiſta fuit alter Eliſæus. c. 4. §. 3.
Cur S. Joannes dicatur comediſſe mel, dum prædicavit pœnitentiam. c. 4. §. 9.
Quare S. Joanni appingatur aquila. c. 59. §. 3.
Unde cognoverit S. Joannes Baptiſta? reſpondent varii ſancti Patres, v. g. S. Joannes Chryſoſtomus. c. 72. §. 11.
S. Joannes Bapt. fovet ſuos clientes. c. 72. §. 11.
Admiranda victoria Jonathæ contra Philiſtæos; & Chriſti D. de obſtinatis peccatoribus. c. 82. §. 14.
S. Joſeph, illorum patronus, qui in periculis conſtituti, piè illum invocant. E. 2. § 3.

San-

Digitized by Google

Sanctus Joſepus illorum patronus, qui per confeſſionem ſe præparant ad ſanctam mortem. E.2.§.2.
Illorum, qui ejus feſtum piè celebrant. E. ead.§.4.
Quanta fuerit gratia videre Jeſum. c. 58 §.6.
Illorum, qui dovotè meditantur mortem S.Joſephi.E.2.§.7.
Illorum, qui memores ſunt dolorum & gaudiorum S.Joſephi.E.ead.§.8.
Illorum, qui illum eligunt in patrem.E.2. §.9.
Piiſſima promiſſio de propagatione cultus S.Joſephi. E.ead.§.10.
Cur Joſeph in omni adverſitate fuerit lætiſſimus. c.24.§.12.
Voculis his Pater præcepit, fratres Joſephi ab illo obtinuerunt perfectam injuriæ condonationem.c.34.§.7.
Secunda pars Evangelii. Nequitia & crudelitas ſervi &c. & durities fratrum erga Joſephum Geneſ. 37. c. 50. §.5.
Et Joſeph lachrymis fratrum. c. 38. §.7.
Fratres Joſephi, quam crudeles erga Joſephum, ex avaritia, c.45.§.6.
Graviter à Deo caſtigatur irreverentia in templis.c.29.§.14.
Et Judas contra Chriſtum D. c. 45. §.7.
Judæi potaverunt eum aceto.c.19.§.31.
Judæi Chriſtum crucifixerunt inter duos latrones, ut & ipſe talis haberetur. c. 20.§.2.
Voluerunt illum veluti dracones devorare, & devorati ſunt.c.20.§.9.
Et ita Judæi, & omnes hoſtes Chriſti meditati ſunt inania.c.20.§.4.
Iterum, ſed alio modo, tum illi apparuit Chriſtus Judex.E.4.§.5.
Ob extremum diem judicii peſſimi habent, quod metuent, optimi, quod cupiant & deſiderent.c.2.§.7.
Ingens creaturarum commotio in die judicii à facie Agni. c.2.§.2.
Judicis aſpectus quam terribilis impiis.c. 2.§.5.
Nihil dulcius vocula Venite: nihil terribilius vocula: Ite. c.2.§.9.
Timor extremi judicii impedit peccata.c.37.§.1.
De tempore præſertim erit danda ratio.c.37.§.9.
Juditha Holofernem.c.14.§.13.
Quænam fuerint arma Judithæ contra Holofernem.c.25.§.12.
Juſtus Lipſius.c.78.§.7.

L

Lachymæ faciunt, orationem eſſe pingue ſacrificium.c.38.§.11.
Lachrymæ parentis filii prodigi oſtenderunt illum fuiſſe patrem; Eſau fratrem, applicantur hæc flenti Chriſto.c. 38.§.10.
Præmia & encomia lachrymarum. c. 85.§.11.
De B. Virginis lachrymis.c.64.§.20.
Varia encomia lachrymarum contriti cordis ex SS.Patribus c.75.§.7.
Proſecutio, lachrymæ illæ ſunt dulces. c.75.§.8.
Sunt gratiſſimę Chriſto Domino.c.75. §.9.
Ab his lachrymis pulchritudo animæ.c. 75.§.10.
Lamentationes Jeremiæ.c.53.§.6.

Bonus

Digitized by Google

Bonus latro defendit Chriſtum Dominum contra varias blaſphemias. c. 19. §. 12.

Sed cur hic illum defendit non alter latro. c. 19. §. 14.

Quam eximia fuerit fides boni latronis, & qualis ejuſdem oratio. c. 19. §. 15.

Converſio latronis adſcribitur etiam B. Virgini. c. 19. §. 17.

Lectus impiorum morientium ferus, lugubris, lectus doloris. E. 7. § 2.

Lepra peccati mortalis, eſt quidam æſtus, fervor, fax accenſa. c. 42. §. 7.

Ad curationem ſpiritualis lepræ, duo Medici debent concurrere, Chriſtus & peccator, ille ſanguine. c. 42. §. 10.

Liberalitas facit divites, avaritia pauperes. c. 32. §. 6.

Eadem virtus illos liberat ab igne inferni. c. 32. §. 16.

Sine liberalitate ſubſtantia divitum non eſt ſtabilis. c. 32. §. 9.

Divites liberales in ſupremo agone, contra tentationes diaboli, erunt fortes & robuſti. c. 32. §. 14.

Firmat illam miſericordia: differentia inter divitem liberalem & avarum. c. 32. §. 10.

Lingua indicat filios Dei & filios diaboli. Quam ſit diverſus illorum ſermo. c. 40. §. 10.

Venenata lingua eſt ſedes diaboli. c. 40. §. 6.

Mala lingua eſt vehiculum diaboli. c. 40. §. 7.

Nequam lingua eſt potens diaboli inſtrumentum ad omne malum. c. 40. §. 9.

Lingua ſolet oſtendere, cujus regis ſimus ſubditi. c. 40. §. 11.

Et qualis ſit lingua diſcipulorum in ſchola Chriſti. c. 40. §. 13.

Invectiva in male loquentes. C. 40. § 4.

Quomodo loquantur diſcipuli in ſchola diaboli. C. 40. §. 12.

Longanimitas Samuelis erga ingratum populum, fuit figura Charitatis, quam deinde prædicavit Chriſtus Dominus. C. 34. §. 1.

S. Ludgardis. c. 78. §. 6.

S. Ludovicus Theſſolananus Epiſcopus moriens, ex ore miſit roſam. E. 4. §. 7.

Aureum documentum Ludovici Bloſii. c. 33. §. 14.

S. Ludvvina. C. 78. §. 5.

M

Magdalena peccavit oculis. C. 76. §. 3.

S. Maria Magdalena, ſpeculum turpitudinis. C. 75. §. 2.

Peccavit crinibus, ore, unguentis; cum invectiva in malos parentes. C. 75. § 4.

Pœnitentia Magdalenæ fuit ſubita. C. 75. §. 6.

Maria Magdalena petra Oreb. C. 75. §. 11.

Maria Magdalena adhærens Chriſto Crucifixo. c. 75. §. 12.

Mirabilis vis magnetica. c. 61. §. 7.

Quales nos debeamus habere manus. c. 66. §. 10.

Manna tanto honore aſſervatum, & circumlatum, fuit figura venerabilis Sacramenti. c. 71. §. 5.

Quales ſint manſiones cœli, ex Bernardo & Boetio. c. 67. §. 3.

Et manſuetos in opere. c. 35. §. 11.

Dictum

Dictum Marci Aurelii Imperatoris. c. 6. §. 5.
Maria quoque ſtans juxta crucem cum filio oravit pro Crucifixoribus. c. 19. §. 9.
Stetit Maria ſub cruce, non corruit. c. 19. §. 20.
Quanta ſit Mariæ dignitas & excellentia. c. 62. §. 1.
Væ! peccatoribus ſi deſerantur à Maria. c. 62. §. 3.
Etiam in fine vitæ Maria opitulatur peccatoribus. c. 62. §. 8.
Apoſtrophe ad peccatores, ut diligant Mariam. c. 62. §. 9.
Sola pronuntiatio auguſtiſſimi nominis Mariæ quàm ſit utilis. c. 62. §. 10.
Utile eſt colere & amare Matrem doloroſam. c. 64. §. 9.
De corde accenſo B. Mariæ Virginis judicium S. Ildephonſi & Amadei. c. 70. §. 5.
Maria, in viſitatione Joannis properans & feſtinans aurora. c. 72. §. 3.
Maria, in hac viſitatione fuit currus igneus. c. 72. §. 5.
Mirabilis ingreſſus Mariæ in ædes Eliſabeth. c. 72. §. 6.
Propugnatur à ſexaginta fortibus. c. 73. §. 15.
Maria exſurgens in montana, fuit ferculum Salomonis. c. 74. §. 1.
Maria in utero geſtavit Lucem & Solem. c. 74. §. 2.
Ipſa quoque lux & ſol, ideo feſtinavit. c. 74. §. 3.
Maria geſtans uterum nullum ſenſit pondus, figura fuit arca, geſtata à Levitis. c. 74. §. 4.
Maria machina, plena ignibus charitatis, celeriter mota. c. 74. §. 5.
Maria cœleſtis luſcinia & columba. c. 74. §. 6.
Maria ob immenſas delicias in Filii Incarnatione facta fuit cœlum; ideo velociſſimè movetur. c. 74. §. 7.
Sol eſt Maria, ideo velox in ſuo curſu. c. 74. §. 9.
Properat, quia eſt luna. c. 74. § 10.
Feſtinat Maria, quia eſt ſtella. c. 74. §. 12.
Decuit elegi mundiſſimam & totam pulchram. c. 55. §. 7.
Ita Dei filius cuſtodivit cor ſuum. c. 55. §. 8.
Quantis gratiis Maria in virgineo partu fuerit impleta. c. 57. §. 6.
Quantæ Virginis parientis deliciæ. c. 57. § 7.
Ipſa quoque Virgo eſt lac & mel. c. 57. §. 9.
Cur Maria dicatur aſſiſtere dextræ Sponſi in veſtitu deaurato. c. 79. §. 2.
Maria aſſumpta ſol & luna. c. 79. §. 4.
Rationes variæ, ob quas decuit Mariam aſſumi ad gloriam anima & corpore. c. 79. §. 5.
Quanta in cœlis lætitia in B. Virginis Aſſumptione. c. 79. §. 12.
Magnitudo Marianæ gloriæ. c. 79. §. 13.
Maria in cunis aurora tota lucida. c. 81. §. 2.
Mariæ jacentis in cunis pulchritudo in formoſiſſimo corpuſculo. c. 81. §. 3.
Explicatur illa per varias res pulchras. c. 81. §. 4.

Oculi parvæ ex cunis urunt nos, & feriunt c.81.§.5.
Qualis in cunis jaceat puella. c. 81. §.8.
Maria in cunis Dei pictura, naturæ ſpeculum, cœli pupilla, mundi corculum. c.81.§.9.
Conglobati affectus & deſideria amoris erga Mariam. c.81.§.10.
Miraculum gratiæ eſt gaudium, quo Martyres pertulerunt tormenta. c.78. §.2.
Felix matrimonium exigit conjugalem caſtitatem & pacem atque concordiam.c.7.§.2.
Curioſa & lepida quæſtio de uxore Jobi. c.7.§.8.
In matrimonio veluti horto creſcunt flores, ſed inter ſpinas c.7.§.1.
Matthæus erat peccator, tamen intuitus Chriſti D. illum convertit. c. 82. §.6.
Memoriæ mercedis, ſive cœleſtis gloriæ nos erigit, & facit animoſos. c. 10. §.14.
Quam nobis ſit utilis continua Dei vel ſanctiſſimæ Trinitatis memoria. c. 28.§.7.
Magnum ægrorum ſolatium eſt memoria Paſſionis Chriſti.c.49.§.12.
Et memoria gloriæ Cœleſtis. c. 49. §.14.
Meſſias fuit agnus.c.1.§.11.
Minæ intentatæ Regi Sedeciæ. c.2.§.8.
Terribiles minæ ſuper indignè communicantes.c.17.§.13.
Minæ Chriſti Salvatoris.c.45.§.12.
Oleum miſericordiæ illos corroborat, & lubricos ſimul reddit, ne teneantur ab infernali ſerpente.c.32.§.15.
Denique miſericordes. c.35.§.12.
Modicum idem eſt, quod vanitas vanitatum, & omnia vanitas. c. 23. §.2.
Mors beatiſſima S. Gertrudis Virginis. E. 7.§.8.
Miſeranda mors Goliathi, cur lapis infixus fuerit fronti.c.44.§.6.
Mors impiorum terribilis, plena torſionibus & doloribus ex Iſaia. c.44.§.7.
Suaviſſima mors pij Sacerdotis è Soc. Jeſu.c.56.§.11.
Mortis, ſi quis ſine motu devotionis illas aſpiciat E.2.§.4.
Placida mors à Tertulliano deſcripta per ſimile.c.77.§.6.
Olim apud Romanos quæ mors glorioſa.c.77.§.7.
Infelix mors puellæ ſacrilegè confitentis. c.16.§.2.
Digreſſio ad pretioſam præparationem ad ſanctam mortem. con. 14. §.14.
Ideo ſolliciti eſſe debemus ut benè moriamur ſive ut nos præparemus ad ſanctam mortem, qualis mors non eſt timenda.c.44.§.8.
Quid ſit fabulæ hujus vitæ, ut Seneca loquitur, bonam clauſulam imponere. c.44.§.9.
Ut ita moriamur, quotidie cogitare debemus, nos morituros.c.44.§.10.
Quinam dicendi ſint optimè diſpoſiti ad mortem.c.44.§.11.
Supremæ voces morientis militis.c.48. §.10.
Devotiſſima mors & glorioſum martyrium P. Camilli Conſtantii eximii cultoris ſanctiſſimæ Trinitatis. c.28. §.12.

Et

Digitized by Google

Et aliæ in morbis circumſtantiæ.c.49. §.11.
Mundus eſt ſtatua Fenellæ.c.84.§.2.
Quinam diligunt mundum.c.28.§.3.
Mundus eſt barathrum, hiſtoria de Curtio.c.84.§.4.
Reperitur quotidie in hoc mundo hiſtoria ex c.16.Num. Eſt locutus patheticus.c.84.§.6.
Hic mundus eſt larva decipiens, vera beatitudo eſt in altero mundo. c. 85. §.1.
Palatia hujus mundi reſpectu cœli ſunt lutum.c.67.§.11.
Pœnæ hujus mundi tranſeunt, non gloria cœli.c.78.§.9.
Terribiles montes Islandiæ, ſpecula hujus mundi.c.84.§.8.
Relinquere hunc mundum S. Paulo idem eſt, quod mori huic mundo. c. 68. §.10.
Munificentia facit reges amabiles. c. 5. §.11.
Alia deſcripto malæ mulieris. c. 7. §.9.

N

Navis attracta ad littus roſeis vinculis. E. 6.§.6.
Navis Minervæ ornata ramo olivæ. c. 55. §.17.

O

Oblivio hujus veritatis, Deo nihil eſſe abſconditum, eſt cauſa graviſſimorum ſcelerum.c.47.§.6.
Oculus.c.33.§.6.
Oculi Dei & Chriſti D. ſunt ſuper ſolem lucidiores.c.82.§.3.
Ad duellum neceſſarii ſunt oculi. c. 12. §.13.
Oculi Chriſti D. poſſunt convertere graviſſimos peccatores. c.82.§.7.
Idem intuitus ſolidat fragilia. c. 82. §.10.
Quales oculos habuerit Chriſtus D. c. 82.§.12.
Variæ operationes oculorum Chriſti D.in S.Matthæo.c.82 §.13.
Memoria oculorum Dei, eſt frænum ne peccemus. c.81.§.15.
Ramus olivæ à columbâ illatus arcæ, eſt ſymbolum immaculatæ Conceptionis.c.55.§.10.
Cui ſuperfuit ramus olivæ.c.55.§.12.
Oratio diſſipat vires Regum. c. 25. §.13.
In rebus deſperatis, orantibus divina bonitas celeriter & mirabiliter ſuccurrit. Id Ezechias fuit expertus c. 25. § 2.
Oratio prævalet armis. Probatur pulchra hiſtoria.c.25.§.6.
Iisdem armis nos debemus reſiſtere diabolo.c.25.§.5.
Quantum Sampſoni profuerit oratio. c.25.§.8.
Sancti in veteri teſtamento conſtituti, confugerunt ad orationem. c. 25. §.9.
Præſertim illa quæ fit in nomine Chriſti. Cur oratio vocetur villa coccinea? c.25.§.14.
Oratiuncula Publicani, unde & cur tam efficax.c.25.§.16.
Exempla ferventer orantium hanc oratiunculam, S.Gertrudis.c.8.§.2.
Similis dolor & zelus movet viros Apoſtolicos ut orent pro impiis.c.14.§.6

Impius converſus ad Deum, utiliter orat.c.14.§.8.
Variæ claves ad reſerandum theſaurum divinæ miſericordiæ. Clavis una eſt hæc oratiuncula, Jeſu &c. c. 14. §.9.
Phariſæus ſuam orationem fecit Deo odibilem, fœtore jactantiæ. c.39.c.10.
Suaviſſima de apertione oris ſalvatoris.c.85.§.5.
Oſculum Chriſti D. quod offert peccatoribus, eſt ſuavis ejus inſpiratio. E. 63. §.13.
Oſcula à Chriſto D. oblata S. Gertrudi.c. 63.S.14.
Oſculum æternæ gloriæ.c.63.§.15.
Præcedere debent oſcula Crucis. c. 63.§.16.
Cur David ſe vocaverit oviculam quæ periit.c.23.§.1.
Inventam oviculam impoſuit ſuis humeris.c.31.§.6.
Apoſtrophe Paſtoris alloquentis oviculam.c.31.§.12.

P

Paradiſus Alardini. c.24.§.1.
Die Paraſceves mirabilem videbimus rerum cataſtrophen.c.18.§.15.
Virgineus partus plenus deliciis. c. 57. §.3.
Parvulus illuminav't Magos.c.61.§.8.
Non ſtella tantum, ſed multò magis parvulus per ſtellam traxit Reges ad præſepium.c 65.§.1.
Parvulus omnipotens potuit trahere Reges, prout voluit.c.61.§.3.
Parvulus de Bethleem prædator. c. 61. §.4.
Ad qualia paſcua liberatas oviculas bonus paſtor educat. c.22.§.6.
Quare nox paſſionis, vocetur tempus deliciarum.c 20.§.7.
Inter ſigna paſtoris numeratur fiſtula. Illa eſt ſymbolum cœleſtium deliciarum, quibus ſuas oviculas conſolatur. Quod oſtenditur per brevia exempla. c 21.§.10.
Quid ſit paſtorem reliquiſſe nonaginta novem oves. c.31.§.2.
Cœleſtis paſtor prudenter id fecit, ob infinitum ſuum amorem erga unicam oviculam.c.31.§.4.
Declaratur ſimili quanto labore, dolore & amore perditam oviculam quæſiverit.c.31.§.14.
Paſtor Jeſus fecit hæc omnia gaudens. Gaudii cauſa fuit, reditus oviculæ.c.31. §.14.
Digreſſio ad fiduciam oviculæ erga ſuum Paſtorem.c.31.§.13.
Cur tam clara fiat mentio humerorum Paſtoris.c.31.§.10.
Pater cœleſtis voluit ſuum filium ante Paſſionem extraordinario modo honorari.c.18.§.9.
Pater filii prodigi quam facilè motus fuerit ad pietatem ob lacrymas filii. c. 38. §.6.
Invicta patientia Philippi II. in morbis. c.49.§.7.
Eximia elogia S. Pauli.c.73.§.3.
Pœna graviſſima peccati mortalis eſt cœcitas mentis.c.12.§.2.
Sed ſuadetur pœnitentia feſtinata, per varia ſimilia SS.PP. primum eſt. c. 3.§.11.
Accelerata pœnitentia S. Petri Apoſtoli.c.3.§.17.

Præ-

Digitized by Google

Præcipuus ex dignis fructibus pœnitentiæ eſt, cavere recidivam, quæ tamen valde frequens eſt. c. 3. §. 4.
Dilatores pœnitentiæ vellent tandem pœnitere, & juſto Dei judicio non poſſunt, probatur ex cap. 19. Gen.. c. 3. §. 15.
Quæ ſit mendax pœnitentia. c. 3. § 8.
Deſcriptio dignæ pœnitentiæ ex S. Ambroſio. c. 3. §. 9.
Quid pœnitentia requirat. c. 4. §. 11.
Peccatum mortale eſt quidam dæmon diſcerpens animam. c. 42. §. 6.
Peccator ſuam lepram debet curare lacrymis contriti cordis. c. 42. §. 14.
Peccans mortaliter eſt ſimilis porco. c. 51. §. 8.
Horrendi effectus peccati mortalis in anima hominis. c. 51. §. 6.
Unde præterea oriatur illud gaudium in converſione peccatoris. c. 31. §. 16.
Fruſtra tegimus occulta peccata. c. 47. §. 4.
Neque peccatoribus deſperandum eſt. c. 56. § 13.
Eodem modo B. Virgo præſervata fuit à macula peccati originalis. c. 55. §. 14.
Varia nomina feſti Pentecoſtes apud SS. PP. c. 69. § 1.
Triplex præparatio ad feſtum Pentecoſtes, Prima eſt puritas cordis. c. 26. §. 12.
Conſtantem perſeverantiam. c. 43. §. 4
Quomodo S. Petrus Apoſtolis illas deſcribat. c. 67. § 4.
Paucula elogia S. Petri, cum plura alibi proponam. c. 73. §. 2.
Carbunculi & Saphiri fuerunt SS. Petrus & Paulus. c. 74. § 6.
Phariſæus in hodierno Evangelio habuit trabem in oculo, id eſt, fuit ſuperbus. c. 39 §. 1.
Superbia Phariſæi exſufflavit miſericordiam Dei. c. 39. §. 11.
Pij ſic vivunt, quaſi quotidie morituri. c. 44. §. 2.
Præſentia Jeſu, detrimentum vertit in ſolatium. c. 49. §. 9.
SS. Patres per falſos Prophetas intelligunt illos, qui ſub larvâ virtutis tegunt malitiam. 36. §. 2.
Prudentes ut ſerpentes, contemnunt hunc mundum. c. 23. §. 8.
Publicanus fuit dives, nihilominus oratio ejus tam efficax, unde? c. 39. §. 9.
Quomodo publicanus tam celeriter obtinuerit juſtificationem. c. 34. §. 16.

Q

Per quadrageſimam alios cibos nobis offert Chriſtus D. alios diabolus. c. 13. §. 14.
Tempore quadrageſimæ Concionatores utiliter agunt de integritate Confeſſionis. c. 16. § 1.
Querela, quod pauci loquantur de Deo Deum amant, qui de illo loquuntur veluti S. Roſa. c. 40. §. 5.

R

Redemptor & Salvator noſter eſt ſanctus c. 46. §. 6.
Cur Regina Eſther præ ſe tulerit triſtitiam, antequam alloqueretur Regem

Aſſuerum? cur fleverit? ita illum diſpoſuit ad Clementiam.c.38.§.3.
Reſignatio Davidis in divinam voluntatem.c.8 §.13.
Dicta gentilium de hac reſignatione. c.8.§.14.
Fruſtra voluerunt impedire reſurrectionem.c.20.§.5.
Prædictiones Davidis, de glorioſa Chriſti reſurrectione.c.21.§.8.
Homini Chriſtiano utile & ſuave eſt cogitare reſurrectionem Chriſti.c.66. §.1.
B.Roſa, roſa cordis Jeſu & ſponſi ejus, E. 10.§.1.
Axiomata B.Roſæ de Chriſto D. ut illi fidamus.c.43.§.11.
Exordium offert roſas Marianas, in ſolatium ſodalium.E.4 §.1.
Præſentia Jeſu fuit B. Roſæ ſolidum fundamentum eximiæ fiduciæ. c. 43. §.10.
B.Roſæ teſſera, Amemus Deum. c. 41. §.15.
Cum loquendum illi fuit de divino amore, fuit fœcundiſſima, ingens miraculum. c 41.§.17.
Quos dolores perpeſſa fuerit ex amore Dei.c.41.§.18.
Heroica ejus in doloribus axiomata. c.41.§.19.
B.Roſæ fiducia circa myſterium Prædeſtinationis.c.43.§.8.
Ideo B. Roſa fuit hortus concluſus. c. 43.§.16.
Hanc Dei providentiam & gubernationem proclamat totus mundus, multù magis nos.c.43.§.6.
B.Roſæ ardens amor.E.10.§.5.
Ignitæ ejus jaculatoriæ orationes. E. 10. §.6.
Roſa quam dilecta Jeſu Sponſa. E. 10. §.7.
Encomia Roſæ, & devotionis erga Jeſu Crucifixi vulnera. E.9.§.1.
Ardens B. Roſæ oratio plena affectibus amoris.c.41.§.14.
Hoc ſeculo Beata Roſa, quod patet ex aliquot Seraphicis ejus dictis, c. 41. §.13.
Quomodo Invitarit Angelorum ordines ad laudandum Deum.c.41.§.16.
Qualia corda ſint roſei lectuli pro Jeſu Crucifixo.E.7.§.6.
Unde appellatio roſarum triumphalium.E.9.§.5.
Elegans ornatus à roſis. E.9.§.2.
Corona ex igneis roſis.E.8.§.4.
Variæ roſæ myſticæ. E.9.§.3.
Melleæ quoque roſæ SS. ejus vulnera. E.12.§.4.
Mel dulciſſimum reperiunt apiculæ in roſis.E.12.§.1.
Tales roſæ debent eſſe noſtræ orationes. E.12.§.5.
Roſæ B. Brigittæ. E.3.§.5.
Pallas Ulyſſem jacentem in deliquio recreavit roſis.E.3.§.3.
Sodalibus agoniæ roſa pentaphylla quinque SS. vulnerum. E.1.§.2.
Modus orandi S.Roſæ Virginis Viterbienſis.E 6.§.3.
Si volumus & nos, corda noſtra poſſumus convertere in roſas. E. 6. §.2.
Peculiaris devotio pauperculæ puellæ erga ſtatuam B.Virginis, ornando illam roſis, & recitando Angelicas ſalutationes.E.3.§.4.
Roſa Jerichuntina generat lætitiam. E.2. §.7.

Roſa

Digitized by Google

Roſa Jerichuntina Indicium mortis vel vitæ. E. 2. §. 3.

Deſcriptio roſæ Jerichuntinæ. E. 2. §. 2.

Roſa Jerichuntina, ſive devotio erga quinque SS. vulnera Chriſti à nobis avertit fulmen terribilis ſententiæ. E. 2. §. 6.

Roſæ Cleopatræ ſymbolum ſuavis quietis. E. 7. §. 1.

Roſæ oblatæ à B. Virgine B. Dalmacio. E. 6. §. 5.

B. Virgo illo obtulit quinque roſas cum pulcherrimis documentis. E. 4. §. 4.

Mira quædam vis olei roſacei. E. 5. §. 5.

Quales ſint roſæ S. Gertrudis. E. 5. §. 1.

Sinus B. Virginis impletus roſis. E. 2. §. 1.

Roſeum lectum præparant pij. E. 7. §. 3.

Variæ roſæ variis ſtatibus oblatæ pro xenio. E. 1. §. 1.

Aliæ roſæ S. Seraphici P. Franciſcani peccatoribus. c. 60. §. 15.

Roſæ Alexandri Bertij & ſanctæ Muſæ hoc anno morituris. conc. 60. §. 16.

Roſa aurea B. Virginis pauperibus. c. 60. §. 14.

Roſæ ſanctæ Cathildæ, ſanctæ Roſæ, ſanctæ Eliſabethæ divitibus. c. 60. §. 13.

Roſæ ſanctæ Dorotheæ Virginitas. c. 60. §. 11.

Roſæ conjugales. c. 60. § 9.

Roſa è manu Jeſuli, oblata Clero & Religioſis ordinibus. c. 60. §. 6.

Roſa SS. Trinitatis, oblata Reverendiſſimo Principi. c. 60. §. 3.

Variæ roſæ hyemales. c. 60. §. 1.

Roſeus imber ex Japonia. c. 60. §. 1.

Adduntur variæ roſæ ſymbola. c. 60. §. 5.

Roſæ fontis B. Virginis oblatæ Cameræ Spirenſi. c. 60. §. 8.

Roſæ ſancti Franciſci Seraphici, oblatæ adoleſcentibus. c. 60. §. 12.

Roſæ ſanctæ Ludvvinæ pro viduis. c. 60. §. 10.

Salutationes Angelicæ & orationes Dominicæ converſæ in roſas. E. 1. §. 6.

Rota ſub pedibus Nemeſis. con. 74. §. 11.

Ruth colligens relictas ſpicas, figura fuit Mariæ. c. 62. §. 7.

S

Cur Saba non adoraverit Salomonem, & tres reges adoraverint parvulum in Bethleem. c. 18. § 8.

Cultus venerabilis ſacramenti Deo eſt gratiſſimus. c. 71. §. 9.

In ſacramento remittuntur peccata, vi ſanguinis Chriſti D. c. 47. §. 10.

Sacrilegæ confeſſiones & Communiones fiunt novi laquei quibus impii magis ligantur. c. 16 § 5.

Sacrilegi tandem confugiunt cum Juda ad laqueum. c. 16. §. 7.

In agone non poterunt loqui. c. 16. §. 10.

Sacrilegè confitentes jacent in puteo iniquitatis, cujus os clauſum eſt. Proinde in ultimo etiam agone loqui non poterunt. c. 16. §. 10.

Tra-

Digitized by Google

Tragica hiſtoria, quod ſacrilegi moriantur infelices. c.16.§.11.
Fruſtra ſacrilegi conantur Deum decipere. c.16.§.18.
Sacrilegè communicantes invertunt intentiones, ob quas Chriſtus D. SS. Euchariſtiam inſtituit. c.17.§ 5.
Acris invectiva in ſacrilegè communicantes. c.17.§.6.
Horribiles effectus ſacrilegæ communionis ex S. Ambr. c.17.§.7.
Acerrima invectiva in ſacrilegè communicantes. c.17.§.8.
Sanguis Euchariſticus ſacrilegis non præſtat vitam, ſed mortem. c.17.§.9.
Invectiva ſancti Hieronymi in ſacrilegum Diaconum. c.6.§.10.
Aliæ minæ, præſertim contra ſacrilegos ſacerdotes. c.6.§.15.
Aurea ſagitta. pulchra viſio. c.33.§.7.
Inſignes ſagittarii. c.33.§.8.
Salomon in ſuo triumpho uſus fuit ferculo aureo, Jeſus aſino, ad majorem gloriam. c.18.§.7.
Duo requiruntur ad ſalutem intelligere, & benè agere. c.26.§.11.
Magnam æſtimationem de ſanguine Chriſti. c.43.§.13.
Cur ſanguine victimarum propitiatorium ſepties fuerit aſperſum. c.42 §.12.
Scyphus Joſephi ſignum amoris erga fratres. c.76.§.13.
Semina ſparſa proferunt fruges, coacta in unum pereunt. c.32.§.3.
Explicatur dictum Senecæ ſapientis animus eſt, ſicut eſt ſtatus mundi ſupra lunam. c.43.§.1.
Teſſera Severi Imperatoris. c.10 §.8.
Quomodo Simon Magus fuerit humiliatus à S. Petro. c.39.§.13.
De ſiti Chriſti D. in Cruce. c.19.§.25.
Cur conqueſtus fuerit de hac ſiti. c.19. §.27.
Quantum tormentum fuerit illa ſitis. c.19.§.29.
Putant alii feciſſe id ſolem. c. 27. § 6.
Ingens ſolatium morientis Religioſi. c. 50.§.11.
Miſerabilis obitus duorum religioſorum. c.50.§.12.
Hodierni feſti ſolennitatem ſtupent hæretici. c.71.§.2.
Spiritus ſanctus eſt ſacroſanctæ Trinitatis Cor, quod nobis hodie donatur. c. 27. § 1.
Imploratio gratiæ Spiritus ſancti. c.27. §.2.
Quare Spiritus ſanctus à Chriſto D. vocetur ſpiritus veritatis. c.26.§.2.
Spiritus veritatis in animâ hominis eſt quædam clariſſima lux, quæ pellit tenebras circa præcipua myſteria fidei. c. 26.§.6.
Variæ figuræ illius lucis qua Spiritus ſanctus nos illuminat. c.26.§.7.
Spiritus ſanctus non tantum illuminat intellectum, ſed movet etiam voluntatem. c.26.§.8.
Ornatus, quo in principio creationis ornatum fuit univerſum, aſcribitur Spiritui ſancto ex cap.1. Gen. c.27.§.3.
Et pari modo interior ornatus animarum noſtrarum. c.27.§.4.
Qui fuerit ille ventus, vel ſpiritus, qui exſiccavit aquas diluvii, & terram iterum ornavit. c.27.§.5.
Utrumque verum eſt, ſi per ventum & ſolem intelligamus Spiritum ſanctum. c.27.§ 7.

Idem

Idem ſpiritualiter fit in cordibus noſtris. c. 27. §. 8.
Spiritus S. renovando animas noſtras, varias operatur immutationes. c. 27. §. 9.
Spiritus S. tribuit cœleſtes conſolationes. c. 27. §. 11.
Spiritus S. in cordibus noſtris eſt fons aquarum viventium. c. 27. §. 12.
Infundit favos & mel cœleſtium conſolationum. c. 27. §. 13.
Eſt pignus futuræ gloriæ. c. 27. §. 14.
S. Ambroſius de Spiritu S. præclarè inſtruit Gratianum Imperatorem. c. 69. §. 3.
Quicquid ſanctè ardet, ab igne Spiritus S. ardet. c. 69. §. 9.
In quibus advertantur effectus hujus ignis. c. 69. §. 13.
Spiritus ſuaviſſimus hodie videtur terribilis. c. 70. §. 1.
Favores à *Spiritu S.* exhibiti Beatæ Catharinæ de Reconis. c. 69. §. 11.
Adhortatio ad eundum obviam ſpiritui S. c. 70. §. 11.
Ratio S. Ambroſii, ob quam Spiritus S. duxit Chriſtum in deſertum. c. 13. §. 1.
Emiſſio Spiritus, cum ingenti matris & omnium Creaturarum dolore. c. 19. §. 45.
Ubi ſponſa fruſtra quæſiverit dilectum ſuum. c. 6. §. 2.
Cur Sponſus vocetur flos campi. c. 10. §. 6.
Qualem coronam ſponſus ſuæ ſponſæ præparaverit. c. 10. §. 5.
Quid ſignificent murenulæ aureæ, quas ſponſus promiſit Sponſæ. c. 30. §. 8.
Cur ſponſa petiverit ſuſtentari lævâ & dextera Sponſi. C. 31. §. 9.
Sponſa dilexit Sponſum ſuper omnia. Qua ratione id fecerit. c. 41. §. 19.
De ſtellis varia ex S. literis. c. 77. §. 17.
S. Stephanus 19. arboris crucis. C. 58. §. 3.
S. Stephanus, ignoſcendo inimicis pulcherrimum factus eſt ſpectaculum. Quale olim fuit Abel. c. 58. §. 10.
Primum punctum S. Stephanus Proto-Martyr. C. 58. §. 2.
Ardentia ſuſpiria ſunt ſagittæ ornatæ roſis. C. 9. §. 4.

T

Tace. C. 8. §. 16.
Templum Dionyſii Imperatoris. C. 10. §. 9.
Quid cogitare debeant ingreſſuri templum. c. 29. §. 13.
Requiritur à nobis in templis reverentia exterior. c. 6. §. 17.
Tempeſtas maris quomodo profuerit Apoſtolis. c. 9. §. 3.
Tempus depingi ſolet in ſpecie formoſi juvenis. c. 37. §. 10.
Quantum ſit pretium temporis. c. 37. §. 11.
Minimum ſufficit ad acquirendam ſalutem. c. 37. §. 12.
Miſeri ſunt, qui à tempore decipiuntur. c. 37. §. 13.
Efficacia aliquot motiva, ut benè tempus impendamus. c. 37. §. 14.
Animalia tempus ſuum agnoſcunt, non homines. c. 37. §. 15.
Damnati lugent, ſe perdidiſſe tempus. c. 37. §. 16.
Variæ cauſæ tenebrarum ſub Crucifixione.

fixione. Inter has tenebras converſus fuit bonus latro. c.19.§.11.

Terribilis terræ motus Conſtantinopoli. c.53.§.1.

Terror Reginæ Eſtheris in conſpectu Aſſueri.c.2.§.6.

Terror Danielis,c.2.§.7.

S.Thereſiæ. c.8.§.5.

Theſauri inter pauperes expoſiti conſervantur in horreis cœleſtibus.c.23.§.12.

S.Thomæ non defuerunt alia ſigna omnipotentiæ Chriſti.c.21.§.3.

Cur incredulus Thomas pro ſigno reſurrectionis petiverit videre, & tangere vulnera Chriſti. c.21.§.2.

Sed certum eſt Thomam fuiſſe incredulum,c.21.§.6.

Ideo venit ad illum Dominus, ne periret diſcipulus. Et qualis venerit, quid ad Thomam dixerit.c.21.§.7.

Aliqui SS.Patres excuſant & imminuunt curioſam incredulitatem Thomæ. c.21.§.5.

Certum videtur D. Thomam corporaliter palpaſſe veneranda Chriſti vulnera.c.21.§.11.

Quo fructu? quam Thomas illo contactu fuerit immutatus. c.21.§.12.

Thus peculiaris devotionis.c.61.§.9.

Timor in tantam poteſt converti fiduciam & amorem, ut amans Deum, nihil timeat.c 9 §.15.

Tragica hiſtoria, quomodo nos in tribulatione reſignare & orare debeamus, c 80.§.6.

Tragica venatio,c.81.§.7.

Tribulatio S. Bartholomæi fuit utilis, c.80.§.1.

Quid agendum ſit in tribulationibus exemplo Jobi.c.80.§.5.

Per mare tribulationis patet iter ad montes gloriæ.c.80.§.9.

In tribulatione primo fuge ad Deum, non ad creaturas.c.8.§.15.

Per tribulationem & infirmitates multi trahuntur ad Deum.c.49.§.1.

SS.Trinitas in igne ſæpius apparuit. c.69. §.5.

Illuſtres magnorum virorum triumphi. c.66.§.6.

Tyrus, civitas opulentiſſima cur fuerit ſita in mari.c.83.§.7.

V.

Valedictio MARIÆ ad morientem filium JESUM c.19.§.24.

Florida corona cum aliis,eſt ſymbolum vanitatis.c.23.§.10.

Aliud ſymbolum meretrix Babylonica ſedens ſuper beſtiam.c.23.§.11.

Quomodo decipiantur filii hujus ſæculi.c.23.§.13.

Tragica hiſtoria de Turcarum [illegible]mperatore Mahomete, & Irena, puellâ Chriſtianâ c.23.§.13.

Ingreſſus ad expoſitionem verbi quinti.c.19.§.33.

Verba ſuavi[illegible]chro ſunt fortis gladius.c[illegible]

Ingreſſus in expo[illegible]onem verbi ſecundi.c.19.§.10.

De ſexto verbo.c.19.§ 39.

In ultimo verbo tria præcipuè ſunt cõſideranda. Primo clamor.c.19.§.42.

Quanta ſuavitati verborum in homine pulchro inſit vis, ad trahendum ad ſe corda hominum: quod patuit in Judithâ.c.35.§.2.

Et mites,dulces,ſuaves in verbis ſanctis c.35.§.10.

Ver-

Verbum D. multis modis allegoricè dicitur. c. 11. §. 1.
Idem explicatur ex hiſtoriâ Gen. c. 40. per ſomnium Piſtoris & Pincernæ. c. 11. §. 3.
Invectiva in illos Auditores verbi divini, quibus illud diſplicet. c. 11. §. 6.
In quorum corda cadat ſemen verbi divini. c. 11. §. 7.
Quinam audiant verbum D. ut olim Judæi verba Moyſis. c. 11. §. 9.
Invectiva in illos auditores, qui dum audiunt verbum divinum, nihil moventur. Corda eorum ſunt petræ. c. 11. §. 11.
Inter ſpinas quoque ſuffocatur ſemen verbi divini. c. 11. §. 13.
Exponuntur illa verba; factum eſt verbum divinum ſuper Joannem. Potententia & efficacia verbi Dei. c. 4. §. 5.
Veritas de Cathedris prolata odium parit. c. 3. §. 1.
Vexilla regis prodeunt. c. 17. §. 1.
Victoria Bananiæ contra gigantem Æthiopem. c. 15. §. 9.
Villicatio noſtra conſiſtit imprimis in cogitationibus, de quibus ratio à nobis exigetur. c. 37. §. 5.
Villicatio conſiſtit in verbis, de quibus quoque dabimus rationem. c. 37. §. 6.
Tertia pars Evangelii. Juſta vindicta irati Regis. Tria hinc ſumo documenta: primum eſt, qui ſe vindicat, ſibi ipſi nocet. Quod declaratur variis ſimilibus. c. 50. §. 6.
B. Virgo poſt Incarnationem in viſitatione Joannis fuit accenſus pyrobolus. c. 72. §. 2.
Comparatio viri juſti cum palma. c. 68 §. 11.
Virtus invitatur præmiis. c. 10. §. 1.
Amabilis viſio Beati Henrici Suſonis. c. 78. §. 1.
Vita noſtra ſit continuus labor pro æternitate. c. 10. §. 15.
Vocatio divina nullam ſecum trahit coactionem. c. 30. §. 11.
Speculum efficacis vocationis, fuit converſio ſancti Pauli. c. 30. § 9.
Præter primam vocationem requiritur aliud fortius auxilium. c. 30. §. 7.
Declaratur ſimili, cui adſcribenda ſit efficacia divinæ vocationis. c. 30. §. 10.
Vocula hæc Miſerere continet in ſe pelagus clementiæ. c. 14. §. 4.
Explicatur prima vocula Pater. c. 19. §. 5.
Explicatur vocula Illis. c. 19. §. 6.
Oratiuncula hæc arguit ſupereminentem charitatem Chriſti D. erga peccatores. c. 19. §. 2.
Votum amantis Matris de dilecto Filio. c. 1?. §. 2.
Vox clamantis in deſerto fuit S. Joannes Baptiſta. c. 4. §. 8.
Mirabilis effectus vocis Mariæ; in S. Joanne & parentibus ejus, v. g. fuerunt repleti Spiritu ſancto & gratia. c. 72. §. 7
Urbis deditio & vaſtatio etiam templi. c. 53. §. 5.
An Chriſtus D. in glorioſo corpore revera retinuerit vulnera Crucis. Pars affirmativa roboratur ex S. Script. & SS. PP. c. 21 §. 9.
Miſcentur variæ viſiones de vulneribus Chriſti. c. 21. §. 13.
Quâ ratione nos cum fructu ſpiritualiter illa poſſimus tangere. c. 21. §. 14.
Magni labores & dolores ſunt evidentia teſtimonia fidei & amoris. Pia digreſſio

greſſio ad glorioſa vulnera Chriſti à morte reſurgentis.c.22.§.8.
Ad hæc vulnera invitat bonus paſtor ſuas oviculas. Et quare c.22.§.9.
Deliciæ vulnerum Salvatoris longe ſuperant voluptates hujus mundi. c.56. §.6.
Devotio erga vulnera Chriſti D. eſt arrha futuræ beatitudinis,c.56.§.10.
Cur SS. hæc vulnera comparentur roſis Roſea verba S. Gertrudis, & S. Bernardi, ad vulnera pedum & manuum. E.1.§.3.
Ad roſea vulnera lateris & cordis. E.1. §.4.
Variæ ſalutationes ad roſea Crucifixi vulnera, E.8.§.7.
Quibus precibus, talibus roſis veneramur SS. Chriſti vulnera, E.4.§.6.
Piiſſima devotio Seraphici S. Bonaventuræ erga vulnera Salvatoris. E.5. §.3.
Pii ſodales ita ornant SS. vulnera JESU Crucifixi. E.3.§.5.
In vulneribus Salvatoris nutrimentum! venia peccatorum, domus, nidus, ſecuritas, miſericordia, ſuavitas. E.5. §.4.
Impleamus nos his floribus ſinum, ſive cor JESU Crucifixi, & roſea ejus vulnera, E.3.§.2.
Quinque SS. vulnera Crucifixi ſunt quinque pulcherrimæ roſæ. E.2.§.2.

Indicem Thematum benignus Lector ad calcem Partis ſecundæ & quartæ, inveniet.

F I N I S.

ALVEI SEXTI,

SIVE

CONCIONUM

IN

Omnes Dominicas ab Adventu uſque ad Pentecoſten,

PARS I.

Digitized by Google

Digitized by Google

CONCIO I.

DOMINICA I. ADVENTUS.

Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus.

Matth. 21. verſ. 5.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EXplicat per varias circumſtantias, pleraſque voculas citati thematis.

§. 1. *Adventus Prophetarum in aliquam urbem, plerumque Judæis fuit ingratus, quod minarentur ſupplicia.*

§. 2. *Adventus vero Chriſti D. eſt nobis cauſa magni gaudii.*

§. 3. *Gaudium eſt complementum deſiderii.*

§. 4. *Adventum Chriſti Domini deſideravimus ob juſtiſſimas cauſas.*

§. 5. *Patriarchæ, Reges & Prophetæ arſerunt ſimili deſiderio, v. g. Jacob.*

§. 6. *Deſiderium Moyſis & Tobiæ.*

§. 7. *Chriſtus Dominus venit in hunc mundum propter nos homines.*

§. 8. *Qualis Rex ſit Chriſtus Dominus ex Pſ. 88.*

§. 9. *Chriſtus Dominus venit pauper & manſuetus, in quo decepti ſunt Judæi.*

§. 10. *Figura fuit pompa coronationis Salomonis in Regem.*

§. 11. *Meſſias fuit agnus.*

§. 12. *Cur ſuper Chriſtum Dominum, cum baptizatus fuit, apparuerit columba.*

IN Veteri Teſtam. Judæis ſummopere ingratus fuit Prophetarum in aliquam urbem ingreſſus: cauſam refert S. Hieron. in Jerem. *Prophetæ ſolebant populo peccatori triſtia nuntiare, & comminari ſupplicia, ut eos retraherent ad pœnitentiam: ideò audientes adeſſe Prophetarum aliquem, ad portas urbis effuſi obviam*

§. 1. Adventus Prophetarum in aliquam urbem, plerumque Judæis

deiis fuit ingratus, quod minarentur ſupplicia. *viam illi occurrebant, interrogantes; ecquid ſiniſtri nuntiaret?* Fuit, cum eminus viſo Jeremia exclamarent, *Ecce mali ominis campanam! ecce præconem ſupplicii*, & ex illo percontati ſunt, Jerem. cap. 22. verſ. 33. *Quod onus Domini?* q. d. quo flagello Dominus vult in nos animadvertere? - De Ezechiele appropinquante urbi dixerunt c. 33. v. 30. *Venite & audiamus, quis ſit ſermo egrediens à Domino.* - monuerat autem antè illum Dominus, ut diceret, Dominum eſſe iratum. Prophetiæ plenæ ſunt ejusmodi minis; unde non eſt mirum Prophetarum, & ſimilium Concionatorum adventum Judæis perquam moleſtum atque ingratum accidiſſe.

§. 2. *Adventus verò Chriſti eſt nobis cauſa magni gaudii.* Prout ex lecto Evangelio audivimus, paucis ante ſuam mortem diebus Salvator mundi Rex ac Dominus Prophetarum, ingreſſus fuit urbem Jeroſolymam, aſino quidem uſus, ſed tamen non ſine triumpho. Habuit urbs ſcelerata & ingrata juſtiſſimas, hunc Adventum & ingreſſum timendi cauſas. Verum ne timeret, multis ante annis illis prædixit Zacharias cap. 9. verſ. 9. *Noli timere Jeruſalem, exulta, jubila filia Sion; Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus.* Noli timere Jeruſalem; adventus hujus Regis eſt planè pacificus: qualis fuit olim ingreſſus Samuëlis; cùm enim in Beth. uncturus Davidem in Regem veniret, 1. Reg. cap. 16. verſ. 4. ait, *Exulta, jubila filia Sion! Nam venit Rex*, Ecce perſonam, quæ venit! *Venit tibi!* ecce finem, ob quem venit! *Venit manſuetus!* ecce modum, quo venit! Oſtendam hâc concione, triplici puncto in tribus hiſce magnam gaudii cauſam ſubſiſtere. Non omittam, ut omnia nobis, & ſanctiſſimo adventus, quem hodie ingredimur, tempori, & præcipuè Jeſulo latenti in utero Virginis accommodem.

§. 3. *Gaudium, eſt complementum deſiderii.* D. Th. S. Auguſt. & Ariſtot. docent fundamentum veri gaudii, eſſe complementum magni & ardentis alicujus deſiderii. Ardet, anhelat, ſuſpirat v. g. ſponſa ad adventum ſponſi, qui in longè diſſitas abiit regiones. Ideo cum deſiderium impletur; cum ſponſus revertitur, ſponſa gaudet & exultat: Nam, teſte Salomone Proverb. cap. 13. verſ. 19.

Deſiderium

Digitized by Google

Deſiderium ſi compleatur, delectat animam. - Spes verò, quæ differtur, illam affligit. Sanctus Auguſtinus explicat hoc ſimili; vocat deſiderium, ſitim animæ; nam ſicut ſitis corporis facit, ut cum guſtu potus recipiatur, tantoque hic eſt delectabilior, quantò ſitis fuit ardentior; ita eò majus noſtrum eſt gaudium, quò fuit ardentius deſiderium rei, ad cujus poſſeſſionem anhelabamus. Cum itaque oſtendero, ingens fuiſſe deſiderium adventus illius Regis, qui hodie Jeroſolymam ingreditur, ſive cùm adſit, quem tot votis, totque infinitis ſuſpiriis deſideravimus, manifeſtum erit, nos habere gaudendi atque etiam præ gaudio exiliendi cauſas longè digniſſimas.

Neque verò mirum eſt, ingens fuiſſe deſiderium adventus Meſſiæ; nam quemadmodum æger deſiderat Medicum, captivus redemptorem, damnatus ad mortem, miſericordem judicem, oneratus debitis, benevolum obſidem, qui ambulat in tenebris, quendam, qui lucem præferat, errabunda ovicula paſtorem: Ita humanum genus anhelavit ad Chriſtum; hic enim & non alius eſt medicus, judex, obſes, ſol oriens & bonus paſtor, Joan. 10. v. 11. *Ecce hic venit*; omnium deſideria ſunt impleta, omnes gaudeant & jubilent.

§. 4. *Adventum Chriſti D. deſideravimus ob juſtiſſimas cauſas.*

Antiquis Patribus, Patriarchis & Regibus olim dictum fuit per Aggæum cap. 2. verſ. 7. *Adhuc unum modicum, & ego commovebo cœlum & terram, & mare, & aridam, & movebo omnes gentes, & veniet deſideratus cunctis gentibus, & implebo domum iſtam gloriâ.* Talia promiſit illis Dominus, cum magno ſolatio & ardentibus deſideriis videndi illum deſideratum. Sed quia non viderunt, neque dum viverent deſideriis eorum factum eſt ſatis, gaudium etiam illorum non fuit plenum. S. Paulus ad Hebr. cap. 11. v. 13 *Juxta fidem defuncti ſunt omnes iſti non acceptis repromiſſionibus, ſed à longè eas aſpicientes & ſalutantes*: id eſt, non ſunt fruiti illo gaudio, quod habuiſſent, ſi vidiſſent Salvatorem in carne. Videtur, Apoſtolus loqui præcipuè de illis Patriarchis, qui dum è vivis excedere deberent, ardens oſtenderunt deſiderium Meſſiæ,

§. 5. *Patriarchæ, Reges & Prophetæ arſerunt ſimili deſiderio. v. g. Iacob.*

Digitized by Google

Meſſiæ. Hinc eſt, quod Jacob moribundus exclamavit Gen. 48. v. 18. *Salutare tuum expectabo Domine*. q. d. Credo venturum Meſſiam; hujus videndi deſiderio flagro, antequam emoriar. Inter hæc deſideria adoravit faſtigium virgæ, vel baculi Joſeph; quia in illo (do nunc verba S. Auguſtini) *conſideravit poteſtatem Chriſti, glorioſiſſimumque ejus regnum*; juxta illud Jerem. 48. v. 7. *Virga fortis, & baculus glorioſus, & adoravit Chriſtum figuratum per Virgam illam*. Sed optimus Jacob licet arderet deſideriis hujus Chriſti, illum tamen non vidit, niſi à longè. Suſpiravit cum Patribus ſuis, *O Sapientia*! Veni ad docendum nos viam prudentiæ. *O Adonai*! Veni ad redimendum nos in brachio extento. *O Radix Jeſſe*! Veni ad liberandum nos, noli tardare. *O Clavis David*! Veni & educ vinctum de domo carceris, ſedentem in tenebris & umbrâ mortis. *O Oriens*! Veni & illumina me. *O Rex gentium*! Veni & ſalva nos. Quàm pia! quam affectuoſa! quam ardentia deſideria! Verùm, quia hæc impleta non ſunt dum viveret Jacob, ad Patres ſuos non ſine luctu migravit. Tu verò Filia Sion! Tu gaude! tu jubila & exulta! Ecce tibi, tuoque bono venit illa ſapientia; Gaude; nam jam quam hactenus ignoraſti ſalutis viam edocebere. Ecce tibi oritur ſol ille juſtitiæ! oritur, ut ſcelerum tenebras depellat. Ecce tibi naſcitur illa radix Jeſſe! naſcitur, ut arborem vitæ progerminet. Ecce tibi datur clavis illa aurea! datur, ut cœlum reſeret. Ecce tibi oſtenditur novus ille Emmanuel! oſtenditur, ut eundem & ames fraterculum, & Salvatorem agnoſcas.

§. 6. *Deſiderium Moyſis & Tobiæ.*

Cum Moyſes intelligeret ſibi moriendum, aſcendens in montem à longè terram promiſſionis proſpexit, in quâ ſciebat naſciturum Meſſiam; ac deinde ſeſe componens, obiit in oſculo Domini, id eſt, in ardentiſſimo videndi Salvatorem deſiderio. Sed à longè tantum aſpexit, à longè illum ſalutavit; deſiderium illius impletum non eſt. Tenerrima fuerunt verba, quæ, dum animam egit, ſenior ille Tobias, protulit; vidit ſe mori Tob. 13. 20. & ait, *Beatus ero, ſi fuerint reliquiæ ſeminis mei ad videndam charitatem Jeruſalem*; quæ ſcilicet tum erit, cum in illâ

illâ comparebit Meſſias. q. d. ego illum à longè video; Utinam ſaltem filii mei illum coram viderent! beati erunt illorum oculi! Cùm Balaam impius præſtigiator, urgente Domino benediceret populo, cui voluerat maledicere cum lectiſſimâ illâ Prophetia, *Orietur ſtella ex Jacob, & conſurget virga de Iſraël*; abſorptus in conſideratione Meſſiæ, ejusque excellentiæ ac magnitudinis, & præclariſſimorum operum; de intimo pectore trahens ſuſpiria exclamavit, Num. 24. v. 25. *Heu! quis victurus eſt.* Vatablus. *Quis vivet, quando iſta faciet Deus?* Si homo impius tanto exarſit deſiderio videndi Meſſiam, modico illuſtratus radio, qualia ac quanta putamus fuiſſe deſideria Abrahæ, Iſaac & Jacobi? qualia priorum Regum? qualia ſanctiſſimorum Prophetarum? qui de futuro Redemptore longè clariori cognitione præditi fuerunt: Inter hos David Pſalmo 48. v. 39. triſtiſſimam illam profert querelam erga Dominum, *Tu verò repuliſti & deſpexiſti, diſtuliſti Chriſtum tuum, &c.* Nunc verò; cum tandem venerit; age filia Sion! gaude, jubila & exulta! Tanti gaudii nos omnes ſumus participes. Nobis oſtendit viam ſalutis; nos redemit, nos edocuit, nos illuſtravit, liberavit, ſalvavit.

Sequitur in citato meo themate, *Venit tibi*, ſive nobis; Voculam hanc, veluti cauſam ingentis gaudii, declarant illa verba Symboli, *Qui propter nos homines, & propter &c.* l. 2. Reg. c. 5. ait verſus 12. *Cognovit David, quod confirmâſſet eum Dominus Regem ſuper Iſrael, & quoniam exaltâſſet regnum ejus ſuper populum ſuum.* Hebræi legunt *propter populum ſuum.* Talis Rex eſt David cœleſtis, Chriſtus Salvator noſter. Rex potentiſſimus! *propter populum ſuum*, ſive commodo ſui populi. Rex ditiſſimus! *propter populum ſuum.* Rex fortiſſimus! *propter populum ſuum.* Rex admirabilis! *propter populum ſuum.* Rex amabilis! *propter populum ſuum.* Verbo, qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem omnia fecit, omnia ſuſtinuit! Miranda ſunt, quæ contigerunt in myſterio Incarnationis, cujus hoc ſacro tempore adventus frequenter & piè meminiſſe oportet. Verbum Patris operante Spiritu ſancto unitum eſt naturæ humanæ;

§. 7. Chriſtus D. venit in hunc mundum propter nos homines.

næ; propter populum ſuum, ſive propter genus humanum factus eſt mortalis, quem ſua Majeſtas æterna immortalem conſtituit! *propter nos factus eſt talis!* Factus eſt inops & pauper, qui erat ab æterno Dominus omnium! *propter nos factus eſt talis!* Factus eſt ſubditus, qui erat Rex Regum! *propter nos!* Factus eſt creatura, qui erat creator! propter nos! factus eſt parvus, qui erat magnus, imò maximus omnium! *propter nos!* Factus eſt homo! qui eſt & qui erat Deus! *propter nos!* O miram Divini in nos miſellos homines amoris potentiam! (hoc modo fieri poteſt pulchra inductio) præcipuum eſt; quod Deus homo, Divinæ juſtitiæ in ſatisfactionem obtulerit ſanguinem ſuum, &c. propter populum ſuum. Quis Regum in terris talia faciet? Chriſtus Dominus Rex eſt, qui nihil quærit, niſi commodum & utilitatem populi; ſine ullo commodo proprio.

§. 8. *Qualis Rex ſit Chriſtus Dux* Pſ. 88.

Regem Chriſtum elegantiſſimè deſcribit David cit. Pſ. 88. Sic illum orditur, *Miſericordias Domini in æternum cantabo*, deinde ſuavi cantu & melodia proponit, qualis Rex ſit futurus Meſſias, & inter alia ait v. 38. *Thronus ejus ſicut ſol.* Innumeræ rationes ſunt, ob quas Chriſtus Dominus conferri poſſit ſoli. Quam modo commemoro, non memini me alias obſervâſſe. Sol; quidam Rex ſiderum & creaturarum, erga omnes eſt liberaliſſimus; Lunæ tribuit ſuam pulchritudinem; Stellis & Planetis lucem; omnibus mirabiles ac privatos influxus, ſive virtutem operandi in aliis. Tota terræ fœcunditas, & in proferendis frugibus, & in productione metallorum à ſole proficiſcitur, Pſ. 18. v. 7. *Non eſt, qui ſe abſcondat à calore ejus.* Sol tamen nihil recipit à lunâ, ſtellis vel aliis creaturis. Talis ſol eſt ille Rex, qui hodie ad nos venit. Thronus ejus ſol. Hæc eſt ipſius gloria. Eſt liberaliſſimus! Angelos exornavit lapidibus pretioſis, & pulcherrimo decore illuſtravit. Patriarchis dedit fidem, Prophetis ſpem, Apoſtolis charitatem, Martyribus fortitudinem, Doctoribus ſapientiam, gratiam Confeſſoribus, puritatem Virginibus; *Vidimus eum plenum gratiæ & veritatis*, de cujus plenitudine nos omnes accepimus. *Omnia per ipſum* (ad Coloſſ. c. 1. v. 7.) *& in ipſo conſtant, ſive in cælis, ſive in terra.* Nihil verò ille accipit

pit à nobis. Filia Sion, gaude, jubila! ecce qualis Rex tibi venit! Hoc ſacro tempore Adventus ſenſu myſtico, pulcherrimus hic ſol latet ſub nube in utero Virginis, donec poſt paucas ſeptimanas de virgineo thalamo prodeat pulcherrimus ſponſus. Ut interim oculis fidei aſpiciamus illum à longè, & ardentiſſimis deſideriis frequenter & piè illum conſalutemus; O Salvator veni!

Ultima particula citati mei thematis eſt hæc: *Manſuetus*: & continet tertiam cauſam ingentis gaudii; Nimirum decepti fuerunt in hoc Judæi, quod putârint, Meſſiam fore Regem potentem in terris, ad literam intelligentes, multas de futuro Chriſto Prophetias. v.g illam Pſ. 71. v. 8. *Dominabitur à mari uſque ad mare, à flumine uſque ad terminos orbis terrarum.* Vel illam Pſ. 23. v. 8. *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.* Ideo ſperârunt, Meſſiam fore aliquem Alexandrum, temporalem Dominum totius mundi. Decepti etiam fuerunt, non intelligentes ſecundum ſpiritum, ſed carnem, quoſdam Prophetas, qui Reges terræ deſcripſerunt in ſymbolis ferocium animalium & aliarum rerum, quæ terrorem incutiunt. Sic Daniel deſcripſit 4. mundi Monarchias [vide cap. 7. à v. 8.] tales venti, tales beſtiæ fuerunt Reges Babyloniæ, Reges Medonum, Reges Perſarum & Tyranni Romanorum. Fuerunt leones, urſi, tigrides. Talis Rex, talis leo, &c. in ſecundo Adventu erga impios erit Chriſtus Salvator mundi [audiemus in Evang. poſt octiduum] in hodierno ingreditur Jeroſolymam manſuetus, humilis & pacificus.

§. 9. Chriſtus D. venit pauper & manſuetus, in quo decepti ſunt Judæi.

Præclaram habemus figuram l. 3. Reg. c. 1. v. 33. ubi David indigniſſimè ferens Adoniam, proclamatum Regem inſtante Berſabee, Sacerdoti Sadoc, Prophetæ Nathan, Duci Bananiæ & 72. Judicibus dixit: *Tollite Salomonem filium meum ſuper mulam meam. Vngat eum Sadoc Sacerdos, & canetis buccinâ, atque dicetis: VIVAT REX SALOMON.* Qualis pompa! filium Davidis novum regem, tanti regni ſucceſſorem imponi mulæ! ergo in regio ſtabulo nullus fuit equus, in quo Salomon inaugurareτur Rex? Quis dubitat? Sed magno myſterio

§ 10. Figura fuit pompa coronationis Salomonis in Regem.

David voluit oſtendere, implendam aliquando promiſſionem Domini de filio Salomone, 1. Paralip. c. 22. v. 8. *Filius, qui naſcetur tibi, erit vir quietiſſimus, & ob hanc cauſam pacificus vocabitur.* Pulchrè obſervavit ſanctus Chryſoſtomus, hodiè impletam in Chriſto fuiſſe hanc figuram. *Vis agnoſcere manſuetudinem venientis? conſidera ſpeciem adventus ejus. Non ſedens in curru aureo, pretioſo, purpurâ fulgens, neque aſcendit ſuper equum fervidum, amatorem diſcordiæ & litis, qui gaudet ad vocem tubæ, & cum viderit ſanguineam pugnam, dicit in corde ſuo, benè factum eſt, ſed ſedet ſuper aſinam, tranquillitatis & pacis amicam. Ecce ſic venit tibi Rex tuus, non vectigalia exigens, non elatus ad timorem, non ſatellitibus ſtipatus, ſed magnam undique monſtrans humilitatem & manſuetudinem.*

§. 11. *Meſſias fuit Agnus.* Voculam *Manſuetus* exclamavit S. Joan. Bapt. cum dixit, Joan. 1. v. 29. *Ecce Agnus Dei.* Item Iſaias, qui Meſſiam frequenter vocavit Agnum, cap. 16. v. 1. *Emitte agnum dominatorem terræ.* Sic eſt! Dominus eſt, in cujus nomine flectitur omne genu; ſed ſimul eſt agnus. Dominus eſt, in cujus veſtis fimbriâ ſcriptum eſt *Rex Regum, &c.* ſed ſimul agnus eſt. Rex eſt, ſed & ſubditus. Paſtor eſt, ſed & ovis. Judex eſt, ſed & reus erit. Dominus eſt, ſed & ſervus. Creator eſt, ſed & creatura. Omnipotens eſt, ſed & imbecillis. Dives eſt, ſed & pauper. Deus eſt, ſed & homo; Homo-Deus.

§. 11. *Cur ſuper Chriſtum D. cùm fuit baptizatus, apparuerit Columba.* Utriusque, & Joannis Bapt. & Iſaiæ teſtimonium confirmatum eſt à cœlo, cum in baptiſmate ſupra caput ejus apparuit Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ, Matth. cap. 3. verſ. 17. Sanctus Bernhardus ſer. 1. in Epiph. *Non incongruè ad indicandum Agnum Dei venit columba. Quod agnus in animalibus, columba in avibus eſt; ſumma utriusque innocentia, ſumma ſimplicitas. Nocere neſciunt, cædere non noverunt.* Talis agnus, talis columba, talis Rex ad nos venit. Totus humilis & manſuetus! Ideo gaude, jubila, exulta filia Sion! Quod tamen gaudium noſtrum per hunc ſacrum adventum conjungi debet cum peculiari vitæ ſanctitate, ut *in tempore hoc accepto* [verba ferè nunc S. Pauli ad Corinth.] *in die ſalutis, non in vacuum Dei gratiam accipiamus, ut non in vacuum nobis*

um nobis veniat filius Dei; Sed hoc tempore exhibere nos debemus miniſtros Dei; in caſtitate, in jejuniis, in orationibus, in ſuavitate, in Spiritu ſancto, in patientiâ. Subdit laudem variis pulcherrimis præceptionibus, Ep. 2. cap. 10. verſ. 1. ad Corinth. *Ipſe autem ego Paulus obſecro vos per manſuetudinem Chriſti.* Putavit ſanctus Paulus, ſe Corinthiis non poſſe proponere efficacius motivum ad vitam ſanctam, neque poſſe ſe fortius illos obteſtari, quàm per manſuetudinem Chriſti Domini. D. Chryſoſt. ait: *Ipſam manſuetudinem Chriſti, per quam vos rogo & obteſtor, vereamini.* Vereamur Auditores, vereamur hanc manſuetudinem; ne aliquando ſerò nimis vereamur juſtitiam. Scimus illud: *Patientia læſa fit furor!* Ex manſuetudine fieri poteſt ſeveritas clementiæ noxia; ex agno evadere poterit leo crudelis: & certè evadet; iis potiſſimum metuendus, qui jam tantam tamque amabilem agni bonitatem & conſuetudinem contemnunt.

CONCIO II.

DOMINICA II. ADVENTUS.

Tunc videbunt Filium hominis.

Lucæ 21. verſ. 27.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EXponit, quàm terribilis ſit futurus impiis aſpectus tremendi Judicis, in extremo die judicii.

§. 1. *Ob extremum diem judicii peſſimi habent, quod metuant; Optimi, quod cupiant & deſiderent.*

§. 2. *Ingens creaturarum commotio in die judicii, à facie Agni.*

§. 3. *Quis ille Agnus?*

§. 4. *Elegans dictum Divi Ephrem.*

§. 5. *Judicis aſpectus quàm terribilis impiis.*

§. 6. *Terror Reginæ Eſtheris in conſpectu Aſsueri.*

§. 7. *Terror Danielis.*

§. 8. *Minæ intentatæ Regi Sedeciæ.*

§. 9. *Nihil dulcius voculâ* Venite: *nihil terribilius voculâ* Ite!

§. 10. *Ut cupiamus cum piis, caveamus peccata.*

§. 11. *Propoſitum ſancti Bernhardi.*

§. 12. *Monitum S. Gregorii M.*

§. 13. *Epilogus deſumptus ab Agno; ſub cujus pedibus ſanctus Clemens vidit proſilire fontem.*

§. 1. *Ob extremum diem judicii, peſſimi habent quod metuant: optimi, quod cupiant.*

IN meditatione Evangelii hodierni occurrerunt mihi verba Tertulliani l. de anima cap. 33. *Peſſimi metuant, optimi cupiant.* Veniet filius hominis cum clangore horriſonæ tubæ Archangeli, cujus ſonus totum pervadet orbem terrarum. Veniet inter fulgura, tonitrua, grandines, procellas, terræ motus. Pſ. 96. v. 3. *Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus. Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ, vidit & commota eſt terra.* Veniet in corpore glorioſo ipſum ſolis ſplendorem ſuperante. Iſa. 24. v. 23. *Erubeſcet luna, & confundetur ſol, cum regnaverit Dominus exercituum.* Metuant peſſimi, optimi cupiant. Veniet filius hominis, ſtipatus innumeris Angelorum omnium choris, hi ſeparabunt bonos à malis, ſicut paſtores ſegregunt oves ab hædis. Electi comparantur ovibus ob innocentiam, humilitatem, ſimplicitatem, obedientiam, patientiam. Reprobi immundis & ſpurcis hædis, quales ipſi ſunt. Metuant peſſimi, id eſt hædi, quia rapientur ad tartara, & cruciatus nullo ævo terminandos. Optimi ſive oves cupiant, quia ducentur ad nuptias Agni, & delicias paradiſi. Oves ſive electi ſtabunt à dextris. Dextera enim eſt ſymbolum felicitatis, gloriæ, regni, victoriæ & triumphi. Hædi à ſiniſtris. Siniſtra eſt ſymbolum infelicitatis, opprobrii, ſervitutis, calamitatis & miſeriæ; Juſti à dextris, id eſt, nobili loco, in aëre inde cum Chriſto ad cœlos aſcenſuri. Reprobi à ſiniſtris, vili loco, in imo terræ, ut inde hiante terrâ abſorbeantur in tartara. Metuite peſſimi, cupite optimi. Tunc dicet judex his, qui à dextris erunt: *Venite, &c.* His, qui à ſiniſtris erunt: *Diſcedite à me maledicti*

Digitized by Google

dicti in ignem æternum, Matth. 25. v. 41. His dictis Chriſtus Dominus cum electis redibit ad cœlum & æternam beatitudinem. Sub impiis diducet fauces tartarus, & abſorbebit æternùm infelices, &c. Peſſimi metuant, optimi cupiant. Ut impii timeant magis, hâc concione primâ parte latius explicabo, quàm ſit impiis futurus terribilis ille irati Judicis aſpectus; parte alterâ fructum inde colligemus. Attendite.

Metum, terrorem, creaturarum omnium commotionem, quæ erit, quando Dominus in valle Joſaphat venerit ad judicandum, metusque illius præcipuam cauſam eleganter deſcribit ſanctus Joannes cap. 6. Apoc. v. 12. *Et vidi, cum aperuiſſet ſigillum ſextum, & ecce terræmotus magnus factus eſt, ſol factus eſt niger tanquam ſaccus cilicinus, & luna facta eſt ſicut ſanguis, & ſtellæ de cœlo ceciderunt ſuper terram, ſicut arbor dejicit folia, cum valido concutitur vento, ita de cœlo decident ſtellæ; & cœlum receſſit ſicut liber involutus, & omnis mons & inſulæ locis ſuis motæ ſunt: & Reges terræ, & Principes, & tribuni, & divites, & fortes, & omnis ſervus & liber abſconderunt ſe in ſpeluncis, & in petris montium, & dicent montibus & petris, cadite ſuper nos, & abſcondite nos.* Hoc eſt; *Erunt ſigna in ſole & luna, & in terris preſſura gentium.* Hactenus metum & commotionem deſcripſit, quæ erit, cum illo die ſextum ſigillum, ſive liber conſcientiarum aperietur; tandem præcipuam cauſam timoris ſubdit paucis verbis: *A facie ſedentis ſuper thronum & ab irâ Agni, & quis poterit ſtare?* At quid hoc rei? examinemus pauliſper verba conſideratione digniſsima. *§. 2. Ingens commotio creaturarum à facie Agni, in die judicii.*

Ab irâ Agni quis poterit ſtare? Certè ſi ab irâ leonis diceretur, non adeo mihi mirum videretur. At ira Agni? amabo quænam hæc vel qualis ira? Ergone agnellus terrorem incutiet orbi? agnellus ſolis lumen convertet in tenebras: agnellus de cœlo dejiciet ſtellas? agnellus petras diffindet? agnellus extremam omnibus perniciem minitabitur? obſecro ecquis ille agnellus? prodeat, ut miram in manſueto animali metamorphoſin videamus. Ecquis *ille ſedens, &c.* pulchrè reſpondet ſanctus Auguſtinus in præf. Pſ. 147. *Quis venturus eſt judicare? niſi qui voluit judicari propter te.* Qui tempore paſsionis ſtetit coram *§. 3. Quis ille Agnus?*

 tribunali

tribunali Regum & Pontificum ut reus, qui inſtar Agni obmutuit, qui inſtar ovis ductus eſt ad macellum, qui inſtar Agni immolatus eſt in arâ crucis, manſuetiſſimus Agnus; qui talis vobis, ô impii, etiamnum eſt, quem quotidiè veſtris ſceleribus injuſtiſſimo judicio poſtponitis Barabbæ, quem denuò exigitis ad mortem, cujus ſanguinem ſititis, quem judicatis! & tamen tacet; diſſimulat ut Agnus; propterea, quod tempus eſt miſericordiæ; illo die juſtitiæ & furoris Domini; rugiet ut leo. Jerem. 25. v. 30. *Dominus de excelſo rugiet, & de habitaculo ſancto ſuo* [deinde] *dabit vocem ſuam; rugiens rugiet - adverſus omnes habitatores terræ*, ſedebit in throno ipſe judex tam terribilis, ut toti terrarum orbi tremorem incutiat; tam formidabilis, ut ipſa mundi elementa velut obſtupefacta, concurrant; tam denique tremendus, ut ipſa etiam ſaxa monteſque contremiſcant; ille inquam rugiet ut leo, qui modo diſſimulat, tacet, & velut agnellus obtumeſcit. O improba anima, ubi tum ſtabis? quid facies? quo te miſera vertes? ah miſeret me tui! Vide, vide, ut nunc, dum ſedet in throno agnus, ſententiam prævertas: Præoccupemus faciem ejus in confeſſione, & in pſalmis jubilemus ei.

§. 4. *Elegans dictum Divi Ephrem.*

Apoc. 20. v. 11. dicitur; *Vidi thronum & ſedentem in eo, à cujus conſpectu terra fugit & cælum.* D. Ephrem hic: *Vidiſti res adeò horrendas unquam? cælum & terra tunc fugere tentabunt, & quis poterit ſubſiſtere? nos peccatores quo fugiemus - quomodo iratam illam faciem Judicis aſpicere poterimus?* Cap. 3. verſ. 15. ait Joël: *Sol & luna obtenebrati ſunt* - Sanctus Hieron hic: *Quia furorem judicis aſpicere non audebunt, & quid peccavit ſol? quid luna? nihil, & tamen fugient, tamen abſcondent ſe!* O impii, quid facitis?

§. 5. *Judicis aſpectus, quam terribilis impiis.*

Percipite Auditores certam & Catholicam veritatem: Facies Chriſti Judicis peccatoribus adeò erit tremenda & terribilis, ut ad ſolum aſpectum paſſuri ſint deliquium. Habacuc c. 3. v. 6. *Aſpexit & diſſolvit gentes. &c.* Euſebius in Ep. ad Rom. *Tantus terror invadet in illa die malos, cum viderint Judicem ſententiam proferentem, ut niſi eſſent immortales effecti, iterum morerentur.* S. Aug. ſer. 120. de tempore: *Majus tormentum malis erit furorem vultus Divini*

vini tolerare, quam cruciatus infernales perpeti. Fiet quod Joël prædixit c. 2. v. 6. *A facie ejus cruciabuntur.* [verba ſunt S. Vincent. Ferr. ſer. 1. in Dom. Adv.] *tunc eligerent peccatores potius ad infernum duci pro eo tempore, quàm Deum ita videre.* O impii! jam Jeſum aſpicite! jam ejus facies benigna eſt, &c. illâ die erit terribilis: Jam agnelli, tunc erit leonis aſpectus!

De Regina Eſthere ait ſacer textus c. 15. v. 9. 10. *Ingreſſa ſtetit contra Regem, ubi ille reſidebat ſuper ſolium regni ſui, indutus veſtibus Regiis, auroque fulgens & pretioſis lapidibus, eratque terribilis aſpectu. Cumque elevâſſet faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicâſſet, Regina corruit, & in pallorem colore mutato, laſſum ſuper ancillulam reclinavit caput.* Reſumptis deinde nonnihil viribus & ſpiritu, reddens rationem ſui terroris dixit Regi: *Vidi te Domine quaſi Angelum Dei, & conturbatum eſt cor meum præ timore gloriæ tuæ.* Quid? Eſther? Regina, illa formoſa, illa gratioſa, illa dilecta? ſine terrore & deliquio faciem irati & terreni Regis inſpicere non potuit? quomodo anima eheu? olim Regina illa gratioſa apud Jeſum, ſed per peccatum facta ſerva - ſerva & mancipium ſcelerum, imo ſatanæ, quomodo aſpiciet non Aſſueri, ſed æterni Regis & judicis ardentes oculos? O impii! tunc - cùm ſtabitis coram facie Judicis - eligetis potius ad infernum duci quàm Jeſum ita videre iratum. O! animæ piæ! modò ſtate coram Rege Aſſuero Chriſto judice, cum exilit ut ſuſtentet te ulnis ſuis; jam cùm ait, quid habes Eſther? jam cùm ait, *Ego ſum frater tuus, noli metuere, non morieris.* Jam cùm prætendit auream virgam, cum crucem imponit ſuper collum; cum oſculum offert; Cur nihil loqueris? jam inquam, coram regio throno ſanctiſſimæ crucis te proſterne, ut audias verbum pacis. §. 6. *Terror Reginæ Eſtheris in conſpectu Aſſueri.*

Cap. 7 v. 15. ait Daniel: *Horruit ſpiritus meus; ego Daniel territus ſum in iis; & viſiones capitis mei conturbaverunt me,* & quænam fuerunt illæ viſiones? vidit hominem, cujus *veſtimentum fuit candidum quaſi nix, & capilli capitis ejus quaſi lana munda: thronus ejus flamma ignis, rota ejus ignis accenſus. Fluvius igneus, rapidusque egrediebatur à facie ejus - Vidi viſionem grandem hanc, & non remanſit in me fortitudo, ſed ſpecies mea immutata eſt in me, & emarcui,* §. 7. *Terror Danielis.*

nec

nec habui quidquam virium, & incedebam conſternatus ſuper faciem meam, & vultus meus adhærebat terræ. Quid vos facietis ô impii! quando videbitis filium hominis in ſede Majeſtatis, cum ignis in conſpectu ejus exardeſcet, in circuitu ejus tempeſtas valida: Cum fluvius ille igneus, terribilis, & ultima ſententia, *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum*, Matth. 25. v. 41. Cum inquam hic torrens vos involvet, & rapiet ad tartara; cum lingua ejus erit quaſi ignis devorans. Quis erit terror? cum Dominus vos condemnabit, crudelis, & indignationis plenus, & iræ & furoris, ad ponendam terram in ſolitudinem, & peccatores conterendos de câ. Prô! quales tituli noſtri Salvatoris? illéne crudelis, iracundus, furibundus? ille miſericors, ille bonus, ille amabilis? talis eſt modo cum peccatores pœnitentes ad gratiam recipit. Crudelis, iracundus, furibundus erit, cum impœnitentes conteret de facie terræ? & quando inebriabit gladium ſuum in ſanguine peccatorum.

§. 8. *Mina intentata Regi Sedeciæ.*

Inter alia Jeremias, Regi Sedeciæ hæc fuit minatus, c. 34. v. 3. *Comprehenſione capieris, & in manu ejus traderis, & oculi tui oculos Regis Babylonis videbunt, & os ejus cum ore tuo loquetur.* O impii! utinam iiſdem minis ad pœnitentiam vos poſſem concitare! Vos ſcelera cumulatis ſceleribus; ſed capiemini! Capient vos anguſtiæ mortis; ligabunt vos dæmones funibus peccatorum veſtrorum; Siſtent vos Judici Chriſto; oculi veſtri oculos ejus videbunt; eheu! oculos ardentes! &c. os ejus cum ore veſtro loquetur. S. Auguſtinum audite. *Ecce hominem, quem crucifixiſtis, videtis vulnera, quæ inflixiſtis, agnoſcitis latus, quod pupugiſtis, per vos & propter vos apertum eſt, nec tamen intrare voluiſtis, &c.* Denique *Diſcedite maledicti.* O animæ piæ! hodie, ſtatim pœnitentiam agite; jam oculos ejus aſpicite, &c. jam loquimini ad os ejus, *Parce JESV, &c.* ut illo die aſpiciat nos ſuaviter, ut loquatur verba illa ſuaviſſima, *Veni benedicta, &c.*

§. 9. *Nihil dulcius vocula Venite: Nihil terribilius vocula Ite.*

Terribile nimis erit audire illud tonitru, & intueri illud fulgur, gladiumque procedentem ab ore judicis, *Ite maledicti.* S. Aug ſer. 58 de tempore: *O lamentabilis Echo! quid poteſt terribilius cogitari, quam Ite? Et quid delectabilius, quam Venite?* Sicut

vox

vox illa deſiderabilis eſt, *Venite*: ita metuenda & valde terribilis eſt, *Ite*. Duæ ſunt voces, quarum nihil horribilius unâ, & nihil jucundius alterâ; tantus erit maledictarum animarum terror, cùm ad audiendam Judicis ſententiam, & intuendum illius iratum vultum rapientur, ut detrectaturæ ſint ex igneo illo ergaſtulo; malent manere in inferno, quàm comparere coram judice, ſed vi à dæmonibus extrahentur. Hoc ſanctiſſimi Patres eruunt ex verſu illo Job. 14. v. 13. *Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me*? Pulchrè Quercicus Abbas ſer. 4. de S. Bened. *A facie tua Domine quo fugient, niſi in tenebras exteriores, in illud Chaos & abyſſum ignis & calignis? tunc enim dicent montibus, cadite ſuper nos, & collibus, operite nos: Levius æſtimantes abſorberi voragine inferni, quàm ſuſtinere faciem Dei irati & Jeſu, olim Redemptoris, olim benigniſſimi Salvatoris; nunc juſtiſſimi & rigidiſſimi Judicis!* Sed fruſtra; faciem ſpectare, ſententiam audire cogentur. Tum plangent, ait Matth. 24. græcè: *Ejulabunt, & præ doloris impatientia* (illi hædi) *corpora dilacerabunt*. S. Hieron. ad Heliod. *Immugient, pectora ferient, nudo latere palpitabunt*. Iſ. c. 13. v. 7. *Contabeſcet & conteretur, torſiones & dolores obtinebunt, facies combuſtæ vultus eorum*. Et in his anguſtiis, in his doloribus (ut benè notavit S. Bern. ſer. 54. in c.) *Non poterunt negare, non appellare, non fugere, non impetrare veniam, non habere refugium, &c.*

Quia hæc certiſſima ſunt, meritò cum B. Laurentio Juſtiniano frequenter dicere poſſumus: *Quid agam fratres, quid agam? cùm ad Judicem ducar?* Talia vir pius lachrymabundis oculis & triſtibus gemitibus aliis inſerere ſolebat. Et certè, ut benignum aliquando judicem experiamur, aliqua agenda ſunt nobis; Climacus grad. 6. refert, Monachum quendam poſt 12. annorum rigidiſſimam pœnitentiam in agone ſupremis his verbis fratribus valedixiſſe: *O fratres! ſi homines ſeriò recogitarent, quàm terribilis ſit futurus dies judicii* (& præcipuè Judex,) *nunquam auderent Deum offendere*. Hoc ſit primum & præcipuum: peccata commiſſa lugete, impoſterum verò nolite Deum offendere; & benignum habebitis Judicem, cum venerit in ſede Majeſtatis ſuæ. Pſal. 74. v. 5. *Dixi iniquis, nolite iniquè agere, & delin-*

§. 10. *Ut cupiamus cum piis, caveamus peccata.*

Digitized by Google

quentibus nolite exaltare cornu - quoniam Deus judex eſt. Exod. 20. v. 20. Gum Hebræi auditis tonitruis de monte ſtarent perterriti, & pavore concuſſi; dixit illis Moyſes; *Nolite timere, ut enim probaret vos venit Deus, ut terror illius eſſet in vobis, & non peccaretis*.

§. 11. *Propoſitum S. Bernhardi.* Deinde dicamus cum S. Bernhardo l. de conſid. ad Eug. P. c. 22. *Firmum eſt mihi propoſitum nunquam ridendi, quouſque audiam ex ore Dei verba illa, Venite benedicti Patris mei; neque flere deſiſtam, donec liber ſim ab illâ ſententiâ, Ite maledicti in ignem æternum. Ergo dilectiſſimi, cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini*, ad Phil. 2. D. Chryſoſt. hom. 19. in Matth. *Si extimeſcitis hunc diem, seriò extimeſcite, & ſi extimeſcitis ſeriò, convertimini ad Dominum verâ pœnitentiâ.* Audire tam horribilia, & tamen non moveri, non excitari ad pœnitentiam, eſt gravis pœna, ad Rom. 11. v. 8. *Dedit illis Deus ſpiritum compunctionis*, ſcilicet piis, &c. Syriaca verò lectio habet, *dedit illis Deus ſpiritum ſtupiditatis*. Aquila, *gravem ſomnum*. Hebræus, *altiſſimum veternum*, ſcilicet reprobis.

§. 12. *Monitum S. Gregorii M. & Epilogus* Simus nos memores dicti S. Greg l. 14. mor. cap. 30. ait: *Judex ſupremus ante judicium placari poteſt, in judicio non poteſt*. Hoc denique agite, placate judicem per bona opera, per ferventes orationes. Incepi cum Agno, finiam cum Agno. Ante biduum celebravimus feſtum S. Clementis Mart. Hic cùm in deſerto monte cum aliis Chriſtianis in exilium relegatis, aquæ penuriâ laboraret, confugit ad orationem, & vidit in jugo montis Agnum dextero pede ſaxum contingere, ex quo fons æquæ dulciſſimæ ſcaturiit. Per agnum hunc hodie, quia eſt Dominica Cong. Chriſti agonizantis, intelligo Jeſum crucifixum, ex ejus ſanctiſſimis vulneribus, ex pedibus Agni! ex manibus Agni! ex corde Agni! ſcaturiunt fontes roſei cruoris, in quibus nos licebit abluere, ut in nuptiis Agni poſſimus comparere mundi & immaculati, in his fontibus lavamini & mundi eſtote. Iidem fontes, eadem vulnera Agni tuta præbent latibula, in quibus à facie irati judicis delitere poſſumus. Iſ. 2. v. 10. *Abſcondere in foſſâ humo à facie furoris Domini*: Pſ. 31. v. 7. *Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me*. Hebraica lectio: *Tu es latibulum meum, erue me à volitantibus ſuper*

Digitized by Google

ſuper me. Exod.33.v.21. Eſt apud me locus, *& ſtabis ſupra petram, & tranſibo, & abſcondam te in foramine petræ, & manu meâ protegam te.* Sic me protege bone Jeſu, ſic meos protege Auditores, intra vulnera tua abſconde nos, ab hoſte maligno defende nos; Agnellum te cupimus, non leonem, agnellum amamus, & cum agnello clementiam.

CONCIO III.

DOMINICA III. ADVENTUS.

Ego vox Clamantis in deſerto: dirigite viam Domini,

Joannis 1. verſ. 23.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRimâ parte explicat fructum dignum pœnitentiæ, qui eſt, non peccare iterum. Altera pars diſſuadet variis argumentis pœnitentiæ dilationem.

§. 1. *Veritas de cathedris prolata, odium parit.*

§. 2. *Ingreſſus in concionem, & propoſitio.*

§. 3. *Rarum factum Caracottæ, latronis in Hiſpania.*

§. 4. *Præcipuus ex dignis fructibus pœnitentiæ eſt, cavere recidivam; quæ tamen valde frequens eſt.*

§. 5. *Quod à S. Paulo pulchris ſimilibus declaratur, primum ſimile.*

§ 6. *Aliæ duæ ſimilitudines.*

§. 7. *Metaphora Samuëlis.*

§. 8. *Quæ ſit mendax pœnitentia.*

§. 9. *Deſcriptio dignæ pœnitentiæ ex S. Ambroſio.*

§. 10. *Diabolus eſt, qui peccatori ſuadet dilationem pœnitentiæ.*

§. 11. *Sed ſuadetur pœnitentia feſtinata; per varia ſimilia SS. PP. Primum eſt.*

Digitized by Google

§. 12. *Alterum ſimile.*
§. 13. *Tertium.*
§. 14. *Quartum & quintum.*
§. 15. *Dilatores pœnitentiæ vellent tandem pœnitere; & juſto Dei judicio non poſſunt. Probatur ex cap. 19. Gen.*
§. 16. *Item ex cap. 17. S. Lucæ, & eodem cap. 19. Gen.*
§. 17. *Accelerata pœnitentia S. Petri Apoſtoli.*
§. 18. *Et S. Pauli.*
§. 19. *Epilogus ex aureis dictis SS. Patrum.*

§. 1. *Veritas de cathedris prolata, odium parit.*

QUàm periculosè veritas annuntietur apud Magnates impietati addictos, Joannis Baptiſtæ vincula, & carcer luculenter oſtendunt: cùm enim illorum hæc ſit regula; *Si libet, licet:* nolunt argui, ſed in eos, qui veritatem illis proponunt, ſeverè animadvertunt, atque etiam interdum ſæviunt. S. Joannes Baptiſta auſus fuit, ſe hujus regulæ axiomati opponere, Marci 6. v. 18. *Non licet tibi habere uxorem fratris tui;* at ideo concitavit in ſe odium, tum Herodis, tum maximè Herodiadis, quod non niſi innocenti ſanguine S. Joannis Baptiſtæ extingui potuit. Offenſa præſertim fuit Herodias; fœminæ ſiquidem ſuperbæ & libidinoſæ veritatis vel ipſum nomen oderunt: & ita ſæpe concitantur, ut locum habeat verſus 2?. cap. 25. Eccleſiaſtici. *Non eſt caput nequius ſuper caput colubri, & non ira ſuper iram mulieris.* Statuæ Veneris in Arcadia hoc lemma fuit appoſitum, *Dea Machinatrix*, id eſt crudelis, ſæva, effera, ſi offendatur. Talis machinatrix fuit Herodias; quieſcere non potuit, donec in diſco amputatum videret caput, linguamque, quæ veritatem fuit auſa prædicare in aulâ Regis. Itaque Joannes Baptiſta ſolatio ſit Concionatoribus, ſi ſubinde odium incurrant, illorum præſertim, quibus veritatem dixerunt. S. Joannes Baptiſta amicus ſponſi, magiſter vitæ, norma juſtitiæ, exemplar virginitatis, ſpeculum omnis virtutis, tuba cœli, vox verbi, præcurſor Chriſti, perfectiſſimus inter filios hominum aures impii Regis & impudicæ adulteræ in ſuâ concione offendit, quid miramur, ſi & hodie Concionatores offendant impudicas fœminas? Bonum eſt, quod non ſint præditæ poteſtate Herodis, alioquin tales Concionatores mitterentur in vincula.

In ho-

In hodierno Evangelio æterna veritas mentionem facit cœcorum, ſurdorum, claudorum & mortuorum. Et hodie ſunt, qui oculis ſunt præditi, nec tamen vident claram gratiæ lucem; an non cœci? ſunt & claudi, quibus ad templum, ad Conciones ſacras, ad cultum Dei, aut plumbei, aut planè nulli ſunt pedes. Sunt & ſurdi, quibus aures non niſi ad ſæcularia, imò & ad laſciva & turpia patent colloquia; ad res ſacras, ad verbum Dei, ad ſpiritualia monita occluſæ, &c. *Ite & renuntiate quæ vidiſtis*, ait Chriſtus D. Eunt utique Concionatores, & renuntiant, quæ vident & audiunt; veritatem non celant, monent, arguunt, obſecrant, inſtant, ſollicitant cum Joanne Baptiſta, non licet tibi, non licet: *Sed illa* eſt miſeranda noſtrorum temporum calamitas, ut etſi ipſe Domini præcurſor Joannes rurſus cœlo delapſus adeſſet, & illis prædicaret, tamen non corrigerent corrigenda. Non tamen ceſſabo, omnibus, quicunque ſint, prædico pœnitentiam, ſi Domino venturo velint parare viam. Proponam hâc Concione duo. Primum eſt, veram pœnitentiam requirere, & peccator converſus à malefactis impoſterum abſtineat. Alterum eſt, ut qui pœnitentiâ indiget, non differat; quia omnis in hoc arduo negotio dilatio eſt periculoſa. Nimis ſerò pœnitentes juſtus Deus graviter punit. Conabor pœnitentiæ præconem S. Joannem Baptiſtam imitari, ut veritatem dicam; ut nullius timeam offenſam vel odium. Animas veſtras quæro Auditores, non gratiam aut humanos favores. *§. 2. Ingreſſus in Concionem, & propoſitio.*

Caracota, inſignis latro in Hiſpaniâ, [prout Dio refert in Auguſto] cùm audiviſſet eum, qui ſe vivum capturus eſſet, ab Auguſto accepturum decem millia aureonum, ultro Regem acceſſit, ejusque fidei ſe commiſit; cui Imperator, non tantùm omnium veniam & immunitatem conceſſit, ſed & magnis illum muneribus affecit, & factus eſt Caracota, & manſit fideliſſimus ſervus Auguſti; nunquam deinceps Regem offendit. Eandem prorſus benignitatem & munificentiam Rex Regum, Salvator mundi, graviſſimis exhibet peccatoribus. Minatur diu! & tremenda! terret impios tenebris ſolis, pallore lunæ, luctu ſiderum! armat contra impios omnia elementa, ignem, aërem, ma- *§. 3. Rarum factum Caracotæ, latronis in Hiſp.*

ria, terra, &c. & per hos nuntios citat impios ad judicium; ut audiant terribilem ſententiam; *Diſcedite maledicti in ignem æternum*, Matth. 25. v. 41. Acceſſit ante octiduum, & accedit hodie clangor tubæ pœnitentiæ S. Joannis Baptiſtæ: *Pœnitentiam agite!* Verùm, ſi peccator his minis commonitus atque commotus, ultra ad piiſſimum Salvatorem confugit, ſi ejus ſe committat miſericordiæ; mox clementiam, omniumque ſcelerum veniam invenit, admittiturque ad amicitiam Regis; quod ſe facturum promiſit per Ezechielem c. 18. v. 21. *Si impius egerit pœnitentiam - & revertatur ad Dominum - vitâ vivet, & non morietur; omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor - O quanta clementia Dei!* [exclamat S. Hier. in illud Oſeæ 2. v. 19.] *Sponſabo te mihi, &c. Meretrix, quæ cùm multis amatoribus fornicata eſt, & ob crimen hoc tradita beſtiis; poſtquam revertitur ad Deum, nequaquam reconciliari dicitur, ſed deſponderi!* Si tamen deinde conſervet amicitiam cum ſuo ſponſo; ſi illi fidelis, non peccet amplius.

§. 4. *Præcipuus ex dignis fructibus pœnitentiæ eſt; cavere recidivam; quæ tamen valde frequens eſt.*

Ideò dixit S. Joannes Baptiſta: *Ut poſſitis fugere à ventura ira; facite fructus dignos pœnitentiæ.* Super quæ verba bene dixit S. Gregorius M. in illud 2. Reg. c. 2. *Peccavi, &c. In fructu ergo, non in foliis aut ramis, pœnitentia cognoſcenda eſt.* v. g. ex vero dolore, ex verâ contritione, ex ſeriâ & integrâ confeſſione; & quod præcipuum eſt, ex ſerio & firmo propoſito, non peccandi amplius. Sine hoc ultimo, priora ſunt veluti poma pulcherrimæ arboris, quæ à creſcentibus vermibus facile arroduntur & corrumpuntur; volo dicere cum ſancto Greg. nihil nobis proſunt lachrymæ, nihil luctus, nihil confeſſiones, ſi ſemper in nova relabamur peccata. Quotuscunq; confeſſus eſt ſe blaſphemum? adhuc tamen pergit ut ante, jurat ut ante, imprecatur ut ante, blaſphemat ut ante. Quotusquisque ſua odia, inimicitias, detractiones, & quæ ſunt ejus generis peccata, jam ſæpe in ſacro tribunali depoſuit? at ſemper reſumitur depoſitum virus, redeunt priora odia, diſſidia, calumniæ, detractiones! Quotuscunq; ſuas contra caſtitatem ſordes, fornicationes, adulteria, aliaq; etiam graviora ſcelera cum dolore animi execratus eſt coram confeſſario? quæ iterum amat, quærit, & majori perpetrat audaciâ, quàm ante.

Sed

Sed dignus fructus pœnitentiæ eſt, non peccare iterum: quod eleganti ſimili declarat S. Paulus;

Dum ad Romanos ait cap. 6. v. 4. *Quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris; ita & nos in novitate vitæ ambulemus, hoc ſcientes, quod vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati, ut ultra non ſerviamus peccato.* Latent pulchræ ſimilitudines, quæ explicant dignam pœnitentiam. 1. Veſtem veterem, laceram, ſordidam, quam ſemel igni, vel loco ſordibus deſtinato conſecramus, præſertim novâ indutâ, nunquam recipimus, neque deſideramus illâ iterum veſtiri: pari ratione non eſt ſatis, ut veteres & ſordidas veſtes, v. g. luxuriæ, ſuperbiæ, &c. deponamus tantùm, & illis mox iterum induamur; ſed neceſſe eſt, ut in arâ crucis, inter flammas contritionis & amoris planè & ita comburantur, ut nunquam amplius illis veſtiamur, ſed novâ veſte humilitatis, vel caſtitatis, &c. ſuadente S. Paulo, *Induite Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* Exuvias, quas ſemel ſerpens poſuit, non reſumit, nec aquila plumas, quas tum frigore fontis, tum calore ſolis excuſſit, nec cervus telum, quod ſibi infixum, ſed extractum fuit, rurſum deſiderat. Et tu ô anima! tela illa ignea, tela venenata, tela acutiſſima, tela mortifera, quæ per ſingularem Dei adjuvantis favorem, mediante pœnitentiâ, extracta gaudes, rurſum ultro quæres & ambies? Tu ô anima veteres illas plumas, quas in Euchariſtico fonte, renaſcentis in morem aquilæ excuſſiſti, rurſum excipies? Tu ô anima! ſerpentinas illas exuvias, illa veteris Adami veſtimenta, tam ſordida, tam inquinata, quæ nuper abjeciſti, cum gloriâ: nunc rurſum cum ignominia conquires, iisq; te circumdatam, Deo & Angelis Dei, ludibrio expones? Abſit, abſit conſilium illud imprudens, ne dicam impium & execrandum! Nunquam profectò is, quem ſupra commemoravi Hiſpaniæ latro Caracotta, nunquam à quo tempore in gratiam receptum ſe vidit, infanda præteritæ vitæ facinora repetiit, & ſi repetiiſſet, quam ſemel obtinuit à Rege gratiam, alterâ fortaſſis vice non impetraſſet.

§. 5. Quod à S. Paulo pulchris ſimilibus declaratur. Primum.

Altera ſimilitudo S. Pauli hæc eſt. Corpus Chriſti D. clavis affixum fuit cruci, neq; ante mortem inde fuit depoſitum; pari ratione in ſeriâ cõfeſſione, corpꝰ peccati, id eſt, ſuperbiã, luxuriã &c. verbo, nos ipſos cum Chriſto debemus affigere cruci; ſed perſeve-

§. 6. Aliæ duæ ſimilitudines.

remus

Digitized by Google

remus uſque ad mortem. Non ſerviamus ultra peccato, ad Dei & Chriſti gloriam. 3. Mancipium vel ſervus, qui ſemel è ſervitutute crudelis tyranni liberatus eſt; cavet quantum poteſt, ne denuo illi ſervire cogatur: hoc faciamus, &c. Et hæc eſt digna illa pœnitentia, quam nobis commendat & inculcat S. Joannes Baptiſta.

§. 7. *Metaphora Samuëlis.* Sub aliâ metaphora idem nobis proponit Propheta Samuel, cum ait ad populum l. 1. Reg. c. 7. v. 3. *Si in toto corde veſtro revertimini ad Dominum,* [hoc eſt, ſi agere vultis fructus dignos pœnitentiæ] *auferte Deos alienos de medio veſtri*; hoc eſt, conterite, comminuite, confringite, redigite in cineres, concremate, ut denuo erigi non poſſint, ut ad idololatriam non revertamini. Si in toto corde veſtro revertimini. Et ita *præparate corda veſtra Domino, & ſervite illi ſoli*; ait Samuël. O mendacem! O indignam pœnitentiam! quoties hoc fit, ut aliqua adultera ſponſa Chriſti; in cujus corde ſtat idolum Adonidis, cum quo Jeſulus, quem exſpectamus, habitare in eodem loco non poteſt, ut ſaltem pro Natalitiis feriis amantiſſimo Puero locus ſit, illud dejiciat, dejiciat ex corde per ſeriam confeſſionem; ad hoc ſatis non eſt, talia idola facilè rurſum eriguntur; itaque debent conteri, comminui, confringi; ne iterum illis, ſed ſoli DEO ſerviamus. Hæc eſt digna pœnitentia.

§. 8. *Quæ ſit mendax pœnitentia.* Caveat anima pœnitens, ne locum habeat querela Jeremiæ cap. 3. v. 10. *Non eſt ad me reverſa prævaricatrix Juda in toto corde ſuo, ſed in mendacio.* Hoc modo hodie multi agunt pœnitentiam: promittunt v. g. in confeſſione, vel dicunt, ſe ex toto corde ignoſcere inimicis; ſed mentiuntur! mox venenum odii, quod abjecerant, reſumunt, [eſt pulcher locus pro ſimili inductione] ſed hæc eſt mendax pœnitentia; pœnitentia digna debet operari vitæ ſceleratæ mutationem.

§. 9. *Deſcriptio dignæ pœnitentiæ ex S. Ambroſio.* Illam eleganter ut ſolet deſcribit S. Ambr. l. 2. de pœn. c. 10. *Renuntiandum ſæculo eſt,* [ſive peccatis] *tempus, quo vivimus, interpellandum eſt gemitibus, interrumpendum ſuſpiriis, ſequeſtrandum orationibus,* [præſertim hoc ſacro tempore Adventus] *ſed non eſt ſatis, vivendum ita, ut ſe ipſum homo ſibi abneget, & totus mutetur.*

Digitized by Google

tetur. Reciprocam vitam partire, fuiſti tunc diaboli; eſto nunc Dei: & revertere in viam, à cujus ſemitis aberraveras. Sed cave ne iterum deflectas; cave, ne iterum fias mancipium Diaboli: Ineamus amicitiam cum Chriſto Domino per ſeriam pœnitentiam, & caveamus omni curâ, ne iterum interrumpatur; fortaſſis nunquam deinde amplius nobis veniam impertietur. Sed propero ad alterum punctum Concionis.

§. 10. *Diabolus eſt, qui peccatori ſuadet dilationem pœnitentiæ.*

Cùm verum ſit illud S. Fulgentii ep. 7. *Pleroſque* [nimirum impios] *ſub ſpe indulgentiæ in peccatis diabolus tenet, & facit eos Dei juſtitiam non timere; quo eis inaniter ſuadet, de Dei bonitate gaudere;* & illud S. Auguſtini in ſolil. c. 16. *Immittit ſecuritatem, ut rapiat hæreditatem:* Ideo hâc parte Concionis omnes moneo, & rogo, & obſecro, & obteſtor ne fidant; ne differant converti ad Dominum, ſed ut ſtatim, in hoc adventu ante has natalitias ferias convertantur ad Dominum. Modo ex SS. Patribus hæc ſuggero motiva.

§. 11. *Sed ſuadetur pœnitentia feſtinata, per varia ſimilia SS. PP. Primum.*

Per ſimilia; Primum eſt S. Baſilii; Si aurum in pauperes erogarem, non ſanè diceres mihi, Cras veniam, cras dabis, ſed jam jam acciperes; cùm verò non materiæ illuſtrem colorem, ſed animæ puritatem, gratiam, æternam ſalutem magnorum ille largitor bonorum offerat, excuſationes prætendis, cauſasque enumeras? & cras dicimus? ſed quis ſcit, an cras dare velit? hodie accipiamus.

§. 12. *Alterum ſimile.*

Alterum eſt ejusdem S. Patris: Quis captivus in vinculis, in fœtido carcere, inter bufones & ſerpentes, ſi illi libertas offeratur egrediendi, ſi carcer aperiatur, ait: hodie non exibo, hâc nocte adhuc hic dormiam? ſtolidus eſſet, quisquis hoc diceret. Et nihilominus, cùm te [inquit S. Baſ.] qui es mancipium non hominis, ſed peccati, præco pœnitentiæ ad libertatem vocat, quo te æqualem Angelis faciat, filium Dei, cohæredem Chriſti, &c. nondum tamen tempus eſſe dicis, ut ea, quæ dantur, ſuſcipias? Tu, ô impie jaces, dormis, ſtertis inter ſerpentes, & dubitas, an ſtatim debeas exire. *O prava impedimenta!*

§. 13. *Tertium.*

Tertium ſimile eſt hoc. Cùm letaliter decumbenti, ſanitatis tamen avidiſſimo, Medicus aliquis potionem offert his verbis:

Digitized by Google

bis ab hoc calice tua dependet ſalus; ſed noveris ſumendum ſtatim; vel poſt quadrantem ſanitatem operari non poterit. Æger prudens, ſi ſanitatem deſideret, nunquam dicet, Cras ſumam, vel poſt octiduum; ſed ſimulatus, quamprimum, ſtatim, potionem, licet amara ſit, exhauriet: hinc pendet ſanitas. O miſeri peccatores! major eſt infirmitas animarum veſtrarum, antitodum ſupereſt unicum, à quo ſalus dependet; illud hodie offert S. Joannes Baptiſta, ſcilicet *pœnitentiam.* Verùm vos manibus pedibusque contra nitimini; calicem illum nimis amarum, dictitatis; opponitis, necdum vos ad pœnitentiam diſpoſitos, aliud quod commodius erit tempus, aliam, quæ opportunior erit, occaſionem vos poſtulaturos; verbo, differtis calicem; dum interim terna animæ veſtræ ſalus agitur: dum interim mors veloci greſſu accelerat, dum interim ſubitò vitæ filum ſuccidit Deus, atque adeo, nec hodie, nec cras, ne perendie, nec ullo alio per totam retro æternitatem die, miſellæ animæ medicina adhibebitur. Verè dixit S. Paulus ad Timoth. c. 1. v. 15. *Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus, quod Chriſtus Jeſus venit in hunc mundum, peccatores ſalvos facere.* Inter hos, & te vult ſalvum facere; ſed hodie, amice mi! cras fortaſſis non volet, &c. & quis coget? quid ergo tam incertam projicis aleam?

§. 14. *Quartum & quintum.* Quartum & quintum ſimile reperio apud S. Ambroſium. Quis lapſus in ignem feſtinus non evolat? ne totus comburatur. Quis lapſus in lutum, non illico retrahit pedem? ne totus abſorbeatur. Et nunquid peccatum mortale, in quod lapſi eſtis, eſt terribilis ignis? nunquid lutum? manendo, hærendo, quid expectare poteſtis; niſi ut toti comburamini? ut tandem vos totos abſorbeat tartarus? Cùm pœnitere voletis, non poteritis.

§ 15. *Impii dilatores pœnitentiæ, tandem vellent pœnitere, & juſto Dei judicio non* Hoc enim permittit Deus, ut dilatores pœnitentiæ, in extremis excœcentur, ut tum videre non poſſint illa, quæ pertinent ad veram pœnitentiam. Figura rem illuſtrabit ex cap. 19. v. 11. Gen. Cùm Angeli in perſonâ formoſorum juvenum ingreſſi eſſent Sodomam, & ædes Loth, ad educendum illum ex incendio, quod

Digitized by Google

quod toti urbi parabatur, viri aliqui Sodomitæ exarſerunt in concupiſcentiam erga illos adoleſcentes; acceſſerunt ergo Loth, & petiverunt illos. Renuit Loth. Violentiâ itaq; utendum rati, ædes meditantur perfringere, ſed, *miſerunt manum viri, & introduxerunt ad ſe Loth, clauſeruntque oſtium: & eos qui foris erant, percuſſerunt cæcitate, à minimo uſque ad maximum, ita, ut oſtium invenire non poſſent.* Quærit P. Ribera, quænam ſit porta peccatoris, per quam impius in cœlum ingredi poſſit, & reſpondet eſſe pœnitentiam, quam bonus DEUS ex infinita miſericordiâ illi offert; ſicut & portas quinque SS. ſuorum Vulnerum, quæ ſunt oſtium vitæ: verùm dum impius differt pœnitentiam, de menſe in menſem, de anno in annum: quid tandem fit? Ita peccatores oppreſſi anguſtiis, & venturam iram formidantes, tentant tandem effugere, & pœnitentiam quærunt; ſed januam non inveniunt, quâ ingrediantur, ſicut de viris Sodomitis legitur: *Ambulabuntq. in circuitu ut cæci*, Sophoniæ 1. v. 17. O impii! jam jam patent illa SS. Vulnerum oſtia; jam jam intrandum eſt, vel nunquam forte alias. Qui differt, periculum repentinæ cœcitatis incurrit. Deus non irridetur. Excœcat impios Numen, hoc eſt, gratiam ſubtrahit, quam *efficacem* vocant Theologi. Excœcat, hoc eſt, indebita illa, quæ amicioribus conferre ſolet, lumina negat. Cavete, qui pœnitentiam de die in diem differtis. Inter graviſſimas Dei vindicis pœnas talis eſt excœcatio!

poſſunt. Probatur ex c. 19. Gen.

Cùm Chriſtus D. Lucæ 17. v. 32. ageret de futurâ die judicii, & pœnitentiâ ait ad Diſcipulos, *Memores eſtote uxoris Loth.* Cauſam horum verborum deducere oportet ex cap. 19. v. 26. Gen. ubi cum Deus per Angelos Lothum educeret ex urbe Sodoma, præcepit ne quiſquam in abitu, ad decidentium flamarum ſtrepitum reſpiceret; ſed ex curioſitate reſpexit; & momento *verſa eſt in ſtatuam ſalis:* O impii procraſtinatores pœnitentiæ, jam intelligite verba Chriſti D. *Memores eſtote uxoris Loth!* hæc juſta Dei vindicta moveat vos ad celerem pœnitentiam Jam à ſummo bono, à Chriſto D. avertitis veſtros oculos ad creaturas illâ tamen ſpe freti, olim vos velle iterum reſpicere, benedicta v. g. Vulnera Chriſti ad

§. 16. Item ex c. 17 S. Lucæ, & c. 19. Gen.

veniam cum gemitu, cum lachrymis, cum dolore & contritione, &c. Verùm, cum in tremendo agone ante oculos veſtros ſe ſe aperiet porta æternitatis? cum ſub pedibus veſtris hiabunt fauces inferni? inter has anguſtias, &c. quid facietis? hoc timeo, eritis inſenſibiles. Vindex Deus vos convertet in ſtatuas ſalis, jacebitis ut ſaxa, rigidi, obſtinati, immobiles. Lyranus: *Memores eſtote uxoris Loth, quæ non habuit ſpatium reſpiciendi retro, ſed ſtatim converſa eſt in ſtatuam ſalis; ſic nec tunc habebunt homines ſpatium reſpiciendi retro*, id eſt, ſpatium intendendi alicui negotio, ſed oportebit eos ſtatim comparere, conſpectibus Judicis. Quid continget? id quod accidit Pharaoni & exercitui ejus, Exodi 15. v. 10. *Flavit ſpiritus - ejus - & operuit eos mare, ſubmerſi ſunt, quaſi plumbum in aquis vehementibus.* [Implora gratiam Spiritus S. ut ex hoc loco tibi ſuggerat patheticum affectum.]

§. 17. *Accelerata pœnitentia S. Petri Ap.* Non ſequamur Auditores horum veſtigia, ſed potius duorum ſanctiſſimorum Apoſtolorum Petri & Pauli. Poſtquam prior bis, terve negavit Chriſtum, agnoſcens gravitatem ſceleris, non diſtulit pœnitentiam, ſed illo quaſi momento, quo Chriſtus D. illum reſpexit, illâ nocte, illâ horâ exivit, *& egreſſus foras, flevit amarè.* S. Chryſoſtomus hom. de Jona. *Petrus ad pœnitentiam non multorum ſpatia poſtulavit annorum, ſed ipſa nocte, qua cecidit, ipſa quoque ſurrexit; ipſa nocte qua vulnus ſenſit, ſenſit & remedium ſanitatis.* Hoc faciamus.

§. 18. *Et S. Pauli.* Pulchrè S. Paulus de ſe ait Act. 9. v. 6. *Cùm autem complacuit ei - & vocavit me -* [loquitur de illâ voce, quâ de cœlo dejectus fuit ex equo] *continuò non acquievi carni & ſanguini - ſed ſtatim dixi* [ita SS. Patres inducunt loquentem S. Paulum] *Domine, quid me vis facere?* Hoc agamus, &c.

§. 19. *Epilogus ex aureis dictis SS. Patrum* In ampliſſimâ verſor materiâ; ſed finio verbis S. Chryſoſtomi hom. 22. in 2. ep ad Corinth. *Ne tardes converti ad Dominum; & ne differas de die in diem: neſcis enim, quid peritura ſit ſuperventura dies; periculum eſt in differendo; ſalus verò certa & ſecura, ſi nulla ſit dilatio. Nec dicas, erit tempus, quando converti licebit; verba enim hæc valde exaſperant*, ſcilicet Dei clementiam! S. Chryſoſtomo conſentit S. Bernardus ſer. de verbis Abacuc. *Videtis fratres,*

quàm

Digitized by Google

quàm ſalubriter admoneat nos Propheta, ut ſi vocem ejus audieritis, hodie non obduremus corda noſtra; utilius namque, multoque ſalubrius eſt, hodie audire eum, conſulentem, admonentem, docentem; quam in illa die, tam amara, audire illum judicantem, ſævientem, condemnantem! Tum veriſſimum erit illud ſancti Auguſtini ſer. 58. de temp. *Erit tempus, in quo peccator velit pœnitere, & non poterit; quia quando potuit, noluit: propter malum nolle; perdidit bonum poſſe.*

CONCIO IV.

DOMINICA IV. ADVENTUS.

Ego vox Clamantis in deſerto,

Joan. 1. verſ. 23.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EXplicat præcipuos & primarios verſus ex textu ſancti Evangelii.

§. 1. *Exordium ex epiſtolis ſancti Pauli, quæ per Adventum leguntur in miſſa.*

§. 2. *Textus Evangelii, S. Joannes Baptiſta vixit in deſerto, & quare?*

§. 3. *S. Joannes Baptiſta fuit alter Eliſæus.*

§. 4. *Concionatorum corda debent ferri ſurſum, vel abſtrahi à creaturis.*

§. 5. *Exponuntur illa verba; Factum eſt verbum Domini ſuper Joannem. Potentia & efficacia verbi Dei.*

§. 6. *Et illa: miſerunt Principes ſacerdotum, &c.*

§. 7. Non ſum. *Ençomia humilitatis.*

§. 8. *Vox clamantis in deſerto fuit S. Joannes Baptiſta.*

§. 9. *Cur S. Joannes dicatur comediſſe mel, dum prædicavit pœnitentiam.*

Digitized by Google

§. 10. *Cur Mater Eccleſia, concionem S. Ioannis Baptiſtæ de pœnitentia nobis proponat.*
§. 11. *Quid pœnitentia requirat.*
§. 12. *Pro adventu Jeſuli debent corda noſtra per pœnitentiam mundari.*

§. 1. *Exordium ex epiſtolis S. Pauli, quæ per adventum leguntur in miſſa.*

G*Audete in Domino*, mei Auditores! alloquor vos verbis S. Pauli Apoſtoli, cap. 4. v. 4. ad Philip. *Iterum dico, gaudete, Dominus prope eſt.* Verùm, ſimul, *Rogamus vos*, 2. ad Theſſal. c. 2. v. 1. *per Adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut abjiciatis opera tenebrarum*, ad Rom. 13. v. 13. 14. *& induamini arma lucis - ut ambuletis, non in commeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione, ſed induimini Dominum JEſum Chriſtum.* Rogo vos Auditores per Adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, *ut abnegatis impietatem & ſæcularia deſideria ſobriè, & juſtè & piè vivamus in hoc ſæculo, exſpectantes beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, qui dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum. Hæc loquere & exhortare in Chriſto Jeſu Domino noſtro.* Mater Eccleſia, ad hos fines in hodierno Evangelio iterum nobis proponit S. Joannem Baptiſtam, non in carcere, ut ante octiduum, ſed in eremo prædicantem pœnitentiam. Cauſas, ob quas Eccleſia id faciat, intelligetis in hac concione, in qua præcipuos verſus exponam, ut hactenus per Adventum facere conſuevi.

§. 2. *S. Ioannes Baptiſta vixit in deſerto. Et quare?*

Textus hodierni Evangelii, præſertim id, quod Judæi ab Jeroſolymis miſerint Sacerdotes & Levitas ad S. Joannem Bapt. ut interrogarent eum, quis eſſet? ſupponit nonnulla ex cap. 3. v. 2. ſancti Matthæi, & cap. 1. v. 4. Evangelii ſancti Marci, quæ juxta ritum Romanum ſunt lecta in miſſa hodierna. *Erat Joannes in deſerto baptizans, & prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum*; Ob quam cauſam de ſe ipſe dixit v. 3. *Ego vox Clamantis in deſerto, parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus.* Appellatur ob eandem cauſam Angelus miſſus ante faciem Meſſiæ

Meſſiæ, ad præparandam viam ante illum. Quod verò ſanctiſſimam præcurſoris vitam in deſerto attinet, S. Marcus illum his verbis depingit v. 6. cit. cap. 1. *Erat in deſerto - veſtitus pilis cameli, cinctus Zonâ pellicea & locuſtas & mel ſylveſtre edebat. Et prædicabat.* In deſerto; id eſt, ab hominum inquinamentis remotus, cum DEO & Angelis converſans; quo vitæ genere magnum ſibi ſanctitatis nomen comparavit, cui proinde Chriſtum prædicanti omnes crederent, ac ejus prædicatione compuncti, pœnitentiam agerent. S. Th. lect. 12. *Vt in deſerto manens, immunis eſſet ab omni peccato; ut ſic dignior eſſet Chriſti teſtimonium ferre, ut ex vitâ ſuâ teſtimonium ſuum credibilius eſſet hominibus.* Et ita exemplo ſuo Apoſtolicos docuit prædicatores, prius ſecedere ab hominum tumultu, & in ſecreto vacare orationi atque meditationi, ut in eâ magnam vim ſpiritus cœlitus hauriant, quam deinde prædicando in Auditores effundant.

In deſerto vixit S. Joannes Bapt. imitator zeloſi Prophetæ Eliſæ; quem viventem in deſerto ita deſcripſit D. Chryſoſt. hom. de Eliſæo & Syris: *Sedebat Eliſæus in monte, altior mundo, propior cœlo. Sedebat inquam in edito, jacentia infra ſe deſpiciens, ſuperna jam devotus attendens; nec humano colloquio deditus, qui per precum colloquia DEO fuerat copulatus.* In communi ait D. Cyrillus Alexandr. in c. 3. Abacuc. *Sanctis quippe ſolenne fuit, ſi oracula à Deo percipere, futurorumque notitias ſuſcipere vellent, curas & ſollicitudines hujus vitæ ab animo removere quam longiſſimè; atque eo ita vacuo, & cuſtodito velut in ſpeculam & petram, ad eorum conſiderationem emicare, quæ illis ſcientiarum Dominus aperire vellet. Depreſſam enim & dejectam mentem odit; corda verò terrenis negotiis, & temporaneis cupiditatibus altiora, & in ſublime volantia quærit.* Idem Divus Cyrillus l. 7. de ador. pulchrè expendit cauſam, ob quam Exodi cap. 19. verſ. 3. Dominus deſcenderit ad Moyſen in montem, in eremum; & ait: *Signum hoc perſpicuum eſſe poteſt, non illum ad mentes abjectiſſimas venire; neque cum illis habitare ſolere, qui terrenos & humi abjectos animos habent; ſed cum eo, cujus animus*

§. 3. *S. Joannes Baptiſta fuit alter Eliſæus.*

animus in ſublime conſcendat, & quaſi verticem excelſum tenens humana deſpiciat, & ea ſola, quæ Dei ſunt, ſpectet. Ille animus Deo excipiendo eſt aptus, qui à creaturis eſt abſtractus. Advertite ex hoc diſcurſu. I. Qualis ſanctus Joannes in deſerto vixerit. II. Ob quas cauſas. III. An nos ſimus diſpoſiti, ut poſt triduum in cordibus noſtris naſcatur JEſulus. Sedebat Eliſæus in monte? ſedebat & Joannes. Fuit deſerti incola Eliſæus? fuit & Joannes. Fuit altior mundo Eliſæus, cœlo propior? fuit & Joannes. Jacentia infra ſe deſpexit Eliſæus, ſuperna devotus attendens? deſpexit & Joannes. Fuit per precum colloquia DEO copulatus Eliſæus? fuit & noſter Divus Joannes Baptiſta. Si tales ſimus, libenter in nobis per gratiam naſcetur JEſulus.

§. 4. *Concionatorum corda debent ferri ſurſum, vel abſtrahi à creaturis.*

Cum Eliſæus ab Eliâ petiiſſet ſpiritum illum duplicem, hoc reſponſi obtinuit. l. 4. Reg. c. 2. v. 10. *Si videris me quando tollar à te, erit tibi, quod petiſti.* Et cur duplex ſpiritus, id eſt ardens zelus Divinæ gloriæ, alligatur iſti conditioni, ſi Eliſæus videat Eliam rapi ad cœlum, quod contigit in igneo curru? Quid intereſt ad hoc, ut videatur Elias rapi in altum? Ait præclarè D. Bern. ſer. 6. de aſcenſ. *Duplicavit ſpiritum, viſio abeuntis, cum evidenter raptus in cœlum, univerſa pariter ejus deſideria ſecum tulit; ut inciperet ipſe quoque ſapere, quæ ſurſum ſunt, non quæ ſuper terram.* Hoc ſcilicet requiritur in prædicatoribus, ut in igneo curru rapiantur in altum, antequam prædicent, præſertim pœnitentiam. Ubi hominis vota in cœlum feruntur, ubi nihil terrenum amamus, ſed ſola cœleſtia obtinere cupimus, augetur in nobis ſpiritus amoris, ſpiritus devotionis; non ſine affluentia cœleſtium voluptatum. Illam promittit Iſaias cap. 60. v. 16. *Suges lac gentium, & mamilla Regum lactaberis.* Et Sponſus Cant. 4. verſ. 10. *Quam pulchræ ſunt mammæ tuæ, ſoror mea ſponſa.* Quærit Gillibertus Ab. ſer. 31. in Cant. *Quinam lactandi ita ſunt?* & reſpondet: *qui poſſeſſionibus renuntiant, qui rebus temporalibus valedicunt, tales utique conſolationis lactandi ſunt ubere.* Iterum advertite. I. Cauſam, ob quam Joannes vixerit in deſerto. II. An ita vivamus ut ſperare poſſimus, nos feſtis natalitiis lactandos uberibus conſolationum, quibus JESULUS lactare ſolet illos, qui cum ſancto Joanne vivunt

d by Google

vunt in deſerto. Sed longior ſum in iſtis, progrediamur ad alia.

§.5. *Exponuntur illa verba. Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem. Potentia & efficacia verbi Dei.*

Cum S. Joannes annis compluribus talem vitam duxiſſet in deſerto, *Factum eſt verbum Domini ſuper Joannem - in deſerto; & venit in omnem regionem Jordanis, prædicans.* Et cur verbum Dei factum non fuit ſuper Pilatum, Herodem, Annam & Caipham? ſcelerati hi reges, judices & ſacerdotes neque digni, neque capaces fuerunt, ut illud audirent: quibus cum Joannes ſe deberet opponere; cum deberet illis anunntiare adventum Meſſiæ, quos erat appellaturus viperas; contra illos fuit armatus verbo DEI; cujus virtute Spiritus ſanctus Apoſtolicos prædicatores audaces, fortes atque imperterritos reddit, ut ſceleratorum nequitiæ ſe ſe audeant opponere. Sic Moyſes fuit auſus ſe opponere Pharaoni. Sic Elias Achabo, &c. Unde verò inquies, in pauperculis tanta contra Principes libertas? D. Chryſoſt. hom. 67. in Matth. reſpondet: *Sanè magna libertate adverſus tyrannos locuti ſunt; alter adverſum Ægyptium, alter adverſus Achab, quia etſi privati ac absq; poteſtate fuerant - alter tardus linguâ, alter ruſticior - nihilominus, poſtquam verbum Dei factum eſt ſuper illos; quamprimum Dominus illis uſus eſt legatis, & in ore illorum* [ut ſic loquar] *poſuit, quæ dicerent Regibus; imperterritè illis veritatem ſunt elocuti.* Idem contigit S. Joanni, ipſos Phariſæos auſus fuit appellare *genimina viperarum*, Luc. 3. 7. unde iſta libertas? in quales non erupit minas? *Jam ſecuris ad radicem arboris eſt poſita; omnis arbor, &c.* Nunquid Regi in faciem auſus fuit dicere, *Non licet tibi*: Unde Joanni tam fortis animus? *Verbum Domini factum eſt ſuper illum, &c.* Hujus fortitudini & potentiæ nixus omnibus palam ac liberè veritatem edixit, idque tanto zelo præſtitit, ut S. Matthæus cap. 3. v 5. dicat: *Tum exibat ad eum Jeroſolyma, & omnis Judæa, & omnis regio circa Jordanem.*

§.6. *Et illa; miſerunt Principes ſacerdotum*

Itaque cum Principes ſacerdotum & Phariſæi, tum de S. Joannis admirabili aſpera vitâ in deſerto, tum de ejus ferventibus concionibus multa audirent: *Miſerunt ad illum ſacerdotes & Levitas, ut interrogarent eum, quis eſſet?* Advertite I. Hanc plerumque eſſe Magnatum conſuetudinem, ut non ipſi veniant ad

ad Conciones, ſed mittant ſuos exploratores. Advertite II. cauſam; pudet illos inſtrui. Divus Chryſoſtomus hom. 49. *Hujusmodi enim ſunt, qui in principatu vivunt: nam quoniam faſtum rerum ſibi plurimum arrogant, parvi facientes cætera, rarò ea perdiſcent*, id eſt, ex ſuperbia & arrogantia nolunt inſtrui. Advertite III. Principes Sacerdotum timuerunt reprehenſionem & caſtigationem à Joanne; timuerunt, ne diceret illis veritatem. S. Lucas ait cap. 3. v. 10. *Interrogabant eum turbæ, quid faciemus? - Venerunt & publicani, dicentes, quid faciemus? Interrogabant autem & milites.* Rupertus l. 1. de gloriâ & honore filii hominis: *Quid eſt hoc? - - turbæ interrogant, publicani interrogant, milites quoque interrogant, dicentes, quid faciemus? Phariſæi verò nuſquam interrogâſſe leguntur, & dixiſſe, quid faciemus? Claret igitur, quomodo conſilium DEI ſpreverint.* Habent & hodiedum in hoc malo conſodales è Chriſtianis non paucos Phariſæi. Quàm multi enim ſunt in hac urbe, qui nec Chriſtum, nec Joannem Baptiſtam, nec Petrum, nec Paulum, nec ullum verbi DEI Præconem Concionatoremque interrogant, *Quid faciemus?* Illis verbum Dei in poſtremis eſt curis; De rebus aliis ſollicitè per diem inquiritur, *quid faciemus?* quo pacto opes noſtras augebimus? *quid faciemus?* qua ratione favorem Principis conciliabimus? *quid faciemus?* qua ratione licebit hanc vel illam ignominiæ notam effugere? at de anima cum agitur, nemo interrogatur, non dicitur, imò ne cogitatur, *quid faciemus?* Verbum Dei deſpicitur, negligitur, ridetur.

§. 7. *Non ſum. Encomia humilitatis*

Itaque propter has cauſas Sacerdotes & Levitæ à Principibus miſſi ſunt ad Joannem; qui interrogârunt eum & dixerunt; *Tu quis es? & confeſſus fuit ſtatim Joannes, Non ſum ego Chriſtus.* Inſtant; *quid ergo? Elias es tu?* Iterum Joannes, *non ſum, Propheta es tu? Non.* Quis non miretur tanti viri humilitatem? Et hæc eſt illa eximia virtus, quæ ita extulit Joannem; humilitas enim exaltat. Rupertus lib. 1. cap. 26. *Glorioſa virtutum Regina humilitas, quæ in cælum volare conſuevit.* Divus Chryſoſtomus in cap. 1. ſancti Matth. *Qui humilis eſt, is ad veræ ſublimitatis cacumen volavit, quæ non ſolum appellatione*

Digitized by Google

pellatione & nomine, ſed re ipſa ſublimitas eſt. Humilitas facta eſt Mariæ, ſcala cœleſtis, per quam deſcendit DEUS in terram, id eſt, in virginalem ejus uterum: & ipſa per eandem ſcalam aſcendit ad celſitudinem maternitatis DEI. Per eandem virtutem obtinuit ſanctus Joannes, ut Chriſtus Dominus de illo dixerit: *Inter natos mulierum non ſurrexit major Joanne Bapt.* Simus ſolliciti, ut hâc virtute ita ſimus exornati, ut in cordibus noſtris naſcatur humillimus JESULUS. Humilitas noſtra illi corda præparat.

Cum Sacerdotes & Levitæ repeterent itentidem propoſitam interrogationem, *quis eſſet?* ut reſponſum ferre poſſent ſuis Principibus, altâ voce dixit S. Joannes: *Vox Clamantis in deſerto.* Totus S. Joannes fuit vox, reſpectu ſui, ad laudandum DEUM; reſpectu Judæorum & gentium, ad commovenda illorum corda ad pœnitentiam. Vox clamantis fuit, cum dixit: *Ecce Agnus Dei,* Joan. 1. v. 29. Sed cur Agnum clamat hæc vox? Mundus expectat potentem Regem; Dominatorem, &c. Cur vocat agnum? immolandum in cruce, &c. D. Th. in Cat ex S. Aug. *Hic eſt agnus, quem lupi timent, qui leonem occiſus occidet: cujus ſanguine ſolo homines redimi poterunt.* Vox Clamantis, &c. Mirabile reſponſum! poterat ſe Doctorem, poterat Judicem, poterat præconem, poterat præcurſorem Chriſti appellare, ſolùm appellat ſe vocem, quaſi ſonum, quaſi aërem, rem viliſſimam. Iterum clamare voluit, Concionatores debere eſſe humiles; S. Baſilius M. in Pſ. 33. verſum 7. *Iſte pauper clamavit, & Dominus exaudivit eum, &c.* ait: *Si quis itaque à Spiritu S. ductus, nihil de ſe magnum ſentiens, ſed humilians ſe ſe ſpiritu clamet; hujus profecto clamor exaudietur.* Talis prædicator fuit S. Paulus 2. ad Cor. c. 4. v. 5. *Nos enim nosmetipſos non prædicamus, ſed Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. DEUS illuxit in cordibus noſtris: habemus autem theſaurum iſtum in vaſibus fictilibus, &c.* Ecce, quid ſenſerit de ſe S. Paulus. *Vocula itaque vox; humilitatem præcurſoris nobis oſtendit; per particulam Clamantis, fortitudo prædicatoris oſtenditur,* ait Rabanus. Concionator humilis eſt fortis & efficax.

§. 8. *Vox clamantis in deſerto fuit S. Joannes Bapt.*

 Clamans

§. 9. *Cur S. Ioannes dicatur comediſſe mel, dum prædicavit pœnitentiam.* Clamans *Pœnitentiam agite.* Nemo terreatur nomine pœnitentiæ. D. Petrus Dam. ſer. de S. Joan. Bapt. *Verbum pœnitentiæ dulce! Joannes oſtendit vulneri remedium, peccato pœnitentiam.* Non ſine myſterio S. Marcus cap. 1. verſ. 4. ait: *Fuit Joannes in deſerto prædicans baptiſmum pœnitentiæ*; & addit v. 6. *Mel ſilveſtre edebat.* Eſt mirabile! in tantâ vitæ auſteritate, in deſerto, veſtitus pilis camelorum, S. Joannes comedit mel? Quæ connexio mellis cum prædicatione pœnitentiæ? niſi ut intelligamus, peccatoribus nihil eſſe ſuavius, quàm pœnitentiam, ſi faciant dignos ejus fructus. D. Petrus Dam. citatus. *A principio mundi uſque ad Joannem univerſitatis humanæ electionem recollige, nec in ſermone vel opere poteris reperire dulcedinem.* Vox Dei per Prophetas quam terribilis? quam horribiles minæ? Et dextera ejus ſubmergengo mundum, &c. quam tremenda, &c. Veni ergo ad Joannem, & audi in hodierno Evangelio vocem exultationis, vocem lætitiæ;' miſericordiæ verbum! ſermonem gloriæ. *Pœnitentiam,* inquit, *agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.* Verbum pœnitentiæ dulce! Verbum regni cœlorum lætum! Hæc eſt prima vox, quam vox Clamantis in deſerto propoſuit; & vox turturis audita eſt in terrâ noſtrâ.

§. 10. *Cur Mater Eccleſia concionem S. Ioannis B. de pœnitentia nobis proponat.* Hanc voculam Mater Eccleſia ante Nativitatem Chriſti non ſine cauſa nobis inculcat. D. Baſilius hom. 7. in divites avaros; poſtquam deſcripſit pœnitentiam Ninivitarum, ſubdit: *Ex quo miſericors Deus, ipſos, faſtus luxumque ponentes, & humilia ſentientes animadvertit, & minas remiſit, & pœnas, quas daturi erant, abjecit, & lætitiam tribuit.* De Davide ait Salvianus l. 2. de Provid. *Agnoſcit reus culpam David*; Ecce fructum pœnitentiæ [*humiliatur*] ecce fructum [*compungitur*] ecce fructum [*confitetur, luget, pœnitet,*] ecce fructus [*gemmas regias abdicat, crepantia auro textili indumenta deponit, purpurâ exuitur, diademate exoneratur, & corde mutatur.*] [Ecce dignum fructum] *totum Regem cum ornatibus ſuis abjicit, pœnitentiam cum patrocinio ambitioſi ſqualoris aſſumit*; Et Nathan ait: *Tranſtulit Dominus peccatum tuum, &c. ſtatim Deus abjecit minas, &c. & lætitiam illi tribuit.* Poſſumnè elegantius vobis exponere verba S. Joannis B. *Pœnitentiam agite, &c.*

Hoc

Digitized by Google

Hoc eſt, quod hoc potiſſimum tempore S. Mater Eccleſia intendit. In deſerto, quaſi ex ore leonis cum Samſone favum mellis vult eruere; Pœnitentiam prædicat, ut impertiat indulgentiam; præmittit amara, ut ſequantur dulcia; de duris loquitur, ut ad blanda diſponat ſemitam. Parate viam Domini, pœnitentiam agite; Sic paulò poſt ad cunas Jeſuli concinetis cum Angelis, tripudiabitis cum paſtoribus, cum tribus Orientis Dynaſtis exultabitis.

D. Ambroſius in Pſ. 37. eleganter exponit, quid ſit pœnitentiam agere. Verum, ut ipſius vobis diſcurſum proponam clarius, moneo I. Pœnitentiam ſubinde & ex parte idem eſſe quod contritionem. Moneo II. Contritionem derivari à verbo contere, quo Deus uſus fuit, Gen. 3. v. 15. *Ipſa conteret caput tuum* ſcilicet ſerpentis. Moneo III. Quod Medici ſoleant contere capita ſerpentum, & reducere in minutiſſimum pulverem, indeque antidotum parare, quo totum ſerpentum virus pellatur. Quibus ſuppoſitis ait cit. ſanct. Ambroſius: *Vtere Medicorum exemplo, ut tibi ſerpens peccati, vel ſerò moriatur. Conteras ejus venenum, corpusque comminuas, & admixtum ſalutaribus ſuccis noveris temperandum, ut non ſolum vim ſuam & virus amittat, ſed etiam fiat remedium de veneno. Moritur tibi ſerpens intelligibilis, ſi tu moriaris peccato. Sic conteritur ejus venenum, ſi te tua facta compungant.* An advertitis? quid à vobis exigam, ut vos præparetis ad feſta Natalitia, ut agatis pœnitentiam? Contritionem exigo; non deſunt, quos conteramus ſerpentes, habemus intra viſcera venenum, quo nos aſperſit ſerpens ille ſtygius. Agedum conteramus ſerpentem odii; ſerpentem libidinis, &c. Ita pœnitentiam agite! hoc clamo cum D. Baptiſta! hoc rogo, hoc moneo, hoc impero, hoc ſollicito! Pœnitentiam agite, ingemiſcite de peccatis, deferte ea ad ſacrum tribunal, exponite illi, qui judicem agit; dolete, rea tundite pectora; multisque cùm lachrymis gratiam Nûminis exorate.

§. 11. *Quid pœnitentia requirat.*

Dulce nomen pœnitentiæ nobis ſuggerit Mater Eccleſia; quia ſine munditie cordis [quam illa operatur] Dominum venturum ſuſcipere non poterimus. Exodi cap. 19. v. 10. ait Dominus

§. 12. *Pro adventu Ieſuli debent corda noſtra per*

pœnitenti-am mendari.

nus ad Moyſen: *Vade ad populum, & ſanctifica illos hodie & cras; laventque veſtimenta ſua: & ſint parati in diem tertium; in die enim tertia deſcendet Dominus.* D. Cyrillus Alexandr. de adoratione lib. 4. aptiſſimè ad rem meam: *Ante itaque nos purificari neceſſum eſt, quicunque fuerint Divina familiaritatis amatores, quibusque propoſitum eſt animo, ad omne genus virtutum prompto, atque alacri, illi velut aſſiſtere, atque miniſtrare; ejusmodi verò qui fuerit, is non ineptus erit jam ad ipſum quoque DEUM aliquatenus contemplandum, ut Salvator ait: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Itaque peccatores! immundi! agite pœnitentiam. Pulchrè Divus Cyrillus Alexandr. ſupra cit. *Dignos nos efficiemus, ut etiam ad Deum videndum idonei judicemur; Sanctaque illius conſubſtantialis Trinitatis ſacrum diverſorium efficiamur.* [Eſt locus pro affectuoſo Epilogo, ut corda noſtra fiant diverſorium JESULI.]

CONCIO V.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS.

Ecce! poſitus eſt hic in ruinam - multorum in Iſrael,

Luc. 2. verſ. 34.

SYNOPSIS CONCIONIS.

CUm in Rege conjungi debeant, clementia & juſtitia; ut ametur & timeatur; ideo de Chriſtò Domino dicitur, quod licet ſit clementiſſimus Rex, tamen poſitus ſit in ruinam multorum.

§. 1. *Jeſus poſitus eſt in ruinam, id eſt; ad maiorem impiorum pœnam, ipſe erit illorum Judex.*

§. 2. Sed

§. 2. *Sed cur Judex, omiſſis aliis terribilibus nominibus, vocatur Filius hominis? Prima cauſa ex S. Auguſtino.*

§. 3. *Altera cauſa: dicitur Filius hominis, ad majorem pœnam impiorum.*

§. 4. *Figura fuit ira Nabuchodonoſoris erga Regem Sedeciam.*

§. 5. *Sed impius hanc pœnam vel ruinam, non Filio hominis, ſed ſibi ipſi debet aſcribere.*

§. 6. *Chriſtus Dominus veluti Rex voluit amari & timeri.*

§. 7. *Chriſtus Dominus amabilis & terribilis: exemplo Moyſis.*

§. 8. *Homo juſtus eſt organum Divinæ pietatis; impius, juſtitiæ & judicii.*

§. 9. *David Rex mitiſſimus, ſimul tamen hoſtibus formidabilis! pari ratione Chriſtus Dominus.*

§. 10. *Figura fuit nubes, quæ Iſraelitas deduxit per mare rubrum.*

§. 11. *Munificentia facit Reges amabiles.*

§. 12. *Proſecutio ex dicto Severi Imperatoris.*

§. 13. *Dictum Ciceronis, & emblema Henrici Quarti, Regis Angliæ.*

SUmma Chriſti D. Salvatoris præeminentia eſt, quod à Patre conſtitutus ſit Judex vivorum & mortuorum; & quod inde ſequitur, in miſerandam ruinam omnibus damnatis. De quo dum agit ſanct. Matthæus cap. 25. v. 31. cur ait: *Cùm venerit Filius hominis, &c.* An non alia habuit nomina magna tremenda, ad exprimendam terribilem Judicis Majeſtatem? ſuaviſſimus hic titulus filius hominis; filius Mariæ! non ad timorem, ſed ad ſpem & fiduciam videtur nos excitare. Aliis nominibus Evangeliſta potuiſſet appellare [tantæ celſitudinis ac majeſtatis,] quorum ſolus ſonus ſufficit, ad terrendos impios, Jud. 13. 18. petiit pater Samſonis ſcire nomen ejus, qui ipſi loquebatur, & hic reſpondit: *Cur quæris nomen meum, quod eſt mirabile.* Iſaias petiit illud ſibi declarari, ut eo ſolo inimici ejus terrerentur, Iſ. 64. verſ. 2. *Vt notum fieret nomen tuum inimicis tuis, à facie tua gentes turbarentur.* Aptiſſimè Jerem. cap. 10. verſ. 6. *Magnus es tu, & magnum*

§. 1. Jeſus poſitus eſt in ruinam, id eſt, ad majorem impiorum pœnam: ipſe illorum Judex.

& magnum nomen tuum in fortitudine, quis non timebit te, o Rex gentium! cap.32.v.19. *Fortiſſime, magne & potens Dominus exercituum nomen eſt tibi! magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu.* Plena eſt ſacra Scriptura Dei nominibus, auguſtis, tremendis, glorioſis, & tantæ poteſtatis, ut vel ad eorum ſonitum fortiſſimæ corruant turres, & altiſſimi collabantur muri; licet Jerichontini vel Babylonici, Exod. cap. 15. verſ. 3. *Omnipotens nomen ejus.*

§. 2. *Sed cur judex omiſſis nominibus terribilibus vocatur filius hominis? Prima cauſa S. Aug.*

Itaque hoc nomen, *Filius hominis*, ſummæ eſt humilitatis & abjectionis, Pſ.8.v.15. *Quid eſt homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam viſitas eum*, Chriſto Judici, dum iram, indignationem in impios vult oſtendere, non videtur aptè convenire. Sed placent mihi rationes D. Auguſtini, propter quas dixit, Chriſtum Judicem meritò vocari filium hominis, l. 20. de Civit. Dei c.30. I. Ut intelligamus, actum temendi judicii competere Chriſto, non Patri & Spiritui S. unde in ſua veniet humanitate viſibilis, juxta illud Angelorum in glorioſa aſcenſione ad Apoſtolos, Act.1. v.11. *Hic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum*; Quod idem Chriſtus Dominus dixit Joannis c. 5. verſ. 22. *Pater non judicat quenquam, ſed omne judicium dedit filio - & - dedit ei poteſtatem judicium facere, quia filius hominis eſt.* Job.c.36. v. 17. *Cauſa tua quaſi impii judicata eſt, cauſam judiciumque recipiet.* D. Aug. in medit. c.16. *Ipſe ſane qui injuſtè judicatus eſt, judicabit orbem terræ in æquitate, & populos in juſtitia*; & Chriſtus D. ipſe inſinuavit, quando productus in judicium, coram ſummo ſacerdote, totoque concilio ac tribunali dixit Matth.26. v. 64. *Verumtamen dico vobis, quia amodo videbitis filium hominis venientem in nubibus cœli, cum poteſtate magna.* q. d. modo ego aſto in forma rei, vos verò eſtis judices. Veniet tempus, quo ego in eadem forma hominis veniam, factus arbiter, cum poteſtate magna & majeſtate; Ego ero judex, vos rei. Non poteſt non omnibus placere hic diſcurſus ſancti Aug.

§. 3. *Altera cauſa. Dicitur, filius homi.*

Altera ejusdem cauſa hujus appellationis filii hominis, modo meo themati magis inſervit, dum aſſerit, Chriſtum D. filium hominis, filium ſuaviſſimæ matris miſericordiæ fore judicem, ad majorem

majorem peccatorum pœnam, terrorem & confuſionem. Acutè obſervavit acutiſſimus S. Hieron. ep. 1. ad Heliod. Nihil adeo movere & excitare zelum juſtitiæ, quam miſericordiam, amorem & præſtita beneficia. Amor enim læſus vertitur in furorem. Hoc fiet tremendo illo die judicii, amor, miſericordia, benevolentia Chriſti D. vertetur in zelum, furorem, indignationem. Sentiet, ſentiet impius, puniri ſe ab illo, à quo plurima accepit beneficia.

Ex l. 4. Reg. c. 25. v. 6. ſcimus, quam acerba fuerit indignatio Nabuchodonoſoris Regis Babylonis contra Regem Sedeciam, & terribile ſupplicium, quo ejus damnavit ingratitudinem. Nabuchodonoſor Sedeciam coronavit Regem in Jeruſalem, rejecto Jeconia filio Joachin, Rege legitimo, quem ſecum captivum duxit in Babyloniam. Sedecias tanto devinctus honore, Regi juravit fidelitatem, obedientiam; Sed brevi contra eum perfidus inſurrexit, negavit vectigalia, affecit contumeliis, &c. Nabuchodonoſor juſtâ accenſus irâ, miſit exercitum, à quo Sedecias captus, ad ipſum Regem fuit adductus in Babyloniam, & Rex - *locutus eſt cum eo judicium.* Hæc verba bis repetit Jeremias, quibus indicat, Nabuchodonoſorem talia Sedeciæ fuiſſe locutum; Adeſnè fœdifrage proditor? an quæ tibi feci ignoras? an non ego te Regem feci, &c. An non fidem juraſti? & tot tantisque mihi devinctus beneficiis, titulis, honoribus, mihi factus es proditor, ingratus, fœdifragus, perjurus, ſacrilegus, rebellis; verbo, *locutus eſt cum eo judicium* aſperum. Advertunt SS. PP. Sedeciam hanc Regis irati objurgationem ſenſiſſe magis, quàm carcerem, vincula & compedes, & fundamentum eſt in ſacro textu; Nam comminatio, quâ eum Deus per Jeremiam urſit, hæc cæteris fuit terribilior. Jerem. 32. v. 4. *Comprehenſione capieris, & in manus ejus traderis, & oculi tui oculos Regis Babylonis videbunt, & os ejus cum ore tuo loquetur*; in furore, in indignatione. Vobis, impii, verba hod. Evangelii, *hic poſitus eſt, &c.* eandem pœnam minantur. Vidiſtis his diebus veſtrum Salvatorem, Parvulum in præſepio, &c. Scitis beneficia, ſed &c. Hoc fiet, *Oculi veſtri, &c.* Fiat pulchra applicatio totius hiſtoriæ.

§. 4. *Figura fuit ira Nabuchodonoſoris erga Regem Sedeciam.*

Digitized by Google

§. 5. *Sed impius hanc pœnam vel ruinam non Filio hominis, ſed ſibi ipſi debet aſcribere.*

Hanc verò pœnam, ſive iram & indignationem Chriſti judicis, non illi, aut Deo, ſed ſibi imputet peccator. Chriſtus poſitus eſt in ruinam, puniet illo die horrendum impios, quia miſericordiam contempſerunt, quæſiverunt quaſi pœnam. Hoc ſubtiliſſimis verbis illis objicit Amos cap. 6. verſ. 3. *Væ qui ſeparati eſtis in diem malum, & appropinquatis ſolio iniquitatis: qui venitis in diem malum.* Ribera hic: quaſi dicere velit: *Non venit ad vos dies malus, neque enim Deus de vobis ſupplicium ſumere appetit, ſed vos ultro venitis in diem malum, & Divinam potentiam* [Divinam Jeſuli miſericordiam & bonitatem, Divinam ejus juſtitiam] *aliis atque aliis malis provocantes, nemine impellente ruitis in mortem* [ex hodierno Evangel. in ruinam] *Si acuero ut fulgur gladium meum, & arripuerit judicium manus mea,* inquit Dominus Deuteron. cap. 32. verſ. 41. *reddam ultionem hoſtibus meis, & iis, qui oderunt me, retribuam.* Adverte, gladium D. juſtitiæ ex ſe non eſſe incenſum, nec acutum; nos incendimus & acuimus; ſive materiam præbemus, unde accendatur. Fulgur, ut volunt Philoſophi, eſt exhalatio quædam terræ accenſa in nube, productâ accenſione ex vehementi ſpiritus colliſione; quæ accenſio non ſemper invenitur, niſi adſit materia ſufficiens ad accendendum, cum adeſt, fit fulgur; terra debet ſubminiſtrare materiam: Sic DEI ira & gladius juſtitiæ ejus, incenſus non eſt ex ſe; impii præbent materiam, ut accendatur. Sed manibus Jeſuli quomodo convenit fulgur, vel incenſus gladius? ille acuet? ille dulcis, &c. p. Ita; ſi materia præbeatur, &c. Tum ille Jeſulus percutiet, retribuet, &c. p. ut impii ſentiant magis.

§. 6. *Chriſtus D. veluti Rex vult amari & timeri.*

Sancti Patres hoc ponunt fundamentum. In Rege erga ſuos ſubditos amor, manſuetudo, clementia & liberalitas, cum majeſtate, fortitudine & juſtitiâ debent conjungi, ut Rex ametur & timeatur. Talis Rex eſt Parvulus de Bethleem, amat, humilis eſt, &c. ut ametur. Sed ſcire debemus, quod ſit poſitus, &c. ut timeamus. Elucet in hoc, quam mirabilis ſit Divina ſapientia, ut invenerit modum, quo apud ſuos Rex aliquis amabilis appareat, & terribilis. Magnificus & liberalis, & ſimul ad vindictam fortis

Digitized by Google

fortis ac terribilis: Rectè Philo libro de pœnis & præmiis inquit: *Quod tria valent ad conſtituendum regnum: Majeſtas, gravitas & beneficentia. Nam majeſtas parit reverentiam, gravitas metum, beneficentia verò amorem & benevolentiam.* Num ſi Princeps munificus tantum ſit, & nullo modo fortis, diligetur, ſed ſimul ſpernetur. Si autem tantùm fortis, & non munificus, timebunt eum, ſed non diligent. Nam, ut inquit Rupertus l. 8. in Gen. c. 37. *Vbi totum punitur, Regia ſeveritas crudelitate polluitur, ubi verò totum remittitur, facies majeſtatis ſine metu diſciplinæ contemnitur.*

Enimverò & Chriſtus Dominus ita ſuum ordinat regimen in regno ſpirituali gratiæ, ut ſicut amicis ſemper amabilis ac munificus: ſic econtra inimicis & qui contra eum ſunt, terribilis ac horribilis appareat. Sic Moyſes cum omni populo DEUM laudavit de eo, quod fortitudinem magnificentiamque in Ægyptiorum occiſione ſimul oſtenderit. *Quis ſimilis tui in fortibus Domine?* Exodi 15. v. 11. *Quis ſimilis tui? magnificus in ſanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia* Magnificus, bonus, & benignus fuit cum populo ſuo, aperiens illi iter, liberans eum ab inimicis, & tamen fortis, debellans inimicos, occidens eos, & in mare demergens. *Patientiæ enim fuit*, [ait Salvianus l. 1. de guber. Dei] *quod Ægyptii rebellantes ſæpe percuſſi ſunt. Judicii, quod contumaces tandem morte damnati.* §. 7. *Chriſtus D. amabilis & horribilis, exemplo Moyſis.*

Hinc ſanct. Joannes Apoc. cap. 15. v. 4. coram throno Divinæ Majeſtatis proſtratus ait: *Quis non timebit te Domine? & magnificabit nomen tuum, quia ſolus pius es, quoniam omnes gentes venient, & adorabunt in conſpectu tuo, quoniam judicia tua manifeſta ſunt.* In pietate timorem agnovit dilectus diſcipulus & amorem. *Quis non timebit* ait, quia pius es, quoniam in pietate juſtus es; Itaque diligant grati, timeant ingrati. Acutè idem obſervavit Divus Irenæus l. 4. cap. 24. *Exceptorium bonitatis, & organum clarificationis Dei homo gratus ei, qui eum fecit; & iterum exceptorium juſti judicii ejus homo ingratus.* §. 8. *Homo juſtus eſt organum Divinæ pietatis: Impius juſtitiæ & judicii.*

 Ergò

§.9. *David Rex mitiſſimus, ſimul tamen formidabilis. Pari ratione Chriſtus D.*

Ergo etſi pius Deus, eſt tamen juſtus, ſi magnificus, tamen terribilis, & fortis; Qualis fuit David Rex, vir ſecundum cor Dei, erat enim mitiſſimus & magnificus, ſed tamen formidabilis: magnificus ſuis, terribilis inimicis! ideo amabilis & formidabilis. David, inquit textus 2. Reg. 23. v. 8. *ſedens in cathedra ſapientiſſimus Princeps inter tres, ipſe eſt quaſi tenerrimus ligni vermiculus,* [En manſuetudo!] *qui octingentos interfecit impetu uno.* [En fortitudo!] Manſuetus erat, ideo amabilis, fortis erat, ideo formidabilis. Talis eſt Chriſtus D. Salvator noſter.

§ 10. *Figura fuit nubes quæ Iſraelitas deduxit per mare rubrum.*

Oſtendit hoc Deus in Angelo illo, qui nube filios Iſraël tegebat; Nam cum iſtos perſequerentur Ægyptii, ita erga illos ſe oſtendit amabilem, illos ducendo, conſolando, animando, ut tamen terribilis appareret inimicis. Unde obſcuritate hos percutiens, ſimul illos ſuâ luce perfudit; eâdem nube, quæ ſimul erat obſcura & tenebroſa, & ſimul lucida & clara, Exod. 14. v. 19. *Tollensque ſe Angelus Domini, qui præcedebat caſtra Iſrael, abiit poſt eos, & cum eo pariter columna nubis, ſtetit inter caſtra Ægyptiorum & caſtra Iſrael, & erat nubes tenebroſa, & illuminans noctem.* Tenebroſa inimicis, lucida amicis: Obſcuram reddens noctem Ægyptiis, lucidam Iſraëlitis. Terrificans inimicos, lætificans amicos. Ignem continens & lucem; ignem malis, lucem bonis. *Hoc* [inquit Clemens Alexandrinus hic,] *ſimul eſt gratia, & timoris indicium; Si obedieris lucem, ſi non obedieris ignem.* An non columna hæc pulcherrima fuit figura Chriſti Domini? omnia pulchrè poſſunt applicari v. g. cordi Chriſti; quia continet lucem & ignem, &c. vel vulneribus in communi.

§.11. *Munificentia facit Reges amabiles.*

Magnificentia eſt, quæ propriè Regem ineſſe Principis conſtituit. Xenophon in or. de laud. Ageſilai: *Proprium boni Regis officium eſt, ut plurimis eos bonis cumulet, qui ſub ejus imperio conſtituti ſunt.* Ex quâ magnificentiâ ſequitur amor ſubditorum. Ariſt. 4. Ethic. c. 1. *Liberales homines maximè fere omnium amantur.* Nec mirum, cùm ut inquit S. Baſil. in Reg. brevioribus 176. *Bene de ſe meritos etiam beſtiæ naturaliter amant.* Si beſtiæ, quid homines? quibus dùm beneficia conferuntur, non ſolùm corpore ſed animo captivantur. Prov. 22. v. 9. *Victoriam & honorem acquiret,*

Digitized by Google

ret, qui dat munera, animum autem aufert accipientium. Unde Princeps erit ſicut ſol, omnibus indiſcriminatim diſpertiens, ut omnes ad ſe attrahat; *Quemadmodum ſol* [inquit Leo Imp.] *cunctis, quos illuſtrat, impertit aliquid caloris: ſic Princeps debet eos ſuâ dignari miſericordiâ, quos contuetur.* [Applica hæc Jeſulo.]

Severus Imperator percontatus, quis bene Regis officio fungeretur, reſpondit: *Qui amicos muneribus retinet, & inimicos beneficiis ambit.* Ex quo fit, ut nullâ re magis ſecurus ſit, ac munificentiâ, quæ non amicos allicit, ſed inimicos placat, Prov. 21. v. 14. *Munus abſconditum extinguit iras, & donum in ſinu, indignationem maximam.* Cap. 20. v. 28. *Miſericordia & veritas cuſtodiunt Regem, & roborat clementia thronum ejus.* Vatablus legit: *Beneficentia & fides ſervant Regem; beneficentia ſuffulcitur ſolium ejus.* Pulchrè dictum: *ſuffulcitur*, nam Rex magis ſecurus & ſuffultus eſt, quàm armis & caſtris, ſed [Oſtendit pulchrè talem libertatem & magnificentiam fuiſſe & eſſe in Chriſto D.] ſemper tamen advertendum eſt, quod ſimul juſtus eſt & terribilis, &c. quod variis locis oſtenditur in meis Concionibus. *§. 12. Proſecutio ex dicto Severi Imperatoris.*

Tullius l. 3. de natura Deorum: *Reſpublica, quæ bene geritur, pœna ac præmio ſtabilitur.* Ob id Henricus IV. Angliæ Rex, ut ſcribit Heroſæus l. 1. Emblem. c. 10. inſignium; Præferebat Malogranatum, cum lemmate, *Acradulcis*; ad oſtendendum, non ad rem eſſe ſolam dulcedinem, ſed junctim acrorem cum dulcedine mixtum. Quod intendit nobis inculcare hodiernum Evangelium, dum aſſerit, Chriſtum Dominum, ſive Parvulum de Bethleem, non eſſe tantùm amabilem, ſed revera etiam terribilem impiis. Præmiis & pœnis conatur omnes ad ſe attrahere. *§. 13. Dictum Ciceronis, & emblema Henrici IV. Regis Angliæ.*

Digitized by Google

CONCIO VI.

DOMINICA I. POST EPIPHANIAM.

Cùm factus eſſet JESUS annorum duodecim,

Luc. 2. verſ. 42.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Concio hæc ferè tota eſt acris invectiva in illos, qui peccant in Eccleſiis.

§. 1. *Beatus, qui invenit JESUM.*

§. 2. *Vbi ſponſa fruſtra quæſiverit dilectum ſuum.*

§. 3. *Vbi DEUS non reperiatur.*

§. 4. *Concionis Propoſitio.*

§. 5. *Dictum Marci Aurelii Imperatoris.*

§. 6. *Quinam Chriſtiani ſint nequiores Turcis.*

§. 7. *Acres minæ ſancti Chryſoſtomi in illos, qui peccant in Eccleſiis.*

§. 8. *Apoſtrophe ad S. Chyſoſtomum.*

§. 9. *Acriores adhuc minæ ejuſdem Viri ſancti.*

§. 10. *Proſecutio.*

§. 11. *Invectiva ſancti Hieronymi in ſacrilegum Diaconum.*

§. 12. *Filii Aaron, quomodo & quare puniti.*

§. 13. *Abominationes templorum.*

§. 14. *Juſtiſſimus vindex horum ſcelerum eſt Deus.*

§. 15. *Aliæ minæ; præſertim contra ſacrilegos Sacerdotes.*

§. 16. *In timore oportet nos ingredi Eccleſias.*

§. 17. *Requiritur à nobis in templis reverentia exterior.*

§. 18. *Quomodo vel quales debeamus ingredi Eccleſias.*

Auditores!

Digitized by Google

AUditores! nobilis matrona, cui optimè volo, perdidit pretioſiſſimam gemmam; ſed ſuadeo, quiſquis invenit, retineat. Nam quiſquis ille eſt, qui reperit, ſi bene cuſtodiat, beatiſſimus eſt. Pulcherrima virgo perdidit theſaurum; quiſquis reperit, retineat & cuſtodiat, & erit fortunatus. Venuſtiſſima mater, mater pulchræ dilectionis! Mater amabilis perdidit ſpecioſiſſimum filiolum; quiſquis illum in ædibus tuis habes, fores occlude, ne pateat egreſſus. Et quid oculos veſtros in me conjicitis? Maria! perdidit filium ſuum duodennem, nonne Maria virgo eſt mater? an non filiolus ejus eſt gemma & theſaurus? Nunquid ſuadeo bene, ut quiſquis JESUM invenit, ut quiſquis cum ſponſa dicere poteſt, Cant. 3. v. 4. *Inveni, quem diligit anima mea*; Tantum theſaurum ſibi retineat, & bene cuſtodiat. Iterum felices & beatos illos pronuntio, qui his feriis Natalitiis invenerunt Parvulum de Bethleem: Si qui verò ex hoc numero Divinum hunc Puerum non inveniſſent, illis auctor ſum, ut ſtatim hâc horâ, hoc momento ſurgant cum Maria, & Jeſum quærant. Omnis noſtra felicitas, omnis ſalus, omne gaudium hinc pendet, ut hanc gemmam, hunc theſaurum, hunc filium Mariæ inveniamus. Quocirca ſcire oportet, ubi & quomodo quærere debeamus.

§. 1. Beatus! qui invenit Ieſum.

Cant. c. 3. verſ. 1. ait ſponſus: *In lectulo quæſivi, quem diligit anima mea; & non inveni.* O ſtulta ſponſa! quid in lectulo quæris? in ſtabulo, in præſepio, in ſtramine invenies. Errant hodie cum ſponſa illi Chriſtiani, qui Chriſtum quærunt in lectulo deliciarum, vel in divitiis, vel honoribus, &c. fruſtra hic quæritur JESUS. Quia ſponſa non invenit dilectum in lectulo, ait verſ. 2. *Surgam & circumibo civitatem, per vicos & plateas; quæram, quem diligit anima mea. Quæſivi illum, & non inveni*; incidi in vigiles, qui me malè tractarunt, &c. Errant iterum cum ſponſa, quicunque CHRISTUM quærunt in plateis, in tumultu, in aulis, &c. Tres Magi, poſt paucos dies natum Puerum non invenient Jeroſolymis, in palatio Herodis; ſed in ſtabulo; non inter proceres, ſed bovem & aſinum.

§. 2. Ubi ſponſa fruſtrà quæſiverit Dilectum ſuum.

Mirabilis

Digitized by Google

§. 3. *Ubi Deus non reperiatur.*

Mirabilis eſt Deus noſter? ſapor eſt ſuper omnem ſaporem, ſed non invenitur in cibis. Eſt DEUS noſter delectatio ſuper omnem delectationem; ſed non invenitur in carne & voluptatibus. Eſt Deus noſter lux ſupra omnem lucem, ſed non invenitur in ſplendore hujus mundi. Plane Theſaurus eſt Deus noſter, non tamen invenitur in divitiis, nec in propatulo, ſed in angulo, inter rudera in paupertate! Verùm in exordio immergo me materiæ totius Concionis, in aliud tempus deſtinatæ. Proinde pedem revoco ad alia.

§. 4. *Concionis propoſitio.*

Maria perditum infantem hodie reperit in templo, in quo Puer duodennis velut in domo Patris ſui per triduum perſeveraràt in orationibus, in explicatione Scripturæ, in piis colloquiis, & aliis ſanctiſſimis occupationibus. Quo nos inſtruere voluit, templa non eſſe ædificata ad fabulas, aut nugas; non ad diſcurrendum & negotiandum; non ut ſint locus gravium peccatorum, ſed ut Deus in illis peculiari modo, per ſacrificia & orationes, & auditionem verbi Dei, per hymnos & cantica glorificetur. Quàm enormiter in hoc peccent hodie Chriſtiani, quantumque Deus illis ſceleribus, quæ in locis ſacris committuntur, offendatur; hâc Concione audietis. Attendite!

§. 5. *Dictum Marci Aurelii Imper.*

Ad annum Chriſti 178. refert Baronius. Marcus Aurelius Imperator, cùm Palæſtinam pertranſiret, Ægyptum petens, tumultuantium Judæorum querelis & vitiis offenſus, exclamavit: *O Marcomanni! O Quadi! O Sarmatæ! tandem vobis deteriores inveni!* Quæ verba doctiſſimus Card. Baronius, hæc verba paucis immutans ait: *O Judæi! O Turcæ! O Barbari! tandem vobis nequiores reperi*; & quidem Chriſtianos, imò Catholicos. Obſtupui hæc legens, & cogitavi; quinam erunt illi, quos tantus vir vocat nequiores Judæis & Turcis: Si autem alicui placent, hiſtoriam illius anni apud Card. Baronium percurrere, reperiet, illum agere contra Chriſtianos & Catholicos, qui in templis & ædibus Deo ſacratis fabulantur, rident, nugantur, & aliis enormibus ſceleribus Divinam Majeſtatem in locis ſacris offendere non verentur, non ſine cauſa poſſe nominari Turcis nequiores.

Si

Si Hiſtoricis credimus, in hodiernum diem Conſtantinopoli duo ſcelera habentur pro inexpiabilibus, nimirum blaſphemia, & fabulæ in Moſchæis; adeo, ut conſtituti ſint, qui fabulantes confeſtim verberibus bene mulctatos, inde ejiciant; meritò exclamare poſſumus; O Turcæ! O cives Conſtantinopolitani; apud Chriſtianos, etiam Catholicos, imo Eccleſiaſticos ſunt vobis nequiores; qui in ſanctiſſimis locis non fabulantur tantum, ſed alia etiam infanda committunt ſcelera. Gentiles & Ethnici agnoverunt, templis, aris & delubris Deorum deberi peculiarem cultum & reverentiam. Ideo ait Cicero l. 1. de legibus: *Ad divos adeunto caſtè pietatem tenento: Si quis ſecus faxit, ipſe Deus erit vindex.* O Cicero! O gentiles! O Romani! hodie ſunt deteriores vobis, qui non magnopere curant, quâ reverentiâ verſentur in templis; etiam illis, in quibus unus, verus Deus colitur & adoratur.

§. 6. Quidam Chriſtiani ſunt nequiores Turcis.

Ingens in hoc fuit zelus S. Joannis Chryſoſtomi. Cùm aulici & proceres Imperatricis Eudoxiæ, ejus honori ante fores templi, in excelſa columna, argenteam ſtatuam, cum choreis & ſaltibus, inter perſtrepentes lituos erexiſſent, ideoque, qui in templo erant, in devotione turbarentur, vir ſanctus, ſine metu oſtendit ſe zelatorem pro domo Dei: nam contra aulicos & proceres, contra ipſam Imperatricem, tam peroravit acriter, ut in exilium fuerit delegatus. Alias, ob eandem cauſam ingentem metum & terrorem incuſſit urbi Antiochenæ. In dictione quâdam abreptus fervore, hanc quæſtionem propoſuit: *Quot eſſe putatis in civitate noſtra, qui ſalvi fiant?* Hæc dicens, obmutuit, & cum eo copioſum Auditorium, tandem reſpondit: *Infeſtum eſt, quod dicturus ſum, dicam tamen; non poſſunt in tot millibus centum inveniri, qui ſalventur; quin & de his dubito.* Quid hoc, in urbe tam vaſta, tam populoſa, tam pauci ſalvabuntur? ex mille vix unus? Certè S. Chryſoſtomus auſus fuit talia dicere; & inter alias cauſas, inter gravia illius ſæculi ſcelera, primo loco numeravit, incredibilem cultus Divini negligentiam, fabulas, nugas in templis, & inſignem petulantiam in locis ſacris. [Vide apud S. Chryſoſt. in T. 3. ſer. de Euchariſtia.]

§. 7. Acres mina S. Chryſoſt.

Digitized by Google

§. 8. *Apoſtrophe ad S. Chryſoſtomum.* O S. Chryſoſtome! quàm bene ſtringis aureum tuum, & ſimul ferocem calamum! meritò illum acuiſti, unà cum aureâ linguâ! meritò excandeſcis in temporis tui mores! at ſi noſtro hoc ævo viveres; quid ſcriberes obſecro, vel quid diceres? Si videres in Eccleſiis noſtris illos laſcivorum oculorum nictus, quid ſi audires colloquia illa infanda,? &c. O S. Chryſoſtome quid diceres? Si videres, quæ in Eccleſiis noſtris paſſim fiant ſcandala; quæ perpetrentur ſacrilegia? quales offerantur victimæ? ſine dubio exclamares: *O rem horrendam, &c. quomodo Deum placare poterimus!*

§. 9. *Acriores adhuc minæ ejuſdem Viri ſancti.* Incrementa ſumpſit juſta ira S. Chryſoſtomi, cùm admirabundus dixit, non aureo, ſed igneo ore. *Nonne mirandum eſt, quod fulmen non torquetur in iſtos ſceleſtos N. N. N. ſunt enim fulmine digni.* Et hom. 74. in c. 23. S. Matthæi: *Non miraris, non undique fulmina deferri, non omnia funditus everti? proſtibula factæ ſunt Eccleſiæ, &c.* Ex mente viri ſancti, Divinæ juſtitiæ congruum eſt, ut fulgure miſſo è cœlo, pereant illi, qui peccant in Eccleſiis. Fulminandi ſunt igitur illi in Eccleſiis detractores; fulminandi illi in Eccleſiis rerum novarum & ludicrarum narratores: fulminandi illi, qui ut Venerem colant, Eccleſias ſubeunt. Fulminandi, qui potiorem miſſæ partem garriendo conſumunt. Fulminandi, qui oculos non in Chriſti, Sanctorumque effigies, ſed in puellarum, imò meretricum & adulterarum vultus continuò defigunt. Et certè fulminabuntur! ſerius, ocyus: perinde eſt; Divinæ juſtitiæ fulmen nequaquam evadent.

§. 10. *Proſecutio.* Ut denique appareat, quàm egerit ſeriò in re ſeriâ ſanctus Chryſoſtomus, obſecrat omnes, ut quantum poſſunt, corrigant fabulantes & peccantes in templo; additis graviſſimis minis: *Proteſtor, quod judicium vobis erit, & condemnatio, niſi faciatis - & vos DEO jam trado, ſi quis tumultuantem videns vel loquentem -* [tempore præſertim ſacroſancto Miſſæ] *non ſignificet & corrigat.* Hæc ſanctus Chryſoſtomus, & mihi hodie aliquis vitio vertet, quod illa repetam; cum cauſæ ad manum ſint graviſſimæ; ut nihil dicam, ſed tantum inſinu-

em

Digitized by Google

em de ſacrilegiis ſacrilegorum ſacerdotum. Illi fulminandi ſunt,&c.

Diaconum ſacrilegum ſic olim fuit allocutus, vir in reprehendendis vitiis acerrimus, S. Hieronymus: *Infeliciſſime mortalium; tu ſpeluncam illam, in quâ Filius Dei natus eſt - de ſtupro condicturus ingrederis? Et non times, ne de præſepio infans vagiat, ne puerpera virgo te videat, ne mater Domini contempletur? Angeli clamant, paſtores currunt, ſtella deſuper rutilat, Magi adorant, Herodes terretur, Jeroſolyma conturbatur; & in cubiculum virginis, virginem decepturus ingrederis? Paveo miſer! & tam mente, quam corpore premor, ponere tibi volens ante oculos tuos opus tuum.* Et ego Auditores, & ego contremiſco ponere ob oculos quorundam opera in templis; Nam qualia illa opera? opera tenebrarum, non lucis; Opera mortis, non vitæ? opera diaboli, non CHRISTI; opera gentilium, non Chriſtianorum. Qualia opera? quæ vix domi audent intra privatos parietes cogitare, hæc in ipſis Eccleſiis non timent perpetrare. Væ illis, cum illa aliquando dies illuxerit, quâ unusquisque recipiet ſecundum opera ſua.

§. II. *Invectiva S. Hieronymi in ſacrilegum Diaconum.*

Non irridetur his operibus DEUS; juſtus illorum vindex eſt; punit commiſſa ſcelera in locis ſacris, publicis & graviſſimis pœnis, fame, peſte, bello, provinciarum regnorumque devaſtationibus. Levitici 10. v. 2. Filii Aaron ex eo, quod ignem alienum adhibuerunt in thuribulis, dum victimas offerrent, flammis ultricibus correpti ſunt; & quod irreverenter ſe coram DEO geſſiſſent. Quid de illis dicam, quorum corda in Eccleſiis fumant, non calidis ſuſpiriis Divini amoris; ſed ardentibus odii, furorisque in proximum prunis ſuccenſa? quid de illis, quorum pectora infamem luxuriæ memphitim, etiam coram ſanctiſſimo altaris Sacramento, in conſpectu SS. Euchariſtiæ, exhalant? O qualia ſacrificia! qualia thuribula! qualia incenſa! ex quibus aſcendit fumus, non aromatum, ſed ſcelerum. Aſcendit certè ille fumus ad thronum Agni, non ut clementiam exoret, ſed ut vindictam & ultrices flammas extorqueat.

§. II. *Filii Aaron, quomodo & quare puniti.*

Digitized by Google

§. 13. *Abominationes templorum.*

Legite caput 8. Ezechielis, ubi ait Dominus v. 6. *Fili hominis, putaſne, vides, quid iſti faciant? abominationes magnas, quas domus Iſrael fecit hic;* Nimirum in templo; aliqui altari verterunt terga; aliqui thura libarunt idolis; alii planxerunt Adonidem, &c. Graviores longè abominantiones fiunt hodie in Eccleſiis ab ipſis Chriſtianis; non coram arcâ, ſed, quod jam deploravi, in conſpectu ſanctiſſimi Sacramenti. Si ullibi peccant oculi laſcivi, peccant in templis. An non abominatio? ſi ullibi detrahitur famæ proximi, detrahitur in templis. Si ulli proferuntur inepta, abſurda, turpia, imò etiam blaſphemiæ, & juramenta falſa, & imprecationes, proferuntur in templis: an hæc ſcelera, hoc loco commiſſa, non ſunt abominationes? ſi ullibi thronum ſuum fixit ſuperbia, veſtiumque luxus & arrogantia; fixit in templis: ſi ullibi invidiæ regnum floret, floret in templis. Sacrilegæ confeſſiones & communiones, abominationum omnium abominationes peſſimæ committuntur in templis. Unicum adhuc deſideratur gulæ vitium, quod ubi etiam in ſacras ædes fuerit invectum, jam noſtræ Eccleſiæ omnium erunt ſordium, ſcelerumque metropoles.

§. 14. *Iuſtiſſimus vindex horum ſcelerum eſt Deus.*

Nunc advertite conſequentiam, quam in eodem capite fecit Dominus, poſtquam de abominationibus templi fuit conqueſtus: *Ergo & ego faciam in furore; non parcet oculus meus, nec miſerebor: & cùm clamaverint ad aures meas voce magna, non exaudiam.* Repetit hæc per Jeremiam c. 51. v. 11. *Acuite ſagittas, & implete pharetras. Suſcitavit Dominus ſpiritum Regem Medorum, & contra Babylonem mens ejus eſt; ut perdat eam, quoniam ultio Domini, ultio templi ejus.* Quis ſcit, an diuturna bella, quibus dilecta noſtra conflagravit Germania, non fuerint ultio templorum Domini? Et certè ſi res penitius inſpiciatur; ſi conſideretur, quænam [præter commemorata ſcelera] ſi conſideretur, quæ ſit cura redituum; quis uſus ſacrorum proventuum; quæ ratio fundationum à piiſſimis olim majoribus factarum; quid niſi abominationem in pluribus locis videbimus? Equidem, ut meam hac de re eloquar ſententiam, candidè dico, quod candidè ſentio; malè vereor, ne quam Dei vindictam ſuperioribus annis,

Digitized by Google

nis,ex neglectu potiſſimum templorum cultusque Divini, in nos concitavimus,rurſus irritemus. Male vereor, ne iterum tendat arcum ſuum,cum ſagittis,Divina,quam ſic ridemus,Majeſtas.

Danielis 5. v. 25. quamprimum Balthaſar Rex calices templi profanavit, præbibens illos meretricibus; apparuit terribilis manus, quæ in pariete ſcripſit ſententiam mortis & æternæ damnationis. Calix Domini & calix ſanguinis Chriſti; Cavete ſacrilegi Sacerdotes, ne dum illum profanitatis, dum impuris labiis ſugitis Divinum illum cruorem, ſtatim manus vindicis Angeli contra vos ſcribat ſententiam, quæ deleri non poterit, niſi vel eodem ſanguine & lachrymis contriti cordis, vel ignibus & flammis æternis. *§. 15. Aliæ minæ, præſertim contra ſacrilegos Sacerdotes.*

Audiamus itaque mandata Domini, Levit. c. 19. v. 30. *Sanctuarium meum metuite; ego Dominus.* Cap. 26. v. 2. *Pavete ad ſanctuarium meum.* Quivis ingreſſurus templum, dicat cum Davide Pſ. 5. v. 8. *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum ſanctum tuum, in timore tuo.* Hic timor cauſabit ſilentium. Pſ. 64. v. 1. *Te decet hymnus Deus in Sion.* Alii legunt: *Tibi ſilentium, laus, &c.* *§. 16. In timore oportet nos ingredi Eccleſias.*

Hic timor faciet, ut in templis ſimus memores exterioris reverentiæ, quam debemus Deo, nobis ibi præſenti: De Salomone ait l. 3. Reg. c. 8. v. 54. *Cùm compleſſet Salomon orans Dominum, ſurrexit de conſpectu altaris* Domini; *utrumque enim genu in terram fixerat.* 2. Paralip. c. 6. v. 13. *Fecerat Salomon baſin aneam, ſtetitque ſuper eam, & deinceps flexis genibus contra univerſam multitudinem Iſrael, & palmis in cœlum levatis, ait: Domine Deus Iſrael, &c.* De tribus Magis per hanc Octavam legimus: *Et procidentes, adoraverunt eum.* Conſiderate, an talia faciant hodie in templis Chriſtianorum? Non Monarchæ & Reges [vidi meis oculis Philippum IV. magnum Hiſpaniarum Regem, profundiſſimâ genuum flexione, in tranſitu altaris, adorare SS. Sacramentum] non inquam Monarchæ & Reges, &c. ſed Nobiles, Doctores, Scribas, &c. An non potius de multis dici poſſit, illos facere quod fecerunt, qui Chriſto illuſerunt in ſpineâ coronatione, Matth. 27. v. 29. *Et genuflexo ante eum, illudebant ei;* Dum totâ fere miſsâ fabulantur, dum circumſpiciunt, dum rident, do- *§. 17. Requiritur à nobis in templis reverentia exterior.*

 nec

§. 18. *Quomodo vel quales debeamus ingredi Eccleſias.*

necad pulſum elevationis projiciant chyrotecam in terram, ut uno poplite flexo, ceu novi Judæi Chriſto illuſuri, neſcio quid ſubmuſſitent. Vix elevatam viderunt Hoſtiam, mox garritur ut ante, ridetur ut ante.

Lib. 2. Paralip, c.7. v. 16. ait Dominus: *Elegi & ſanctificavi mihi domum iſtam, ut ſint oculi mei aperti, & aures meæ erectæ ad orationem, &c. ut ſint oculi mei & cor meum ibi jugiter.* Utinam & nos apertis oculis & erectis auribus ingrederemur Eccleſias; utinam! quam diu ibi moramur, ad laudandum Deum, ad recitandas preces, ad peragenda Divina myſteria, oculi quoque, & cogitationes noſtræ, & affectus, & corda eſſent ibi: Id quod Nilus Abbas ſuaſit: *Eccleſiam ut cœlum adi; & nihil in ea aut loquere, aut age, quod terram ſapiat.* Teſte eodem Nilo, cùm S. Ambroſius aliquando legeret Sacrum, innumeri Angeli in ſpecie formoſorum juvenum, deſcendentes de cœlo cinxerunt Altare, ſplendidis amicti ſtolis, candidisque veſtibus inſignes, nudis pedibus, intentis itentidem oculis in Altare, &c. dùm tales in templis comparent Angeli, nos, quales in iisdem eſſe oporteat, informant. Amicti ſunt albis veſtibus, ut nos cum puritate, atque innocentiâ vitæ coram Dei throno in templis ſiſtamus. Nudis ſunt pedibus, ut nos exuamus, ſi quid pravorum in nobis reſidet affectuum. Oculos in aram defigunt; ut nobis demonſtrent, quid in templis ſpectandum, quid cogitandum, quid denique ſit amandum.

CON-

y Google

CONCIO VII.

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

Nuptiæ factæ ſunt Canæ in Galilæa,

Joan. cap. 2. verſ. 1.

SYNOPSIS CONCIONIS.

FElicitas alicujus matrimonii; pendet I. à conjugali caſtitate. II. à pace, amore, unione & concordia. Hæc duo fuſius proponit hæc Concio.

§. 1. *In matrimonio veluti horto, creſcunt flores, ſed inter ſpinas.*

§. 2. *Felix matrimonium exigit conjugalem caſtitatem, & pacem atque concordiam.*

§. 3. *Proſecutio.*

§. 4. *Teſtimonium Sapientis.*

§. 5. *Sanctus Paulus à conjugatis exigit caſtitatem & puritatem.*

§. 6. *Invectiva in viros cholericos.*

§. 7. *Invectiva in malas uxores,*

§. 8. *Curioſa & lepida quæſtio de uxore Jobi.*

§. 9. *Alia deſcriptio malæ mulieris.*

§. 1. In matrimonio veluti horto, creſcunt flores, ſed inter ſpinas

SAnctus & Deo beneplacens ſtatus eſt matrimonium; ſed ſuis moleſtiis & difficultatibus non caret. Hortus eſt in agro Eccleſiæ, in quo perquam elegantes & odoriferi creſcunt flores & lilia; lilia ſunt liberi, ſi bene educentur; lilia ſunt virtutes piiſſimorum conjugum; Creſcunt & roſæ in hoc viridario, ſed non ſine ſpinis: ſpina eſt pauperies: ſpinæ ſunt morbi: ſpinæ ſunt morigeri filii; ſpinæ, quotidianæ curæ & ſollicitudines ad rem domeſticã adminiſtrandã. Ecce quàm bene Deus dixerit Evæ,

Evæ, Geneſis 3. v. 16. *Multiplicabo ærumnas tuas, in dolore paries filios.* Adamo verò: *In laboribus & ſudore vultus tui comedes de terra: ſpinas & tribulos germinabit tibi.* O quot in matrimoniis ſunt Evæ! quot Adami! & proinde merito pii conjuges ſolliciti ſunt, ut media conquirant, quibus inter matrimonii flores & ſpinas, vitam poſſint vivere beatam atque tranquillam. Et ecce, optimum ſuggerit medium hodiernum Evangelium, amorem JESU & Mariæ! O felices conjuges, quibus per gratiam præſentes ſunt Jeſus & Maria! De his ago alibi. Hâc Concione ſuadeo omnibus conjugatis I. Conjugalem caſtitatem. II. Pacem, amorem & unionem. In his velut cardinibus omnis matrimonii felicitas verſatur.

§. 2. *Felix matrimonium exigit conjugalem caſtitatem; & pacem.* Ut vita mariti atque uxoris in conjugio ſit ſancta, & Deo beneplacens; ut matrimonium aliquod felix evadat & fortunatum; neceſſe eſt, ut de illo dici poſſit, quod Regius Pſaltes Pſ. 147. v. 1. de urbe Jeroſolyma pronuntiavit: *Lauda Jeruſalem Dominum, lauda Deum tuum Sion: quia confortavit ſeras portarum tuarum - qui poſuit fines tuos pacem.* Duo encomia eximia Sionis continet hic verſus; alterum, quod portæ bene fuerint munitæ: alterum, quod incolæ in ſummâ vixerint pace atque concordia. Eadem requiro in ſancto matrimonio: clauſas volo portas, ne pateant alienis, & pacem volo. Portas claudit conjugalis caſtitas; pacem conſervat caſtus amor, & animorum conjunctio. Utrumque conjugatis ſuaſit Chriſtus Dominus Marci 9. v. 51. *Habete in vobis ſal, & pacem habete inter vos.* Quæ verba ſic explicavit Gotfridus: *Sal caſtitatis, ne corpora libidine; pacem charitatis, ne corda diſſenſione ſcindantur: alioquin & illa, cùm putruerint, vermem generat, qui non moritur: & iſta, ſi in Deum, vel in ſe invicem collidantur, ignem emittunt, qui nullatenus extinguitur.* Tales vermes ſunt ſuſpiciones, ſiniſtræ interpretationes, temeraria judicia, diffidentia, rixæ, objurgationes, verbo, zelotopia; nunc in corde uxoris erga maritum, nunc in corde viri erga uxorem: Sed omnes hi vermes naſcuntur ex defectu conjugalis caſtitatis; eſt v. g. maritus, cujus oculi blandiores ſunt ancillæ, quàm conjugi; qui cum fœminis alienis hæret in popinis in multam

Digitized by Google

multam noctem; interim ſeræ & portæ domus ſunt apertæ; ludit, commeſſatur maritus; uxori interim & liberis domi non eſt panis, quem rodant: maritus foris convivatur & helluatur; domi famem patitur uxor; maritus conſumit tempus ludendo, uxor flendo: maritus de alenda prole & familia non cogitat, totum incumbit onus uxori. Ecquid miramur, ſi in corde talis uxoris putridi naſcuntur vermes. Si verò ſit conjugata in converſatione, in fabulis, in epulis alienis maritis familiarior, procax, impudens; Si ſit uxor, cujus oculi, & frequentius, & faventius, vel in famulum, vel pædagogum vel Clericum flectuntur, quàm in maritum proprium. Si ſit uxor, quæ abſente viro non claudit portas, &c. Sine dubio in corde mariti naſcentur vermes, qui matrimonii pulcherrimam arborem miſerè corrodunt: ſale ergo caſtitatis opus eſt, quo vermes hi enecentur.

O ſi Juditham, non tantùm viduæ, ſed & conjuges æmularentur, de qua dicit v. 5. cap. 8. Judith. *In ſuperioribus domus ſuæ fecit ſibi ſecretum cubiculum, in quo cum puellis ſuis clauſa morabatur - & erat eleganti aſpectu nimis.* Judithæ exemplo claudenda eſt porta. Uxor quæ caſta eſt, clauſa eſt, non vagatur foris, cui curæ eſt conjugalis honor pudicitiæ. Includitur caſtum corpus, ut caſtus conſervetur animus: illius honor periclitatur, cujus curioſitas hinc inde per vicos & plateas vagatur. Hæc de ſale conjugalis caſtitatis; ſi vero deſit pax, ſi ſciſſa corda invicem collidantur, ignis exilit, qui non facile extinguitur; ignis rancoris! ignis iræ! ſcintillæ imprecationum, convitiorum, blaſphemiarum. Hos ignes in felici matrimonio extinguit conjugalis unio & concordia. O conjugati, laudate Deum, ſi portæ veſtræ confortatæ ſunt ſeris caſtitatis; ſi Deus fines veſtros poſuit pacem, & pacificum amorem. *§. 3. Proſecutio.*

De utroque ait Sapiens cap. 4. v. 1. *O quam pulchra & caſta generatio cum claritate.* LXX. habent, *cum virtute.* Alii, *cum charitate, ſive pace.* Galfridus, *Caſtitas & charitas faciunt hanc pulchritudinem.* [in matrimonio] *ſine alterâ, corpus in putredinem diffluit; ſine altera vero animus inextinguibilem ſibi flammam de ardore ſuæ obſtinationis accendit.* Infauſtiſſimæ fuerunt omnes nuptiæ, *§. 4. Teſtimonium Sapientiæ.*

Digitized by Google

quas ſeptem viri contraxerunt cum Sara; omnes enim prima nocte interfecit diabolus. Cauſam aperuit Archangelus Raphael Tobiæ c. 6. v. 17. *Qui conjugium ita ſuſcipiunt, ut Deum à ſe & ſua mente excludant, & ſua libidini ita vacent, ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus, habet poteſtatem dæmonium ſuper eos.* Quis ſcit Auditores, an non in hac quoque urbe inveniantur conjuges, qui à ſuâ mente Deum dimittunt, & admittunt Aſmodæum. Infelix connubium, cui impurus amor impuris facibus prælucet, in quo brutorum inſtar [perinde ac ſi omnia in hoc ſtatu licerent, quæ libent] agitur & vivitur. Revoco pudicum calamum, & linguam cohibeo, ne caſtas piorum aures feriam! ſatis eſt, quod intelligar. Habet & ſuos limites, terminosque conjugalis honeſtas & caſtitas; quos prætergredi, nefas eſt. Cavere!

§. 5. *S. Paulus à conjugatis exigit caſtitatem & puritatem,*

Conjugium verò Tobiæ cum eadem Sara fuit fauſtiſſimum, quia virginem cum timore Domini accepit, amore filiorum magis, quam libidine ductus, ut in ſemine Abrahæ benedictionem in filiis conſequeretur. Hanc puritatem 1. ad Timoth. c. 2. v. 8. à conjugatis exigit S. Paulus, his verbis: *Volo viros orare in omni loco,* [hoc eſt, volo eſſe deditos orationi] *levantes puras manus.* D. Chryſoſt. id eſt: *Non aquâ lotas, ſed cupiditate mundas. Similiter & mulieres in habitu ornato, cùm verecundiâ & ſobrietate.* Septuaginta legunt: *Cùm pudicitia. Sine quâ,* [Clemens Alexandr. l. 2. pædag. c. 10.] *conjugalis amor, exiguo floret tempore, & cum corpore conſeneſcit; amantium enim corda ſine caſtitate ſunt volucria: amoris incitamenta extinguuntur ſæpe pœnitentia, amorq; vertitur in odium.* Quocirca conjugalis requiritur caſtitas, ut conjugium ſit felix.

§. 6. *Invectiva in viros cholericos, &c.*

Pacem neceſſario requiſitam turbant viri cholerici, truces, blaſphemi, bibuli, &c. præcipuè fœminarum percuſſores; de quibus D. Chryſoſt ait hom. 26. in ep. 1. ad Corinth. *Vxorem verberare, eſt extrema contumelia: ejusmodi virum inſtar parricidæ ego duxerim.* Adeſtum uxores, aureas referte gratias viro aureo Chryſoſtomo, qui tam auream, veſtro favori, bonoque ſententiam edixit. Ite, & hæc S. Patris verba memoriæ mandate; repetite illa, canite & præcinite veſtris maritis, ut quid ſit, verberibus uxorem

afficere,

Digitized by Google

afficere, quàm fœdum turpe, quàm honeſto viro indignum, quàm contumelioſum, imò extrema contumelia ipſa condiſcant.

Verùm bene quærit S. Chryſoſtomus l. de virg. c. 40. *Quid ſi vir moderatus eſt, uxor verò nequam, maledica, loquax, & quod commune eſt mulierum, præſumptuoſa, multisque aliis imbuta vitiis fuerit?* Hoc ſequitur; talis uxor infauſti matrimonii eſt cauſa. Talis fuit uxor Phenennæ, de qua ait l. 1. Reg. c. 1. v. 6. *Affligebat eum æmula ejus, & vehementer angebat, in tantum ut exprobraret per ſingulos annos.* Hebræi & Chaldæi ſic legunt: *Adverſatrix, anguſtiatrix.* O quot Phenennas alit hic orbis, imo [ſi dicere palam audeam] hæc civitas! O quot adverſarias, quot anguſtiatrices! adverſatrix, illa eſt fœmina, quæ nullâ in re marito cedere cogitat. Adverſatrix eſt, quæ illi in plerisque, etiam licitis, etiam neceſſariis contradicit. Adverſatrix eſt, quæ in mutuo verborum, vel potius jurgiorum prælio & certamine ſemper marito vult palmam præripere; non tacendo, ut oportet, ſed obloquendo. Adverſatrix eſt, quæ quidquid ſcit diſplicere marito, in contemptum illius atque exacerbationem, vel facit, vel loquitur. Tales uxores ſine dubio ſunt, ut S. Maximus ſer. 39. loquitur: *Quietis naufragium & impedimentum.* Præſertim ſi eò procedat audacia, ut *exprobrent*, ut *calumnientur*, vel ut alii legunt, *provocent*, non per ſingulos dies, ſed per ſingulas horas. Tales uxores ſine dubio luculentam præbent viris patientiæ materiarum.

§. 7. *Invectiva in malas uxores.*

Homilia 5. de patientia Jobi S. Chryſoſt. jucundam propoſuit quæſtionem: *Eccur*, inquit, *uxorem Jobi cum liberis non extinxit diabolus?* Non ignoratis, quæ fuerint glorioſæ hujus pugnæ præludia: Scitis, quas paſſus fuerit calamitates patientiſſimus heros! conſtat abacta pecora, dejectas ædes, exuſta horrea, direptas pecunias, fatali caſu oppreſſos liberos. Et quæ non ſtratagemata adhibuit ſtygius ille veterator, ut conſtantem Jobi animum è ſuo fortitudinis, ac patientiæ throno deturbaret? at fruſtra omnia; At cur non etiam uxorem abripuit? Reſpondeo cum S. Chryſoſt. *Non ſuſtulit illam ſathanas, quoniam videbat, magna ſe cum illa operaturum ad Jobi inſidias.* Cogitate, an non hodie eadem quæſtio locum habeat, cur diabolus non auferat tot peſſimas uxores; diabolus per illas operatur magna ad interitum, non tantùm ma-

§. 8. *Curioſa & lepida quæſtio de uxore Jobi.*

riti, ſed multarum animarum: per illas Satanas maritos trahit ad blaſphemias, ad imprecationes, &c. per illas, &c. [eſt locus pro invectiva, accommodandâ loco & auditorio] Vicit nihilominus patientia Jobi. S. Chryſoſt. *Job omni lapide & adamante durior & tolerantior, cùm patrimonium amitteret, malaque innumera ſuſtineret; cùm ſubitò numeroſâ ſobole eſſet orbatus, cùm quaſi fontem quendam vermium toto videret corpore bullientem, ſupraque hæc, uxorem ſibi moleſtius imminentem, ſuperavit.* Sed quid ſi viris deſit hæc patientia? hinc rixæ, hinc jurgia; hinc infauſta matrimonia.

§. 9. *Alia deſcriptio malæ mulieris.* Et eò quidem magis, ſi uxores tales ſint, quales deſcribit idem S. Chryſoſtomus l. de virg. c. 53. *Eſt ſuperbum mulierum genus, & perturbationibus expoſitum; & cùm ſuperbiæ occaſionem habent, non poſſunt in officio contineri; ſed ſicut ubi ſylva ignem conceperit, flamma fertur in altum; ſic elatæ ordinem pervertunt, dominatum in viros occupant.* Taceo convitia & contumelias; nihil illis intolerabilius; Talis uxor videtur fuiſſe filia Pythagoræ; qui rogatus, cur illam inimico deſpondiſſet, reſpondit: *Quia nihil ei dari poterat deterius.* Alius Philoſophus interrogatus, cur malam & convitiatricem uxorem ita ſuſtineret, reſpondit: *Ut domi habeam palæſtram, & gymnaſium patientiæ.* Sed quid ſi hic floſculus non creſcat in horto viri? hinc tribuli & ſpinæ, hinc infauſta matrimonia.

§. 10. *Ipſa vipera docent uxores, quales eſſe debeant erga maritos.* Præclarè ſuadet S. Ambroſius [l. 5. Hexam c. 7.] uxoribus, ut imitentur viperam, de qua ait, *Vipera abſentem requirit, abſentem vocat, & blando proclamat ſibilo; atque ubi adventare comparem ſenſerit, venenum evomit, reverentiam marito deferens.* Hæc facit vipera; aliud faciunt uxores viperis nequiores; adventante marito, forte ex templo, quale ſpuunt venenum, qualia convitia? quibus oculis aſpiciunt miſeros maritos; cum viperæ, cum beſtiæ aliud illas doceant, nimirum humanitatem & affabilitatem. *Sed etiam tu vir* [pergit S. Ambr.] *depone tumorem cordis & aſperitatem morum, cum blanda conjux ad charitatem provocat. Non es Dominus, ſed maritus; non ancillam ſortitus es, ſed uxorem: gubernatorem te Deus voluit eſſe ſexus inferioris; non præpotentem; redde ſtudio vicem, redde amori gratiam.*

Uxorem

igitized by Google

Uxorem opto eſſe memorem verſus 24. capitis 36. Eccleſiaſtici, poſtquam dixit: *Species mulieris exhilarat faciem viri ſui*; ſubdit v. 25. *Si eſt lingua curationis, & mitigationis & miſericordiæ, non eſt vir illius ſecundum filios hominum.* q. d. ſi in uxore ad pulchritudinem accedat lingua prudens, blanda & gratioſa, quæ ſuâ gratiâ norit curare omnes viri & familiæ moleſtias,&c. Si inſuper accedat lingua mitigationis & miſericordiæ, quæ ſcilicet viri iras, mœrores, acerbitates norit mitigare, & ad miſericordiam benignitatemque inflectere, tunc ſanè vir, ſive maritus illius, non eſt ſimilis aliis hominibus, ſed omnes ſuperat, & eſt fortunatiſſimus. Græca lectio habet: *Si in lingua* ejus, id eſt uxoris, *eſt miſericordia, & manſuetudo & curatio, ſive facultas curandi, non eſt vir,&c.* Tigurina: Si linguæ ejus ineſt comitas, lenitas & ſalubritas; maritus ejus non eſt comparandus filiis hominum. Nota hic tres inſignes dotes alicujus uxoris, quæ data eſt à Domino. I. eſt, ut in ore ejus æque, ac in corde reluceat miſericordia; ut virum, filios, ſervos ſoletur, ſuſtentet, ſublevet. II. eſt lenitas & manſuetudo erga omnes. III. Gratia loquendi & agendi; quâ iras, rixas & omnes exortas moleſtias noverit lenire, curare, conciliare. Has dotes habuit Abigail, cum humillimo & gratioſo ſermone placavit Davidem, ne occideret virum ſuum Nabal. Tales dotes habuit Regina Eſther erga Regem Aſſuerum [vide lib. Eſther,&c.] §. 11. *Tres eximiæ dotes bonæ conjugis.*

Sed tandem extremum vos alloquor, quotquot hic adeſtis Chriſtiani conjuges. Pacem, pacem! amorem! concordiam, concordiam obſervate. Cum caſtitate & pace ſtatus veſter erit Paradyſus; ſine illis, infernus. Proinde vitam, ſi necdum cœpiſtis ſanctam, caſtam, pacificam, hoc eſt, piorum conjugum, incipite. §. 12. *Brevis Epilogus.*

CONCIO VIII.

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

Domine, ſi vis, potes me mundare,
Matth. 8. verſ. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponit aureas praxes, & nobiliſſimos actus reſignationis, quibus orare poſſumus hanc leproſi oratiunculam: *Domine, ſi vis, potes me mundare.*

§. 1. *Exordium & propoſitio.*
§. 2. *Exempla ferventer orantium hanc oratiunculam S. Gertrudis.*
§. 3. *Seraphici S. Franciſci.*
§. 4. *S. Catharinæ Senenſis.*
§. 5. *S. Thereſiæ.*
§. 6. *Religioſi Anonymi, & S. Henrici Suſonis.*
§. 7. *Vt ſimiliter nos oremus.*
§. 8. *Vt ita animæ noſtræ liquefiant ad vocem dilecti.*
§. 9. *Quod ſimili explicatur.*
§. 10. *Proſecutio.*
§. 11. *Quomodo cor Sauli fuerit liquefactum ad omnem nutum Divinæ voluntatis.*
§. 12. *Actus eximiæ reſignationis.*
§. 13. *Reſignatio Davidis in Divinam voluntatem.*
§. 14. *Dicta gentilium de hac reſignatione.*
§. 15. *In tribulatione I. fuge ad Deum, non ad creaturas.*
§. 16. *Tace.*
§. 17. *Aſtringe te Deo.*
§. 18. *Humilitas & fiducia ſunt duo fortiſſima brachia, quæ nos ſtringunt Deo.*

§. 1. *Exordium & propoſitio.*

IN exordio alterius, quàm alias hodiernâ Dominica habui Concionis, moneo meos Auditores, horum verborum, quibus leproſus in hodierno Evangelio à Chriſto D. petiit mundationem lepræ, *Domine, ſi vis, potes me mundare:* & illorum, quæ S. Paulus fulmine de cœlo, ex equo dejectus in terram, protulit,

Digitized by Google

tulit, *Domine, quid me vis facere?* Act. 9. v. 6. Et illorum Davidis, *Paratum cor meum Deus*: illorum, quæ Chriſtus D. in monte Oliveti, in conſpectu Calicis Paſſionis, oravit ad Patrem; *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte; veruntamen non mea, ſed tua fiat voluntas. Pater ſi vis, transfer à me calicem iſtum*; omnium inquam horum verborum & ſuſpiriorum, & oratiuncularum idem eſt ſenſus, quibus leproſus, Saulus & David, profeſſi ſunt, ſe eſſe promptos paratoſque ad conformandum ſe in omnibus voluntati divinæ. Chriſtus D. verò oſtendit cor ſuum paratum, exequi in omnibus, etiam difficillimis, voluntatem Patris, ad noſtram inſtructionem, quam Origines his verbis nobis propoſuit, atque ad imitationem leproſi, Sauli, Davidis & Chriſti Domini nos animavit. *Non debemus orare, ut Deus noſtram faciat voluntatem, concedendo nobis id, quod deſideramus; ſed potius ei ſupplicare debemus, ut nobis ad voluntatem ſuam exequendam, vires & facultatem ſubminiſtret*. Cùm itaque hæ oratiunculæ magnam in ſe contineant perfectionem, & nobiliſſimarum exercitium virtutum, prout alias oſtendi, hâc Concione novam praxin præſcribam, quâ illas poterimus orare. Idque eò libentius cum hodiernâ Dominicâ celebremus feſtum Converſionis S. Pauli, quæ ab hac ſimili oratiunculâ exordium ſumpſit: cum enim jam humi proſtratus audiret vocem: *Saule! Saule! quid me perſequeris?* quæſivit, *Quis es tu?* & vox reſponderet: *Ego ſum Jeſus Nazarenus, quem tu perſequeris*: reſpondit ipſe: *Domine, quid me vis facere?* paratus ad omnem Dei voluntatem; ut jam audietis, cum ſolitâ, prout ſpero, attentione.

Prævia Sanctorum, Sanctarumque exempla auream nos praxin orandi docebunt. Cùm S. Gertrudis lib. 3. Inſin. c. 53. infirma, & ardenti cum febre colluctans, cogitaret, an ſanitati eſſet reſtituenda, nec ne, atque, an ſibi moriendum foret; ſpectandum ſe illi dedit Chriſtus D. dexterâ tenens ſanitatem, ſiniſtrâ morbos, & dixit: *Elige!* Vix hanc voculam ſponſi audivit Virgo, & claudens oculos irruit in brachia Crucifixi, cum ſuaviſſimo ſuſpirio: *Hoc volo, mi JEſu! nec ſanitatem, nec morbos. ſolum cor tuum deſidero, & ut tua voluntas de me fiat!*

§. 2. *Exempla ferventer orantium hanc oratiunculam, Domine, ſi vis! S. Gertrudis.*

Digitized by Google

fiat! Et placuêre dulciſſima hæc verba dulciſſimo cordi Salvatoris.

§.3. *Seraphici S. Franciſci.* Refert S. Bonaventura de S. Franciſco Seraphico. Cùm acutiſſimos pateretur dolores, ſimplex frater laicus illi dixit; *Ora Deum, mi Pater, ut mitius tecum agat*; ſed reſpondit vir ſanctus: *Durius ego tecum agerem, niſi ignoſcerem tuæ ſimplicitati*: & ſtatim proſternens ſe in terram, dixit: *O mi Jeſu gratias tibi ago pro his doloribus! quæſo plures, majores, auctiores, ſi vis! Adimpletio ſanctiſſimæ voluntatis, maxima mea eſt conſolatio.*

§.4. *S. Catharina Sen.* S. Catharina Senenſis frequentiſſimè ſic ſuſpirabat: *Volo quicquid vult Deus: Si in meo corpore ſit gutta ſanguinis, quæ reſiſtat, cupio annihilari*

§.5. *S. Thereſia.* S. Thereſia ſororibus dicere ſolebat: *Omne quod debet intendere, qui ſe dat orationi, eſt conari, in omnibus ſe accommodare & conformare divinæ voluntati; & in hoc, quo quis illi eſt conformior, eò perfectior erit hic in gratiâ, & ibi in gloria; Neque putate*, ajebat, *eſſe alia ſecreta, vel myſteria in acquirenda perfectione.*

§.6. *Religioſi Anonymi & S. Henrici Suſonis.* Admiranda fuit perfectio illius Religioſi, qui dicere potuit? *Duo à Deo peto. I. Ut in me per totam æternitatem impleat ſanctiſſimam ſuam voluntatem. II. Ut in ſummis pœnis, etiam æternis hanc mihi det gratiam, ut nec minima unquam cogitatio contra SS. ejus voluntatem mihi occurrat.* S. Henricus Suſo ex Ord. S. Dominici auſus fuit dicere; Malle ſe eſſe muſcam ex Divinâ voluntate, quàm Seraphinum ex ſuâ.

§.7. *Ut ſimiliter nos oremus.* Si his poſitis ex me quæratis, quomodo cum leproſo hæc verba proferre debeatis, *Domine, ſi vis.* Hæc ſuadeo I. Nihil vos eligite! nec divitias, nec paupertatem, nec morbos, nec ſanitatem, nec longam vitam, nec brevem, ex veſtrâ voluntate; omnia potius voluntati Divinæ committite. II. Clauſis veluti oculis, id eſt ſine murmuratione, ſine querelis, ſine curiosâ indagatione, proruite in manus & brachia Salvatoris; includite vos ſanctiſſimis ejus vulneribus, præſertim dulciſſimi & benedicti lateris & cordis. III. Et ſolum cor JESU deſiderate, id eſt, ſanctiſſimam ejus voluntatem. IV. Cùm ad talia requiratur profunda humilitas, in genua frequenter procumbite, abjicite vos humi coram aliquo

Digitized by Google

aliquo Crucifixo, & Deo agite gratias, pro omnibus, quæ permittit, ſive læta ſint illa, ſive triſtia; ſive adverſa, ſive proſpera. V. In omnibus hæc ſit conſolatio noſtra, & ſolida quies, ſine omni animi perturbatione, ut fiat Dei voluntas; & inter hæc deſideria, ſuſpirate millies, Mi JESU! fiat tua voluntas. VI. Illud amate, quod Deus vult, ſi quæ ſanguinis eſſet gutta, ſi quæ venula, quæ reſiſteret, annihilate: nihil in nobis toleremus, quod Divinæ voluntati audeat reluctari. VII. Cùm ferventer vultis orare, & cum magna perfectione eò tendat veſter conatus, ut in omnibus vos conformetis Divinæ voluntati: In hac conformatione dicite cum leproſo ex animo; clament hoc omnes guttæ ſanguinis, clament hoc omnes fibræ, clament omnes motus arteriarum & cordis: *Domine, ſi vis!* Quò quis in hoc eſt conformior Divinæ voluntati, eò eſt perfectior & ſanctior. VIII. Inflammate, perficite, ampliate frequenter hæc deſideria; adite, ſuſpirate, obſecrate; in brachiis, in ſinu, in vulneribus Salvatoris; ut hæc fiant per totam æternitatem. Denique IX. hanc coronidem imponite tantæ perfectioni; & petite ardenter à Christo Salvatore, ut nobis largiatur hanc gratiam, ut nunquam ne minima cogitatio contra Divinam voluntatem nobis occurrat; ut deſideremus potius eſſe muſcæ ex voluntate Dei; quàm Seraphini ex noſtrâ.

Quiſquis ſic orat, dicere poteſt cum ſponſa ad ſponſum §. 8.
Cant. 5. v. 6. *Anima mea liquefacta eſt, ut dilectus meus locutus eſt.* quaſi diceret: Dilecte mi, vox tua ignis eſt, lingua tua flamma eſt, verba tua prunæ & carbones; cum loqueris, uror, ardeo, diffluo, liqueſco! & quomodo anima poteſt liquefieri, quæ neque cera, neque nix, neque metallum quoddam eſt, ſed ſpiritus? Dicunt interpretes, id fieri propter dulcedinem contemplationis, id fieri in ardentibus precibus; *Cum inter illas in anima ſequitur* [Guerricus Abbas] *prompta voluntas ad omnem nutum ſponſi; ſicuti ad vim ignis liqueſiunt metalla, ut in appoſitas diffluant formas.* Talis fuit anima ſponſæ.

Vt ita animæ noſtræ liqueſiant ad vocem dilecti.

Hailgrinus in Cantica hâc utitur ſimilitudine: Aurifaber §. 9.
in vaſe terreo ſuper prunas imponit aurum; vi flammæ illud ita

Quod ſimili explicatur.

colliqueſcit, ut deinde aurifaber pro libitu illo utatur. Interroga ſi placet ex auro, quid mavelit; an fundi & tundi in formam annuli, ut pretioſo ornetur carbunculo? an in pulchrum malit evadere monile, ut pendeat ex collo Regis. An magis placeat forma crucis? an coronæ, ut ambiat caput Imperatoris? Aurum loqui quidem non poteſt; ſed ſi linguam haberet, diceret: Ego hic diffluo ſuper ignem, ut fluam juxta arbitrium aurifabri; mea parum intereſt, quid me fieri velit, an fiam annulus, vel monile, vel quidvis aliud. Velle meum in manibus magiſtri conſiſtit: ideo ſi aurifaber aurum infundat in formam annuli; fit annulus! ſi in formam coronæ, fit corona, &c. ſi in formam floris, fit flos; ſi in formam cordis, fit cor.

§. 10. *Projectio.* Hoc videtur ſponſa citato loco de ſe dicere voluiſſe. *En!* [ait Hailgrinus,] *poſtquam dilectus locutus eſt, anima ejus exarſit & liquefacta eſt, ſicut liquatum metallum, paratum fluere in formam, quam volet Spiritus S.* Si ſponſus meus volet me pauperem, non recuſo. Si infirmam, non repugno. Si laboribus obrutam, non contradico. Si miſeriis vexatam, acquieſco. Si cœlum obliquo me oculo aſpiciat, ego non turbor, ſed verto me ad ſolam Divinam voluntatem. Si ſim vas gloriæ, ſi ignominiæ, perinde eſt; dummodo gratiâ ſuâ non me deſtituat, promptiſſima ſum, ad conformandum velle meum, velle Divino? Qualem me Deus eſſe vult, talis libenter ero.

§. 11. *Quomodo cor Sauli fuerit liquefactum ad omnem nutum Divinæ voluntatis.* Videre mihi videor Saulum equo vectum, minas ſpirantem & iras, ut extirpet legem Chriſti. Non dubito [ſaltem ita pingitur] ſediſſe in equo armatum, indutum loricâ, caput tectum galeâ, cum ſcuto in ſiniſtra, gladio in dexterâ, &c. O ferreum & æneum virum! ſed dilectus Jeſus paucula verba loquitur ex nubibus: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Momento, vi fulminis de cœlo, vi vocis Chriſti, non lorica, non galea, non ſcutum, non lancea, liquefiunt, ſed anima, ſed cor Sauli, ſed ejus lingua, quæ ſubito fluxerunt in hæc verba: *Domine, quid me vis facere?* quaſi diceret; JESU mi quid prætendis? vis ut deſeram infidelitatem? volo. Vis, ut literas Synagogæ de extirpanda lege tua dilacerem? volo. Vis, ut ego fiam præco legis tuæ? volo. Vis,

Digitized by Google

ut ſanguine ſubſcribam? volo. Verbo, paucis de cœlo verbis cor Sauli totum fuit liquefactum, paratum fluere ad omnem nutum Divinæ voluntatis.

§ 12. *Actus eximiæ reſignationis.*

Jam quæſtioni initio propoſitæ, quomodo hodiernam oratiunculam perſolvere debeamus, iterum poſſum reſpondere. Et noſtra corda liquefieri debent: cogitemus illa eſſe impoſita ardentibus prunis Divini amoris; cogitemus jam eſſe liquefacta, Ecce formam paupertatis! quid ſi Deus velit in illam te fluere? Dic, *Domine, ſi vis*! Ecce formam ignominiæ? quid ſi Deus velit te delabi in illam? Dic, *Domine, ſi vis*! Ecce formam diuturnioris morbi! quid ſi illâ uti velit Deus ad effigiendam animæ tuæ imaginem, ut fiat conformis imagini Chriſti? Dic, *Paratum cor meum Deus*! Dic, O mi Jeſu! *fiat*, quod tu vis! non quod ego volo. At ecce formam contumeliarum, detractionum, injuriarum? non renuo mi Deus, *Fiat*! Ecce nigram formam! formam, quæ mortis figuram exprimet; nec hanc excipio; funde, refunde, fac de me Deus, ſicut ſcis & vis; volo! modò tibi non diſpliceam mi Deus.

§ 13. *Reſignatio Davidis in D. voluntatem.*

Eadem verba ſponſæ, anima mea liquefacta eſt, variavit, & aliâ phraſi protulit Regius Pſaltes Pſal. 56. v. 8. *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Genebrardus ait, id eſt, *firmum & ſtabile*; ſive, voluntas mea fixa eſt in voluntate Dei; quicquid proinde permittit, cantabo & Pſalmum dicam. Verùm non ſine emphaſi alterâ vice ait: *Paratum cor meum Deus*, quam obſervavit S. Bernardus, dum ait, Davidem dicere voluiſſe: Voluntas mea diſpoſita eſt, ut ſe conformet voluntati Creatoris, tam in conſolationibus, quàm in ærumnis. *Paratum* [ait S. Bern.] *quantum ad adverſa: paratum, quantum ad proſpera: paratum ad humilia, paratum ad ſublimia: paratum ad univerſa, quæ præceperis.* Nunquid dicere poſſum, aureum cor Davidis fuit liquefactum, paratum fluere ad nutum Divinæ voluntatis. Perpendite, an talia ſint corda veſtra. Meum, mi Jeſu paratum eſt, paratum eſt, &c.

§. 14. *Dicta Gentilium de hac reſignatione.*

Cohorrui totis artubus, cùm legi orationem, vel verba, quibus olim Gentiles ad confuſionem Chriſtianorum, profeſſi ſunt ſe omni ſtudio cupere falſorũ Deorũ beneplacito ſatisfacere. De

Digitized by Google

Seneca enim dicitur, quod ad Deos ſuos converſus, dicere fuerit ſolitus: *Ego quidem voluntatem meam veſtræ volo conformare. Si filios vultis; ego illos vobis offeram. Si corporis mei partem poſcitis; ego vobis eam ſacrificabo. Anima, & quæcunque poſſideo, veſtra ſunt: accipite corpus; & de his diſponite, ſicut vobis placuerit.* Hæc Seneca, hæc gentilis, magis confundor, cum lego dixiſſe Epictetum l. 3. diſſert. c. 26. *Conſtitui, & conformavi voluntatem meam Divinæ! Vult me febricitare? & ego volo. Aliquid aggredi? volo. Non potiri? volo. Mori? volo.* Ite nunc Chriſtiani mei, ite, & vel ab ipſis Ethnicis diſcite virtutis & orationis hujus exercitium. Tria ſunt verbula: *Et ego volo!* ſed ſancta, ſed cœleſtia, ſed Divina ſunt! Et ego volo! Vult me Deus preſſum ærumnis? Et ego volo! Vult me Deus miſerum in hâc vitâ? Et ego volo! Vult me Deus veluti in lachrymarum oceano fluctuare? Volo & ego. Hoc eſt cum leproſo dicere: *Domine, ſi vis!* Cum Saulo, *Domine, quid me vis facere?* Cum Davide: *Paratum eſt cor meum!* Cum S. Gertrude [Eſt locus pro affectuosâ repetitione §. 2. 3. 4. &c.] Denique cum Chriſto Salvatore: *Pater, non mea, ſed tua fiat voluntas.*

§. 15. *In tribulatione. I. Fuge ad Deum non ad creaturas.*

Viri ſancti in aliqua tribulatione vel adverſitate conſtituti, hæc faciunt. I. Statim confugiunt ad Deum; & cum Davide oculos levant in cœlum; inde petituri opem & auxilium: In hoc frequenter erramus; dum in afflictione ſolatiolia mendicamus à creaturis; & dum ſperamus, nos reperturos roſas, incidimus in ſpinas. Refert Acoſta mirabilem hiſtoriam de quodam monte in Braſilia; qui ex uno latere aſcendunt, triſtantur, languent, deficiunt viribus, patiuntur deliquia. Qui verò alteram tenent viam ex alio latere, aſperam quidem & horridam, hi lætantur, his creſcunt vires, hi pergunt per ſpinas animosè. Talis mons eſt vita humana; natura fertur ad captanda ſolatia, ideo ſunt, qui quærunt viam ſtratam roſis; ideo languent, deficiunt, &c. Viri ſancti tenent viam crucis ad montem Calvariæ, ad crucem Chriſti: aſpera illa eſt, ſed eſt ſemita ad certa ſolatia. Hanc teneamus; quamprimum nobis male eſt, confugiamus ad Deum.

§. 16. *Tace.*

II. In afflictionibus tace: ſaltem os & linguam contine; dic cum Regio Pſalte Pſ. 38. v. 1. *Dixi cuſtodiam vias meas, ut non delinquam*

Digitized by Google

linguam in linguâ meâ: poſui ori meo cuſtodiam, cùm conſiſteret peccator adverſum me. Obmutui, humiliatus ſum, & ſilui. Corde poſſumus Deo exponere noſtras ærumnas, at lingua nihil proferat aliud, quàm, *Domine, ſi vis*. Contra hanc regulam peccant impatientes, iracundi, maledictores; ſæpe blaſphemi!

III. Sic conſtitutus, aſtringe te Deo & ejus ſanctiſſimæ voluntati; & dic cum Jacobo Gen. 32. v. 26. *Non dimittam te.* Cùm duo in naufragio, in aquis inter fluctus, ſe ſe mutuò amplectuntur, neceſſe eſt, ut ambo pereant, quò enim periculum majus, eò ſeſe fortius hi duo conſtringunt: quod ſi alter fortior eſt, evadit, & ſocium è periculo liberat. Si ambo debiles, ambo ſubmerguntur. Hoc multis accidit, dum illis male eſt, inter aquas tribulationis amplectuntur creaturas, quæ ſuccurrere non poſſunt. Deum amplectere! Divinæ voluntati te adſtringe, involа in brachia tui Salvatoris; hic fortis eſt, hic te ſalvare poteſt. Et quò fortius te aſtringes, eò certius liberaberis. Dic; *Non dimittam*: & non dimittet.

§. 17. *Aſtringe te DEO.*

Non ignoravit hoc ille mendicus, cujus frequenter fit mentiò, qui Theologo interroganti, quid ageret, ſi à Deo damnaretur? reſpondit: *Hoc non timeo, nimis ille bonus eſt*; Deinde inquit: *Habeo duo brachia, quibus Deum meum mecum in infernum traherem. Alterum brachium meum eſt, profundiſſima mea humilitas; Alterum ingens mea fiducia, quam concepi; quod poſſit me ſalvare, quia omnipotens eſt; quod ſciat me ſalvare, quia omniſcius eſt; quod velit me ſalvare, quia bonus eſt.* His quæſo utamur brachiis, amantiſſimi Auditores! conſtringamus nos cum Deo; hinc ſtringat humilitas! inde amplectatur fiducia; & clamate millies: *Domine, ſi vis! Domine, quid me vis facere; Domine, fiat voluntas tua!* Viciſſim amplexabitur & ille nos; in hôc mutuo amoris nexu, ſecuri erimus ab interitu; ſecuri à naufragio; nam qui nos tenet, fortior eſt, imò ipſe Deus eſt: cui ſit honor & gloria in ſæcula!

§. 18. *Humilitas & fiducia ſunt duo fortiſſima brachia, quibus nos ſtringimus Deo.*

Digitized by Google

CONCIO IX.

DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

Aſcendente JESU in naviculam,
Matth. 8. verſ. 23.

SYNOPSIS CONCIONIS.

JEſus excitando in mari tempeſtatem, fecit illud ſcholam fidei, aliarumque virtutum, timoris, fiduciæ, amoris erga Deum & Chriſtum D. & orationis; quarum virtutum excellentiſſimis actibus, ad illam perfectionem pervenire poſſumus, ut in hoc mundo, præter peccatum, nihil timeamus.

§. 1. *Cur Chriſtus D. permiſerit, ſuos diſcipulos terreri tam gravi maris tempeſtate.*

§. 2. *Cur Deus diluvium voluerit durare per 40. dies.*

§. 3. *Tempeſtas maris, quomodo profuerit Apoſtolis.*

§. 4. *Deus permittit tempeſtates, &c. ad miſericordiam.*

§. 5. *Cur Deus afflicto Jobo apparuerit in turbine?*

§. 6. *Quænam fuerit modica illa fides, quam Chriſtus D. arguit in Apoſtolis.*

§. 7. *Qualis inter tempeſtates debet eſſe fides & fiducia noſtra?*

§. 8. *Chriſtus D. per tempeſtates conatur excitare dormientem noſtram fidem & fiduciam.*

§. 9. *Præſentia Jeſu; detrimentum vertit in ſolatium.*

§. 10. *Deum tecum habe; & nihil timeas.*

§. 11. *Idem probatur ex alia hiſtoria.*

§. 12. *Proſecutio,*

§. 13. *Proſecutio.*

§. 14. *Similitudo.*

§. 15. *Timor in tantam poteſt converti fiduciam & amorem, ut amans Deum, nihil timeat.*

Permiſſæ

Digitized by Google

§. 1. *Cur Chriſtus D. permiſerit, ſuos diſcipulos terreri tam gravi maris tempeſtate.*

PErmiſſæ ſive concitatæ à Chriſto D. tempeſtatis in mari cauſam reperio peculiarem apud D. Baſil. Seleuc. orat. 22. Hic enim poſtquam ſuppoſuiſſet diſcipulos illa verba ex hodierno Evangelio: *Domine, ſalva nos*: protuliſſe cum magno metu & tremore, ob grave periculum ſubmerſionis, quod videbant præ oculis, ceu vivam imaginem mortis, ait: *O timorem naturæ magiſtrum! O periculum, quo docetur homo - ubi ſit ſalutis anchora! O mare! exanimatos metu diſcipulos, præceptori reconcilians!* Hoc nimirum intendit Chriſtus, dum laxavit habenas irato mari; dum fluctus inſurgunt in naviculam, quâ vehebantur Apoſtoli; Ob hanc cauſam ſomno ipſe nonnihil indulſit; ut Apoſtolis ſalutaris incuteretur metus, quo territi confugerent ad orationis anchoram, eſſentque ſolliciti de excitando à ſomnio illo, qui ſolus mari poterat imperare, ſuosque ex præſentiſſimo mortis periculo vindicare.

§. 2. *Cur Deus voluerit, durare diluvium per 40. dies.*

Geneſis cap. 7. ait verſus 17. *Factum eſt diluvium quadraginta diebus ſuper terram.* Cur non breviori tempore fuit abſolutum? nunquid ita ſubitò potuiſſet aperire & rumpere catarractas nubium, ut uno momento totus mundus aquis velut conſepultus jaceret? Cur illi placuit trahere meritam pœnam per dies 40.? D. Chryſoſtomus ait hom. 24. *Quid? Non erat ei poſſibile, uno die totam pluviam inducere? Quid inquam, uno die? uno momento poſſet*; Sed hoc dedita opera fecit volens ſimul, & timorem incutere, & occaſionem præſtare, qua poſſent pœnam, quæ in foribus eſt, effugere. Ad quod timor à DEO nobis incuſſus, per minas, per tempeſtates; Summoperè nobis eſt ſalutaris, ut cogitemus de pœnitentiâ; ut confugiamus ad Chriſtum; denique ut ferventer orantes de æternâ noſtrâ ſalute ſimus ſolliciti. Atque hoc Judæi variis flagellis attriti cognoverunt. Iſ. cap. 26. v. 17. *Sic facti ſumus à facie tua Domine; concepimus & quaſi parturivimus & peperimus ſpiritum.* Quæ verba Theodorus in cat. græca in Pental. ſic exponit: Oſtendit utilitatem, quæ ex minis Dei percipitur. Accipientes enim timorem tuum, velut bonum ſemen; & hunc in utero geſtantes, opportuno tempore ſalutem reportabimus. Opportuno tempore! in tempeſtate aliquâ, in periculo

culo ſive corporis, ſive animæ, conſtituti, ſolliciti erimus, ut auxilium quæramus apud Chriſtum, ut clamoribus cordis illum excitemus. Hoc fiet; timore gravi perterriti in ferventiſſimas prorumpemus preces; nec ſine fructu; paulò poſt Dominus imperabit mari, & erit tranquillitas magna: aderit brevi Dominus, ut in graviſſimis periculis, dum omnia videntur deſperata, nobis fidelis adjutor ſuccurrat. Has meas propoſitiones Concione hâc pluribus vobis exponam. Attendite.

§. 3. *Tempeſtas maris, quomodo profuerit Apoſtolis.*

Ordiar verbis cit. D. Baſilii ſel. orat. 22. *O Domini ſapientiam! O Magiſtri providentiam! Excivit mare! fidei ſcholam fecit mare! Et quod Diſcipulis ab illa trepidatione lucrum? Et mirabantur, inquit, diſcipuli dicentes: Qualis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei?* Quibus ex rebus conterriti fuerunt; docti evaſerunt. Quæ illis tantum incuſſerunt metum, ut exclamarent: *perimus!* ſimul cauſam præbuerunt, ut confugerint ad Chriſtum, atque ad orationem: *Domine, ſalva nos;* Illa ſimul oculos illorum aperuerunt, ut Magiſtri ſui agnoverint omnipotentiam; illique majori deinde adhæſerint amore. Proſunt nimirum illa, quæ ſalutarem Dei timorem nobis incutiunt. Eandem in hodiernam diem, Dei ſapientiam & providentiam mirari & deprædicare poſſumus. Excitat tempeſtates; permittit bella, famem, morbos, innumeras denique in nos concitat perſecutionum procellas. Sed eaſdem tempeſtates commutat in ſcholas, & variarum excellentium virtutum gymnaſia. Quod ab his timoribus lucrum? Conterriti frequenter ſapimus; conterriti cogitamus de æterna ſalute. Conterriti ſimul edocti, cogitamus, quomodo DEUM iratum nobis conciliemus. Conterriti concurrimus ad Chriſtum D. Conterriti ferventibus precibus Divinum ejus auxilium imploramus.

§. 4. *Deus permittit tempeſtates &c. ad miſericordiam.*

De nubibus ait Job. cap. 37. v. 12. *Quæ luſtrant per circuitum, quocunque eas voluntas gubernantis duxerit, ad omne quod præcepit illis ſuper faciem orbis terrarum.* In quocunque loco, miſericordia ſua eas juſſerit, inveniet. Græcè legitur: *Sive ad diſciplinam, ſive ad terrorem, ſive ad miſericordiam.* Meo judicio Job voluit inſinuare, nubes ſive pluant ad terræ fertilitatem, ſive nimias

mias dejiciant aquas ad agrorum terræque deſtructionem; ſive fulgurent, mittantque fulmina & ignes, ad terrorem hominibus incutiendum, id fieri ex voluntate omnia gubernantis Dei. Idem dicendum eſt de mari, dum furit; idem de terra, dum concutitur; idem de aëre, cum peſtem halat; idem de incendiis, de bellis, de morbis, de interitu regnorum. Deus excitat has tempeſtates! ſive ad terrorem, ſive ad miſericordiam! ad quam tendit omnis Dei voluntas, ut miſericordiam exhibeat; & hoc per timorem; quod pulchris verbis oſtendit Auctor Catenæ: *Hæc fiunt, ſive ad nocentes corrigendos, ſive ob alias cauſas. Illud certum eſt, ut miſericordiam mortalibus tribuat, iſthæc adminiſtrari.* Permittit itaque Deus, ut navicula noſtra in proceloſo jactetur mari; permittit, ut fluctus in nos inſiliant; permittit, ut atræ coëant nubes, permittit, ut malorum omnium turbines in noſtrum veluti caput conjurent, permittit morbis, ut nos obruant; calumniis, ut nos dilacerent; fami, ut nos conſumat; bello, ut nos exhauriat; peſti, ut nos conficiat; invidiæ, ut nos ſugillet; morti, ut nos tollat è medio. Verùm, horum omnium finis eſt optimus; intentio ſancta; miſericordiam hæc omnia ſpectant; terrere nos cupit. Permittit, ut iraſcantur nubes, &c. ſed ad miſericordiam; id eſt, vult nos terrere, ut conterriti & timidi ad ipſum confugiamus. Bonus Jeſus, clamoribus noſtris excitatus, ſcit & poteſt modicâ voce, ingens elementum refrænare.

Si timidi & timore conterriti confugiamus ad Deum; ſi per ferventem orationem Chriſtum D. nobis reddamus præſentem, non eſt, quod ullam timeamus tempeſtatem, ſi Dominus ſit nobiſcum, brevi aderit tranquillitas: Dum Job multis opprimeretur malis, multoſque in illis gemitus daret; apparuit illi Dominus in turbine, ſub ſpecie procellæ, ait enim verſ. 1. cap. 38. *Reſpondens autem Dominus Job, de turbine dixit, &c.* Si Dominus afflictum Jobum voluit conſolari, cur illi apparet in turbine? id eſt; cum tempeſtuoſo vento, vehementique aëris perturbatione? voluit nimirum Dominus illum terrere, ſimul & docere; turbare ſimul & animare: impoſſibile enim eſt, ut licet quis jactetur in mari, licet contra illum inſurgant tempeſtates, tallis pereat,

§. 5. *Cur Deus afflicto Jobo apparuerit in turbine.*

reat, ſi inter quoscunque fluctus illi adſit opitulator altiſſimus. Nunquam illa, in qua Jeſus, licet dormitans, aut dormiens, nobiſcum navigat, ſubmergi poterit navicula. Turbinibus conterriti ad Dominum vos recipite, & nolite quicquam pertimeſcere Eleganter Methodius in Cat. *Nec Jobi fides in tempeſtate malorum, ullum naufragium fecit, ſed multò magis eluxit.* Sed unde? quare? Quamprimum Job DEUM ſibi vidit adeſſe, licet in turbine, nihil timuit, certus de futura brevi tanquillitate. In hoc laboremus & nos, ut conterriti fugiamus ad orationem, & ita Deum nobis reddamus præſentem; Nam ſi in mari, in turbine, inter fluctus, inter fulmina Deus nobis adſit, perire non poſſumus.

§. 6. *Quænam fuerit modica illa fides, qua in Christus D. arguit in Apoſtolis.*

Ideo non ſine myſterio Chriſtus Dominus diſcipulos ſuos arguens ait: *Modicæ fidei, quid timidi eſtis?* Circa quæ verba ſibi objicit ſanctus Chryſoſt. quod modicæ fidei damnentur Apoſtoli, tum, cum tam ferventer clamarent: *Domine, ſalva nos, perimus.* Cum confugiunt ad Chriſtum, cum illum excitant à ſomno, cum ſalutem tam inſtanter petunt, cur reprehenduntur? Ideo; quia eo ipſo, quod videbant Deum in eâdem eſſe tempeſtate, debuiſſent cogitare, nullum eſſe ſubmerſionis periculum: In hoc errant, quod non modo in ſe tantum, ſed in ipſum Auctorem, crederent poſſe elementa conſurgere. Sanè modica fides illorum eſt, qui ſi putent & ſperent, Deum eſſe ſecum, nihilominus neſcio, quæ mala pertimeſcunt; nunquam enim certius quis debet credere, mala eſſe extirpanda, & redituram mox tranquillitatem, quàm cum Deum ſecum habet. Unde ſapienter S. Ambroſius ſerm. 55. ſermonem flectens ad Chriſtum D. ait: *Auferens per crucem Dominus, humani generis injurias, omnes eas in ſua Paſſione conſumpſit, ut ulterius non eſſet homini, quod noceret. Si ipſe nobiſcum ſit.*

§. 7. *Qualis inter tempeſtates debet eſſe fides, & fiducia noſtra.*

Idem cit. S. Baſilius Seleuc. advertit, Chriſtum D. non ſine cauſa reprehendiſſe modicam fidem Apoſtolorum, & quod timuerint maris ſævientem tempeſtatem; Exigit nimirum Chriſtus D. in nobis fidem, tam firmam, tam concuſſam; ſpem & fiduciam

ciam in Deum tam excellentem, quæ ſuperior ſit omnibus incurſibus creaturarum. D. Baſ. *O dignas Domino voces! vult fidei vim rebus conditis eſſe valentiorem, & ad fidei præſentiam, omnem ab anima deſperationem eliminari.* Idem prorſus aſſerendum eſt de Deo & Chriſto. Si Deus nobis adſit, ſi Chriſtus nos protegat; licet malis conterreamur; abſit tamen modicá fides, abſit deſperatio! nullus ſit maris impetus, qui fidem & fiduciam noſtram in Chriſtum labefactet. Utilis eſt timor, qui nos conterret, ut Deum invocemus, &c. Utilis eſt timor, qui fidem & fiduciam noſtram roborat, redditque perfectiores: abjiciendus eſt ille metus, qui modicam ſecum trahit fidem, qui radix eſt diffidentiæ, multò magis ille, qui vergit ad diffidentiam. Matth. 14. v. 29. *Deſcendens Petrus de navicula ambulabat ſuper aquas; ut veniret ad Jeſum. Vnde hoc?* ait D. Cyrillus Jeroſol. Catech. 5. *Credens ambulavit ſuper aquas, omni fundamento firmiorem ſuper aquis habens fidem.* O ſalutarem tempeſtatem! in qua timor facit, ut talibus greſſibus properemus ad Jeſum.

§. 8. *Chriſtus D. per tempeſtates conatur excitare dormientem noſtram fidem & fiduciam*

Talis fides & fiducia ſummopere placent Chriſto D. *Aſcendente Jeſu in naviculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli ejus, & ecce motus magnus factus eſt in mari, ita, ut navicula operiretur fluctibus, ipſe verò dormiebat.* Vix navicula undis ſe committit, & commoti fluctus adverſus naviculam feruntur, ejusque latera acriter verberant, & penè, jam fluctuantem demergunt. Unde tam ſæva tempeſtas? unde tam periculoſa ventorum certamina ſurrexerunt? Ait textus: *Ipſe verò dormiebat*; non inertiâ, ſed ſtudio, ut ſuos Apoſtolos inſtrueret contra futuras tempeſtates, neceſſariam illis fore vigilantiam. Iterum eleganter ſæpius cit. D. Baſil. orat. 22. *Adverſus diſcipulos cum talis tempeſtas deprœliaretur, Dominus dormiebat. O ſomnum! quo fidem dormitantem, ex mediâ maris tempeſtate Dominus excire parabat.* Advertite iterum cauſam, ob quam Deus permittit nos jactari in tempeſtatibus &c. frequenter dormimus! dormit fides, dormit fiducia, dormit amor noſter erga Chriſtum D. dormit fervor noſter in orando. Et miramini cur Deus ſubinde permittat, vos incidere in morbos? in tribulationes? in

anguſtias? hoc intendit, ut conterriti, de Deo cogitetis. Cavete, ne alioquin navicula veſtra ſubmergatur. Præſente Chriſto D. ſubmergi non poteſt. Euthym. *Diſcipuli fluctuant & periclitantur, ſed adeſt ipſis Jeſus ad conſolationem, quamvis dormiat. De hoc ſimus ſolliciti, ut conterritis, aliquâ tempeſtate, ad conſolationem, nobis adſit Jeſus.*

§. 9. *Præſentia Jeſu detrimentum vertit in ſolatium.* Si adſit; licet ſubfumigent afflata incendia; & flamma vorax jam tectorum allambat faſtigia, una gratiæ ſtilla, ſubitusque reſpectus clementiæ, uno flatu ea in cineres rediget, ſedataque procella divinitus, quod putabatur detrimentum, invenitur ſolatium. Quod Arnoldus de incendio, idem ego aſſero de naufragio. Et flamma vorax eſt, & vorax eſt procella; & flamma minatur excidium & unda. Unâ, una opus eſt gratiæ ſtilla ad reſtinguendos ignis furores; & una, una opus eſt gratiæ anchora ad ſedandos fluctuum impetus. Quod putabatur detrimentum; ubi Chriſtus eſt; fiet lucrum; quod deplorabatur ut periculum, decantabitur ut ſolatium.

§. 10. *Deum tecum habe, & nihil timeas.* Cum ſuperbiſſimus Holofernes Judith. 5. v. 3. admiratus de reſiſtentia ab Iſraële ſibi facta, ejus perquireret rationem: *Vocavit omnes Principes Moab & Duces Amon, & dixit eis: dicite mihi, quis ſit populus iſte, qui montana obſidet, aut quæ & quales, & quantæ ſint civitates eorum: quæ etiam ſit virtus eorum, aut quæ ſit multitudo eorum, & quare præ omnibus, qui habitant in Oriente, iſti contempſerunt nos, & non exierunt obviam nobis, ut ſuſciperent nos cum pace.* Cui ſapientiſſimus Achior unus ex Principibus reſpondit verſ. 17. *Non fuit qui inſultaret populo iſti, niſi quando receſſit à cultu Dei ſui; quotieſcunque autem præter Deum ſuum alterum colerunt, dati ſunt in prædam, & in gladium & in opprobrium; quotieſcunque autem pænituerunt ſe receſſiſſe à cultura Dei ſui, dedit eis Deus cæli virtutem reſiſtendi.* Quibus dictis ſuam tandem concludens ſententiam, ſic ait v. 24. *Nunc ergo, mi Domine, perquire, ſi eſt aliqua iniquitas eorum in conſpectu Dei eorum, aſcendamus ad illos, quoniam tradens tradet illos Deus eorum tibi, & ſubjugati erunt ſub jugo potentiæ tuæ. Si verò non eſt offenſio populi hujus coram Deo ſuo, non poterimus reſiſtere illis, quoniam Deus eorum defendet illos, &*

erimus

trimus in opprobrium univerſa terra. Quomodo Deus adfuerit populo ſuo per Juditham ſcitis. §. 11. *Idem probatur ex alia hiſtoria.*

Alteram hiſtoriam reperio l.1.Reg.c.7.ex quâ advertere poterimus orantibus & fidentibus Deo,in extremis periculis ſuccurrere Deum,protegere tales, & pro illis bellum gerere, 1. Reg. 7.verſ.7. *Audierunt Philiſtim, quod congregati eſſent filii Iſrael in Maſphath, & aſcenderunt Satrapæ Philiſtinorum ad Iſrael; quod cum audiiſſent filii Iſrael, timuerunt à facie Philiſtinorum.* Ratio timoris erat, quia cum ex præcepto Samuëlis conveniſſent in Maſphath ad orandum tantùm, Deoque offerendum ſacrificium inermes prorſus reperiebantur, & ad bellum imparati, quod reſcientes inimici, in ipſomet ſui Sacrificii tempore illos adorti ſunt: *Factum eſt autem, cum Samuel offerret holocauſtum, Philiſtini iniere prælium contra Iſrael.* Quis non diceret, actum eſſe de Iſraële? erant inermes, ad pugnam imparati, loco non tuto, prorſus belli obliti, ſine armis, &c. tantùm de Sacrificio tractantes, ac de oratione, jejuniis, lachrymis; viribus penè exhauſti; Econtra verò pars adverſa armata, fortis, præpotens! quis ergò ſibi non perſuadeat certum Iſraelis exitium? quis cladem imminentem non prævideret? §.12. *Proſecutio.*

At prorſus contrarium evenit, nam orantibus ipſis, Dominus pro illis pugnavit; & dum ipſi in DEUM verè crediderunt, Dominum propugnatorem habuerunt, qui cauſam ipſorum ſuſcipiens, & inimicos peſſumdedit, & regnum Samuëli firmiter ſtabilivit; v. 10. *Intonuit autem Dominus fragore magno in die illa ſuper Philiſtym, & exterruit eos, & cæſi ſunt à facie Iſrael.* Modum eleganter narrat Joſephus lib. 6. Antiq. cap. 2. cum ait: *Prius enim quàm totam victimam flamma abſumeret, nondum Sacro peracto, hoſtis in conſpectu aciem explicat, rem factam ſe habere putans, interceptis Judæis imparatis adpugnam, & tantum non inermibus, ut qui non ad eum locum convenerant pugnaturi, ſed oraturi. At longè aliter accepti ſunt, quàm crederent, etiamſi quis prædixiſſet. Primum enim terra jubente DEO ſub pedibus eorum intremuit, & vacillante faſtigio nutabant; nonnulli etiam in improviſos hiatus prolabebantur, dein fulminibus crebris attoniti, & ignitis fulgoribus oculos ac manus ſemiuſtulati,*

minſtulati, ut non arma quidem retinere poſſent, in fugâ ſpem totam reponebant.

§. 13. *Proſecutio.* Duo præcipuè in hâc narratione conſidera. I. Auxilium Dei ita promptum & expeditum, ut non ſic velox fuerit flamma ad Sacrificium conſumendum, uti DEUS in campo ad inimicos debellandos. II. Quod ad auxilium ſuis ferendum Deus, & terram & abyſſum, & aerem & cœlum, & ignem commoverit. Tantum poteſt oratio. Adverte III. Tunc ſtipatus eſt armis Princeps, etſi ſit ſolus, ac inermis appareat, quando Deus cum illo; Sicut è contra tunc ſolus quando ſine Deo; quod David dicere voluit Pſal. 7. verſ. 1. *Domine Deus meus ſalvum me fac ex omnibus perſequentibus me, ne quando rapiat, ut leo animam meam, dum non eſt qui redimat: neque qui ſalvum faciat:* Et quomodo Rex hoc dicere potuit, cum multos ſecum habuerit Duces & milites? & ℞. *Quoniam ne univerſum quidem orbem terrarum auxilii loco habet, niſi opem Divinam fuerit aſſecutus; nec ſe eſſe ducit in ſolitudine, licet ſolus ſit, ſi ſit illius auxilii particeps.* Sed DEUS nobiſcum non eſt, niſi invocetur per orationem. Vocatus eſt? Itaque licet videantur omnia deſperata; vos tamen macti confidete: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Rom. c. 8. verſ. 31. An forſan aut non poteſt, aut non vult opem ferre Omnipotens? abſit. Nam primum potentiæ, alterum derogat clementiæ. Omninò & poteſt & vult: quocirca inter fluctus hunc reſpicite, hujus opem inclamate, hujus charitatem requirite.

§. 14. *Similitudo.* Hoc ergo agendum eſt. Quando impetuoſum tumeſcit mare, quando irruunt procellæ, quando tota ventorum undique vis confunditur, & inter ſe pugnat; quando ſæviunt minaces undæ, quando navis huc illucque jactatur, quando victâ navarchi arte in incertum rapitur; Ultimum eſt vela deprimere, anchoram jacere, & ſpemque metumque inter, fixis anchoris rei eventum exſpectare; Nos homines naves ſumus, in hujus vitæ turbulentiſſimo mari navigantes; ſurgant venti pugnaciter, hic arrogantiæ, hic luxuriæ, &c. irruunt fluctus innumeri, morbi, pauperies, &c. qui naviculam expugnare, disjicere,

re, illidere & confringere laborant. Ergò, ut eluctemur, quæſo deprimamus vela, jaciamus & figamus anchoram, anchoram dico timorem Domini, ut ait S. Papa Gregorius l. 6. mor. c. 27. *Anchora cordis eſt pondus timoris.* Hâc unâ anchorâ noſtram naviculam contra ſævientes maris fluctus, contra furentes ventos ſtabilire poſſumus. Ad Philip. 2. v. 12. *Cum metu & tremore ſalutem noſtram operantes. Si non*, ait Eccleſiaſticus c. 27. v. 4. *in timore Domini tenueris te inſtanter, citò ſubvertetur domus tua.* Naufragium ſubibis.

Moneo denique, cum finis dicendi paulatim immineat, hunc timorem eſſe maximè utilem, cum ferventiſſimæ conjungitur charitati erga Deum; quæ charitas hoc operatur, ut timens & amans Deum anima, aliud nihil ſic exhorreſcat, ut unum & ſolum peccatum. Admirabile rei hujus ſchema legi in Auctore recens impreſſo. Vir fuit pius, & notæ virtutis, huic nonnemo hanc quæſtionē propoſuit, quid in mundo ſibi videretur maximè metuendum. Ille ut erat ingenui candoris, dicam ut res eſt, ait, ſincerè, candide! Nihil, omnino nihil in orbe terrarum eſt quod timeam. Mirari alter, & inſtare fortius, quid? ergo non times mori? non tribunal ultimum? non finalem Judicis ſententiam? Non! non diabolum? Non! non infernum Non! non hoſtes & tyrannos? Non! non cruciatus & tormenta? Non non ægritudines & morbos? non pauperiem & egeſtatem? non famem, non peſtem? non cædes & bella? non incurſus & inſolentiam militarem? non inſidias occultas? non iſta & his pejora times? Nihil! nihil ait alter. Omninò nihil horum timeo. At ſaltem timor Dei in te erit? Non timeo Deum, ſed amo. Quid ergò eſt, quid times. Utique erit aliquid in univerſo iſto, unde tibi timor aliquis injiciatur. Nihil, quod ſupra ſolem, quod ſub ſole; quod totus orbis, totum cœlum, habet & complectitur, timeo. Enimverò, quia video te ſtupere tam exoticam reſponſionem, dicti mei rationem reddo. Mortem, tribunal ultimum, finalem ſententiam, diabolum, infernum, hoſtes & tyrannos, cruciatus & tormenta, ægritudines & morbos, &c. nullo modo pertimeſco; nihil horum vereor; quia hæc omnia

§ 15. *Timor in tantam poteſt converti fiduciam & amorem; ut amans Deum, nihil timeat.*

mala

Digitized by Google

mala eſſe non poſſunt, niſi malis. Mori non timeo! ſcio mortem mihi aperire portas ad cœlum. Tribunal ultimum non horreo, quia neminem judicavi unquam, & vox Judicis eſt: *Nolite judicare, & non judicabimini?* Finalem ſententiam non timeo, ex qua non maledictionem ſed benedictionem, non damnationem ſed ſalutem expecto. Infernum, qui Deum amat, nihil timet. Tyranni, morbi, &c. aurifices mei ſunt, qui cruciatibus, ignibus, &c. aut eam æternæ gloriæ mihi parant coronam. Nullam timeo tribulationem, quæcunque illa ſit, illa me ad Deum meum perducit. Dum ſic perorat iſte, alter fermè extra ſe poſitus, ergo ait, nihil omnino metuis? nihil horres, nihil times? nihil penitus. Sed audi: unum nihil timeo, quod eſt peccatum, ſummum & infinitum malum! ſummo & infinito bono contrarium, ſed amo Deum meum, ut paratus ſim, millies mori, quàm peccare in Deum meum! O felices mortales! qui ſic nihil metuere didicerunt. Diſcite hanc artem, qui deſideratis omnis Theologiæ epitomen comprehendere! Quiſquis nil metuit præter unum & ſolum peccatum; hunc ego felicem, hunc verum Chriſtianum; hunc militem Chriſti imperterritum; hunc heroëm ipſo dicam Hercule fortiorem. Hanc artem perfectè didicit is, qui exclamat: *Quis nos ſeparabit à charitate?* Scio, non gladius, non arma, non paupertas, non calumnia, non fames, non lues, non verbera, non vulnera, non inſtantia, non futura, non præterita, non ipſa denique mors nos ſeparabit.

CON-

CONCIO X.

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

Ite & vos in vineam meam,

Matth. 20. verſ. 4.

SYNOPSIS CONCIONIS.

GLoria cœleſtis nobis datur, veluti merces, veluti bravium & corona, pro quà certandum, currendum & laborandum eſt.

§. 1. *Virtus invitatur præmiis.*

§. 2. *Homini veluti militi, operario & mæcenario, parata eſt gloria æterna.*

§. 3. *Sed per modum mercedis & bravii, quod duplici Metaphorâ declaratur.*

§. 4. *Non pro corruptibili ſed incorruptibili coronâ debemus pugnare & laborare.*

§. 5. *Qualem coronam ſponſus ſuæ ſponſæ præparaverit.*

§. 6. *Cur ſponſus vocetur* Flos campi.

§. 7. *Gloria cœleſtis ſimilis eſt Cereo ſpinoſo; elegantiſſimo in Indiis flori.*

§. 8. *Teſſera Severi Imperatoris.*

§. 9. *Templum Dionyſii Imperatoris.*

§. 10. *Fons Idumæ.*

§. 11. *Factum Cypri Regis Perſarum.*

§. 12. *Teſtimonia ſanctiſſimorum Patrum.*

§. 13. *Proſecutio.*

§. 14. *Memoria mercedis, ſive, cæleſtis gloriæ nos erigit, & facit animoſos.*

§. 15. *Vita noſtra ſit continuus labor pro æternitate.*

Digitized by Google

§. 1. *Virtus invitatur præmiis.*

INterroganti Perſæ [apud Eraſmum l. 1. Apoph. n. 99.] quam rempublicam maximè probaret, *Eam*, reſpondit Lyſand. *in quâ fortibus viris, ac meticuloſis congrua utriſque redduntur.* Senſit virtutem invitari præmiis; ignavos excitari ignominiâ; nimirum hoc eſt, quod apud Homerum ſtomachatur Achilles, idem honoris haberi ignavis ac fortibus. Quod Perſa ille quæſivit de republicâ, ego de illis percontor Religionibus, quæ hodie in Romano Imperio præcipuè, omnium ore nominantur, & omnibus ſunt notæ, Romano-Catholica, Lutherana & Calviniſtica; quænam ex his probanda ſit maximè? me quod attinet; illam ego aliis longè anteponendam exiſtimo, quæ requirit viros fortes, qui ſibi perſuadent præmium æternæ gloriæ, non niſi per laborem & illuſtria opera poſſe obtineri. Ad virtutem invitantur præmiis. *Beatitudo ſui amatores* [S. Chryſoſt.] *ad victorias inungit.* Cum verò Lutherani & Calviniſtæ ignaviam quandam præſeferant; dum opera à beatitudine excludunt; dum ſola merita Chriſti ad bravium aſſequendum ſufficere arbitrantur, illos ego rejiciendos ſtatuo. Rem totam declarat hodierna parabola, in quâ Chriſtus D. clarè oſtendit, gloriam æternam dari veluti mercedem, pro quâ laborandum. Et hoc erit thema.

§. 2. *Homini velut militi, operario & mercenario parata eſt gloria æterna.*

Poſt varia triſtia nuntia patientiſſimus Jobus his verbis ſe conſolatus fuit cap. 7. verſ. 1. *Militia eſt vita hominis ſuper terram.* Septuaginta verterunt: *Vita hominis ſuper terram eſt globus*; fortaſſis, quia quemadmodum globus fortiter impulſus per æquam planitiem celeriter decurrit, ita celeriter currit vita hominis: fortaſſe, quia ſicuti globus ſuperficiem tangit in puncto, ita punctum eſt vita hominis, juxta illud Senecæ: *Punctum eſt, quod vivimus.* Fortè ideo, quia homines etiam Reges & Principes illi ſunt, quibuscum fortuna, vel potius Divina providentia ludit veluti globis & pilis, projiciendo nunc ad dexteram, nunc ad ſiniſtram, mox in altum, citò in profundum & abyſſum miſeriarum, alius, nec malè vitam comparat globo Cæſareo & Imperiali, cui crux inſiſtit, ut bene dici poſſit, vita hominis eſt perpetua crux vel globus, qui inter cruces & ſpinas miſeriarum hujus vitæ perpetuo volvitur; cui ſenſui convenit lectio tertia citati verſus

ed by Google

ex Jobo, & clariſſima: *Labor eſt vita hominis ſuper terram.* Juxta illud Gen. 3. v. 17. *Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ - in ſudore vultus tui veſceris pane, - ſpinas & tribulos germinabit tibi.* Ut proinde homo natus ſit ad laborem; ſed quo nobilem & æternam meremur mercedem, unde Jobus addit: *Sicut dies mercenarii dies ejus.* Mercenarius, poſtquam toto die in agro vel vineâ laboravit & ſudavit, veſperi cum gaudio mercedem conſequitur. Eodem modo homo Chriſtianus, poſtquam toto vitæ decurſu laboravit in vineâ Domini; veſperi ſive in horâ mortis obtinet mercedem gloriæ æternæ. Et tanta illa eſt, ut S. Paulus ex tertio cœlo redux dixerit: *Nec oculus vidit, &c.* 2. Cor. 12. v. 5. Verùm eadem gloria datur ut merces, ut corona, ut bravium, pro quo currendum & laborandum nobis eſt.

Id quod in hodiernâ miſſâ duplici parabolâ nobis proponitur; alteram de vineâ, & ejusdem operariis, ipſe Chriſtus D. proponit in Evangelio miſſæ; alteram verò S Paul. in ep. 1. ad Corinth. 9. v. 24. dum ait: *Neſcitis, quod ii, qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed unus accipit bravium, ſic currite, ut comprehendatis - Ego - ſic curro, - ſic pugno, &c.* Bravium, in agone, & Romanis ludis, ſive circis, fuit ſertum, vel corona; ex quercu, vel lauro, aut auro; quibus ſertis, qui coroanti fuerunt, ſummum ſe putârunt adeptos fuiſſe honorem; qui nulli conferebatur, niſi vel curſu, vel luctâ, vel aliâ pugnâ de hoſte ſuo triumphaſſet. Coronam longè pulchriorem, bravium multo pretioſius nobis præparavit Deus; coronam incorruptam, immarceſſibilem in cœlis; ſed memores nos eſſe oportet, vitam hominis eſſe militiam, eſſe ſtadium & agonem, eſſe vineam, in quâ prius pugnandum eſt nobis, currendum, laborandum. §. 3. *Sed per modum mercedis & bravii: quod duplici metaphorâ declaratur.*

Doctiſſimus Tertullianus tres libros conſcripſit elegantiſſimos de coronâ militis: occaſio ſcribendi hæc fuit. Poſt nobilem partam victoriam, ſub auſpiciis Imperatorum Severi & Aurelii, gratulabundus exercitus illi occurrit, in legiones pulchro ordine diſtinctus, explicatis vexillis, cum tubis & tympanis. Omnium haſtæ, gladii, & præſertim galeæ, ad elegantiam & ornatum coronatæ fuerunt laureis ſertis & coronis floridiſſimis; §. 4. *Non pro corruptibili ſed incorruptibili corona debemus pugnare & laborare.*

Digitized by Google

diſſimis; præterquam quod nonniſi unus militum isque ſtrenuus & generoſus coronas ſuas geſtavit in ſiniſtro brachio, dexterâ gladium præferens: Obſervârunt id curioſi oculi Imperatorum, cauſamque ex eo interrogârunt, quibus paucis reſpondit: *Ego miles ſum Chriſtianus, non licet itaque mihi coronari in hac vita.* Quaſi diceret, miles ſum! in laboribus, in periculis multa jam adverſo corpore excepi vulnera; ſæpius effudi ſanguinem, & adhuc paratus ſum ponere vitam; ſed non quero coronas quernas, vel roſeas, vel aureas hujus mundi; quæ florent & rutilant ad tempus; illam quæro, quæ repoſita eſt in cœlis pro longiſſimâ æternitate. Duas certiſſimas veritates nobis inculcat hoc dictum generoſiſſimi militis. Prima eſt: Magnam in cœlis gloriam præparavit Dominus nobis, atque omnibus diligentibus ſe, ut loquar cum S. Paulo. Secunda eſt: gloriam illam nobis præparavit, non quovis modo, non veluti gratuitum donum; ſed tanquam mercedem & bravium, ſive coronam in agone; conſequentia eſt brevis & clara; ergo veluti operariis & mercenariis, ergo veluti militibus & curſoribus laborandum, pugnandum & currendum nobis eſt. Sine labore, ſine vulneribus, ſine ſanguine cœleſtis gloriæ laureolam & coronam non obtinebimus.

§. 5. *Qualem coronam ſponſus ſua ſponſa præparaverit.* Cant. 4. v. 8. ſponſus ſuam ſponſam evocat ad Regiam & & floridam coronam, ſed verbis conſideratione digniſſimis: *Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano, veni coronaberis de Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus Pardorum*; quaſi diceret: O ſponſa, pulcherrimam contexui coronam ex violis, ex liliis, ex narciſcis, ex omnis generis pulcherrimis floribus; ſed illos non inveni in aliquo horto vel prato; conſcendere debui, non ſine labore altiſſimos montes; in vertice Sanir ibi inveni, cum maximis periculis; tranſeundum enim mihi fuit per leones & pardos, &c. Senſu myſtico cœleſtis ſponſus eſt Jeſus noſter, hic coronam nobis præparavit pulcherrimam, ſed flores, violas, roſas invenit in monte myrrhæ; in monte Calvariæ, ſub cruce; eja animæ piæ, eja ſpõſæ, invitat vos ſponſus ad coronam, ſed flores prius quærite inter ſpinas, conſcendite montem Calvariæ; verbo, laborate in vinea Domini, & ſic mercedem conſequemini.

Cant. 1.

Digitized by Google

Cant.1.v.15. ait ſponſa: *Lectulus noſter floridus*; q. d. O ſponſe! floſculus es, quem in lectulo quæram. Erras dilecta, non eſt ſponſus talis floſculus in hac vita, ideò errorem ſponſæ corrigit, dum ſubdit c.2.v.1. *Ego flos campi*; id eſt, ſum floſculus, qui cum labore quæri debet, ſum viola, ſed in monte myrrhæ; ſum roſa, ſed inter ſpinas, ſum lilium convallium, ſed in cruce. Lectulus, quies, paradiſus reſervantur in alteram vitam. Myſterium vel conceptum horum verborum pulchrè advertit S. Bern. *Illâ monſtrante lectulum, ille vocat ad campum*, [ad vineas] *ad exercitium provocat*. Qualis differentia? ſponſa loquitur de quiete; ſponſus de labore; illa de colle thuris, ipſe de monte myrrhæ, illa de paradiſo; ipſe de campo: illa de roſis, ipſe de ſpinis, illa de melle, ipſe de felle; ut advertamus, ubi & quo modo cœleſtem ſponſum, & cum ſponſo gloriam debeamus indagare. Flos campi eſt Jeſus! roſa eſt! lilium eſt; ſed creſcunt hi flores in monte Calvariæ ſub arbore crucis. Hic quærendi ſunt floſculi, quibus ſponſus in monte Libano, in monte cœleſtis gloriæ nos vult coronare. Illa gloria erit merces, pro quâ prius in vinea laborandum. *§. 6. Cur ſponſus vocetur flos campi.*

Elegantiſſimus in India flos eſt, cereus ſpinoſus; folia habet aliquot veluti haſtas, aliquot cubitorum longitudine; extremitates armatæ ſunt ſpinis parvis, ſed multis & acutiſſimis, foliorum ſuccus eſt amantiſſimus, ſive aloë. Inter has ſpinas, haſtas, aloë in medio, in alto exſurgunt gratioſiſſimi floſculi coloris cœleſtis, pleni aureis maculis, veluti ſtellulis reſperſi; miraculum naturæ eſt, quod iidem floſculi diſpoſiti ſint in modum pulcherrimæ coronæ. Eja animæ piæ; talem florem cogitate eſſe cœleſtem gloriam; talem laureolam; ſed eſtote memores verſuum Claudiani in ep. ad Honorium: *§. 7. Gloria cœleſtis ſimilis eſt cereo ſpinoſo; elegantiſſimo in Indiis flori.*

Nec quisquam fruitur, veris odoribus;
Hyblæis apibus, aut ſpoliat favos,
Si fronti caveat, ſi timeat rubos.
Armat ſpina roſas, mella tegunt apes.

Multo majori ratione, pro dulcedine gloriæ cœleſtis, pro pulchritudine tam floridæ coronæ, pro tanta mercede: pro formoſiſſima Rachele, laborandum, pugnandum, ſudandum eſt.

Digitized by Google

§. 8. *Teſſera Severi Imperatoris.* Teſſera militaris Severi Imperatoris ad milites ſuos hæc fuit: *Laboremus*. Subintelligite, ſi victoria potiri deſideremus. Eja Chriſtiani, milites ſumus ſub labaro SS. crucis. Imperator noſter eſt Chriſtus Jeſus; ſed non ignoremus teſſeram ipſius, *Laboremus*: in vineâ ejus ſtemus ſtrenuè & fortiter; ſi denarium, ſive mercedem cœleſtis gloriæ, veſpere diei noſtræ, ſive in fine vitæ nos accepturos ſperemus.

§. 9. *Templum Dionyſii Imperatoris* Via aſpera ducit nos ad montes gloriæ. Dionyſius Imperator, ſubjugatâ Indiâ, pro immortalis gloriæ monumento, in altiſſimo monte magnificentiſſimum exſtruxit templum. Gradus, per quos patuit acceſſus, fuerunt trecenti ſexaginta quinque, omnes ex ſanguineo & purpureo ſaphiro; quibusdam, hinc inde, hæ fuerunt inſcriptæ voculæ: *Hac proceres abiere pii*; quorum ſcilicet effigies in illo gloriæ Mauſolæo, ad perpetuam memoriam, ſtabant erectæ. Hic mons, hoc templum mihi revocat in mentem, montem Sion, & civitatem ſanctam in eo ædificatam, cujus fundamenta, muros, parietes, plateas, portas, palatia, ex gemmis, ex auro, ex cryſtallo formata eſſe, refert S. Joan in Apoc. 21. v. 19. Verùm Auditores, gradus ſunt ſanguinei, ſunt inſtrati ſpinis & crucibus; gradus ſunt, paupertas, fames, ſitis, triſtitia, puritas cordis, juſtitia, patientia in adverſis, &c. per hos gradus, ipſe Salvator noſter Jeſus Chriſtus aſcendit ad gloriam. Gaudent in cœlo animæ Patriarcharum! hac! per hos gradus abiêre. Exultant Apoſtoli? hac, per hos gradus venerunt. Triumphant redimiti roſis B. Martyres? hac, per hos gradus venerunt ad roſas. Congratulantur ſibi invicem de gloria ſua Beati Confeſſores? Congratulator illis & ego, & repeto; hac, per hos gradus venerunt ad gaudia: Concinunt in cœlis canticum novum Virgines, & agnum ſuis liliis honorant? Concino illis & ego, & iterum exclamo; Hac iter illarum, hac, per hos grados venerunt ad nuptias agni.

§. 10. *Fons Idumæa.* In Idumæa fons eſt, qui primùm turbidis, rubris & amaris ſcaturit undis; dein limpidis, chryſtallinis, dulciſſimis. De quo fonte Iſiodorus ait l. 13. c. 13. Significat, poſt ſpolia ſudore & ſanguine parta, virorem quendam lætitiæ, & limpidiſſimam bonorum communitatem comparari. Gloria cœleſtis in ſacris literis frequenter

frequenter comparatur fonti. Notiſſimus eſt verſus illè Davidis Pſ. 41. *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.* Verùm piiſſimus Rex, antequam inebriatus fuit torrente illius gloriæ, bibere prius debuit in viâ de torrente Cedron: dulcia non meruit, qui non guſtavit amara. Vel, ne planè ſim immemor parabolæ hodiernæ; Mercedem non obtinebit, qui non prius laborat in vineâ.

Prudentiſſimus fuit ille belli dux Cyrus Perſarum Imperator, qui in amplo campo, quem milites ſummo labore, complanare, ſaxa tollere, ſpinas eradicare debuerunt, lauto dein convivio, eodem in loco illos ipſos milites excepit, dicens: *Laborate! ſic vivetis.* O animæ piæ! ſic aliquando vivetis in cœlo, in jubilo! in lætitia! ſed laborate. Sic vivetis, ut æternis undique circumfluatis deliciis! ſed laborate! Sic vivetis, indeficiens erit, cui accumbetis menſæ, regales epulæ, cœleſtia fercula; ſed laborate! Sic vivetis, ut vitam hanc veſtram nulla vel morbi, vel temporum, vel calamitatis, vel etiam mortis injuria ſit violatura; ſed laborate! §. 11. *Factum Cyri Regis Perſarum.*

Audiamus de hoc themate aliquot SS. Patres, & alios Auctores. Pulchrè Philo Hebræus l. 3. de vita Moyſis: *Qui fugit laborem, fugit felicitatem; è diverſo, qui fortiter patienterque difficultates tolerat, ad beatitudinem properat.* Venerab. Beda: *Cæleſtis Magiſter-ſuos diſcipulos-revocat ad viam laboris*, [ad vineam] *quâ ad bravium pertingere poſſint retributionis.* Innocens Joſeph nobis oſtendit, quâ viâ pervenerit ad gloriam, de quo S. Chryſoſt. *Joſeph accepturus totius Provinciæ dominatum, venundatur in ſervum, ſuſcipit ſervitutis notam, quem Dominus præparabat ad gloriam.* Rupert. l. 8. in Gen. c. 40: *Pro compedibus, in quibus humiliaverunt pedes ejus, tor quem aureum ſuſcepit, pro ſervili nomine, regium geſtat annulum, & pro carceris humilitate ſuper altum ſedet imperii currum.* Sic Deus ſuos præparat ad gloriam, per labores, dolores, &c. §. 12. *Teſtimonia SS. Patrum*

Sanct. Auguſtinus in Pſal. 127. *Modò labores habemus; fructus poſtea erit: Sed quia & ipſi labores non ſunt ſine gaudio; quia ipſi labores modò nos jucundant, & latos nos faciunt de ſpe; Vel; Si ergò labor noſter nos poteſt jucundare; fructus ipſius laboris qualis* §. 13. *Proſecutio.*

qualis erit. D. Hieron, l. 1. in c. 5. Jerem. *Omnis labor eſt correctio, amara quidem videtur, ad præſens! ſed fructus parit dulciſſimos*. S. Bernardus in præf. in Pſ. 90. *Mortificamini tota die, in jejuniis multis, in laboribus frequenter, in vigiliis ſupra modum; præterea, quæ intrinſecus ſunt, contritio cordium, & multitudo tentationum. Mortificamini! ſed propter eum, qui pro vobis mortuus eſt; quod ſi abundat tribulatio veſtra, pro eo! abundabit conſolatio veſtra per eum! apud ipſum namque, ipſa quoque tribulatio, magna quadam conſolatio poteſt inveniri.*

§. 14. *Memoria mercedis, ſive, cœleſtis gloriæ, nos erigit, & facit animoſos.*

Hujus dulcedinis, harum conſolationum, horum fructuum, hujus mercedis, hujus bravii, hujus coronæ, id eſt, gloriæ cœleſtis memoria, & univerſa quædam ſpes, de qua Jobus ait: *Repoſita eſt hæc ſpes in ſinu meo*; fortes athletas, ſub labaro crucis, in laboribus & tribulationibus, ita erigit, redditque fortes & animoſos, ut labores & cruces ipſis ſint conſolationi, ut cum S. Xaverio exclament: *Amplius Domine! amplius*. Ita admirandus ille Job in ſummis doloribus & laboribus, plures fuit auſus à Deo petere, cùm dixit c. 6. v. 10. *Et hæc mihi ſit conſolatio, ut affligens me dolore, non parcat*. Rabbi David advertit verbum affligendi, in hebræo eſſe Sabad, quod idem eſt, ac urere, vel incendere, unde hunc facit ſenſum: *Unica tantùm hæc mihi erit conſolatio, ſi exurat & incendat, imò etſi interficiat*. Unde Rabbi Abraham legit: *Si interfecit me Deus, ſubſiliam*, exultabo præ lætitiâ: imò non ſolum exultabit, ſed quæret ex ipſâmet occaſione animos, viresque reſumet. Unde Rabbi Moyſes: *Roborabo me in infirmitate mea*. Tantumque abeſt, ut in ea deficiat, ut potius gloribundus ditat: *Et orabo in dolore meo*. [Doloris incrementum petam, & acerbiores cruciatus.] O virum admirabilem! amiſit omnia; omnium, quæ erant chariſſima, fecit jacturam; chariſſimæ erant divitiæ? amiſit? chariſſima! domus & palatia? amiſit. Chariſſima! pecora, oves, boves, equi, cameli? amiſit. Chariſſimi liberi? amiſit. Chariſſima! vitæ valetudo? amiſit. Et tamen adhuc exultat, adhuc ſibi applaudit, adhuc quaſi redux è pugna miles ſibi lætum victor pæana concinit? Unde tantus huic viro animus? unde hoc gaudium? niſi quia dulce eſt pati, & laborare pro cœlo. Unde hic

animus?

Digitized by Google

animus? unde hoc deſiderium? niſi quia dulce eſt pati & laborare pro cœlo. S. Greg. M. l. 6. c. 17. *Si enim mens in Deum forti intentione dirigitur, quicquid ſibi in hac vita amarum ſit, dulce æſtimat;* Omne quod affligit, requiem putat; tranſire & per mortem appetit, ut obtinere plenius vitam poſſit; funditus extingui in infimis deſiderat, quò verius ad ſumma conſcendat.

Opto itaque, ut vita noſtra in hoc mundo continuus ſit labor, pro mercede cœleſtis gloriæ; id eſt, ut continuò laboremus æternitati. Vellem de quovis Chriſtiano dici poſſe, quod dixit Latinus Pacatus de Theodoſio: *Gaudent profectò Divina perpetuo motu - & jugi agitatione ſe vegetat æternitas - indefeſſa vertigo cælum rotat* [ſtellæ ſemper ſunt in motu] *maria æſtibus inquieta ſunt, & ſtare ſol neſcit. Ita tu Imperator continuatis negotiis, & in ſe quodam orbe redeuntibus* [pro imperii tui incolumitate] *ſemper exercitus es.* Pulcherrimum hominis Chriſtiani eſt encomium; Sic v. g. civis continuato labore & negotiis, &c. ſemper eſt exercitus, ſed pro Deo, pro ſalute animæ, pro æterna gloria. O præclarum hominis Chriſtiani elogium, ſi dicatur; tu continuatis negotiis, & velut in orbem redeuntibus, ſemper es exercitus. Tu ô civis ita exercitus es in tuo labore quotidiano, tu ô adoleſcens ita exercitus es in tuis ſtudiis; Tu ô nobilis ita exercitus es in tuis curis nobilibus; Tu ô ruſtice exercitus es in tuo agro; Tu ô mulier ita exercita es in tua domo atque familia; Obſecro qua de cauſa? pro Deo, pro cœlo, pro ſalute animæ, pro gloria ſempiterna: Nam veriſſimum eſt illud ſancti Pauli 1. ad Corinth. 3. verſ. 8. *Vnusquisque propriam accipiet mercedem, ſecundum laborem ſuum.*

§. 15. Vita noſtra ſit continuus labor pro æternitate.

CONCIO XI.

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Semen eſt verbum DEI,

Lucæ 8. verſ. 11.

SYNOPSIS CONCIONIS.

DIviſa eſt in tres partes. Prima agit de viâ, de quâ diabolus rapit bonum ſemen. Altera, de petris, in quibus exareſcit. Tertia de ſpinis, inter quas ſuffocatur.

§. 1. *Verbum D. multis modis allegoricè dicitur.*

§. 2. *Quid ſit diabolum tollere ex anima, veluti via, verbum Divinum.*

§. 3. *Idem explicatur ex hiſtoria Gen c. 40. per ſomnium piſtoris & pincernæ.*

§. 4. *Proſecutio.*

§. 5. *Similitudo S. Jacobi de ſpeculo.*

§. 6. *Invectiva in illos Auditores verbi Divini, quibus illud diſplicet.*

§. 7. *In quorum corda cadat ſemen verbi Divini.*

§. 8. *Proſecutio; quæ duplicem inſinuat differentiam Auditorum verbi Divini.*

§. 9. *Quinam audiant verbum D. ut olim Judæi verba Moyſis.*

§. 10. *Et Rex Nabuchodonoſor.*

§. 11. *Invectiva in illos Auditores, qui dum audiunt verbum Divinum, nihil moventur. Corda eorum ſunt petra.*

§. 12. *Proſecutio.*

§. 13. *Inter ſpinas quoque ſuffocatur ſemen verbi Divini.*

§. 14. *An divitiæ, voluptates, ſpinæ?*

§. 15. *Deus*

Digitized by Google

§. 15. *Deus impios tandem punit per ſpinas.*
§. 16. *Proſecutio,*
§. 17. *Epilogus.*

PLacet mihi obſervatio Clementis Alexandrini Pædag. c. 6. quod verbum Divinum, multis modis allegoricè dicatur; *Et cibus & caro, & nutrimentum, & panis*; à S. Joanne Evangeliſta c. 6. v. 35. *Panis Dei & vita.* Ab Oſea c. 9. v. 4 *Panis animæ.* A Daniele c. 10. v. 3. *Panis deſiderabilis.* A Davide Pſal. 103. v. 15. *Panis cor hominis confirmans.* A SS. Patribus: *Panis ſalutis.* Eundem panem D. Petrus ep. 1. c. 2. v. 2. vocavit *lac*; Chriſtus D. Joan. 4. v. 14. dixit; *Aqua, quam ego dabo ei, fiet ei in vitam æternam.* Verbo; ſacra Scriptura ſub tot allegoriis verbum Divinum nobis proponit: ut idem Clemens Alexandr. dixerit: *Omnia eſt, ut eo fruamur.* Quod Origines confirmat, cum ait hom. 7. in Exod. *Et tu ergo, ſi verbum, quod in Eccleſia prædicatur, tota fide, tota devotione, velut manna ſuſcipias, fiet tibi ipſum verbum, quodcunq; deſideras. v. g. ſi tribuleris, conſolatur te - ſi lætaris pro ſpe futuræ, cumulat tibi gaudia. Si iracundus es, mitigat te. Si in doloribus, ſanat te. Si paupertate conſumeris, erigit te, &c.* Sic ergo manna verbi Dei reddit in ore tuo ſaporem, quemcunque volueris. Allegoria omnium præcipua & nobiliſſima eſt, quam Chriſtus D. in hodierno Evangelio ore ſuo ſanctiſſimo nobis proponit, dum ait v. 11. *Semen eſt verbum Dei.* Cùm hæc allegoria ampliſſimam mihi ſuppeditet materiam, hoc tantum thema in præſenti Concione vobis proponam; in quorum cordibus tam bonum ſemen nullum proferat fructum. In decurſu advertetis, Concionem in tres partes eſſe diviſam; prima agit de via, de qua diabolus rapit bonum ſemen; altera de petris, in quibus exarceſcit; tertia de ſpinis, inter quas ſuffocatur. *§. 1. Verbum D. multis modis allegoricè dicitur.*

Cauſam, ob quam Chriſtus D. aliquorum corda, in quæ ſpargitur ſemen verbi Divini, comparet publicæ viæ, ſcimus ex hodierno Evangelio; Sicut enim ſemen, quod ex manibus ſeminantis in viam decidit, vel rapitur ab avibus, vel à tranſeuntibus conculcatur, pari ratione, licet ſubinde verbum Dei cadat in aliquorum corda, tamen ſtatim venit diabolus, & tollit illud de corde corũ, ne credentes, ſalvi fiant; Hæc eſt explicatio Salvat. noſtri. *§. 2. Quid ſit diabolum tollere ex anima, veluti via, verbum D.*

Digitized by Google

Tale cor Jobus comparat terræ, & ait c. 19. v. 12. *Venerunt latrones, & fecerunt viam per me.* Quemadmodum enim via omnibus tranſeuntibus & beſtiis patet, ſic corda eorum aperta ſunt variis cogitationibus, & curis, & tentationibus, inter quas inferni volucres ſemen verbi Dei diripiunt: de illis ait Iſa. c. 51. v. 23. *Qui dixerunt animæ tuæ, incurvare, ut tranſeamus, & poſuiſti, ut terram corpus tuum, & quaſi viam tranſeuntibus.* In tali terra aut via ſemen verbi Dei fructus ferre non poteſt, quia ſtatim rapitur à diabolo; hoc ita eſt intelligendum: agit v. g. aliquis Concionator de pœnarum & ignis in inferno æternitate, & de tormentis, quæ Deus præparavit impiis, ſuperbis, luxurioſis, blaſphemis, &c. Blaſphemus vel libidinoſus qui hoc audit, cogitat, ergò me per pœnitentiam pro peccatis meis ſatisfacere, & impoſterum illa cavere oportebit; ecce bonum ſemen! vix talis ex concione egreditur, jam toto cœlo diverſæ occurrunt cogitationes de divitiis, de voluptatibus, de ſociis, de aliorum peccatorum occaſionibus; inter quas diabolus illam cogitationem, quam conceperat de pœnitentia, de vitæ emendatione, de timore mortis, vel inferni, facillimè tollit de cordibus eorum, id eſt, ab intellectu, ne ulterius illuminetur, à voluntate, ne rurſum moveatur, à memoria, ne ejus recurrat cogitatio; hoc modo in effectu nunquam ſequetur pœnitentia. En genuinam hujus parabolæ expoſitionem! quæ in hoc conſiſtit, quod diabolus rapiat verbum Dei è cordibus eorum.

§. 3. *Idem explicatur ex hiſtoria Gen. 40. per ſomnium piſtoris & pincernæ.*

Geneſ. 40. 9. 10. reperio hiſtoriam, quæ hunc diſcurſum clarè dilucidat. Cum Joſepho admirabili Dei providentia ſimul in carcerem conjecti fuerunt piſtor & pincerna Pharaônis. Ambo habuerunt ſomnium, quod narrârunt Joſepho, his verbis; alter ait: *Somniavi, me portare ſuper caput tria caniſtra farinæ, & aves cæli comederunt ex illis.* Alter dixit: *Somniavi, me videre vitem, in illa uvas, quas expreſſi in calicem Regis.* Priori reſpondit Joſeph: *Hæc eſt interpretatio ſomnii; tria caniſtra tres adhuc dies ſunt, poſt quos auferet Pharao caput tuum, ac ſuſpendet te in cruce, & lacerabunt volucres carnes tuas.* Poſteriori verò dixit Joſeph; *Tres propagines adhuc tres dies ſunt, poſt quos recordabitur Pharao miniſterii tui, & reſtituet te in gradum priſtinum, dabiſque ei calicem juxta officium tuum.*

Huic

Huic piſtori & pincernæ meo judicio ſimiles ſunt Auditores verbi Dei: hoc enim tantùm ſemini, ſed ut ante dixi, etiam pani, vel fœcundiſſimæ viti comparari; uvæ & botri ſunt Chriſtianæ veritates, quas Apoſtolicus Concionator ſuis Auditoribus proponit, præſertim de myſteriis fidei, de vitiis & virtutibus, de quatuor hominis noviſſimis, &c. Dulces uvæ ſunt ſacræ Scripturæ, infallibiles ſententiæ, & graviſſima SS. Patrum teſtimonia; botri ſunt ſanctæ illæ cogitationes, quæ ex illis fontibus & rivulis in corda noſtra derivantur. Verùm advertite myſterium; oportet illas uvas exprimere in calicem Regis; auditum DEI verbum oportet ruminare, perpendere, ponderare, conſiderare; & hac ratione effluit vinum Divinæ charitatis, aliarumque virtutum, quarum actus ſunt fructus ſeminis verbi Divini; tales pincernas cupio eſſe meos Auditores; non verò piſtores, id eſt, ex illis, qui verbum Dei, quod portant in caniſtris ſupra caput, in aëre expoſitum, infernalibus corvis, qui rapiunt illud. Talis corvus eſt impœnitentia & obſtinatio cordis; talis corvus eſt mala conſuetudo; tales corvi ſunt mali ſocii, diaboli inſtrumenta, ut bonos fructus impediant. Sed quid fiet? iidem infernales corvi horum carnes in inferno æternum lacerabunt. *§. 4. Proſecutio.*

Perplacet mihi ſimilitudo, quâ S. Jacobus in ſua ep. c. 1. v. 23. nobis proponit, diverſitatem inter illos, qui excipiunt ſemen verbi Divini. *Si quis*, ait, *auditor eſt verbi, & non factor*; *hic comparabitur viro conſideranti vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo*; *conſideravit enim ſe, & abiit, & ſtatim oblitus eſt, qualis fuerit.* Videtur S. Jacobus velle inſinuare, viros & fœminas diversâ ratione intueri ſpeculum; Viri, niſi fœminæ ſint, id faciunt, quaſi momento; ſubitò; quaſi aliud agendo; fœminæ verò, uno, duobus, tribus quadrantibus, imò integris horis hærent ad ſpeculum. Speculum eſt verbum Dei, ſed qui obiter tantum illud inſpiciunt, qui ſemen illud in cordibus non retinent, *raro ſunt factores verbi Dei*, inquit S. Jacobus, ſed comparantur viro conſideranti, &c. Benè, diu, accuratè illud ſpeculum debemus inſpicere, ut ornemus animas noſtras, & conformemus illas imagini vel exemplari, quod nobis *§. 5. Similitudo S. Iacobi de ſpeculo.*

Digitized by Google

monſtratum eſt in monte, in cruce, &c. in qua conformatione & ſimilitudine conſiſtit fructus ſeminis verbi Dei.

§. 6. *Invectiva in illos AA. verbi D. quibus illud diſplicet.* Ad hunc ordinem Auditorum pertinent illi, de quibus ait Eccleſiaſticus c. 21. v. 18. *Audivit verbum luxurioſus, & diſplicebit illi, & projiciet illud poſt dorſum ſuum.* Talis Auditor fuit Herodes, verbum Joannis fuit: *Non licet tibi.* Sed diſplicuit ille ſermo, projecit poſt dorſum ſuum. Tales Herodes venire ſolent ad Concionem complures; cum non dicitur, quod aures titillat; diſplicet Concio: cùm non narrantur vel ludicra, vel curioſa, diſplicet: dum Concionator quaſi tuba exaltat vocem ſuam, & annuntiat ſcelera populi: dum exprobrat luxurias, fornicationes, adulteria; dum invehitur acrius in pravam jurandi blaſphemandique conſuetudinem; dum minatur obſtinatis judicium DEI terribile, dum tonat è cathedra fulminatque, diſplicet; loquimini nobis placentia, inquiunt; ſolatium quærimus in Concione, non rubum pungentem; verba blanda exſpectamus, non aſpera; roſas præſtolamur, non ſpinas, mulceri volumus, non terreri. Hos SS. Patres comparant *porcis*; hærent hi in luto, territi nonnihil attollunt caput & oculos, ſtupent, ſed mox ſuis ſordibus ſe immergunt: Talis porcus eſt auditor adulter & luxurioſus; qui dum Concionatorem audit perorantem de inferno, morte, &c. attollit nonnihil caput, cogitat de cœlo, &c. ſed mox redit ad priſtina peccata. De his loquitur Salvator noſter Matth. 7. v. 6 *Ne mittatis margaritas veſtras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus ſuis, & converſi dirumpant vos.* Margaritæ ſunt ſententiæ ex S. Scriptura, verba Spiritus S.; margarita ſunt teſtimonia SS. PP. &c. prô quot tales margaritæ per annum projiciuntur ante porcos. Hi porci deſtinati ſunt pro macello inferni; & hoc intendit diabolus, ſecundum verba Salvatoris; *Tollit illud de cordibus eorum, ne credentes, ſalvi fiant.* Hic ergo primus eſt ordo Auditorum.

§. 7. *In quorum corda cadat ſemen verbi D.* Alterum ordinem Auditorum etiam deduco ex hodierno Evangelio, & quidem illis Chriſti D. verbis: *Aliud cecidit ſuper petram, & natum aruit, quia non habuit humorem.* Quæ verba Salvator Ipſe ſic explicat: *Hi ſunt, qui cùm audierint, cum gaudio ſuſcipiunt verbum, & hi radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore*

pore

pore tentationum recedunt. Cadit ſcilicet hoc bonum ſemen in terram petroſam. Elegans eſt ſimilitudo S. Pauli ad Hebr. 6. v. 7. *Terra ſeminata, venientem ſuper ſe bibens imbrem; nec tamen fructum proferens,* [ob latentes petras] *ſed arida tantum germina, vel tribulos & lolia, reproba eſt, & maledicto proxima, cujus conſummatio in combuſtionem;* Idem planè ſentiendum eſt de quorundam cordibus, in quæ projicitur ſemen verbi Divini. Veniunt, bibunt imbrem; id eſt, audiunt Conciones, &c. neque tamen proferunt fructum, ſed lolia, ſed tribulos, ſed zizania; O reprobi! O maledicto proximi! quorum conſummatio in combuſtionem.

Inſinuat tamen multitudo petroſos hos Auditores verſari in duplici differentia? Aliqui dum audiunt verbum Dei, dum ferventi interſunt Concioni, ſaltem ad tempus, ad horam, ad mediam horam, ut SS. Patres loquuntur, commoventur; corda eorum petræ ſunt, ſed contecta bona terra, in qua projectum ſemen radices ſaltem agit. Eſt v. g. peccator, qui audit Concionem de morte, & revera ita commovetur animo, ut ſanctiſſima concipiat propoſita de vitæ emendatione, de verâ pœnitentia, &c. ſed ad tempus! mox! intra horam, oblatâ occaſione peccandi, vel ſtimulante carne, vel ſuggerente diabolo, omnes illæ piæ cogitationes exareſcunt. *§. 8. Proſecutio, qua duplicem inſinuat differentiam Auditorum verbi D.*

Semen, quod cadit ſuper petram, naſcitur quidem, ſed non adoleſcit, imò mox areſcit. Tale olim fuit ingenium Judæorum; moniti atque etiam caſtigati à Moyſe, &c. ſancta cogitârunt; mox nihilominus declinârunt ad vitia. Ut dicat D. Epiphanius in Biblioth. homil. in hæc verba; *Neque mora contumaciæ, fervori, iniquitatis fœtum ſtatim profundit;* Ejuſmodi enim Judæorum eſt ingenium, vitæque inſtitutum; cum legem in deſerto accepiſſent, ad Moyſen converſi ajebant: *Omnia, quæcunque dixerit Dominus, faciemus.* Et qui hoc ſanctè promittebant, inanimi vitulo, paulò poſt Divinum cultum deferebant. Hoc eſt ingenium eorum, qui, cum audire volunt verbum Dei, ſaxea afferunt corda; moventur, ſtatuunt in animo multa ad Dei gloriam, ad propriam ſalutem; dicunt: *Omnia faciemus, &c.* Verùm nulla talis cogitatio adoleſcit; areſcit ſtatim. Bonum ſemen cecidit ſupra petras. *§. 9. Quinam audiunt verbum D. ut olim Iudæi verba Moyſis.*

Audiviſtis

§ 10. *Et Rex Nabuchodonoſor.*

Audiviſtis ſine dubio alias de mirabili ſomnio, quo conterritus fuit Rex Nabuchodonoſor Dan. 4. proinde dixit v. 3. *Per me poſitum eſt decretum, ut introducantur in conſpectu meo cuncti ſapientes Babylonis, ut ſolutionem ſomnii indicent mihi. Tunc ingrediebantur arioli, Magi, Chaldæi & aruſpices.* Veritatem Rex voluit intelligire à Sapientibus, v. g. Daniele; hoc bonum. Mox advocat ariolos, hoc peſſimum! Rich. de S. Victore l. 2. de erud. hom. inter par. 1. cap. 5. *Tunc,* inquit, *ingrediebantur arioli; Quid eſt tunc? niſi poſt decretum, poſt deliberationis propoſitum? multi enim ſæpe multa proponunt, minimè tamen faciunt; quia quàm facile aliquid ſtatuunt, tam facile rurſus ſtatuta dejiciunt. Nihil virtutis, nihil boni in cordibus talium Auditorum poteſt adoleſcere; ſed cum primum apparet virtus, areſcit! nec ſinitur à pravis affectibus, ad profectum adduci.* Dicite Auditores, an non ejusmodi homines & noſtra habent tempora? O quotusquisque ſentit ſub Concione moveri cor ſuum! ſentit & percipit loquentem ſibi ſpiritum, ſentit & proponit vitæ correctionem in melius; dicunt in cordibus ſuis cum Davide: *Dixi nunc cæpi.* Dicunt cum Judæis: *Omnia, quæcunque nobis dixerit Deus, faciemus.* At ſicut dicunt, ita & omittunt. Radices non habet Divinum ſemen! vix media elabitur horula, & ecce itur in antiquam ſylvam, juratur, ut ante, detrahitur ut ante, laſcivitur ut ante, invidetur ut ante.

§. 11. *Invectiva in illos A. qui dum audiunt verbum D. nihil moventur. Corda eorum ſunt petra.*

Alii verò ad Conciones tam petroſa afferunt corda, ut ne quidem ad quadrantem moveantur, de tali Auditore ait Job. c. 41. v. 15. *Cor ejus quaſi lapis indurabitur.* Zacharias cap. 7. v. 12. *Cor ſuum poſuerunt ut adamantem.* Jeremias cap. 5. verſ. 3. *Induraverunt faciem ſuam ſupra petram, & noluerunt reverti.* Tale cor, talem petram, tale ſaxum ita deſcribit S. Bernardus l. 1. de conſid. cap. 2. *Cor durum eſt, quod nec compunctione ſcinditur, nec pietate mollitur; non movetur precibus,* [dicat aliquis Concionator cum S. Paulo, per Chriſtum! pro Chriſto! vel per amorem Jeſu, per pretioſum ejus ſanguinem; fruſtra omnia] non cedit minis [minatur aliquis Concionator mortem, judicium, infernum! fruſtra] *induratur flagellis; præteritorum obliviſcens, præſentium negligens, futura non prævidens.*

Verbo;

Verbo; aliqui Auditores verbo Divino ad bonum induci non poſſunt. Eſt quidem ſermo Dei, ſagitta acuta, ignea, ardens! Concionator, zelo divinæ gloriæ accenſus accendit illam in fornace cordis Chriſti, intingit illas in cruore Jeſu, ut lædant fortius, ſed feriunt corda adamantina. Sermo Dei eſt gladius efficax, eſt fulgur & tonitru, eſt malleus, multi tamen tam dura habent corda, ut conteri non poſſint. Etſi novus Joannes Baptiſta reſurgeret, vel Elias quaſi ignis, cujus verbum ut facula arſit, vel novus Jonas, nihil tamen efficeret. Si itaque tales non fruſtra velint recipere ſemen verbi Dei, neceſſe eſt, ex cordibus ejiciant lapides, veluti ex agro, à quo quis magnum multumque fructum exſpectat. S. Paulus 2. ad Cor. 3. v. 2. *Epiſtola eſtis Chriſti miniſtrata, à nobis & ſcripta, non atramento, ſed ſpiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus.* Præclarè tu quidem doctor Paule! at quid ſi dura ſint Auditorum corda, atque ita dura, ut nullam patiuntur ſcripturam? Fruſtra tum laboratis Eccleſiaſtæ; fruſtra ſermonem Dei etiam pretioſo Chriſti ſanguine conamini inſcribere in mentibus, quæ ſaxa & petras referunt! Mi JESU! tu, tu ejuſmodi corda emolli, tu, tu Divinâ gratiâ tuâ ceu malleo contere has petras, ut ſanctiſſimos æternæ vitæ characteres patiantur. §. 12. *Proſecutio.*

Aliorum Auditorum corda plena ſunt ſpinis, inter quas ſemen verbi Dei ſuffocatur, ut fructum ferre non poſſit: quænam ſpinæ illæ ſint, his verbis explicat Chriſtus D. in Evangelio: *Hi ſunt, qui audierunt, & à ſolicitudinibus, & à divitiis, & à voluptatibus vitæ euntes ſuffocantur, & non referunt fructum.* In ſchola mundi honores videntur eſſe roſæ, in gymnaſio Chriſti ſunt ſpinæ. Sæculi amatores putant, honores eſſe flores, ſervi Dei agnoſcunt eſſe tribulos; Ideo Chriſtianè Rex ille Chriſtianus dixit, dum Regia corona vertici imponeretur! *O ſplendens corona, quot eheu! ſub rutilantibus gemmis tegis ſpinas!* Urbanus VII. dum linea & delicatiſſima candida veſte in coronatione indueretur, exclamavit: *Quis credat tam ſubtili indumento, tantum ponderis* [& tot ſpinas] *involvi:* Non diduco hæc modo latius; hoc moneo; qui jacent inter has ſpinas, qui amant honores, qui in magna digni- §. 13. *Inter ſpinas quoque ſuffocatur ſemen verbi D.*

Digitized by Google

tate ſunt conſtituti, veniunt quidem ſubinde ad Conciones, recipiunt ſemen verbi Dei, ſed ſine fructu, quia ſtatim ſuffocatur.

§. 14. *An divitiæ & voluptates ſpinæ?*

Verum quid refero quod paradoxum eſt apud prudentes & filios hujus ſæculi? divitiæ & voluptates ſint ſpinæ? Sic eſt! ridet hoc effatum ſapientia, vel potius ſtultitia hujus mundi. Interim, veriſſimum eſt, ipſa edixit veritas, divitias eſſe ſpinas! Quid dicitis divites? habete patientiam, veniet hora, qua cernetis oculis, Chriſtum D. mentiri non potuiſſe. Experiemini, divitias eſſe ſpinas. Id quod olim expertus fuit Radbodus Dux Friſiæ [refert Surius 20. Martii in vita S. Wolframi.] Perſonatus dæmon, ejus filio promiſit aureum poſt hanc vitam palatium; addidit ſe illud in ſylva ſtatim monſtraturum; mittitur manè quidam Diaconus oculis illud inſpecturus. Et revera ad talem venit domum; ex auro & argento conſtructam, audivitque vocem: *Hac domus & ſedes eſt, quam Radbodo Deus ſuus poſt hanc moralitatem ſe daturum promiſit*, ſed inclamante Diacono ad ſignum crucis: *Si à Deo eſt, duret! ſi à diabolo, diſpereat!* momento evanuêre omnia; advertitque Diaconus, ſe poſitum inter medias ſpinas. Tales domos ſuis offert mundus, &c. ſed quia vana & caduca ſunt bona hujus mundi, non durant, diſpereunt, in agone miſeri ſe advertunt involutos ſpinis. *Conſcientia* [inquit D. Chryſoſt.] *quovis ſtimulo acrius pungere conſuevit peccatorem.* In hora mortis, vel maximè id facit. D. Ambr. l. 4. in S. Lucam cap. 4. *Tunc tribulos & ſpinas, animo caro, hoc eſt curarum morſus, ſollicitudinemque, generat.*

§. 15. *Deus impios tandem punit per ſpinas.*

In peculiarem impiorum vindictam. Jud 8. v. 5. victorioſus Gedeon, dum Madianitas perſequitur in tranſitu, incolis civitatis Socoth ait: *Date obſecro panes populo, qui mecum eſt.* Pro pane amaris verbis tantum Ducem ſunt proſecuti, uſque adeo ut iratus juraverit: *Cum reverſus fuero, victor in pace, conteram carnes veſtras, cum ſpinis tribuliſque deſerti.* Et fecit; in reditu violentâ manu aggrediens & expugnans urbem; tulit ſeniores civitatis & ſpinas deſerti, ac tribulos, & contrivit cum eis, atque comminuit viros Socoth. Deum immortalem! potuitne tam crudelis eſſe Gedeõ in miſeros mortales? profecto hoc non punire eſt, ſed ſævire, inter ſpinas ac tribulos hominem volutari, verti, reverti;

an

an non atrox ille cruciatus? ecquis dubitet? agedum verò, ecquid cauſæ habuit Gedeon? quid illum ad hoc vindictæ genus exercendum induxit? Eccur per ſpinas potius quam per haſtas, aut gladios pœnam ab iis voluit expoſcere? Latet myſterium, quod explicat Abulenſis, verba attendite: *Viri Socoth protulerant verba pungitiva & amara contra Gedeonem. Verba illorum fuerunt ſpina in animo & corde tanti bellatoris; ideo ſtatuit, ſpinis quoque ſævire in hoſtium & rebellium corda.*

Caveant ſibi, quorum corda in hac vita ita ſunt obſita & involuta ſpinis, ut ſemen verbi Divini neceſſariò inter illas ſuffocetur; caveant, qui ſpina graviſſimorum ſcelerum in Diviniſſimum Jeſu caput, iterum intrudnnt, &c. Veniet hora, qua cœleſtis Gedeon iratus veſtra corda conteret & comminuet. §.16. *Proſecutio.*

Quid medii? refert Moſchus in Prorato ſpirituali cap. 107. Geraſimo Abbati, obambulanti ad ripas Jordanis, occurriſſe leonem, ſed gradu tardo, triſtique corporis compoſitione, perinde ac ſi aliquid ab illo peteret; mox advertit vir pius, leonis alteri pedi grandem infixam eſſe ſpinam; quâ extractâ, leo illi abblandiens, eundem fuit ſecutus uſque ad Monaſterium; nec unquam deinde ab illo recedere voluit: quoad mortuo tandem Geraſimo, leo incubans ejus ſepulchro expivarit. Tu. tu impie! es ille leo! eheu quot ſpinis vulneratum eſt cor tuum! quam profunde inhærent pectori tuo; quis extrahere, quis ſuccurrere tibi poterit: non ſupereſt alius, præter cœleſtem Geraſimum, præter Jeſum redemptorem, vade, curre ad Jordanem divinæ miſericordiæ, ſupplica, inſta, urge, ut Jeſus extrahat has ſpinas! cùm extraxerit, nunquam ab illo recede; ſed ſub cruce ejus ſede, & gratias age continuas, nec modum ponas gratiarum actioni, donec vitæ tuæ finem beata mors impoſuerit. Finem huic meæ Concioni imponet hiſtoria, non minus pathetica quàm mira, cujus Auctorem habeo Anton. Bonfin. de rebus Hungar. ad An. 1415. In prælio, quo Sigiſmundus Cæſar cum hoſtibus in Italia conflixit, alios inter Cæſaris milites occidit lethali ictus vulnere unus, magnæ Matris Deiparæ cultui inprimis addictus. Rem miram audite & obſtupeſcite. Multis à prælio annis Cæſar cum aula ſua præter hanc ipſam viam iter habens, percipit è vicino dumeto neſcio quam §.17. *Epilogus.*

Digitized by Google

vocem triſtem ac lamentabilem, perinde ac ſi hominis eſſet moribundi, Ah! ah! væ! juvate, juvate, ingeminantis accurrit mox unus è Cæſaris famulitio, dumetum perluſtrat, cum ecce tibi mediis in ſpinis hominem reperit, ſeu potius cadaver hominis jam ſemi corrupti, ac velut putrefacti, adeoque ſpinis toto corpore horridi & Erinaceo, quàm homini ſimilior videtur. Interrogat aulicus, quid hominis, & quo caſu hunc in locum ſtatumque pervenerit? Accedit interim & ipſe Cæſar, hominem cum admiratione aſpicit, alloquitur, interrogat? Cui ille mœſta & penè emortua voce hunc in modum reſpondit: Salvete, inquit, quotquot hic adeſtis, bono meo ſalutique à Deo ſubmiſſi. Me quod attinet, infelix ego ſum miles, qui ante annos jam complures hoc ipſo in loco ſub Auguſto Sigiſmundo militans, accepto lethali vulnere cecidi, pro tumulo habui ſpinas, & periiſſem, niſi me magna Mater ac Virgo Deipara in hanc uſque horam ſingulari ſuo favore atque ope ſervaſſet, huic uni poſt Deum in acceptis refero hanc qualem qualem vitam meam, quam ubi animam ſacra Eximolegeſi expiavero, felici morte concludam. Quocirca oro vos atque obteſtor, Confeſſarium mihi illicò accerſite; Quod petiit, obtinuit, & poſtquam obtinuiſſet, piiſſima morte è ſpinis evolavit ad roſas. Dicite nunc AA. quid ſentitis? dicito; O peccatrix anima, quæ jam ab annis compluribus jaces in ſpinis ſcelerum graviſſimorum! Heu jaces & taces! nunc, nunc oculos tandem aperi, nunc è ſpinis, cùm potes, cùm habes Confeſſarii copiam, te expedi! hanc tibi gratiam, hoc tempus, hanc occaſionem Deus & Dei Mater præſtat; è ſpinis potes, ſi modò vis, ad roſas contendere.

CON-

CONCIO XII.

DOMINICA QUINQUAGESIMÆ.

Cæcus quidam ſedebat ſecus viam,

Lucæ 18. verſ. 35.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponit I. Cœcitatem mentis eſſe pœnam peccati mortalis. II. In quàm periculoſo ſtatu vivant ſpiritualiter cœci; ob varios hujus cœcitatis effectus. III. Bonus Jeſus à tanto malo poteſt nos liberare.

§. 1. *Cur S. Lucas nobilis pictor in uno Evangelio, combinârit myſterium Paſſionis, & cæcum?*

§. 2. *Pœna graviſſima peccati mortalis eſt cæcitas mentis.*

§. 3. *Deplorandi effectus ſpiritualis cæcitatis.*

§. 4. *Explicatur ex Cicerone, in quo hæc cæcitas mentis conſiſtat.*

§. 5. *Cum quanto animæ & æternæ ſalutis periculo.*

§. 6 *Pergunt tales cæci rectà ad infernum, & non vident niſi in agone.*

§. 7. *Similitudo.*

§. 8. *Obſtinati cæci derelinquentur à Deo, ne convertantur, de quo Chriſtus D. queſtus fuit in cruce.*

§. 9. *Quædam teſtimonia SS. Patrum.*

§. 10. *Ideò diabolus inſidiatur oculis humanæ mentis.*

§. 11. *Similitudo.*

§. 12. *Quâ ratione diabolus vincat fortiſſimos leones.*

§. 13. *Ad duellum ſunt neceſſarii oculi.*

§. 14. *Confirmatio paragraphi decimi.*

§. 15. *Sic Deus punit impios cæcitate mentis.*

§. 16. *Efficax medium internæ cæcitatis eſt ſanguis Chriſti.*

§. 17. *Cur Chriſtus Dominus poſt mortem in cruce voluerit aperiri latus ſuum, & transfigi cor.*

§. 1. *Cur S. Lucas nobilis pictor in uno Evangelio combinârit myſterium paſſionis & cæcum?*

COmmunis opinio eſt, S. Lucam Evangeliſtam fuiſſe eximium pictorem. Certe qualis, & quàm eximius pictor fuerit, oſtendit luculenter in hodierno Evangelio, in cujus prima parte, præcipua paſſionis myſteria, captivitatem, illuſionem, flagellationem, & infame genus mortis, paucis quidem verbis, ſed vivaciſſimis depinxit, & oculis noſtris præſentavit. In altera parte Evangelii depingit miſerum cœcum hominem, ſedentem ſecus viam, qui dum audivit Jeſum tranſire, brevi, ſed ferventi petitione ait v. 38. cit. cap. *Jeſu fili David, miſerere mei! Domine, ut videam!* ſanos videnteſq; oculos, ab eodem obtinuit. Poſtquam ego vobis oſtendero, in ſenſu myſtico, miſerum peccatorem excœcari à peccatis, proinde in quàm periculoſo vivat ſtatu; quas item diabolus tali cœco ſive peccatori ſtruat inſidias; præſertim ejus oculis; advertetis, S. Lucam non ſine cauſa combinâſſe hæc duo; myſteria paſſionis, ſive tranſeuntem Jeſum; & cœcum; à nullo enim, miſer peccator ſanari poterit, niſi à Jeſu, & quidē pretioſo balſamo, ſive collyrio pretioſiſſimi ejus ſanguinis.

§. 2. *Pœna graviſſima peccati mortalis eſt cœcitas mentis.*

Pœna graviſſimi peccati mortalis eſt cœcitas mentis: probo ex ſacris literis. Deut. 28. v. 28. *Percutiet te Dominus amentia & cæcitate, ut palpes in meridie, ſicut palpare ſolet cæcus in tenebris.* Additur cauſa. *Quia non audiviſti vocem Domini Dei tui, nec ſervaſti mandata ejus.* Clarius Sophonias c. 1. v. 17. *Ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt.* Sapientiæ c. 2. v. 21. *Excæcavit eos malitia eorum.* Sermo eſt de concilio Judæorum contra Chriſtum D. & miratur quaſi ſacer textus, quomodo fuerit poſſibile, ut Phariſæi innocentiſſimum Agnum adeo fuerint perſecuti; q. d. non feciſſent, niſi fuiſſent cœcitate correpti. Cap. 4. Prov. ait v. 18. *Juſtorum ſemita quaſi lux ſplendens; via impiorum tenebroſa.* Id quod S. Auguſtinus poſt ſuam converſionem his verbis fuit lamentatus: *Et converſus ſum, & vidi tenebras, in quibus fueram, & abyſſum tenebroſam, in qua jacueram;*

Digitized by Google

cuëram; & contremui & expavi, & dixi; Væ! væ! tenebris meis! Væ! væ! cæcitati illi! væ! væ! ignorantiæ! In ſimili abyſſo! in talibus tenebris! jacet, quiſquis actu eſt in ſtatu peccati mortalis. Atque hoc Oſeas eleganter expreſſit his verbis c. 7. v. 4. *Omnes adulterantes, quaſi clibanus ſuccenſus à coquente.* Cur impii comparantur clibano? acutiſſimè. In clibano accenſo duo ſunt, ignis & denſiſſimus craſiſſimusque fumus, qui aſtantium oculos quaſi excœcat. Idem contingit in corde peccatoris; quamprimum exarſerit ignis concupiſcentiæ; non deerit fumus, qui internos intelligentiæ & rationis oculos occupabit, adeoque excœcabit, ut meritò cum S. Auguſt. exclamare poſſit; *Væ! tenebris! væ ignorantiæ!*

Excœcationis hujus deplorandos effectus deſcribit S. Paul. ad Rom. c. 1. v. 21. *Obſcuratum eſt inſipiens cor eorum; tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant ea, quæ non conveniunt; repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, plenos invidia, contentione, dolo, malignitate ſuſurrones, detractores, Deo odibiles.* Quibus contingit, quod Ezechiel c. 8. v. 12. refert contigiſſe nequam Sacerdotibus in templo; Vapor enim nebulæ conſurrexit de thure, quo fumo adeo fuerunt excœcati, ut auſi fuerint dicere: *Non videt Dominus nos!* Quod cum impius ſibi perſuadet, in quæ nõ ruet ſcelera? ſed heus ſceleſte, videt videt te tuus Jeſus, quem ſpinis coronas; cum putes ab illo te non conſpici, non miror tuam ſuperbiam profundius imprimere illi ſpineam coronam. Sed tu cœcus es! non Deus, non Chriſtus tuus Salvator Sceleſte! tu cum Judæis velas faciem Chriſti, ut ſputa tuarum blaſphemiarum liberius in os ejus projicias; ut petulantius eum colaphizes, ut pugnos impingas, &c. arbitraris enim, te non videri, quia obſcuratum eſt inſipiens cor tuum; quia Deus juſto ſuo judicio tradidit te in reprobum ſenſum; ut ſcelera committas horrenda. Cœcus es! time! expaveſce! O ſi videres tenebroſam abyſſum, in qua deliteſcis! ſine dubio exclamares cum S. Auguſtino: *Væ! tenebris! væ ignorantiæ! væ cæcitati, quæ impii à Deo percutiuntur.* §. 3. *Deplorandi effectus ſpiritualis cæcitatis.*

In quo interior mentis cœcitas in impio conſiſtat, meo judicio gentilis Cicero eleganter expoſuit, cum dixit de illicita voluptate: *Nihil eſt tam deteſtabile, tamq; peſtiferũ* [lib. de ſeneƈt.] *quàm illicita voluptas; Siquidem cum major eſt, atq; longior, omne animi lumẽ extinguit.* §. 4. *Explicatur ex Cicerone, in quo hæc cæcitas mentis conſiſtat.*

monſtratum eſt in monte, in cruce, &c. in qua conformatione & ſimilitudine conſiſtit fructus ſeminis verbi Dei.

§. 6. *Invectiva in illos AA. verbi D. quibus illud diſplicet.*

Ad hunc ordinem Auditorum pertinent illi, de quibus ait Eccleſiaſticus c. 21. v. 18. *Audivit verbum luxurioſus, & diſplicebit illi, & projiciet illud poſt dorſum ſuum.* Talis Auditor fuit Herodes, verbum Joannis fuit: *Non licet tibi.* Sed diſplicuit ille ſermo, projecit poſt dorſum ſuum. Tales Herodes venire ſolent ad Concionem complures; cum non dicitur, quod aures titillat; diſplicet Concio: cùm non narrantur vel ludicra, vel curioſa, diſplicet: dum Concionator quaſi tuba exaltat vocem ſuam, & annuntiat ſcelera populi: dum exprobrat luxurias, fornicationes, adulteria; dum invehitur acrius in pravam jurandi blaſphemandique conſuetudinem; dum minatur obſtinatis judicium DEI terribile, dum tonat è cathedra fulminatque, diſplicet; loquimini nobis placentia, inquiunt; ſolatium quærimus in Concione, non rubum pungentem; verba blanda exſpectamus, non aſpera; roſas præſtolamur, non ſpinas, mulceri volumus, non terreri. Hos SS. Patres comparant *porcis*; hærent hi in luto, territi nonnihil attollunt caput & oculos, ſtupent, ſed mox ſuis ſordibus ſe immergunt: Talis porcus eſt auditor adulter & luxurioſus; qui dum Concionatorem audit perorantem de inferno, morte, &c. attollit nonnihil caput, cogitat de cœlo, &c. ſed mox redit ad priſtina peccata. De his loquitur Salvator noſter Matth. 7. v. 6 *Ne mittatis margaritas veſtras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus ſuis, & converſi dirumpant vos.* Margaritæ ſunt ſententiæ ex S. Scriptura, verba Spiritus S.; margarita ſunt teſtimonia SS. PP. &c. prô quot tales margaritæ per annum projiciuntur ante porcos. Hi porci deſtinati ſunt pro macello inferni; & hoc intendit diabolus, ſecundum verba Salvatoris; *Tollit illud de cordibus eorum, ne credentes, ſalvi fiant.* Hic ergo primus eſt ordo Auditorum.

§. 7. *In quorum corda cadat ſemen verbi D.*

Alterum ordinem Auditorum etiam deduco ex hodierno Evangelio, & quidem illis Chriſti D. verbis: *Aliud cecidit ſuper petram, & natum aruit, quia non habuit humorem.* Quæ verba Salvator Ipſe ſic explicat: *Hi ſunt, qui cùm audierint, cum gaudio ſuſcipiunt verbum, & hi radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore*

pore

Digitized by Google

pore tentationum recedunt. Cadit ſcilicet hoc bonum ſemen in terram petroſam. Elegans eſt ſimilitudo S. Pauli ad Hebr. 6. v. 7. *Terra ſeminata, venientem ſuper ſe bibens imbrem; nec tamen fructum proferens,* [ob latentes petras] *ſed arida tantum germina, vel tribulos & lolia, reproba eſt, & maledicto proxima, cujus conſummatio in combuſtionem*; Idem planè ſentiendum eſt de quorundam cordibus, in quæ projicitur ſemen verbi Divini. Veniunt, bibunt imbrem; id eſt, audiunt Conciones, &c. neque tamen proferunt fructum, ſed lolia, ſed tribulos, ſed zizania; O reprobi! O maledicto proximi! quorum conſummatio in combuſtionem.

§. 8. *Proſecutio, qua duplicem inſinuat differentiam Auditorum verbi D.*

Inſinuat tamen multitudo petroſos hos Auditores verſari in duplici differentia? Aliqui dum audiunt verbum Dei, dum ferventi interſunt Concioni, ſaltem ad tempus, ad horam, ad mediam horam, ut SS. Patres loquuntur, commoventur; corda eorum petræ ſunt, ſed contecta bona terra, in qua projectum ſemen radices ſaltem agit. Eſt v. g. peccator, qui audit Concionem de morte, & revera ita commovetur animo, ut ſanctiſſima concipiat propoſita de vitæ emendatione, de verâ pœnitentia, &c. ſed ad tempus! mox! intra horam, oblatâ occaſione peccandi, vel ſtimulante carne, vel ſuggerente diabolo, omnes illæ piæ cogitationes exareſcunt.

§. 9. *Quinam audiunt verbum D. ut olim Iudæi verba Moyſis.*

Semen, quod cadit ſuper petram, naſcitur quidem, ſed non adoleſcit, imò mox areſcit. Tale olim fuit ingenium Judæorum; moniti atque etiam caſtigati à Moyſe, &c. ſancta cogitârunt; mox nihilominus declinârunt ad vitia. Ut dicat D. Epiphanius in Biblioth. homil. in hæc verba; *Neque mora contumacia, fervori, iniquitatis fœtum ſtatim profundit*; Ejuſmodi enim Judæorum eſt ingenium, vitæque inſtitutum; cum legem in deſerto accepiſſent, ad Moyſen converſi ajebant: *Omnia, quæcunque dixerit Dominus, faciemus.* Et qui hoc ſanctè promittebant, inanimi vitulo, paulò poſt Divinum cultum deferebant. Hoc eſt ingenium eorum, qui, cum audire volunt verbum Dei, ſaxea afferunt corda; moventur, ſtatuunt in animo multa ad Dei gloriam, ad propriam ſalutem; dicunt: *Omnia faciemus, &c.* Verùm nulla talis cogitatio adoleſcit; areſcit ſtatim. Bonum ſemen cecidit ſupra petras.

Audiviſtis

Digitized by Google

§ 10. *Et Rex Nabuchodonoſor.*

Audiviſtis ſine dubio alias de mirabili ſomnio, quo conterritus fuit Rex Nabuchodonoſor Dan. 4. proinde dixit v. 3. *Per me poſitum eſt decretum, ut introducantur in conſpectu meo cuncti ſapientes Babylonis, ut ſolutionem ſomnii indicent mihi. Tunc ingrediebantur arioli, Magi, Chaldæi & aruſpices.* Veritatem Rex voluit intelligire à Sapientibus, v. g. Daniele; hoc bonum. Mox advocat ariolos, hoc peſſimum! Rich. de S. Victore l. 2. de erud. hom. inter par. 1. cap 5. *Tunc,* inquit, *ingrediebantur arioli; Quid eſt tunc? niſi poſt decretum, poſt deliberationis propoſitum? multi enim ſæpe multa proponunt, minimè tamen faciunt; quia quàm facile aliquid ſtatuunt, tam facile rurſus ſtatuta dejiciunt. Nihil virtutis, nihil boni in cordibus talium Auditorum poteſt adoleſcere; ſed cumprimum apparet virtus, areſcit! nec ſinitur à pravis affectibus, ad profectum adduci.* Dicite Auditores, an non ejusmodi homines & noſtra habent tempora? O quotusquisque ſentit ſub Concione moveri cor ſuum! ſentit & percipit loquentem ſibi ſpiritum, ſentit & proponit vitæ correctionem in melius; dicunt in cordibus ſuis cum Davide: *Dixi nunc cœpi.* Dicunt cum Judæis: *Omnia, quæcunque nobis dixerit Deus, faciemus.* At ſicut dicunt, ita & omittunt. Radices non habet Divinum ſemen! vix media elabitur horula, & ecce itur in antiquam ſylvam, juratur, ut ante, detrahitur ut ante, laſcivitur ut ante, invidetur ut ante.

§. 11. *Invectiva in illos Aqui dum audiunt verbum D. nihil moventur. Corda eorum ſunt petra.*

Alii verò ad Conciones tam petroſa afferunt corda, ut ne quidem ad quadrantem moveantur, de tali Auditore ait Job. c. 41. v. 15. *Cor ejus quaſi lapis indurabitur.* Zacharias cap. 7. v. 12. *Cor ſuum poſuerunt ut adamantem.* Jeremias cap. 5. verſ. 3. *Induraverunt faciem ſuam ſupra petram, & noluerunt reverti.* Tale cor, talem petram, tale ſaxum ita deſcribit S. Bernardus l. 1. de conſid. cap. 2. *Cor durum eſt, quod nec compunctione ſcinditur, nec pietate mollitur; non movetur precibus,* [dicat aliquis Concionator cum S. Paulo, per Chriſtum! pro Chriſto! vel per amorem Jeſu, per pretioſum ejus ſanguinem; fruſtra omnia] non cedit minis [minatur aliquis Concionator mortem, judicium, infernum! fruſtra] *induratur flagellis; præteritorum obliviſcens, præſentium negligens, futura non prævidens.*

Verbo;

Verbo; aliqui Auditores verbo Divino ad bonum induci non poſſunt. Eſt quidem ſermo Dei, ſagitta acuta, ignea, ardens! Concionator, zelo divinæ gloriæ accenſus accendit illam in fornace cordis Chriſti, intingit illas in cruore Jeſu, ut lædant fortius, ſed feriunt corda adamantina. Sermo Dei eſt gladius efficax, eſt fulgur & tonitru, eſt malleus, multi tamen tam dura habent corda, ut conteri non poſſint. Etſi novus Joannes Baptiſta reſurgeret, vel Elias quaſi ignis, cujus verbum ut facula arſit, vel novus Jonas, nihil tamen efficeret. Si itaque tales non fruſtra velint recipere ſemen verbi Dei, neceſſe eſt, ex cordibus ejiciant lapides, veluti ex agro, à quo quis magnum multumque fructum exſpectat. S. Paulus 2. ad Cor. 3. v. 2. *Epiſtola eſtis Chriſti miniſtrata, à nobis & ſcripta, non atramento, ſed ſpiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus.* Præclarè tu quidem doctor Paule! at quid ſi dura ſint Auditorum corda, atque ita dura, ut nullam patiuntur ſcripturam? Fruſtra tum laboratis Eccleſiaſtæ; fruſtra ſermonem Dei etiam pretioſo Chriſti ſanguine conamini inſcribere in mentibus, quæ ſaxa & petras referunt! Mi JESU! tu, tu ejuſmodi corda emolli, tu, tu Divinâ gratiâ tuâ ceu malleo contere has petras, ut ſanctiſſimos æternæ vitæ characteres patiantur. §. 12. *Proſecutio.*

Aliorum Auditorum corda plena ſunt ſpinis, inter quas ſemen verbi Dei ſuffocatur, ut fructum ferre non poſſit: quænam ſpinæ illæ ſint, his verbis explicat Chriſtus D. in Evangelio: *Hi ſunt, qui audierunt, & à ſolicitudinibus, & à divitiis, & à voluptatibus vitæ euntes ſuffocantur, & non referunt fructum.* In ſchola mundi honores videntur eſſe roſæ, in gymnaſio Chriſti ſunt ſpinæ. Sæculi amatores putant, honores eſſe flores, ſervi Dei agnoſcunt eſſe tribulos; Ideo Chriſtianè Rex ille Chriſtianus dixit, dum Regia corona vertici imponeretur! *O ſplendens corona, quot eheu! ſub rutilantibus gemmis tegis ſpinas!* Urbanus VII. dum linea & delicatiſſima candida veſte in coronatione indueretur, exclamavit: *Quis credat tam ſubtili indumento, tantum ponderis* [& tot ſpinas] *involvi:* Non diduco hæc modo latius; hoc moneo; qui jacent inter has ſpinas, qui amant honores, qui in magna digni- §. 13. *Inter ſpinas quoque ſuffocatur ſemen verbi D.*

tate ſunt conſtituti, veniunt quidem ſubinde ad Conciones, recipiunt ſemen verbi Dei, ſed ſine fructu, quia ſtatim ſuffocatur.

§. 24. An divitiæ & voluptates ſpinæ!

Verum quid refero quod paradoxum eſt apud prudentes & filios hujus ſæculi? divitiæ & voluptates ſint ſpinæ? Sic eſt! ridet hoc effatum ſapientia, vel potius ſtultitia hujus mundi. Interim, veriſſimum eſt, ipſa edixit veritas, divitias eſſe ſpinas! Quid dicitis divites? habete patientiam, veniet hora, qua cernetis oculis, Chriſtum D. mentiri non potuiſſe. Experiemini, divitias eſſe ſpinas. Id quod olim expertus fuit Radbodus Dux Friſiæ [refert Surius 20. Martii in vita S. Wolframi.] Perſonatus dæmon, ejus filio promiſit aureum poſt hanc vitam palatium; addidit ſe illud in ſylva ſtatim monſtraturum; mittitur manè quidam Diaconus oculis illud inſpecturus. Et revera ad talem venit domum; ex auro & argento conſtructam, audivitque vocem: *Hæc domus & ſedes eſt, quam Radbodo Deus ſuus poſt hanc moralitatem ſe daturum promiſit*, ſed inclamante Diacono ad ſignum crucis: *Si à Deo eſt, duret! ſi à diabolo, diſpereat!* momento evanuêre omnia; advertitque Diaconus, ſe poſitum inter medias ſpinas. Tales domos ſuis offert mundus, &c. ſed quia vana & caduca ſunt bona hujus mundi, non durant, diſpereunt, in agone miſeri ſe advertunt involutos ſpinis. *Conſcientia* [inquit D. Chryſoſt.] *quovis ſtimulo acrius pungere conſuevit peccatorem.* In hora mortis, vel maximè id facit. D. Ambr. l. 4. in S. Lucam cap. 4. *Tunc tribulos & ſpinas, animo caro, hoc eſt curarum morſus, ſollicitudinemque, generat.*

§. 15. Deus impios tandem punit per ſpinas.

In peculiarem impiorum vindictam. Jud 8. v. 5. victorioſus Gedeon, dum Madianitas perſequitur in tranſitu, incolis civitatis Socoth ait: *Date obſecro panes populo, qui mecum eſt.* Pro pane amaris verbis tantum Ducem ſunt proſecuti, uſque adeo ut iratus juraverit: *Cum reverſus fuero, victor in pace, conteram carnes veſtras, cum ſpinis tribuliſque deſerti.* Et fecit; in reditu violentâ manu aggrediens & expugnans urbem; tulit ſeniores civitatis & ſpinas deſerti, ac tribulos, & contrivit cum eis, atque comminuit viros Socoth. Deum immortalem! potuitne tam crudelis eſſe Gedeō in miſeros mortales? profecto hoc non punire eſt, ſed ſævire, inter ſpinas ac tribulos hominem volutari, verti, reverti;

an

an non atrox ille cruciatus? ecquis dubitet? agedum verò, ecquid cauſæ habuit Gedeon? quid illum ad hoc vindictæ genus exercendum induxit? Eccur per ſpinas potius quam per haſtas, aut gladios pœnam ab iis voluit expoſcere? Latet myſterium, quod explicat Abulenſis, verba attendite: *Viri Socoth protulerant verba pungitiva & amara contra Gedeonem. Verba illorum fuerunt ſpina in animo & corde tanti bellatoris; ideo ſtatuit, ſpinis quoque ſævire in hoſtium & rebellium corda.*

Caveant ſibi, quorum corda in hac vita ita ſunt obſita & involuta ſpinis, ut ſemen verbi Divini neceſſariò inter illas ſuffocetur; caveant, qui ſpina graviſſimorum ſcelerum in Diviniſſimum Jeſu caput, iterum intrudnnt, &c. Veniet hora, qua cœleſtis Gedeon iratus veſtra corda conteret & comminuet. §. 16. *Proſecutio.*

Quid medii? refert Moſchus in Prorato ſpirituali cap. 107. Geraſimo Abbati, obambulanti ad ripas Jordanis, occurriſſe leonem, ſed gradu tardo, triſtique corporis compoſitione, perinde ac ſi aliquid ab illo peteret; mox advertit vir pius, leonis alteri pedi grandem infixam eſſe ſpinam; quâ extractâ, leo illi abblandiens, eundem fuit ſecutus uſque ad Monaſterium; nec unquam deinde ab illo recedere voluit; quoad mortuo tandem Geraſimo, leo incubans ejus ſepulchro expivarit. Tu, tu impie! es ille leo! eheu quot ſpinis vulneratum eſt cor tuum! quam profunde inhærent pectori tuo; quis extrahere, quis ſuccurrere tibi poterit: non ſupereſt alius, præter cœleſtem Geraſimum, præter Jeſum redemptorem, vade, curre ad Jordanem divinæ miſericordiæ, ſupplica, inſta, urge, ut Jeſus extrahat has ſpinas! cùm extraxerit, nunquam ab illo recede; ſed ſub cruce ejus ſede, & gratias age continuas, nec modum ponas gratiarum actioni, donec vitæ tuæ finem beata mors impoſuerit. Finem huic meæ Concioni imponet hiſtoria, non minus pathetica quàm mira, cujus Auctorem habeo Anton. Bonfin. de rebus Hungar. ad An. 1415. In prælio, quo Sigiſmundus Cæſar cum hoſtibus in Italia conflixit, alios inter Cæſaris milites occidit lethali ictus vulnere unus, magnæ Matris Deiparæ cultui inprimis addictus. Rem miram audite & obſtupeſcite. Multis à prælio annis Cæſar cum aula ſua præter hanc ipſam viam iter habens, percipit è vicino dumeto neſcio quam §. 17. *Epilogus.*

ed by Google

vocem triſtem ac lamentabilem, perinde ac ſi hominis eſſet moribundi, Ah! ah! væ! juvate, juvate, ingeminantis accurrit mox unus è Cæſaris famulitio, dumetum perluſtrat, cum ecce tibi mediis in ſpinis hominem reperit, ſeu potius cadaver hominis jam ſemi corrupti, ac velut putrefacti, adeoque ſpinis toto corpore horridi & Erinaceo, quàm homini ſimilior videtur. Interrogat aulicus, quid hominis, & quo caſu hunc in locum ſtatumque pervenerit? Accedit interim & ipſe Cæſar, hominem cum admiratione aſpicit, alloquitur, interrogat: Cui ille mœſta & penè emortua voce hunc in modum reſpondit: Salvete, inquit, quotquot hic adeſtis, bono meo ſalutique à Deo ſubmiſſi. Me quod attinet, infelix ego ſum miles, qui ante annos jam complures hoc ipſo in loco ſub Auguſto Sigiſmundo militans, accepto lethali vulnere cecidi, pro tumulo habui ſpinas, & periiſſem, niſi me magna Mater ac Virgo Deipara in hanc uſque horam ſingulari ſuo favore atque ope ſervaſſet, huic uni poſt Deum in acceptis refero hanc qualem qualem vitam meam, quam ubi animam ſacra Eximolegeſi expiavero, felici morte concludam. Quocirca oro vos atque obteſtor, Confeſſarium mihi illicò accerſite; Quod petiit, obtinuit, & poſtquam obtinuiſſet, piiſſima morte è ſpinis evolavit ad roſas. Dicite nunc AA. quid ſentitis? dicito; O peccatrix anima, quæ jam ab annis compluribus jaces in ſpinis ſcelerum graviſſimorum! Heu jaces & taces! nunc, nunc oculos tandem aperi, nunc è ſpinis, cùm potes, cùm habes Confeſſarii copiam, te expedi! hanc tibi gratiam, hoc tempus, hanc occaſionem Deus & Dei Mater præſtat; è ſpinis potes, ſi modò vis, ad roſas contendere.

CON-

CONCIO XII.

DOMINICA QUINQUAGESIMÆ.

Cœcus quidam ſedebat ſecus viam,

Lucæ 18. verſ. 35.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponit I. Cœcitatem mentis eſſe pœnam peccati mortalis. II. In quàm periculoſo ſtatu vivant ſpiritualiter cœci; ob varios hujus cœcitatis effectus. III. Bonus Jeſus à tanto malo poteſt nos liberare.

§. 1. *Cur S. Lucas nobilis pictor in uno Evangelio, combinârit myſterium Paſſionis, & cœcum?*

§. 2. *Pœna graviſſima peccati mortalis eſt cœcitas mentis.*

§. 3. *Deplorandi effectus ſpiritualis cœcitatis.*

§. 4. *Explicatur ex Cicerone, in quo hæc cœcitas mentis conſiſtat.*

§. 5. *Cum quanto animæ & æternæ ſalutis periculo.*

§. 6 *Pergunt tales cœci rectà ad infernum, & non vident niſi in agone.*

§. 7. *Similitudo,*

§. 8. *Obſtinati cœci derelinquentur à Deo, ne convertantur, de quo Chriſtus D. queſtus fuit in cruce.*

§. 9. *Quædam teſtimonia SS. Patrum.*

§. 10. *Ideò diabolus inſidiatnr oculis humanæ mentis.*

§. 11. *Similitudo.*

§. 12. *Quâ ratione diabolus vincat fortiſſimos leones.*

§. 13. *Ad duellum ſunt neceſſarii oculi.*

§. 14. *Confirmatio paragraphi decimi.*

Digitized by Google

§. 15. *Sic Deus punit impios cæcitate mentis.*
§. 16. *Efficax medium internæ cæcitatis eſt ſanguis Chriſti.*
§. 17. *Cur Chriſtus Dominus poſt mortem in cruce voluerit aperiri latus ſuum, & transfigi cor.*

§. 1. *Cur S. Lucas nobilis pictor in uno Evangelio combinârit myſterium paſſionis & cæcum?*

COmmunis opinio eſt, S. Lucam Evangeliſtam fuiſſe eximium pictorem. Certe qualis, & quàm eximius pictor fuerit, oſtendit luculenter in hodierno Evangelio, in cujus prima parte, præcipua paſſionis myſteria, captivitatem, illuſionem, flagellationem, & infame genus mortis, paucis quidem verbis, ſed vivaciſſimis depinxit, & oculis noſtris præſentavit. In altera parte Evangelii depingit miſerum cœcum hominem, ſedentem ſecus viam, qui dum audivit Jeſum tranſire, brevi, ſed ferventi petitione ait v. 38. cit. cap. *Jeſu fili David, miſerere mei! Domine, ut videam!* ſanos videnteſq; oculos, ab eodem obtinuit. Poſtquam ego vobis oſtendero, in ſenſu myſtico, miſerum peccatorem excœcari à peccatis, proinde in quàm periculoſo vivat ſtatu; quas item diabolus tali cœco ſive peccatori ſtruat inſidias; præſertim ejus oculis; advertetis, S. Lucam non ſine cauſa combinâſſe hæc duo; myſteria paſſionis, ſive tranſeuntem Jeſum; & cœcum; à nullo enim, miſer peccator ſanari poterit, niſi à Jeſu, & quidē pretioſo balſamo, ſive collyrio pretioſiſſimi ejus ſanguinis.

§. 2. *Pœna graviſſima peccati mortalis eſt cæcitas mentis.*

Pœna graviſſimi peccati mortalis eſt cœcitas mentis: probo ex ſacris literis. Deut. 28. v. 28. *Percutiet te Dominus amentia & cæcitate, ut palpes in meridie, ſicut palpare ſolet cæcus in tenebris.* Additur cauſa. *Quia non audiviſti vocem Domini Dei tui, nec ſervaſti mandata ejus.* Clarius Sophonias c. 1. v. 17. *Ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt.* Sapientiæ c. 2. v. 21. *Excæcavit eos malitia eorum.* Sermo eſt de concilio Judæorum contra Chriſtum D. & miratur quaſi ſacer textus, quomodo fuerit poſſibile, ut Phariſæi innocentiſſimum Agnum adeo fuerint perſecuti; q. d. non feciſſent, niſi fuiſſent cœcitate correpti. Cap. 4. Prov. ait v. 18. *Juſtorum ſemita quaſi lux ſplendens; via impiorum tenebroſa.* Id quod S. Auguſtinus poſt ſuam converſionem his verbis fuit lamentatus: *Et converſus ſum, & vidi tenebras, in quibus fueram, & abyſſum tenebroſam, in qua jacueram;*

cueram; & contremui & expavi, & dixi: Væ! væ! tenebris meis! Væ! væ! cæcitati illi! væ! væ! ignorantiæ! In ſimili abyſſo! in talibus tenebris! jacet, quiſquis actu eſt in ſtatu peccati mortalis. Atque hoc Oſeas eleganter expreſſit his verbis c. 7. v. 4. *Omnes adulterantes, quaſi clibanus ſuccenſus à coquente.* Cur impii comparantur clibano? acutiſſimè. In clibano accenſo duo ſunt, ignis & denſiſſimus craſſiſſimusque fumus, qui aſtantium oculos quaſi excœcat. Idem contingit in corde peccatoris; quamprimum exarſerit ignis concupiſcentiæ; non deerit fumus, qui internos intelligentiæ & rationis oculos occupabit, adeoque excœcabit, ut meritò cum S. Auguſt. exclamare poſſit; *Væ! tenebris! væ ignorantiæ!*

Excœcationis hujus deplorandos effectus deſcribit S. Paul. ad Rom. c. 1. v. 21. *Obſcuratum eſt inſipiens cor eorum; tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant ea, quæ non conveniunt; repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, plenos invidia, contentione, dolo, malignitate ſuſurrones, detractores, Deo odibiles.* Quibus contingit, quod Ezechiel c. 8. v. 12. refert contigiſſe nequam Sacerdotibus in templo; Vapor enim nebulæ conſurrexit de thure, quo fumo adeo fuerunt excœcati, ut auſi fuerint dicere: *Non videt Dominus nos!* Quod cum impius ſibi perſuadet, in quæ nõ ruet ſcelera? ſed heus ſceleſte, videt videt te tuus Jeſus, quem ſpinis coronas; cum putes ab illo te non conſpici, non miror tuam ſuperbiam profundius imprimere illi ſpineam coronam. Sed tu cœcus es! non Deus, non Chriſtus tuus Salvator Sceleſte! tu cum Judæis velas faciem Chriſti, ut ſputa tuarum blaſphemiarum liberius in os ejus projicias; ut petulantius eum colaphizes, ut pugnos impingas, &c. arbitraris enim, te non videri, quia obſcuratum eſt inſipiens cor tuum; quia Deus juſto ſuo judicio tradidit te in reprobum ſenſum; ut ſcelera committas horrenda. Cœcus es! time! expaveſce! O ſi videres tenebroſam abyſſum, in qua deliteſcis! ſine dubio exclamares cum S. Auguſtino: *Væ! tenebris! væ ignorantiæ! væ cæcitati, qua impii à Deo percutiuntur.*

§. 3. Deplorandi effectus ſpiritualis cæcitatis.

In quo interior mentis cœcitas in impio conſiſtat, meo judicio gentilis Cicero eleganter expoſuit, cum dixit de illicita voluptate: *Nihil eſt tam deteſtabile, tamq; peſtiferũ* [lib. de ſenect.] *quàm illicita voluptas; Siquidem cum major eſt, atq; longior, omne animi lumẽ extinguit.*

§. 4. Explicatur ex Cicerone, in quo hæc cæcitas mentis conſiſtat.

extinguit. Aſſero ego idem de quovis peccato mortali, & Chriſtiano, de hoc bacchanaliorum triduo v.g. ſic diſcurro: Animi lumen eſt, illa Spiritus S. illuſtratio, quæ nobis ſuggerit, hoc triduo in honorem Paſſionis Chriſti D. vivendum eſſe ſobriè & caſtè; Animæ lumen eſt, cum illuſtrati à Spiritu S. ſanctas concipimus cogitationes de morte, de judicio, &c. de pœnitentia, &c. Eheu! Voluptates, deliciæ, ebrietates, libidines, &c. in impiis clariſſima hæc lumina prorſus extinguunt! ita, ut ſimiles cogitationes, talia deſideria & propoſita, animo vel planè non occurrant, voluntatem non commoveant magis, quàm maris fluctus & undæ ſcopulum perterrefaciunt.

§. 5. *Cum quanto animæ & æternæ ſalutis periculo.*

Talem cœcum vivis coloribus nobis proponit Sapiens Proverb. cap. 7. v. 22. cùm ait de adoleſcente inhiante ſuis voluptatibus: *Sequitur, quaſi bos ductus ad victimam, & quaſi agnus laſciviens, & ignorans, quod ad vincula trahatur: donec transfigat ſagitta jecur ejus, velut ſi avis feſtinet ad laqueum.* Pulcherrimæ hæ ſunt parabolæ, quibus explicatur, quid ſit peccator in ſtatu peccati mortalis, ob voluptates, ob libidines, ob quodvis peccatum mortale. Bos eſt, quem diabolus per pinguia paſcua deducit ad lanienam. Agnus eſt, cui dum minimè cogitat, repentina mors minatur ſuum cultrum; cervus eſt currens ad laſciviam, & momento infernalis venator ejus jecori infigit letalem ſagittam. Avis eſt, quæ volitat per arborum ramos, & capitur. Hoc eſt luctuoſiſſimum, quod ſubdit Sapiens; talis bos, talis agnus, talis cervus, talis avis, id eſt impius *neſcit, quod de periculo animæ illius agitur.* D. Gregorius ait: *Qui præſentis vitæ tenebris preſſus, quò greſſus porrigat, neſcit.* Sed quis finis? quis exitus talis comœdiæ, vel potius tragœdiæ? Proverb. 14. v. 12. *Eſt via, quæ apud homines recta videtur; interim noviſſima ejus, ad inferiorem fundum deducunt;* Eccleſiaſt. 21. v. 11. *Via peccantium complanata* [patet hoc triduo bacchanalium] *& in fine; Inferi, & tenebræ, & pœnæ.* Hæc via, inquit ille, eſt mens aut voluntas humana, libidine excœcata, quæ bonis veris, apparentia; Stabilibus, fluxa, temporanea ſempiternis anteponit. Ecce alios fructus internæ cœcitatis in impio.

§. 6. *Pergunt tales cæci re-*

Repeto, quod paulò ante dixi. Tales cœci rectà pergunt ad infernum, & non vident, non advertunt; verbo, ſunt cœci. Contingit

Digitized by Google

tingit illis, quod l. 4. Reg. c. 6. v. 8. refert accidiſſe Regi Syriæ. Miſerat hic equos, currus & robur exercitus, viros ſelectiſſimos in Dothan ad capiendum Eliſæum; & egreſſus manè Propheta vidit ſe in medio, hoſtium proinde confugiens ad ſolita ſua arma, & ardentem orationem, elevatis in cœlum oculis & manibus ait ad Dominum: *Percute obſecro gentem hanc cæcitate*, & factum eſt ita; tum ipſe Eliſæus, quem quærebant, ſed non cognoſcebant, inquit ad illos: *Non eſt hæc via, neq; iſta eſt civitas; ſequimini, & oſtendam vobis virum, quem quæritis*; Ita illos duxit in Samariam, & cum jam undique eſſent cincti ab hoſtibus, ait iterum Eliſæus: *Domine aperi oculos iſtorum, ut videant.* Quo facto viderunt, ſe inter medios hoſtes conſtitutos. Idem contingit mortalibus, ſumus peregrini & viatores, ut per viam mandatorum Dei, per viam ſanctæ crucis, per ſemitas virtutum aſcendamus ad cœleſtem Jeroſolymam; verùm poſtquam diabolus multorum oculos, vanitatis ſplendore excœcavit, liberè ait, *Non eſt hæc via: me ſequimini.* Sequuntur deceptos per roſeam viam voluptatum, per aureas ſemitas divitiarum; tandem venitur ad agonem, ad tribunal Judicis; hic aperiuntur oculi, dum reperiunt ſe conſtitutos ad portam infeliciſſimæ æternitatis; dum in fauces incidunt infernalis draconis, vident! vident omnia deſperata! vident! eheu! nimis ſerò! vident actum eſſe de æternitate.

Eta ad infernum, & non videns niſi in agone.

Proſper Aquitanus refert, Romæ in amœniſſimo horto, fuiſſe quoſdam gradus ad floridum collem, inter quos unus, cum pedibus calcaretur, inverſus, aſcendentem dejecit, in os fictitii draconis, ad cadentis horrorem, aſtantium verò riſum & recreationem. Luctuoſior longè eſt lapſus impiorum, qui in tenebris ambulant ad infernum. Putant ſe incedere per hortos, per amœna viridaria: & dum minimè cogitant, repentina mors illos præcipitat in tartarum & hiantes infernalis draconis fauces; in quibus æternùm ardebunt.

§. 7. *Similitudo.*

Ingens cœcitatis hujus pœna eſt, quod exigua ſit ſpes, ut obſtinati in malo peccatores convertantur: eò quod Deus juſto ſuo judicio, talibus paulatim neceſſaria gratiæ ſubtrahat auxilia, & deniq; planè deſtituat. Ponderanda eſt circumſtantia aliqua crucifixionis, quam advertêre SS. Patres, tum factas fuiſſe tenebras,

§. 8. *Obſtinatè cœci derelinquentur à Deo, ne convertantur; de quo*

Chriſtus D. quaſitus fuit in cruce. bras, cum Chriſtus D. ingẽti clamore de cruce clamavit: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me.* Quærit Orig. cur bonus Jeſus hæc verba non dixerit, antequam fierent tenebræ? reſpondet S. Bonav. tenebras illas exteriores fuiſſe imaginem illarum tenebrarum, quibus invidia & rabies in Chriſtum excœcarat oculos Judæorum, & proinde Salvatorem noſtrum protuliſſe hæc verba, hoc ſenſu; q. d. O Pater! eſtne poſſibile, ut illum populum, quem hactenus ita dilexiſti, cui tot beneficia præſtitiſti; populum, pro quo ego tanta patior; pro quo mea vulnera & ſanguinem in cruce tibi offero, &c. ut inquam hunc populum planè velis derelinquere! derelicti ſunt, abjecit illos Deus; cauſam ipſi poſuerunt, dilexerunt magis tenebras, quàm lucem: ab invidia, à graviſſimis ſceleribus permiſerunt ſe excœcari.

§. 9. *Quædam teſtimonia SS. Patrum* Hoc eſt, quod S. Hieron. commovit, ut diceret: *Exiſtimo, hoc genus tenebrarum ſignum eſſe reprobationis.* S. Auſtguſtinum, ut pronuntiaret: *Animæ cæcitatem eſſe quendam infernum, ex quo nulla datur redemptio.* Hoc eſt, quod iratus Iſaias impiis fuit imprecatus c. 6. v. 10. *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava; & oculos ejus claude, ne forte videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & convertatur.* Ob has cauſas putem ego ab Eccleſia in Evangelio, hoc triduo nobis proponi, v. g. Chriſtum D. dirè flagellis cæſum, ut oculis noſtris illum aſpiciamus, ut audiamus illius voces, quibus per vulnera & ſanguinem ſuum nos exhortatur ad pœnitentiam, & convertamur. Eheu! excœcata ſunt quorundam corda, aures ſunt aggravatæ, oculi ſunt clauſi, ideoq; abjiciunt timorem Domini, quo abjecto, in omnia ſcelera præcipites feruntur. Corporaliter cœcus, cum nihil videat, nihil etiam pertimeſcit, ſic & cœcus ſpiritualiter, nihil videt, hinc & timet nihil, Deum non videt, nec timet, pericula, in quibus verſatur, non videt nec timet. Judicium extremum non videt: nec timet. Stringe ferrum ante oculos cœci corporaliter; non metuet: ſtringe ferrũ divinę juſtitię ante oculos cœci ſpiritualiter, nec timor illũ invadet, nec horror. Et hæc malorũ omniũ eſt Ilias? cœcũ eſſe, & nec præterita, nec futura, nec præſentia, quæ nos premunt mala conſpicere.

§. 10. *Ideo diabolus inſidia-* Hæ quoque ſunt cauſæ, ob quas ſollicitus dæmon ita inſidiatur internis oculis humanæ mentis. Sponſus Cant. 1. deſcripturus

pturus pulchritudinem ſponſæ, ait v. 14. *Oculi tui columbarum.* S.Greg.Nyſſen. *Orditur hæc encomia de membris præcipuis: quid enim inter membra noſtra præſtantius eſt oculis, qui nobis operum omnium magiſtri ſunt & doctores.* Ideo teſte Philone, natura oculos in ſublimi loco, ut Principes collocavit. Ex mente S. Ambroſ. quod ſol eſt in cœlo, hoc ſunt oculi in facie hominis. Ægyptii Deum vocârunt *Oculum*, à quo omnia in mundo provide gubernantur. Hoc de oculis corporeis; intus in anima, oculus hominis eſt ratio ſive intellectus; quo homini nihil à Deo datum eſt præſtantius; Intellectus, veluti lucidus oculus, doctor ductorque noſter eſt & magiſter. Ratio eſt veluti Regina, quæ reliquas potentias providè debet regere & gubernare. *Et proinde* [Climacus] *omnes dæmones primùm intellectum noſtrum obnubilare contendunt; atque ita demum ea, quæ ſuggerunt, perſuadent, niſi enim mentis noſtræ clauduntur oculi, theſaurum noſtrum furari non poterunt.* Latet hoc ſimile: Fur nocte concubia ingreſſus domum, ſi fortè ardeat lampas, conatur illam extinguere. Tenebræ favent furibus; Cum l. 1. Machab. c. 1. v. 23. Antiochus potitus fuiſſet templo, ſtatim aureum ſuſtulit candelabrum. Cum l. 4. Reg. c. 25. v. 7. Nabuchodonoſor captivum excepiſſet Sedeciam, juſſit illi effodi oculos, & ita vinctum catenis dimiſit in Babylonem. Cum à Dalila Philiſtæis traditus fuit fortiſſimus Samſon, ſtatim eruerunt oculos ejus Jud. 16. v. 21. tum vinculis ligatum miſerunt in carcerem; Eadem ſpiritualiter diabolus operatur in anima, quam per peccatum aliquod mortale ingreditur; extincta lampade rationis, ſublato aureo candelabro intellectus, effoſſo hoc oculo; miſeros ligatos catenis mittit in carcerem impietatis; tum latroni illi perquam facile eſt, noſtros virtutum theſauros diripere.

...tur oculis humanæ mentis.

§. II. Similitudo.

Falco, alligatus baculo, irrequietus movet plumas & alas, ut avolet, ut vincula rumpat, atque ita libertati reſtituatur. Sed auceps volucris capiti imponit pileolum, quo oculi quoque teguntur; tum, quaſi cœca, & ſedens in tenebris, quieſcit; remoto pileo, ruptis vinculis, præceps avolat in aera. Talis falco eſt anima hominis, licet ſentiat, ſe teneri à vinculis in carcere mortalis corporis, nihilominus, quamdiu apertos

habet oculos, plumis & alis ſanctiſſimorũ deſideriorum conatur evolare ad cœleſtia, oculo mentis cernit, quàm omnia bona hujus mundi ſint fluxa, &c. ideo conatur rumpere iſta vincula, &c. Quamprimùm verò infernalis auceps, diabolus, illi imponit pileum vanitatis, pileolum aureum divitiarum, &c. ut excœcata non videat; etiamſi in vinculis, in catenis, in carcere, quieſcit. Si verò contingat tranſire bonum Jeſum, ut hos pileolos removeat, ut reſtituat viſum, mox rurſum evolat ad cœlum.

§. 12. Quâ ratione diabolus vincat fortiſſimos leones.

De leonibus ait Plinius l. 8. c. 16. *Capere leones, ardui quondam fuit operis ſed velatis oculis facile capiuntur.* Videlicet omnis vis cõſtat illis in oculis. Alibi refert cit. Auctor tempore Claudii Imperatoris Paſtores Getuliæ hanc fraudem inveniſſe, cum unus caſu irruenti leoni injecit pallium, quo cum tecti fuere oculi leonis elanguit. Hac fraude diabolus vicit proſtravitque plurimos leones. Leo erat David, fortiſſimus Rex, diabolus oculis injicit pallium [pulchritudinem Berſabee, & ecce labitur in adulterium & homicidiũ.] Tale pallium injectum fuit duobus ſenibus, cum viderunt Suſannam, & ecce mox ita excœcati, ita debiles, ut S. Textus Dan. 3. v. 9. dicat: *Videbant eam ſenes, & everterunt ſenſum ſuum, & declinaverunt oculos ſuos, ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum juſtorum.* Ob hanc cauſam, & hodie, præcipuè hoc triduo tot non vident cœlum, non Chriſtum D. non, &c. quia diabolus occluſit oculos. Jocolator, ut melius ducat urſum, illum excœcat, hoc modo: objicit urſo pelvim lucidam objectam radiis ſolis; mirè his urſus delectatur, verùm ardore ſolis exſiccatur humiditas in oculis beſtiæ, conſequenter excœcatur, tum urſus ducitur quò Domino lubet. Planè ſic agit diabolus. Mutatur homo per peccatum in beſtiam, in hircum, in mulum; excœcat, objicit voluptates, divitias, &c. his poſtquam peccator excœcatus eſt, ducit ut beſtiam ad omnia ſcelera. Pulchra eſt fabula Ovidii l. 7. Metam. Rex Æætes draconi in colchide multorum oculorum, cuſtodiendum tradidit ingentem theſaurum, ſed fruſtra. Tandem Jaſon inſtinctu Medeæ, accepit pulveres, iiſque draconem excœcavit, tum theſaurum diripuit. Ingens theſaurus eſt anima hominis conſtituta in gratia, ut cuſtodiatur, vigilante opus eſt,

Digitized by Google

eſt dracone. Cave ô homo, multis non aliunde magis imminet periculum, quàm à Medea. [Carne, ab hac diabolus Jaſon accipit pulveres,] voluptates, &c. His ſi draco excœcetur, actum eſt de theſauro, de anima; oculis animæ perditis, perdita eſt anima, patet rurſum ex ſimili.

In duello aliquo oculi maximè ſunt neceſſarii. Notavit S. Gregorius, quod Spiritus S. cum agit 1. Reg. 17. v. 42. de Davide pugnante cum Goliath, juvenem laudârit ab oculis. Textus ait; *Erat adoleſcens pulchro aſpectu, decoraque facie.* Alii legunt: *Erat pulcher oculis, & bonus viſu.* Sed quid elegantia oculorum conducit ad fortitudinem? manus, lacerti laudari debebant; brachiis pugnandum fuit Davidi, non oculis; ſed in ſenſu myſtico hoc latet myſterium. Myſticè agitur de prælio, quod nobis eſt cum diabolo. De prælio de quo loquitur S. Paulus ad Epheſ. 6. v. 11. *Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias diaboli, quoniam non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed &c. contra diabolum.* Secundum S. Paulum ad armaturam hanc myſtici David, qui contra diabolum pugnat, requiritur lorica juſtitiæ, requiruntur calcei Evangelici, ſcutum fidei, galea ſalutis, gladius ſpiritus. Sed præter hæc omnia, pulchri oculi [cognitio ſive animæ viſus ait S. Greg. quo anima Dei, nunc perpendit bonitatem, nunc futura] &c. Sic S. Greg. in c. 16. l. 1. Reg. *Quid eſt, pulcher aſpectu, niſi interna contemplatione conſpicuus.* Da mihi animam, quæ linceis oculis contempletur NN. & dabo tibi animam fortem, robuſtam, quæ diabolum Goliath unico fundæ jactu maximè cum 5. lapidibus vulnerum Chriſti ſolo dejiciat; hoc quia diabolus ſcit, conatur, &c. anima ſine intellectu eſt, quod pugil ſine oculis. §. 13. *An duellum ſunt neceſſarii oculi.*

Lib. 1. Reg. 11. v. 1. Naas Ammonites infert bellum viris Jabes Galaad, hi non fidentes viribus ſuis, ajunt ad Naas: *Habeto nos fœderatos, & ſerviemus tibi;* Reſpondit Naas: *In hoc feriam vobiſcum fœdus, ut eruam omnium oculos veſtros dexteros, ponamusq; vos opprobrium in univerſo Iſrael.* Similem planè conditionem ponit diabolus ſuis fœderatis: hoc intendit verſipellis ille veterator, hoc machinatur, mentis oculos vult eruere, vult excœcare mortales miſeros; in hoc inquit: *Feriam vobiſcum fœdus:* At §. 14. *Confirmatio §. decimi.*

quale fœdus? pacis? minimè. Gratiæ? neutiquam. Quietis? nequaquam. Fœdus inferni, fœdus doloris & furoris. Hoc triduo heu quàm multis offert hoc fœdus! & heu quàm multi illud ultro ambabus, ut ajunt, manibus ſuſcipiunt! heu quàm multos excœcat Sathanas! Excœcat, ut finem fœdæ voluptatis non reſpiciant; Excœcat, ut debitas ſcelerũ pœnas non provideant; Excœcat, ut Chriſti patientis funeſtum ſpectaculum non intueantur!

§. 15. *Deus punit impios cœcitate mentis.* Proinde privari oculis mentis, eſt ingens pœna. Pſ. 2. v, 5. *Tum loquetur ad eos in ira ſua, ad peccatores, & in furore ſuo conturbabis eos.* Quid ergo faciet? Reſpondet S. Aug. *Ira Dei rectè poteſt intelligi mentis obſcuratio, qua conſequitur eos, qui legem Dei transgrediuntur.* Sed excœcatio hæc, in quo conſiſtit? reſpondet D. Cypr. l. 1. ep. 3. *Ira eſt Dei, non intelligere delicta, ne ſequatur pœnitentia, &c.* Sic &c. non agnoſcere peccata, v. g. audire ex Evangelio hodierno, Chriſtum D. flagellatum; cauſam eſſe luxuriam, & tamen hoc triduo non intelligere, non moveri, imo de novo peccare; eſt ira Dei, & gravis pœna. Inter pœnas, quibus Moyſes juſſu Dei Ægyptios flagellavit, fuêre etiam tenebræ, Exodi 10. v. 22. *Facta ſunt horribiles tenebræ in univerſa terra Ægypti.* Hæ tenebræ Ægyptiis fuêre quaſi vincula & carceres. Sap. 17 v. 2. *Vinculis tenebrarum compediti.* Verſ. 17. *Vna catena tenebrarum omnes erant colligati.* Verſ. 15. *Cuſtodiebatur in carcere ſine ferro recluſus.* Mirum profecto hanc unam quaſi & ſolam vocari pœnam horribilem, venerunt ranæ, operueruntque terram Ægypti; nec refertur, fuiſſe pœnam horribilem! venerunt veſpæ, & tam hominibus infeſtæ erant, quàm jumentis, nec additur, pœnam fuiſſe horribilem! venerunt muſcæ; venerunt varii morbi atque ulcera; denique quid non calamitatum venit atque obruit Ægyptios? de ſolis tamen tenebris dicitur, quod plaga fuerit horribilis. Quid hoc rei? ſic eſt Auditores, nimirum inter omnia divini furoris inſtrumenta non eſt terribile magis, quàm excœcatio. O tenebræ horribiles! ô tenebræ peccatorum! ô quando ſol ille Divinus orietur, & noctem veſtram commutabit in lucem?

§. 17. *Efficax medium in-* Supereſt, ut deplorandos hos cœcos moneam, ut advertant, quàm juſtas habeant cauſas, ut cum Evangelico cœco confugiant

ad

ad Chriſtum; ut corde contrito & humiliato exclament: *Jeſu fili David, miſerere noſtri.* Ut quivis ſuſpiret: *Domine, ut videam.* De manibus ſponſi ait ſponſa Cant. 5. v. 14. *Manus illius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis.* Aureæ, id eſt, Divinæ. Tornatiles, id eſt, affixæ cruci: plenæ hyacinthis, id eſt, ſtillantes pretioſiſſimi ſanguinis guttis. Hæ manus debent tangere cœcorum oculos, ut videant. Hoc ſanguine debent aperiri. De Longino dicunt, quod fuerit cæcus, ſed dum gutta ſanguinis ex benedicto latere, quod lanceâ aperuit, defluxit in ejus oculos, cœpit videre. O Jeſu crucifixe, renova hodie hæc miracula, ut tot cœci oculorum lumen recipiant.

Tornatæ excitatæ eſt ſanguinis Chriſti.

§. 17. *Cur Chriſtus D. poſt mortem in cruce voluerit aperiri latus ſuum, & transfigi cor.*

Si contingat pullos hirundinis diutius manere cœcos; mater roſtro ſuo, nonnihil proprium aperit pectus, & guttulis aliquot calidi & delicati ſanguinis cœcis pullis tribuit viſum. Sollliciti ſunt ſancti Patres, ut plurimas congerant cauſas, ob quas Chriſtus D. poſt mortem in cruce voluerit, & permiſerit aperiri pectus & latus, immani vulnere, imo ipſum benedictum cor lanceâ transverberari; hæc mihi placet; ſanguine ſuo calidiſſimo & delicatiſſimo, ex latere, ex pectore, ex corde vult ſanare cœcos pullos. O Jeſu Crucifixe! en animam meam tibi ſiſto! En ſiſto & tibi animas meorum Auditorum! Tu ſcis mi Jeſu, quales ſimus animæ, cœcæ ſumus, flectimus ſub tua cruce, & pretioſi ſanguinis tui guttulas exſpectamus, flectimus ſub tua cruce, aperi Domine, ô aperi oculos cordium noſtrorum, ut in lumine tuo ambulemus; flectimus ſub tua cruce, ut radiis tuæ Divinæ gratiæ illuſtremur, & quæ non vidimus hactenus amoris tui ſalutisque noſtræ myſteria videamus.

CON-

CONCIO XIII.

DOMINICA I. QUADRAGESIMÆ.

Cum jejunáſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus:

Matth. 4. verſ. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

UT adverſarii noſtri diaboli, qui omnibus modis quærit noſtram ruinam, inſidias & tentationes vincamus, neceſſarium nobis eſt jejunium. Quod Chriſtus D. ſacroſancto ſuo exemplo nos docuit.

§. 1. *Ratio S. Ambroſii, ob quam Spiritus ſanctus Chriſtum duxit in deſertum.*

§. 2. *Pugnaturus cum diabolo, fugit mundum, & ſecedit in deſertum.*

§. 3. *Qua ratione David in ſpelunca Engaddi vicerit diabolum.*

§. 4. *Vt ſimiliter & nos vincamus.*

§. 5. *Qui ſuperare vult tentationes diaboli, debet fugere occaſiones peccandi.*

§. 6. *Diabolus eſt præcipitator animarum, nemo illi fidat! Exponitur modus, quo diabolus aſſumpſit Jeſum in civitatem.*

§. 7. *Proſecutio.*

§. 8. *Ipſe diabolus in modo tentandi non potuit diſſimulare, ſed intendere ruinam.*

§. 9. *Explicatur ſpiritualis illa ruina animarum, ex cap. 16. Numerorum.*

§. 10. *Pugnaturi contra diabolum, debemus jejunare, ne nos vincat, & nobis noceat.*

§. 11. *Jejunium noſtrum eſt flagellum diabolorum.*

§. 12. *Encomia jejunii ex SS. Patribus.*

§. 13. *Neceſ-*

Digitized by Google

§. 13. *Neceſſitas jejunii contra tentationes diaboli, inde declaratur, quod CHRISTVS Dominus non permiſerit ſe tentari, niſi poſtquam jejunaſſet.*

§. 14. *Per Quadrageſimam alios cibos nobis offert Chriſtus D. alios diabolus.*

D*Vctus eſt Ieſus in deſertum à ſpiritu.* Non ſine magnis myſteriis. Sic enim ait D. Ambroſius l. 4. in Lucam: *Agebatur Jeſus conſilio in deſertum, ut diabolum provocaret: myſterio! ut illum Adam de exilio liberaret, qui de paradiſo in deſertum ejectus eſt.* De Davide ait l. 1. Reg. c. 23. verſ. 14. *Morabatur David in deſerto, & ita* [D. Chryſoſt. hom. 1. de Davide & Saule] *egeſtatem præ divitiis, ſolitudinem præ patria, labores periculaque præ deliciis ac ſecuritate, perpetuum exilium præ terrarum orbe elegit David* [ſubdit cauſam D. Chryſoſt.] *ut Saulem ab illo in ipſum odio malevolentiaque liberaret.* Quid ſanctius? quid Divinius? non dubitavit David fugere & latere in deſerto, ut conſuleret Sauli. Idem fecit Chriſtus D. Salvator noſter; Jeroſolymam aliasque urbes deſerens: quadraginta integros dies latuit in deſerto, perſeverans in jejunio & orationibus, non tantùm, ut odio & invidiæ Phariſæorum nonnihil cederet, ſed ob cauſam longè nobiliorem, ut ſcilicet totum genus humanum ab ira Patris cœleſtis liberaret, & ita jejunio atque exorationibus præluderet ſuæ Paſſioni, per quam Patri humanum genus erat reconciliaturus. Ivit in deſertum, jejunavit, oravit, ut nobis oſtenderet arma, quibus contra nequiſſimi hoſtis tentationes depræliari oporteat. Quam materiam ex ſancti Evangelii textu, & SS. Patrum explicationibus, hâc Concione vobis proponam. Attendite.

§. 1. Ratio S. Ambroſii, ob quam ſpiritus Chriſtum duxit in deſertum.

Ductus eſt Jeſus in deſertum à ſpiritu; Sequuntur ſtatim hæ voculæ: *ut tentaretur à diabolo.* D. Chryſoſt. hom. 5. ex variis in Matth. *O incomparabilis Domini patientia? & admiranda humilitatis exemplum, tentari à diabolo, Dominus patitur!* Ob quæ verba nobilis quidam S. Scripturæ interpres ait: *Abiit Jeſus in deſertum, ut confligat cum diabolo;* Sed quid neceſſe fuit, illum ad illam pugnam procedere in deſertum? Reſpondet D. Cyprianus orat.

§. 2. Pugnaturus cum diabolo, fugiat mundum, & ſecedat in deſertum.

de tent. Chriſti: *Quod cæleſtis Magiſter noſter nos voluerit inſtruere, quomodo & nobis contra varias diaboli tentationes ſit decertandum.* Sic loquitur D. Cyprian. *Liberius anima expedita obviat impugnanti, ubi compedes impedimentorum defuerint, & aſpectus irritamenta non nocuerint; ſecuriorque eſt congreſſus, ubi ſingula non vellicant dimicantem, nec inebriant animum, lenocinia voluptatum.* Tunc ſecuriſſimè pugnamus contra diabolum, cum exemplo Chriſti urbes, oppida & mundum quaſi deſerentes, fugimus in deſertum, ut ibi expediti ab omnibus vinculis voluptatum, de diabolo ejusque tentationibus triumphemus,

§. 3. *Qua ratione David in ſpelunca Engaddi vicerit diabolum.*

Inſignem modum vincendi infernalem hoſtem, nos docuit animoſus juvenis & heros David. Ob Saulis invidiam morabatur in deſerto Engaddi, l. 1. Reg. c. 24. admirabili Dei providentiâ Saul, qui Davidem quærebat ad necem, coactus fuit ſecedere in illam ſpeluncam, in qua David latitabat; videns David hoſtem ſuum inermem, perſuaſus fuit à ſociis, ut illum perimeret, morteque ejus & vitam ſuam & regnum ſibi redimeret, dixit autem David ad viros ſuos v. 7. *Propitius ſit mihi Dominus, ne faciã hoc.* Sed cur David ita renuit extendere manum ſuam in hoſtem? quo occiſo, poterat vivere ſecurus? cur magis voluit infenſiſſimo hoſti parcere, quam ſolium regni conſcendere? Putat D. Baſil. Seleuc. orat. 17. quod ſapientiſſimus David adverterit, ſe in hoc deſerto, in hac ſpelunca nobiliſſimam victoriam poſſe reportare, contra vitia & diabolum; *Cùm enim David in ſpelæo quæritantem ſe deprehendiſſet, parcit: cumque invidentem cepiſſet, humanitate ſummam ultitur; Sauli quidem pepercit, ſed dum ab eo manus abſtulit, diabolum percuſſit; & pura ab inimici ſanguine ſervata dextera, communem hominum hoſtem conſociavit; animo imperans, calcans vitia, aciem gladii retundens, perſequentem ſervans, invidia manſuetudine reſpondens. Quibus ſolis ſtimulis pungitur diabolus.* Ideo S. Cypr. orat. ad Demetrianum dixit: *O ſi audire velles dæmones, quando à nobis adjurantur, & torquentur ſpiritualibus flagris, & verborum tormentis de obſeſſis corporibus ejiciuntur.*

§. 4. *Ut ſimiliter & nos vincamus,*

Hæc debet eſſe cura Chriſtiani militis ſub vexillo ſanctiſſimæ crucis, & Duce atque Imperatore noſtro Chriſto Domino, ut

Digitized by Google

ut hoc ſacro tempore Quadrageſimæ quærat potentes ſtimulos ad pungendum diabolum, flagra ſpiritualia, & verborum tormenta ad illum torquendum; pugnæ locus eſt deſertum, ſive ſancta quædam ſolitudo, aut ſeparatio à mundi deliciis. Acutus ſtimulus eſt jejunium, quo pungitur diabolus, mortificatur caro, extinguuntur cupiditates. Ipſe Chriſtus Dominus ſine hoc clypeo contra diabolum pugnare non voluit. Ignei ſtimuli ſunt ardentes preces; his pungitur diabolus. Hac ſancta Quadrageſima debemus imperare concupiſcentiis, calcare odia, invidiæ reſpondere, manſuetudine & humilitate. His ſtimulis pungitur diabolus; his armis ejus ſuperantur inſidiæ & tentationes: ſed in deſerto.

§. 5. Qui ſuperare vult tentationes diaboli, debet fugere occaſiones peccandi.

Extra deſertum periculoſum eſt, cum diabolo velle pugnare; id eſt ex mente SS. PP. qui hoſtem hunc vult vincere, cavere debet occaſiones peccandi. Fuga eſt neceſſaria; præſertim quando caro & voluptas, ſe ſe diabolo aſſociant; nam ut cit. ſupra ait Divus Cyprianus: *Carnis complexus fœdas exhalans nebulas, eum, qui ſibi adhaſerit, aliquâ ex parte contaminat, nec libidinum morſus quiſquam evadit illæſus. Flatus ille peſtilens etiam longè poſitos inficit, & hoc certaminis genus fugam potius, quàm aſſultum requirit.* Nunquam triumphâſſet virginitas Joſeph, niſi fugiſſet, Geneſis cap. 49. verſ. 12. Samſon fortiſſimus heros, quia in ſinu Dalilæ voluit quieſcere, cecidit, Jud. cap. 17. verſ. 20. Nemo tentationibus & diabolo fidat in aperto campo; in deſertis pugnamus ſecurius. Cum David à latere dormientis Saulis abſtuliſſet lanceam, extra caſtra deinde clamavit, l. 1. Reg. c. 26. v. 22. *Ecce haſta Regis; veniat unus de pueris Regis, & tollat eam.* Cur non ipſe David Regem acceſſit, & propriâ manu Regi illam obtulit, præſertim, cum Saul pacem & ſecuritatem ipſi promiſiſſet? reſpondet Carthuſianus: *Quia non credidit verbis Saul, cujus infidelitatem, inconſtantiam, furiam & rancorem fuit frequenter expertus.* Prudentiſſimus David noluit hoſti ſuo fidere. Pari ratione ſupra c. 24. v. 23. poſt fœdus initum cum Saule poſt juratam pacem: *David & viri ejus aſcenderunt ad tutiora loca.*

extinguit. Aſſero ego idem de quovis peccato mortali, & Chriſtiano, de hoc bacchanaliorum triduo v.g. ſic diſcurro: Animi lumen eſt, illa Spiritus S. illuſtratio, quæ nobis ſuggerit, hoc triduo in honorem Paſſionis Chriſti D. vivendum eſſe ſobriè & caſtè; Animæ lumen eſt, cum illuſtrati à Spiritu S. ſanctas concipimus cogitationes de morte, de judicio, &c. de pœnitentia, &c. Eheu! Voluptates, deliciæ, ebrietates, libidines, &c. in impiis clariſſima hæc lumina prorſus extinguunt! ita, ut ſimiles cogitationes, talia deſideria & propoſita, animo vel planè non occurrant, voluntatem non commoveant magis, quàm maris fluctus & undæ ſcopulum perterrefaciunt.

§. 5. *Cum quanto animæ & æternæ ſalutis periculo.*

Talem cœcum vivis coloribus nobis proponit Sapiens Proverb. cap. 7. v. 22. cùm ait de adoleſcente inhiante ſuis voluptatibus: *Sequitur, quaſi bos ductus ad victimam, & quaſi agnus laſciviens, & ignorans, quod ad vincula trahatur: donec transfigat ſagitta jecur ejus, velut ſi avis feſtinet ad laqueum.* Pulcherrimæ hæ ſunt parabolæ, quibus explicatur, quid ſit peccator in ſtatu peccati mortalis, ob voluptates, ob libidines, ob quodvis peccatum mortale. Bos eſt, quem diabolus per pinguia paſcua deducit ad lanienam. Agnus eſt, cui dum minimè cogitat, repentina mors minatur ſuum cultrum; cervus eſt currens ad laſciviam, & momento infernalis venator ejus jecori infigit letalem ſagittam. Avis eſt, quæ volitat per arborum ramos, & capitur. Hoc eſt luctuoſiſſimum, quod ſubdit Sapiens; talis bos, talis agnus, talis cervus, talis avis, id eſt impius *neſcit, quod de periculo animæ illius agitur.* D. Gregorius ait: *Qui præſentis vitæ tenebris preſſus, quò greſſus porrigat, neſcit.* Sed quis finis? quis exitus talis comœdiæ, vel potius tragœdiæ? Proverb. 14. v. 12. *Eſt via, quæ apud homines recta videtur; interim noviſſima ejus, ad inferiorem fundum deducunt;* Eccleſiaſt. 21. v. 11. *Via peccantium complanata* [patet hoc triduo bacchanalium] *& in fine; Inferi, & tenebræ, & pœnæ.* Hæc via, inquit ille, eſt mens aut voluntas humana, libidine excœcata, quæ bonis veris, apparentia; Stabilibus, fluxa, temporanea ſempiternis anteponit. Ecce alios fructus internæ cœcitatis in impio.

§. 6. *Pergunt tales cœci re-*

Repeto, quod paulò ante dixi. Tales cœci rectà pergunt ad infernum, & non vident, non advertunt; verbo, ſunt cœci. Contingit

Digitized by Google

tingit illis, quod l. 4. Reg. c. 6. v. 8. refert accidiſſe Regi Syriæ. Miſerat hic equos, currus & robur exercitus, viros ſelectiſſimos in Dothan ad capiendum Eliſæum; & egreſſus manè Propheta vidit ſe in medio, hoſtium proinde confugiens ad ſolita ſua arma, & ardentem orationem, elevatis in cœlum oculis & manibus ait ad Dominum: *Percute obſecro gentem hanc cæcitate*, & factum eſt ita; tum ipſe Eliſæus, quem quærebant, ſed non cognoſcebant, inquit ad illos: *Non eſt hæc via, neq; iſta eſt civitas; ſequimini, & oſtendam vobis virum, quem quæritis*; Ita illos duxit in Samariam, & cum jam undique eſſent cincti ab hoſtibus, ait iterum Eliſæus: *Domine aperi oculos iſtorum, ut videant*. Quo facto viderunt, ſe inter medios hoſtes conſtitutos. Idem contingit mortalibus, ſumus peregrini & viatores, ut per viam mandatorum Dei, per viam ſanctæ crucis, per ſemitas virtutum aſcendamus ad cœleſtem Jeroſolymam; verùm poſtquam diabolus multorum oculos, vanitatis ſplendore excœcavit, liberè ait, *Non eſt hæc via: me ſequimini*. Sequuntur deceptos per roſeam viam voluptatum, per aureas ſemitas divitiarum; tandem venitur ad agonem, ad tribunal Judicis; hic aperiuntur oculi, dum reperiunt ſe conſtitutos ad portam infeliciſſimæ æternitatis; dum in fauces incidunt infernalis draconis, vident! vident omnia deſperata! vident! eheu! nimis ſerò! vident !actum eſſe de æternitate.

cta ad infernum, & non videns niſi in agone.

Proſper Aquitanus refert, Romæ in amœniſſimo horto, fuiſſe quoſdam gradus ad floridum collem, inter quos unus, cum pedibus calcaretur, inverſus, aſcendentem dejecit, in os fictitii draconis, ad cadentis horrorem, aſtantium verò riſum & recreationem. Luctuoſior longè eſt lapſus impiorum, qui in tenebris ambulant ad infernum. Putant ſe incedere per hortos, per amœna viridaria: & dum minimè cogitant, repentina mors illos præcipitat in tartarum & hiantes infernalis draconis fauces; in quibus æternùm ardebunt.

§. 7. *Similitudo.*

Ingens cœcitatis hujus pœna eſt, quod exigua ſit ſpes, ut obſtinati in malo peccatores convertantur: eò quod Deus juſto ſuo judicio, talibus paulatim neceſſaria gratiæ ſubtrahat auxilia, & deniq; planè deſtituat. Ponderanda eſt circumſtantia aliqua crucifixionis, quam advertêre SS. Patres, tum factas fuiſſe tenebras,

§. 8. *Obſtinatè cœci derelinquentur à Deo, ne convertantur; de quo*

Chriſtus D. queſtus fuit in cruce. bras, cum Chriſtus D. ingẽti clamore de cruce clamavit: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me.* Quærit Orig. cur bonus Jeſus hæc verba non dixerit, antequam fierent tenebræ? reſpondet S. Bonav. tenebras illas exteriores fuiſſe imaginem illarum tenebrarum, quibus invidia & rabies in Chriſtum excœcarat oculos Judæorum, & proinde Salvatorem noſtrum protuliſſe hæc verba, hoc ſenſu; q. d O Pater! eſtne poſſibile, ut illum populum, quem hactenus ita dilexiſti, cui tot beneficia præſtitiſti; populum, pro quo ego tanta patior; pro quo mea vulnera & ſanguinem in cruce tibi offero, &c. ut inquam hunc populum plane velis derelinquere! derelicti ſunt, abjecit illos Deus; cauſam ipſi poſuerunt, dilexerunt magis tenebras, quàm lucem: ab invidia, à graviſſimis ſceleribus permiſerunt ſe excœcari.

§. 9. *Quædam teſtimonia SS. Patrum* Hoc eſt, quod S. Hieron. commovit, ut diceret: *Exiſtimo, hoc genus tenebrarum ſignum eſſe reprobationis.* S. Auſtguſtinum, ut pronuntiaret: *Animæ cœcitatem eſſe quendam infernum, ex quo nulla datur redemptio.* Hoc eſt, quod iratus Iſaias impiis fuit imprecatus c. 6. v. 10. *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava; & oculos ejus claude, ne forte videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & convertatur.* Ob has cauſas putem ego ab Eccleſia in Evangelio, hoc triduo nobis proponi, v. g. Chriſtum D. dirè flagellis cæſum, ut oculis noſtris illum aſpiciamus, ut audiamus illius voces, quibus per vulnera & ſanguinem ſuum nos exhortatur ad pœnitentiam, & convertamur. Eheu! excœcata ſunt quorundam corda, aures ſunt aggravatæ, oculi ſunt clauſi, ideoq; abjiciunt timorem Domini, quo abjecto, in omnia ſcelera præcipites feruntur. Corporaliter cœcus, cum nihil videat, nihil etiam pertimeſcit, ſic & cœcus ſpiritualiter, nihil videt, hinc & timet nihil, Deum non videt, nec timet, pericula, in quibus verſatur, non videt nec timet. Judicium extremum non videt: nec timet. Stringe ferrum ante oculos cœci corporaliter; non metuet: ſtringe ferrũ divinę juſtitię ante oculos cœci ſpiritualiter, nec timor illũ invadet, nec horror. Et hæc malorũ omniũ eſt Ilias? cœcũ eſſe, & nec præterita, nec futura, nec præſentia, quæ nos premunt mala conſpicere.

§. 10. *Ideo diabolus inſidia-* Hæ quoque ſunt cauſæ, ob quas ſollicitus dæmon ita inſidiatur internis oculis humanæ mentis. Sponſus Cant 1. deſcri-

pturus

pturus pulchritudinem ſponſæ, ait v. 14. *Oculi tui columbarum.* *tur oculis*
S. Greg. Nyſſen. *Orditur hæc encomia de membris præcipuis: quid e-* *humanæ*
nim inter membra noſtra præſtantius eſt oculis, qui nobis operum omni- *mentis.*
um magiſtri ſunt & doctores. Ideo teſte Philone, natura oculos in ſublimi loco, ut Principes collocavit. Ex mente S. Ambroſ. quod ſol eſt in cœlo, hoc ſunt oculi in facie hominis. Ægyptii Deum vocârunt *Oculum*, à quo omnia in mundo provide gubernantur. Hoc de oculis corporeis; intus in anima, oculus hominis eſt ratio ſive intellectus; quo homini nihil à Deo datum eſt præſtantius; Intellectus, veluti lucidus oculus, doctor ductorque noſter eſt & magiſter. Ratio eſt veluti Regina, quæ reliquas potentias providè debet regere & gubernare. *Et proinde* [Climacus] *omnes dæmones primùm intellectum noſtrum obnubilare contendunt; atque ita demum ea, quæ ſuggerunt, perſuadent, niſi enim mentis noſtræ clauduntur oculi, theſaurum noſtrum furari non poterunt.* Latet hoc ſimile: Fur nocte concubia ingreſſus domum, ſi fortè ardeat lampas, conatur illam extinguere. Tenebræ favent furibus; Cum l. 1. Machab. c. 1. v. 23. Antiochus potitus fuiſſet templo, ſtatim aureum ſuſtulit candelabrum. Cum l. 4. Reg. c. 25. v. 7. Nabuchodonoſor captivum excepiſſet Sedeciam, juſſit illi effodi oculos, & ita vinctum catenis dimiſit in Babylonem. Cum à Dalila Philiſtæis traditus fuit fortiſſimus Samſon, ſtatim eruerunt oculos ejus Jud. 16. v. 21. tum vinculis ligatum miſerunt in carcerem; Eadem ſpiritualiter diabolus operatur in anima, quam per peccatum aliquod mortale ingreditur; extincta lampade rationis, ſublato aureo candelabro intellectus, effoſſo hoc oculo; miſeros ligatos catenis mittit in carcerem impietatis; tum latroni illi perquam facile eſt, noſtros virtutum theſauros diripere.

Falco, alligatus baculo, irrequietus movet plumas & alas, ut avolet, ut vincula rumpat, atque ita libertati reſtituatur. *§. 11. Similitudo.* Sed auceps volucris capiti imponit pileolum, quo oculi quoque teguntur; tum, quaſi cœca, & ſedens in tenebris, quieſcit; remoto pileo, ruptis vinculis, præceps avolat in aera. Talis falco eſt anima hominis, licet ſentiat, ſe teneri à vinculis in carcere mortalis corporis, nihilominus, quamdiu apertos

habet oculos, plumis & alis ſanctiſſimorũ deſideriorum conatûr evolare ad cœleſtia, oculo mentis cernit, quàm omnia bona hujus mundi ſint fluxa,&c. ideo conatur rumpere iſta vincula,&c. Quamprimùm verò infernalis auceps, diabolus, illi imponit pileum vanitatis,pileolum aureum divitiarum, &c. ut excœcata non videat; etiamſi in vinculis,in catenis,in carcere,quieſcit. Si verò contingat tranſire bonum Jeſum,ut hos pileolos removeat, ut reſtituat viſum, mox rurſum evolat ad cœlum.

§. 12. Quâ ratione diabolus vincat fortiſſimos leones.

De leonibus ait Plinius l.8. c.16. *Capere leones,ardui quondam fuit operis ſed velatis oculis facile capiuntur.* Videlicet omnis vis cõſtat illis in oculis. Alibi refert cit. Auctor tempore Claudii Imperatoris Paſtores Getuliæ hanc fraudem inveniſſe, cum unus caſu irruenti leoni injecit pallium, quo cum tecti fuere oculi leonis elanguit. Hac fraude diabolus vicit proſtravitque plurimos leones. Leo erat David,fortiſſimus Rex,diabolus oculis injicit pallium [pulchritudinem Berſabee,& ecce labitur in adulterium & homicidiũ.] Tale pallium injectum fuit duobus ſenibus,cum viderunt Suſannam,& ecce mox ita excœcati,ita debiles,ut S. Textus Dan.3.v.9. dicat: *Videbant eam ſenes, & everterunt ſenſum ſuum,& declinaverunt oculos ſuos, ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum juſtorum.* Ob hanc cauſam, & hodie, præcipuè hoc triduo tot non vident cœlum, non Chriſtum D. non,&c. quia diabolus occluſit oculos. Jocolator,ut melius ducat urſum, illum excœcat,hoc modo: objicit urſo pelvim lucidam objectam radiis ſolis; mirè his urſus delectatur,verùm ardore ſolis exſiccatur humiditas in oculis beſtiæ, conſequenter excœcatur, tum urſus ducitur quò Domino lubet. Planè ſic agit diabolus. Mutatur homo per peccatum in beſtiam,in hircum,in mulum; excœcat, objicit voluptates, divitias,&c. his poſtquam peccator excœcatus eſt,ducit ut beſtiam ad omnia ſcelera. Pulchra eſt fabula Ovidii l.7. Metam. Rex Æætes draconi in colchide multorum oculorum,cuſtodiendum tradidit ingentem theſaurum, ſed fruſtra. Tandem Jaſon inſtinctu Medeæ,accepit pulveres, iiſque draconem excœcavit,tum theſaurum diripuit. Ingens theſaurus eſt anima hominis conſtituta in gratia, ut cuſtodiatur, vigilante opus

eſt,

Digitized by Google

eſt dracone. Cave ô homo, multis non aliunde magis imminet periculum, quàm à Medea. [Carne, ab hac diabolus Jaſon accipit pulveres,] voluptates, &c. His ſi draco excœcetur, actum eſt de theſauro, de anima; oculis animæ perditis, perdita eſt anima, patet rurſum ex ſimili.

In duello aliquo oculi maximè ſunt neceſſarii. Notavit S. Gregorius, quod Spiritus S. cum agit 1. Reg. 17. v. 42. de Davide pugnante cum Goliath, juvenem laudârit ab oculis. Textus ait; *Erat adoleſcens pulchro aſpectu, decoraque facie.* Alii legunt: *Erat pulcher oculis, & bonus viſu.* Sed quid elegantia oculorum conducit ad fortitudinem? manus, lacerti laudari debebant; brachiis pugnandum fuit Davidi, non oculis; ſed in ſenſu myſtico hoc latet myſterium. Myſticè agitur de pręlio, quod nobis eſt cum diabolo. De prælio de quo loquitur S. Paulus ad Epheſ. 6. v. 11. *Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias diaboli, quoniam non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed &c. contra diabolum.* Secundum S. Paulum ad armaturam hanc myſtici David, qui contra diabolum pugnat, requiritur lorica juſtitiæ, requiruntur calcei Evangelici, ſcutum fidei, galea ſalutis, gladius ſpiritus. Sed præter hæc omnia, pulchri oculi [cognitio ſive animæ viſus ait S. Greg. quo anima Dei, nunc perpendit bonitatem, nunc futura] &c. Sic S. Greg. in c. 16. l. 1. Reg. *Quid eſt, pulcher aſpectu, niſi interna contemplatione conſpicuus.* Da mihi animam, quæ linceis oculis contempletur NN. & dabo tibi animam fortem, robuſtam, quæ diabolum Goliath unico fundæ jactu maximè cum 5. lapidibus vulnerum Chriſti ſolo dejiciat; hoc quia diabolus ſcit, conatur, &c. anima ſine intellectu eſt, quod pugil ſine oculis.

§. 13. *An duellum ſunt neceſſarii oculi.*

Lib. 1. Reg. 11. v. 1. Naas Ammonites infert bellum viris Jabes Galaad, hi non fidentes viribus ſuis, ajunt ad Naas: *Habeto nos fœderatos, & ſerviemus tibi;* Reſpondit Naas: *In hoc feriam vobiſcum fœdus, ut eruam omnium oculos veſtros dexteros, ponamusq; vos opprobrium in univerſo Iſrael.* Similem planè conditionem ponit diabolus ſuis fœderatis: hoc intendit verſipellis ille veterator, hoc machinatur, mentis oculos vult eruere, vult excœcare mortales miſeros; in hoc inquit: *Feriam vobiſcum fœdus:* At

§. 14. *Confirmatio §. decimi.*

quale

Digitized by Google

quale fœdus? pacis? minimè. Gratiæ? neutiquam. Quietis? nequaquam. Fœdus inferni, fœdus doloris & furoris. Hoc triduo heu quàm multis offert hoc fœdus! & heu quàm multi illud ultro ambabus, ut ajunt, manibus ſuſcipiunt! heu quàm multos excœcat Sathanas! Excœcat, ut finem fœdæ voluptatis non reſpiciant; Excœcat, ut debitas ſcelerũ pœnas non provideant; Excœcat, ut Chriſti patientis funeſtum ſpectaculum non intueantur!

§. 15. *Deus punit impios cæcitate mentis.* Proinde privari oculis mentis, eſt ingens pœna. Pſ. 2. v, 5. *Tum loquetur ad eos in ira ſua, ad peccatores, & in furore ſuo conturbabis eos.* Quid ergo faciet? Reſpondet S. Aug. *Ira Dei rectè poteſt intelligi mentis obſcuratio, quæ conſequitur eos, qui legem Dei transgrediuntur.* Sed excœcatio hæc, in quo conſiſtit? reſpondet D. Cypr. l. 1. ep. 3. *Ira eſt Dei, non intelligere delicta, ne ſequatur pœnitentia, &c.* Sic &c. non agnoſcere peccata, v. g. audire ex Evangelio hodierno, Chriſtum D. flagellatum; cauſam eſſe luxuriam, & tamen hoc triduo non intelligere, non moveri, imo de novo peccare; eſt ira Dei, & gravis pœna. Inter pœnas, quibus Moyſes juſſu Dei Ægyptios flagellavit, fuêre etiam tenebræ, Exodi 10. v. 22. *Factæ ſunt horribiles tenebræ in univerſa terra Ægypti.* Hæ tenebræ Ægyptiis fuêre quaſi vincula & carceres. Sap. 17 v. 2. *Vinculis tenebrarum compediti.* Verſ. 17. *Una catena tenebrarum omnes erant colligati.* Verſ. 15. *Cuſtodiebatur in carcere ſine ferro recluſus.* Mirum profectò hanc unam quaſi & ſolam vocari pœnam horribilem, venerunt ranæ, operuêruntque terram Ægypti; nec refertur, fuiſſe pœnam horribilem: venerunt veſpæ, & tam hominibus infeſtæ erant, quàm jumentis, nec additur, pœnam fuiſſe horribilem! venerunt muſcæ; venerunt varii morbi atque ulcera; denique quid non calamitatum venit atque obruit Ægyptios? de ſolis tamen tenebris dicitur, quod plaga fuerit horribilis. Quid hoc rei? ſic eſt Auditores, nimirum inter omnia divini furoris inſtrumenta non eſt terribile magis, quàm excœcatio. O tenebræ horribiles! ô tenebræ peccatorum! ô quando ſol ille Divinus orietur, & noctem veſtram commutabit in lucem?

§. 17. *Efficax medium in-* Supereſt, ut deplorandos hos cœcos moneam, ut advertant, quàm juſtas habeant cauſas, ut cum Evangelico cœco confugiant

ad

ad Chriſtum; ut corde contrito & humiliato exclament: *Jeſu fili David, miſerere noſtri.* Ut quivis ſuſpiret: *Domine, ut videam.* De manibus ſponſi ait ſponſa Cant. 5. v. 14. *Manus illius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis.* Aureæ, id eſt, Divinæ. Tornatiles, id eſt, affixæ cruci: plenæ hyacinthis, id eſt, ſtillantes pretioſiſſimi ſanguinis guttis. Hæ manus debent tangere cœcorum oculos, ut videant. Hoc ſanguine debent aperiri. De Longino dicunt, quod fuerit cœcus, ſed dum gutta ſanguinis ex benedicto latere, quod lanceâ aperuit, defluxit in ejus oculos, cœpit videre. O Jeſu crucifixe, renova hodie hæc miracula, ut tot cœci oculorum lumen recipiant.

Torna coloratus eſt ſanguinis Chriſti.

§. 17. *Cur Chriſtus D. poſt mortem in cruce voluerit aperiri latus ſuum, & transfigi cor.*

Si contingat pullos hirundinis diutius manere cœcos; mater roſtro ſuo, nonnihil proprium aperit pectus, & guttulis aliquot calidi & delicati ſanguinis cœcis pullis tribuit viſum. Sollicìti ſunt ſancti Patres, ut plurimas congerant cauſas, ob quas Chriſtus D. poſt mortem in cruce voluerit, & permiſerit aperiri pectus & latus, immani vulnere, imo ipſum benedictum cor lanceâ transverberari; hæc mihi placet; ſanguine ſuo calidiſſimo & delicatiſſimo, ex latere, ex pectore, ex corde vult ſanare cœcos pullos. O Jeſu Crucifixe! en animam meam tibi ſiſto! En ſiſto & tibi animas meorum Auditorum! Tu ſcis mi Jeſu, quales ſimus animæ, cœcæ ſumus, flectimus ſub tua cruce, & pretioſi ſanguinis tui guttulas exſpectamus, flectimus ſub tua cruce, aperi Domine, ô aperi oculos cordium noſtrorum, ut in lumine tuo ambulemus; flectimus ſub tua cruce, ut radiis tuæ Divinæ gratiæ illuſtremur, & quæ non vidimus hactenus amoris tui ſalutisque noſtræ myſteria videamus.

CON-

CONCIO XIII.

DOMINICA I. QUADRAGESIMÆ.

Cum jejunáſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus:

Matth. 4. verſ. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

UT adverſarii noſtri diaboli, qui omnibus modis quærit noſtram ruinam, inſidias & tentationes vincamus, neceſſarium nobis eſt jejunium. Quod Chriſtus D. ſacroſancto ſuo exemplo nos docuit.

§. 1 *Ratio S. Ambroſii, ob quam Spiritus ſanctus Chriſtum duxit in deſertum.*

§. 2. *Pugnaturus cum diabolo, fugit mundum, & ſecedit in deſertum.*

§. 3. *Qua ratione David in ſpelunca Engaddi vicerit diabolum.*

§. 4. *Vt ſimiliter & nos vincamus.*

§. 5. *Qui ſuperare vult tentationes diaboli, debet fugere occaſiones peccandi.*

§. 6. *Diabolus eſt præcipitator animarum, nemo illi fidat! Exponitur modus, quo diabolus aſſumpſit Jeſum in civitatem.*

§. 7. *Proſecutio.*

§. 8. *Ipſe diabolus in modo tentandi non potuit diſſimulare, ſed intendere ruinam.*

§. 9. *Explicatur ſpiritualis illa ruina animarum, ex cap. 16. Numerorum.*

§. 10. *Pugnaturi contra diabolum, debemus jejunare, ne nos vincat, & nobis noceat.*

§. 11. *Jejunium noſtrum eſt flagellum diabolorum.*

§. 12. *Encomia jejunii ex SS. Patribus.*

§. 13. *Neceſ-*

Digitized by Google

§. 13. Neceſſitas jejunii contra tentationes diaboli, inde declaratur, quod CHRISTVS Dominus non permiſerit ſe tentari, niſi poſtquam jejunaſſet.

§. 14. Per Quadrageſimam alios cibos nobis offert Chriſtus D. alios diabolus.

§. 1. *Ratio S. Ambroſii, ob quam ſpiritus Chriſtum duxit in deſertum.*

D*Vctus eſt Jeſus in deſertum à ſpiritu.* Non ſine magnis myſteriis. Sic enim ait D. Ambroſius l. 4. in Lucam: *Agebatur Jeſus conſilio in deſertum, ut diabolum provocaret: myſterio! ut illum Adam de exilio liberaret, qui de paradiſo in deſertum ejectus eſt.* De Davide ait l. 1. Reg. c. 23. verſ. 14. *Morabatur David in deſerto, & ita* [D. Chryſoſt. hom. 1. de Davide & Saule] *egeſtatem præ divitiis, ſolitudinem præ patria, labores periculaque præ deliciis ac ſecuritate, perpetuum exilium præ terrarum orbe elegit David* [ſubdit cauſam D. Chryſoſt.] *ut Saulem ab illo in ipſum odio malevolentiaque liberaret.* Quid ſanctius? quid Divinius? non dubitavit David fugere & latere in deſerto, ut conſuleret Sauli. Idem fecit Chriſtus D. Salvator noſter; Jeroſolymam aliaſque urbes deſerens: quadraginta integros dies latuit in deſerto, perſeverans in jejunio & orationibus, non tantùm, ut odio & invidiæ Phariſæorum nonnihil cederet, ſed ob cauſam longè nobiliorem, ut ſcilicet totum genus humanum ab ira Patris cœleſtis liberaret, & ita jejunio atque exorationibus præluderet ſuæ Paſſioni, per quam Patri humanum genus erat reconciliaturus. Ivit in deſertum, jejunavit, oravit, ut nobis oſtenderet arma, quibus contra nequiſſimi hoſtis tentationes depræliari oporteat. Quam materiam ex ſancti Evangelii textu, & SS. Patrum explicationibus, hâc Concione vobis proponam. Attendite.

§. 2. *Pugnaturus cum diabolo, fugiat mundum, & ſecedat in deſertum.*

Ductus eſt Jeſus in deſertum à ſpiritu; Sequuntur ſtatim hæ voculæ: *ut tentaretur à diabolo.* D. Chryſoſt. hom. 5. ex variis in Matth. *O incomparabilis Domini patientia? & admiranda humilitatis exemplum, tentari à diabolo, Dominus patitur!* Ob quæ verba nobilis quidam S. Scripturæ interpres ait: *Abiit Jeſus in deſertum, ut confligat cum diabolo;* Sed quid neceſſe fuit, illum ad illam pugnam procedere in deſertum? Reſpondet D. Cyprianus orat.

Digitized by Google

ut hoc ſacro tempore Quadrageſimæ quærat potentes ſtimulos ad pungendum diabolum, flagra ſpiritualia, & verborum tormenta ad illum torquendum; pugnæ locus eſt deſertum, ſive ſancta quædam ſolitudo, aut ſeparatio à mundi deliciis. Acutus ſtimulus eſt jejunium, quo pungitur diabolus, mortificatur caro, extinguuntur cupiditates. Ipſe Chriſtus Dominus ſine hoc clypeo contra diabolum pugnare non voluit. Ignei ſtimuli ſunt ardentes preces; his pungitur diabolus. Hac ſancta Quadrageſima debemus imperare concupiſcentiis, calcare odia, invidiæ reſpondere, manſuetudine & humilitate. His ſtimulis pungitur diabolus; his armis ejus ſuperantur inſidiæ & tentationes: ſed in deſerto.

§. 5. Qui ſuperare vult tentationes diaboli, debet fugere occaſiones peccandi.

Extra deſertum periculoſum eſt, cum diabolo velle pugnare; id eſt ex mente SS. PP. qui hoſtem hunc vult vincere, cavere debet occaſiones peccandi. Fuga eſt neceſſaria; præſertim quando caro & voluptas, ſe ſe diabolo aſſociant; nam ut cit. ſupra ait Divus Cyprianus: *Carnis complexus fœdas exhalans nebulas, eum, qui ſibi adhæſerit, aliquâ ex parte contaminat, nec libidinum morſus quiſquam evadit illæſus. Flatus ille peſtilens etiam longè poſitos inficit, & hoc certaminis genus fugam potius, quàm aſſultum requirit.* Nunquam triumphâſſet virginitas Joſeph, niſi fugiſſet, Geneſis cap. 49. verſ. 12. Samſon fortiſſimus heros, quia in ſinu Dalilæ voluit quieſcere, cecidit, Jud. cap. 17. verſ. 20. Nemo tentationibus & diabolo fidat in aperto campo; in deſertis pugnamus ſecurius. Cum David à latere dormientis Saulis abſtuliſſet lanceam, extra caſtra deinde clamavit, l. 1. Reg. c. 26. v. 22. *Ecce haſta Regis; veniat unus de pueris Regis, & tollat eam.* Cur non ipſe David Regem acceſſit, & propriâ manu Regi illam obtulit, præſertim, cum Saul pacem & ſecuritatem ipſi promiſiſſet? reſpondet Carthuſianus: *Quia non credidit verbis Saul, cujus infidelitatem, inconſtantiam, furiam & rancorem fuit frequenter expertus.* Prudentiſſimus David noluit hoſti ſuo fidere. Pari ratione ſupra c. 24. v. 23. poſt fœdus initum cum Saule poſt juratam pacem: *David & viri ejus aſcenderunt ad tutiora loca.*

 Circa

Circa quæ Severus Sulpitius l. 1. hiſtor. *Ad hæc culpam Saul fateri, veniam precari; lachrymas fundere* [*aſtutam vulpem*] *pietatem David extollere, Regem eum & filium appellans. Sed David, qui penitus ingenium mali ſpectatum haberet, & cognitum, nihil Regi credendum ratus, intra eremum ſe continebat.* Exemplum Davidis imitantur prudentes pugiles in palæſtra virtutum; quia norunt adverſarii noſtri infidelitatem, furiam, rancorem; non fidunt; ſed in deſerto, in monte Calvariæ, quærunt ſpelæa in ſanctiſſimis Jeſu Crucifixi vulneribus, ut ibi tuti deliteant.

§. 6. Diabolus eſt præcipitator animarum, nemo illi fidat; Exponitur modus, quo diabolus aſſumpſit Jeſum in civitatem.

Super illa verba hodierni Evangelii: *Tunc* [v. 5.] *aſſumpſit eum diabolus in ſanctam civitatem;* Quærunt interpretes, qua ratione hoc factum ſit. S. Cypr. ſer. de jejun. & orat. Chriſti putavit, hanc aſſumptionem non fuiſſe realem, ſed phantaſticam ſive imaginariam, quales fuêre viſiones exhibitæ Ezechieli & aliis Prophetis. Qua ratione ſagæ ſæpe ſe putant transferri à diabolo ad convivia & choreas, cum revera non transferantur, ſed diabolus illudat illorum imaginationi, id eſt, facit, ut ſibi talia fortiter imaginentur. Verum abſit, ut credamus, diabolum tam falsè illuſiſſe phantaſiæ Chriſti, in quam diabolus nullam unquam habuit nec habere potuit poteſtatem. 2. Euthymius & Maldonatus opinantur, permiſiſſe Chriſtum D. ut à diabolo revera raptus fuerit per aëra; Addunt S. Hier. S. Greg. S. Thomas, non debere hoc nobis videre mirum, cùm à diaboli membris, id eſt, perfidis Judæis permiſerit ſe crucifigi. Advertendum tamen eſt, quod diabolus, qui putabat ſe Chriſto imponere in hoc, quod cum homines illum eſſent viſuri, quaſi volantem per aëra, ideo trahendus eſſet in ſuſpicionem de magia; quod inquam diabolus valdè fuerit deceptus à Chriſto D. ut qui, ipſo Cacodæmone neſciente ſic egit, ut à nemine conſpiceretur, vel impediendo ſpeciem ſui corporis, ne ſcilicet corpus ſuum ſpecies viſivas ex ſe emitteret; vel non concurrendo cum oculis videntium ad actum viſionis corporis ſui, ne viderent illud rapi per aëra; ita ut raptus hic fuerit planè inviſibilis. Auctor Op. Imperf. hom. 5. in Matth. *Diabolus quantum ad ſe, ſic eum aſſumebat, ut ab omnibus videretur; ipſe autem neſciente diabolo, ſic agebat, ut à nemine videretur.*

Inhæreo-

Digitized by Google

Inhæreo diutius huic diſcurſui; redeo ad meum intentum, & moneo, de hoc raptu D. Cyprianum ſer. de tentatione hoc dixiſſe, quod diabolus Jeſum tulerit, videtur inconveniens, vel quod humeris ejus Salvator inſederit, & pro vehiculo uſus ſit, quem præcipitatorem ſciebat; Non quod Chriſtum D. in hoc potuerit conjicere periculum, ſed, ut nos doceret, nobis non eſſe fidendum diabolo: qui è cœlo deorſum cecidit in tartara, alios quoque deorſum trahere molitur. Unde etiam Chriſto D. dixit: *Si filius Dei es, mitte te deorſum*; Nunc tandem ex hoc diſcurſu intelligite, quid faciant illi, qui in urbibus, in foro & præſentiſſimis occaſionibus, ſe quaſi imponunt diaboli brachiis & manibus; quid exſpectare poſſit, niſi ut à diabolo præcipitentur in foveam unius aut alterius peccati mortalis; mox in alias abyſſos & voragines graviſſimorum ſcelerum: ex illis in barathrum æternæ damnationis. Nemo fidat ſuo hoſti. *§. 7. Proſecutio.*

Certe in ultima tentatione, qua Chriſtum D. diabolus fuit aggreſſus, ipſe inſinuavit, ſe nihil aliud intendere, quàm ejus ruinam; dum enim in excelſum montem illum deduxiſſet, ex illo omnia regna mundi illi oſtendens, ait: *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me.* Regna offert, & tamen caſus meminit: *Si cadens, &c.* Cur ſceleſtus & verſipellis de caſu & lapſu non ſiluit? cur fraudes non celavit? oſtendit ſe præcipitatorem. Proinde D. Cypr. cit. ita nos monet: *Attende mi homo - pretium quod petitur* [ſubintelligo ego, cum diabolus te ſollicitat ad peccatum, cum offert voluptates, &c.] *eſt, - diabolum, ut adores proſtratus; & cum tibi Deum conſtituas, quem non dubitas ſeductorem; Si conſenſeris, ut concedas, caſus tui te non potes excuſare improvidum, cùm ipſe tibi caſum & ruinam prænominet; & præcipitium exigat; - tanta tibi promittit faſtigia - ut altius & profundius ruas.* Regna mundi offert, ut in ruinam præcipitet. Qui cadentes diabolum adorant, ut honores, ut voluptates, ut regna hujus mundi obtineant, de ruina & lapſu non dubitent. *§. 8. Ipſe diabolus in modo tentandi non poterat diſſimulare, ſe non intendere ruinam.*

Numer. 16. v. 31. Core, Dathan & Abiron ambiverunt culmen magni ſacerdotii, & ſtatim - *Diſrupta eſt terra ſub pedibus eorum; deſcenderuntque vivi in infernum.* Ob quam pœnam ſuperbis *§. 9. Explicatur ſpiritualis illa ruina*

bis illatam. S. Petrus Damianus l.7. ep. 1. monet omnes impios, ut Dathan atque Abiron, atque Core in memoriam revocent, & ex eorum perditionibus colligant, qui finis etiam ſe, qui ſimilia ſectantur, expectet. *Quamobrem ſicut illos terra deglutiit; ſic iſti tandem merguntur in tartara.* Præcipitatur & diabolus. Cavete Auditores; abite cum Chriſto in deſertum, jejuniis, vigiliis & orationibus vacate.

§. 10. *Pugnaturi contra diabolum, debemus jejunare, ne nos vincat, & nobis noceat.*

Sed monet me clepſydra, ut alteram Concionis partem de jejunio aggrediar; quod efficaciſſimum eſt medium ſuperandi tentationes diaboli. Ita D. Ambroſ. l.3. de Spiritu S. c.18. *Jejunaturus, à ſpiritu ducitur in deſertum, ut evacuaret diaboli tentamenta.* Nam etſi in abundantiâ copiarum continenter vixiſſe, laudabile eſt; tamen in divitiis & amœnitatibus frequentior tentationis illecebra eſt. Homines voluptuoſos facillimè ſuperat diabolus. Luc.8.v.27. *Occurrit Jeſu vir quidam, qui habebat dæmonium, jam temporibus multis, & veſtimento non induebatur, nec in domo manebat, ſed in monumentis; Is ut vidit Jeſum, procidit ante illum, &c.* Cum dæmon adverteret, ſe cogi ad exeundum è miſero hominis corpore, petiit, ut liceret ſibi ingredi in gregem porcorum, qui juxta paſcebat, & permiſit Dominus. Quid tunc? *Exierunt ergo dæmonia ab homine, intraverunt in porcos; & impetu abiit grex, per præceps in ſtagnum, & ſuffocatus eſt.* Miror, quod tot dæmonia illum hominem non præcipitârint in maria, ſed porcos. Doctiſſimus Barza ita diſcurrit: *Homo ille miſer, nudus, omni ſpoliatus temporali commodo, ſine delicus, in cibo & potu, habitans in monumentis, parum diſtans à morte, refert illos, qui carnem ſubjiciunt ſpiritui, qui mortificant & crucifigunt membra ſua, qui habitant in deſertis, qui jejuniis aliisque corporis afflictionibus ſeipſos exercent.* Talibus mali dæmones nocere non poſſunt. Porci referunt illos, qui vitam vivunt voluptuoſam, qui &c. meritò illos referunt, nam & moribus & factis ad porcinam magis accedunt naturam quàm humanam. Porci ſunt, qui in luto luxuriæ, tum linguam, tum oculos, tum manus & totum denique corpus volutant; Porci ſunt, qui caput non in cœlum, ſed in terram terræq; ſordes demittunt Porci ſunt, quorum una eſt cura, farcire ventrem, etiam diebus vetitis; porci ſunt, quorum Deus venter eſt; porci ſunt, qui carnes vorant per

Quadra-

Quadrageſimã absq; ſufficienti cauſa vel licentia. His porcis delectantur im̃undi illi ſpiritus; in illis ſedem ſuam figere gaudent. De his ait Euthym. c. 12. in S. Matth. *Ingrediuntur dæmones in porcos, eos videlicet, qui irrationabiliter converſantur, & in cœno voluptatum volutantur, ac illos in perditionem præcipitant.* In voluptuoſis vivida eſt dæmonis poteſtas ad perdendum, ibi ſuum offert virus: at ubi non voluptas, non deliciæ, ſed gemitus, ſed lamenta, ſed ærumnæ incumbunt, prorſus torpet dæmon; vivit ſpiritus hominis, mortuus eſt diabolus. Notum eſt, Chriſtum D. in deſerto jejunantem, triumphâſſe de diabolo; Adamum verò comedentem in paradiſo pomum, à ſerpente miſerè fuiſſe deceptum. Quod eleganter ponderavit D. Ambroſius ſer. 35. *O miſera Satanæ congreſſio! diabolus in deſerto tentationis ſolida arma, non invenit! defuit illi de paradiſo amœnitas arborum; defuit illi conciliatrix Eva, defuit illi pomorum ſpecioſa deceptio.* Contra Chriſtum jejunantem nihil potuit: Elegantiſſimè quoque ait ſer. 37. *In deſerto Salvator implet mandatum Dei, ut ibi Adam ſalvaret errantem, ubi fuerat de paradiſo projectus. In deſerto ergo homini ſalus refunditur, ubi non ſunt epulæ, ubi deſunt deliciæ, ubi* [quæ eſt omnium malorum cauſa] *deeſt mulier.* Potuerat enim Adam inter illas paradiſi inconcuſſus ſtare delicias ſi Eva ibidem cum diabolicis illecebris non fuiſſet. Conveniens ergo eſt deſertum ſaluti, ubi non eſt Eva. Et quomodo Evam à noſtro quoque paradiſo removebimus? dicam, Eva eſt mundana voluptas. Eva eſt laſciva caro; Eva eſt, quæ ad malum blandis verbis invitat, mala ſocietas! Abſit, ò abſit Eva. Locus jejunii noſtri deſertum ſit, abſit ſocietas mala tempore Quadrageſimæ, abſit voluptas maleſuada; abſint, quæ nos ad ſcelus ſollicitant, carnis illecebræ. Videte rem miram! in paradiſo cum Adamo diabolus dimicat - & vincit. - In deſerto aggreditur CHRISTUM, & vincitur. Jejunemus exemplo Chriſti; & noſtra in tentationibus omnibus erit victoria.

Quod S. Paulus videtur voluiſſe inſinuare 1. Cor. 9. v. 26. *Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet;* Alludit Apoſtolus ad athletas, qui delicatis cibis abſtinebãt, & certo parcoq; cibo uteban-

§. II. Jejunium noſtrum eſt flagellum diabolorum

utebantur. Inde concludit; *Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum; Sic pugno, non quaſi aerem verberans: ſed caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, &c.* quaſi diceret, non fruſtra & inaniter laboro, ſed hoſtem verbero, ſcilicet corpus & carnem meam ſubigo; quâ ſubactâ, per jejunium &c. facillimè ſubigitur dæmon; debilitatur & exarmatur. S. Greg l. 30. Mor. c. 26. *Quia cum carnem reſtringimus, ipſis abſtinentiæ noſtræ ictibus, non aerem ſed immundos ſpiritus verberamus; & cùm hoc, quod eſt intra nos, ſubjicimus, extra poſitis adverſariis pugnos damus.* *Nimirum jejunium, quod carnem vexat & attenuat, non tàm carnem, quàm immundos ſpiritus vexat, verberat & exarmat.*

§. 12. **Encomia jejunii ex SS. Patribus.**

Ideoque jejunium [S. Ambr. de Elia & jejunio cap. 3.] *eſt mors culpæ, excidium delictorum, remedium ſalutis, radix gratiæ, fundamentum caſtitatis.* Ex his ego colligo, quod in illis, qui etiam per quadrageſimam ſenſualitati nimium indulgent, qui ideò tantùm, quod id carni ſit moleſtum, nolunt ſatisfacere præcepto Eccleſiæ, &c. Vivat culpa, vigeant delicta, ſalus æterna in magno verſetur periculo; languet radix gratiæ, ſtat in illis fundamentum & baſis libidinis. S. Auguſtinus ſer. de jejunio ait; *Jejunium purgat mentem, ſublevat ſenſum, carnem ſpiritui ſubjicit, cor facit contritum, concupiſcentiæ nebulas diſpergit, libidinum ardores extinguit; caſtitas verò lumen accendit.* Si hæc jejunii eſt virtus atque efficacia, ecquid de ejus contrario, de gula atque intemperantia dicendum putabitis? de contrario contrarium. Si jejunium purgat mentem; gula implet, non virtutibus ſed vitiis? Si jejunium ſublevat ſenſum, gula deprimit: Si jejunium carnem ſpiritui ſubjicit; gula ſpiritum facit eſſe carnis mancipium. Si jejunium cor reddit contritum; gula diſſolutum facit atque impœnitens; Si jejunium concupiſcentiæ nebulas diſpergit; gula eaſdem exſuſcitat; Si jejunium caſtitatis lumen accendit; gula inflammat facem libidinis, facem Veneris, facem Aſmodæi. D. Ambr. ſer. de Eliæ jejun. *Elias ſanctus reſervavit jejuniis cælum; terram orationibus fœcundavit.* Dico ego, jejunio nos poſſumus reſerare vulnera Chriſti, ut in illis pugnemus.

Verbis,

Verbis, quibus Concionem hanc incepi, iiſdem & finiam, *Ductus eſt Jeſus in deſertum à ſpiritu.* Ut iiſdem confirmem hactenus dicta, oſtendamque vobis jejunii neceſſitatem, pro illis, qui contra diaboli tentationes cupiunt eſſe ſuperiores; neque enim ſine cauſa ait ſacer Evangelii textus: *Cùm jejunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſtea eſuriit, & accedens tentator*; Quod expendens D. Baſilius homil. 1. de laud. jejun. ait: *Dominus non prius in carne, quam ſumpſerat, diaboli inſultus excepit, quàm eam jejunio commiſiſſet*; Simul & nos erudiens, ut nos adverſus tentatoris inſultus ungamus & exerceamus. Præſentiſſimum habemus præſidium in jejunio adverſus hoſtes univerſos corporis & animæ, & quos alia virtutum arma vix terrent, jejunium penitus frangit. Iſraëlitæ ſæpius bello fracti à Philiſtæis, tandem l. 1. Reg. 7. v. 10. convenerunt in Maſphat, hauſeruntque aquam & effuderunt in conſpectu Domini, & jejunaverunt in die illa? Quid tum? iterum aſſultum faciunt hoſtes, concurrunt: *Intonuit autem Dominus fragore magno in die illa ſuper Philiſtym, & exterruit eos, & cæſi ſunt à filiis Iſrael.* Pulchrè Tertull. l. de jejun. *Ceciderunt paſtos impaſti, armatos inermes; hæ fuerunt vires jejunantium Deo, cælum pro ejuſmodi militat: habes formam præſidii, etiam ſpiritualibus bellis neceſſariam.* Lib. 1. Reg. c. 14. v. 24. Saul pugnaturus contra hoſtem, populum ita adjuravit: *Maledictus vir, qui comederit panem uſque ad veſperam, donec ulciſcar de inimicis meis.* Et non manducavit univerſus populus panem. Et ita proſperè omnia agebantur; donec Jonathas, inſcius præcepti, accepto favo, comedit de illo, & fracto jejunio, prævaluit hoſtis S. Ambr. ſer. 25. de quadrag. *Ita nec belli finis imponitur, nec Regi reſponſum Propheticum datur.* Unde intelligimus, quod Saul hoſtes, non tam virtute militum, quàm abſtinentiâ ſuperabat. Unius culpâ cunctis generatur infirmitas; defecit enim virtus in exercitu, ubi defecit in obſervatione jejunii. Proinde non eſt, cur ſæpe miremur, Deum nos punire per hoſtes, per famẽ, per bella, per peſtẽ &c. Ob favũ mellis transgredimur præceptũ Eccleſiæ, de non comedendis carnibus. Ob favũ mellis comittimus, quod forſan æternùm pœnitebimus, ob favum mellis Deũ, à quo tot bona accepimus, offendere non dubitamus; ob favũ mellis certã victoriæ ab hoſtib. noſtris cõſequẽdæ ſpẽ perdimus

§. 13. *Neceſſitas jejunii contra tentationes diaboli inde declaratur, quòd Chriſtus D. non permiſerit ſe tentari, niſi poſtquam jejunaſſet.*

Digitized by Google

dimus atque peſſundamus, ob favum mellis, in totum exhauſtum fellis mare noſmetipſos conjicimus. Valde timendum eſt ne brevi audiamus propugnaculum Chriſtianitatis in Italia, regnum Candiæ à Turca planè expugnatum. Fortaſſis [mirabilia ſunt Dei judicia;] ad menſuram peccatorum, quæ illam pœnam merentur, deeſt adhuc transgreſſio jejunii, &c. Quæſo mei Bambergenſes nos ſaltem allaboremus, ne tantæ cladi præbeamus & nos cauſam: Jejunemus, ut confundatur hoſtis! jejunemus, ut avertatur peſtilentia, &c.

§. 14. *Per Quadrageſimam alios cibos nobis offert Chriſtus, alios diabolus.*

Memores ſimus, per Quadrageſimam alios cibos nobis offerri à diabolo, alios ab Angelis & Chriſto D. lib. 3. Reg. c. 17. v. 6. invenio figuram. Elias ſedit in torrente Carith, qui eſt contra Jordanem. *Corvi quoque deferebant ei panem, & carnes mane & veſperi.* Alias, cum perſequente illum Jezabele, fugeret mortem, laſſitudine fractus, ſub umbrâ Juniperi decumbens, indormuit. *Et ecce* [cap. 19. v. 15. ejuſdem lib.] *Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: Surge & comede. Reſpexit, & ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis, & vas aquæ. Comedit ergo & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus uſque ad montem Horeb.* Cur corvus attulit panem & carnes, & bis de die? Cur Angelus panem & aquam ſolam & ſemel? In corvo agnoſcite angelum malum, diabolum; hic offert carnes, ut deinde paſtos dilaceret, &c. Angeli boni, & ipſe Chriſtus D. nos invitant ad quadrageſimale jejunium; ut dum infernalis Jezabel, caro & ſenſualitas nos perſequuntur, dum mortem æternam nobis machinantur; fortes poſſimus fugere ad montem virtutum, & ex illo ad gloriam æternam. Amen! Non decet [inquit ille] militem vulnera ſubterfugere, vulnerato duce. Probroſum & dedecoroſum eſt Chriſtiano ſub ſpinoſo Jeſu Chriſti capite, membrum eſſe velle delicatum, ſine ſpinis, ſine corporis mortificatione, vexatione. Addo ego; turpe eſt JESU jejunante, &c. non jejunare & illos, qui ſe JESU CHRISTI ſervos profitentur!

CON-

Digitized by Google

CONCIO XIV.

DOMINICA II. QUADRAGESIMÆ.

JESU! fili David, miſerere mei,

Matth. 15. verſ. 22.

SYNOPSIS CONCIONIS.

IN 4. punctis exponit omnes voculas hujus orationis. In I. *Jeſu!* In II. *Fili David.* In III. *Miſerere.* In IV. *Mei.* Miſcentur varia de neceſſitate, utilitate & perfectione, ſive efficacia orationis; præſertim illius, quâ nos præparamus ad mortem.

§. 1. *Mulier Cananæa* Matth. 15. *& hæmorrhoiſſa* Marc. 5. *docent nos excellentiſſimum modum orandi.*

§. 2. *Cananæa ſuam orationem prudenter exorſa fuit à nomine Jeſu.*

§. 3. *Quis ſenſus vocularum ſequentium;* Fili David.

§. 4. *Vocula hæc* Miſerere, *continet in ſe pelagus clementiæ.*

§. 5. *Tribulatio ſuggeſſit Cananææ hanc oratiunculam.*

§. 6. *Similis dolor & zelus movet viros Apoſtolicos, ut orent pro impiis.*

§. 7. *Multò magis peccator uti debet hac oratiuncula.*

§. 7. *Impius converſus ad Deum, utiliter orat.*

§. 9. *Variæ claves ad reſerandum theſaurum Divinæ miſericordiæ. Clavis una eſt hæc oratiuncula, Jeſu, &c.*

§. 10. *Poterit fieri, ut in ſubitanea morte per hanc oratiunculam obtineamus cælum.*

§. 11. *Cananæa nos docet orationem frequentem & aſſiduam.*

§. 12. *David oratione vicit ſuos hoſtes, præſertim Goliadem.*

§. 13. *Juditha Holofernem.*
§. 14. *Digreſſio ad pretioſam præparationem ad ſanctam mortem.*
§. 15. *Particula* Mei; *indicat Cananaæ humilitatem, quæ comes debet eſſe orationis.*

§. 1. *Mulier Cananæa. Matth. 15. & hæmorrhoiſſa, Marci 5. docent nos excellentiſſimum modum orandi.*

ILla mulier, quæ in hodierno Evangelio oravit tanta humilitate, tanta patientia, [permiſit enim, imò approbavit ſe excludi à numero filiorum, ſe vocari canem] tanta perſeverantia, tanto fervore & ardore, tam compoſitis verbis: *Jeſu, fili David, miſerere mei*! Hæc inquam mulier meritò vocata fuit ab Evangeliſta *Cananæa*, quæ vocula idem eſt, quod prudens negotiatrix vel advocata, vel prudentiſſima oratrix; ita enim ſe humiliavit, ita ſuam patientiam & humilitatem, fidem & fiduciam manifeſtavit, ita feliciter peroravit, ut quod petendo, urgendo, obſecrando Chriſtum, clamando: *Jeſu fili David, &c.* petiit, obtinuerit. Hujus voculæ circumſtantiam non parum admiror; cum apud S. Marc. c 5. v. 28. lego, aliam mulierem profluvio ſanguinis laborantem, trānſeunti Jeſu nullam verbis propoſuiſſe petitionem; nam tacita accedens, tetigit ſolam fimbriam veſtimenti ejus, & dicebat interius: *Quia ſi tetigero fimbriam veſtimenti ejus, ſalva ero.* Et confeſtim ſiccatus eſt fons ſanguinis ejus. Non fecit verbum pro ſalute ſua, & tamen obtinuit: ſiluit apud Jeſum, & tamen fuit exaudita. Unde hoc? num quæ ſiluit, loqui tamen potuit? Reſpondet elegantiſſimè meo dubio Sedulius l. 3. Paſch. c. 11. *Ecce nunc fœmina, longæ paſſionis ſupplicio deſperata, venit ad medicum, non obſecrans, non gemens, non deplorans, ſed tacens abſtulit, quod quærebat. Stabat in ore muto ſilentium, & animus exclamabat ad Dominum.* Juxta illud S. Baſ. Seleuc. orat. 25. *Novit opportunum ſilentium, in contentam vocem erumpere.* Voces cordis citiſſimè extorquent à Deo & Chriſto D. quod petunt. Ita l. 1. Reg. c. 1. v. 13. Anna locuta fuit in corde ſuo, & labia tantum movebantur; mox tamen obtinuit filium Samuelē. Ita binæ hæ mulieres nos docent duplicem orationem, internam cordis & externam oris. De utriusque perfectione, neceſſitate, & aliis circumſtantiis fuſius aget hæc concio, potiſſimum tamen has voculas exponet, *Jeſu fili David miſerere mei.* Ars longe utiliſſima eſt ſcire bene orare, præſertim hoc ſacro tempore quadrageſimæ,

mæ, ut bene jejunando, bene orando, placeamus Deo & Chriſto Salvatori noſtro, Amen.

Jeſu fili David, miſerere mei! quaſi dicat Cananæa: O Salvator, brevi verbulo te compellabo; ſed quod continet cauſas innumeras, ob quas ſpero à te auxilium. Scio hoc nomen Jeſus eſſe terrorem dæmonum; in nomine hoc genua flectunt & contremiſcunt. Mi Jeſu! hanc potentiam exere contra illud dæmonium, quod tam miſere torquet filiam meam. Hoc nomen ſol & lux eſt! filia mea à dæmonio in tenebroſo carcere, in tenebris tenetur captiva; eſto tu illi Jeſus! eſto ſol! eſto lux! diſſipa & fuga has tenebras. Ut audio, Jeſus ſanavit leproſos, claudos, ſurdos, cœcos! Domine, filia mea longè eſt miſerior; non à lepra vel alio morbo, ſed diabolo torquetur. Huic creaturæ oſtende te Jeſum, qui obſeſſos à tam tetro hoſte liberare potes: diabolus illam premit, tu potes erigere Iſte vult occidere, tu! Si Jeſus es! quod credo! potes illam vivificare. Credo enim, hoc tuum nomen plus valere ad erigendam filiam meam, quàm diabolus valeat ad illam deprimendam. Ni fallor; Jeſus ſignificat illum, qui ſcit & vult ærumnoſis ſuccurrere; hoc nomen ſignificat illum, in quo eſt potentia, ſapientia, bonitas, miſericordia! Ecce Jeſu! filiam meam, in qua hæc tua attributa toti mundo potes manifeſtare; Si hoc modo velim proponere ſignificationesglorioſiſſimi hujus nominis, effluet totum Concionis tempus; quod tamen alteri diſcurſui cupio impendere. Hoc tantùm advertite, I. Prudentem Cananæam ob juſtiſſimas cauſas exorſam eſſe ſuam oratiunculam ab hoc nomine. II. Bene facturos nos, ſi in orationibus noſtris hoc nomen frequenter & devotè pronuntiemus.

§. 2. *Cananæa ſuam oratiunculam prudenter exorſa fuit à nomine Jeſu.*

Sequuntur hæ voculæ, *Fili David!* q. d. audio Davidem fuiſſe regem manſuetisſimum & miſericordisſimum, quia credo, te eſſe filiũ ejus, rogo ut miſeriaris filiæ meæ, quæ tam miſerè torquetur à dæmonio. Audio, quod David in cythara ſuaviter & fortiter canens, malignum ſpiritum, qui exagitabat Saulem, compeſcuerit, quod dæmonem effugaverit. O fili David; hoc coram te proſtrata obſecro, apprehende cytharam dulciſſimæ & fortiſſimæ vocis tuæ; dic verbum, compeſce & fuga dæmonium, quod vexat filiam meam. Audio, quod David Rex noſtræ gentis, quod tam fuerit fortis, ut jugulaverit leones & urſos. O fili hujus Davidis; quàm truculentus leo, quàm infernalis

§. 3. *Quis ſenſus vocularum ſequentium; Fili David.*

lis beſtia in ſuis unguibus tenet filiam meam; Surge fortiſſime David, aggredere, pelle, fuga hunc leonem; *Ne quando* [Pſ. 7. v. 3.] *planè rapiat animam ejus, dum non eſt, qui redimat, neque qui ſalvam faciat eam, niſi tu*, fortiſſime David! David [ſic referunt] fuit vigilantiſſimus paſtor, qui non permiſit à feris ſylvæ rapi oviculas ſuas. Filia David, filia mea eſt ovicula perdita! jam hæret inter dentes infernalis lupi; ſurge! ſuccurre! & pelle ex corpore filiæ meæ tam rapacem lupum. Iterum propero ad reliquas voculas hodiernæ orationis: *Jeſu! fili David, miſerere mei.* Puto, vos advertere prudentiſſimam Cananæam ob juſtiſſimas cauſas vocâſſe Chriſtum D. filium Davidis.

§. 4. *Vocula hæc miſere, continet in ſe pelagum clementiæ.*

Miſerere! deinde ait Cananæa ad Chriſtum D. Ubi D. Chryſoſt. hom. 79. ad pop. *Breve verbum! & clementiæ pelagus continet.* Et D. Damaſc. l. 3. parall. c. 15. ex S. Chryſoſt. *Vide Philoſophicam mulieris animam, dicentis: Miſerere mei. q. d. Ad miſericordiam confugio - ad ipſum fontem accedo - Jeſum quæro, qui filiam meam unus & ſolus ſanare poteſt.* Ni fallor Auditores; puto Spiritum S. in hac ſancta Quadrageſima eò permovere corda veſtra, ut coram aliquo Crucifixo corde contrito & humiliato ſæpius dicatis: *Jeſu fili David, miſerere mei.* Vel cum Regio Pſalte, Pſ. 50. v. 1. *Miſereri mei Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam.* Breves voculæ: Verùm ô felices animæ, tale ſuſpirium clavis eſt, quâ immenſum pelagus Divinæ miſericordiæ aperire poſſumus. Fontes quæritis? Ecce vulnera SS. pedum Crucifixi; confugite ad miſericordiam; hic vos proſternite, dicite: Fili David, per vulnera SS. pedum, miſerere mei. Breve verbum! quod clementiæ pelagus in ſe continet. [Sic de aliis vulneribus, præſertim benedicti lateris & cordis.]

§. 5. *Tribulatio ſuggeſſit Cananææ hanc oratiunculam.*

Cananæam ad hanc oratiunculam compulit miſerrimus ſtatus Filiæ, obſeſſæ à dæmonio; ita enim illam loquentem inducit D. Baſil. Seleuc. orat. 20. *Miſerere mei, quæ filiæ vice flagellor. Illa quidem patitur, ego doleo; eam ad oſtentationem dæmon agit: contra me verò per eam telum natura jacit. Utinam, ne tantos in me cruciatus natura peperiſſet.* S. Chryſ. hom. 27. ex variis in Matth. ejus oratiunculam ſic exponit: *Miſerere mei, ſpectatricis diuturnorum laborum; quotidie*

quotidie cruciatus meos video. Sed quare Cananæa mulier, filiam à dæmonio malè vexatam coram non adduxit, ut magis & citius, triſti ſpectaculo Chriſtum D. commoveret ad commiſerationem? Reſpondet pro matre S. Chryſ. hom. 53. in Matth. *Miſerere mei; nam illa inſenſata jacet; ego verò illa ſum, quam ſenſus morbi non fugit, quæ ſentiens atq; intelligens inſanio, & mille vexor ærumnis. Ego proinde adſum, ego me ad medici pedes abjicio, & rogo, ut miſereatur. Jeſu fili David, miſerere mei; & ſimul filiæ meæ. Si filii & filiæ parentum ſunt animæ; miſerere animæ meæ. Si filii & filiæ in parentibus vitæ ſunt oculus* [ut Euripides loquitur] *O Jeſu reſtitue mihi oculum meum.*

§. 6. *Similis dolor & zelus movet viros Apoſtolicos, ut orent pro impiis.*

Non miror ego Auditores, aliquos impios etiam in Quadrageſimâ non eſſe orationi addictos, non quidem corporaliter poſſeſſi ſunt à dæmone; in animâ tamen per peccatum mortale poſſeſſionem quandam, cacodæmones ſunt conſecuti: Ideo non agnóſcunt, non ſentiunt miſeriam animæ ſuæ, in quam per peccatum mortale inciderunt. Sunt inſenſati, jacent ſine intellectu. A nobis Audit. hoc exigit charitas, ut confugiamus ad miſericordiam! ad fontem gratiæ! ad Jeſum. O mi Jeſu! quàm multos ad oſtentationem agit, torquet, flagellat dæmon! hoc eſt, quod S. Fr. Xaverio ſuggeſſit ardentem illam orationem? *Æterne rerum omnium effector Deus! miſerere! vide, quàm multi vexuntur à dæmonio. Memento, abs te animas infidelium NN. ad imaginem & ſimilitudinem tuam creatas. Miſerere; memento, illas pretioſo ſanguine filii tui eſſe redemptas; Miſerere! Ecce in opprobrium tuum illis repletur infernus. Miſerere.* Ideò frequentiſſimè viri ſancti cum eodem S. Xaverio ardenter ſic orant: *O Jeſu Chriſte, Deus cordis mei! obſecro te per quinq; illa vulnera, quæ tibi in cruce noſtri amor inflixit; famulis tuis ſubveni, quos pretioſo ſanguine redemiſti. Miſerere!*

§. 7. *Multo magis peccator uti debet hac oratiuncula.*

Quid ſi fortaſſis alicui ex meis Auditoribus Spiritus S. hanc ſuggerat cogitationem; Eheu! ego inter illos ſum, qui peccavi! ah! anima mea, quomodo torquetur à diabolo! Eheu! vexat me mea luxuria! eheu! quomodo flagellor à graviſſimis ſceleribus! &c. Quiſquis es, ſurge cum Cananæa; confuge ad miſericordiam; quære fontes infinitæ bonitatis! medicum accede; rue in genua; dic ex intimo corde; *Jeſu! fili David, miſerere mei.* Huic

brevi

Digitized by Google

brevi oratiunculæ ita aſſueſcere, ut nunquam incumbas, niſi prius coram Crucifixo dixeris, *Jeſu miſerere*! breve verbum, ſed quod continet pelagus immenſum clementiæ.

§. 8. *Impius converſus ad Deum, utiliter orat.* Quisquis ad Deum converſus pœnitet, ſi orat, bene ſperet. Bonus Jeſus, non diu differt auxilium, cum tali bene agitur. Declaro ex c. 9. v. 6. Act. ubi Paulus, adhuc Saulus, ſpirans minas & cædes in novellum gregem Chriſti, acceptis literis à Principibus Synagogæ, ibat in Damaſcum, ut omnes credentes in Chriſtum captivos traheret Jeroſolymam. In via ſubita lux de cœlo dejecit illum ex equo in terram, intonante voce de cœlo, *Saule! Saule quid me perſequeris?* concuſſus ingenti terrore ait, *Quis es Domine?* & reſpondit Dominus, *Ego ſum Jeſus quem tu perſequeris.* Saulus adhuc magis tremens ac ſtupens dixit, *Domine, quid me vis facere?* Viri illi, qui comitati fuerunt Saulum, ſteterunt ſtupefacti, audientes quidem vocem, neminem videntes: trahentes tamen Saulum manibus, induxerunt in Damaſcum. Integro triduo Saulus nihil manducavit neq; bibit. Diſcipulo cuidã Ananiæ dixit Dominus in viſu, *Surge, & quare in domo Juda Saulum nomine Tarſenſem.* Ananias videtur voci Domini nonnihil reluctatus, ait enim: *O Domine, audivi à multis de viro hoc, quanta mala fecerit Sanctis tuis in Jeruſalem!* Sed reſpondit Dominus, *vade tu*, alius eſt. Verſ. 11. *Ecce enim orat.* Domine, egone ibo ad Saulum, qui habet poteſtatem à Principibus Sacerdotum alligandi omnes, qui invocant nomen tuum. Dixit Dominus: *Vade! Orat.* Domine ſpirat cædes! carceres, minatur vincula; ante fecit, *jam orat*; jam gemuit? *Miſerere mei Jeſu!* jam ſuſpirat, egone Jeſum Nazarenum ſum perſecutus: Jeſu miſerere! *Ecce orat*; dicens millies: *Domine, quid me vis facere!* Perge itaq; Anania: *-quoniam vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram gentibus & Regibus; impleatur q; Spiritu S.* Benè ſit converſio peccatori! qui hac Quadrageſima ferventer orat, præſertim cum Cananæa: *Jeſu fili David, miſerere mei!* Breve verbum, ſed quod concludit pelagus miſericordiæ.

§. 9. *Variæ claves ad reſerandum theſaurum Divinæ miſericordiæ.* Et certè miram habet hæc vocula vel oratiuncula: *Miſerere mei Deus*, efficaciam. Matth. 16. 18. Chriſtus D. dixit ad S. Petr. *Tibi dabo claves regni cælorũ.* Locut⁹ fuit Chriſtus de illa poteſtate, quã habet Sacerdos, ut peccatorem ſolvat à graviſſimis delictis, ſine hac

Digitized by

hac clavi, nullus unquam impius reſerare poterit theſauros Divinæ miſericordiæ. Vera itaque pœnitentia, legitima confeſſio, ardens contritio, ſunt claves, quibus graviſſimis peccatoribus reſeratur regnum cœlorum. Simili modo ſcio dixiſſe S. Hier. *Sanguis Chriſti eſt clavis paradiſi.* Idem aſſerunt SS. PP. de SS. cruce. De oratione dixit S. Joan. Chryſoſt. *Clavis cæli fuit ſermo Eliæ; jubet, & clauditur cælum, orat poſtmodum, & aperitur.* Simile quid ego hodie affirmo de oratiunculâ Cananææ; hoc ſermone: *Miſerere*: veluti fortiſſima clavi reſeravit & aperuit cor Jeſu, ut hic commotus ad miſericordiam, dixerit: *O mulier, &c.*

Clavis una eſt hæc oratiuncula: IESV, &c.

§. 10. Non deſunt cauſæ, ut nos quoque hanc oratiunculam faciamus nobis familiarem; repentinæ & ſubitaneæ mortes nos perterrefaciunt, & merito, quis ſcit, an non ego, an non tu, an non aliqui ex nobis tali morte ſint morituri, & quidem poſt breve temporis intervallum! fortaſſis hodie, forte cras. Quæſo vos Auditores, dicamus millies cum Cananæa: *Jeſu! fili David, miſerere mei.* Cum hæ voculæ nobiliſſiarum virtutum includant actus, fidei, fiduciæ, amoris, humilitatis, contritionis, reſignationis fieri poterit, ut illa devotè prolata, ſit nobis loco ſacerdotalis abſolutionis; hoc fieri poterit, ut per illã à Jeſu crucifixo obtineamus guttas pretioſiſſimi illius ſanguinis, in quibus lavemur; poterit fieri ex infinita Dei miſericordia, ut hę voculę nobis reſerent cœlum. Vix dixerat latro in cruce: *Domine, memento mei, &c.* & audire meruit: *Hodie mecum eris in paradiſo.* Ut vero gratiam pronuntiandi tum hanc oratiunculam teneamus certius, non differamus ejus uſum in illam horam ſupremam; ſed dum ſani ſimus, dicamus millies: *JESV, &c.*

Poterit fieri, ut in ſubitanea morte per hanc oratiunculam obtineamus cœlum.

§. 11. Jam verò Cananæa non ſemel tantum, ſed bis, ter, ſæpius, ſemper cum majori contentione clamavit: *Jeſu, fili David*; ut nos doceret, orationem noſtram debere eſſe aſſiduam; ut quandoquidem dæmon nunquam ceſſat nos divexare, nos nunquam ceſſemus Deum adorare. Cauſam advertit S. Chryſoſt. in cat. lin. ſup. v. 11. c. 17. Exod. *Cum levaret Moyſes manus, vincebat Iſrael, ſin autem paululum remiſiſſet, ſuperabat Amalec.* Super hæc verba, inquam S. Chryſ. hoc advertit: *Hoſtis, dum oras, premitur; dum ceſſas, erigitur.*

Cananæa nos docet orationem frequentem & aſſiduam.

Digitized by Google

Oratio jugis, hoſtis infirmitas; cæterum ipſe contra ſe tela miniſtrat, qui hoſtem precum inſtantia non fatigat. Quare orationis inſtantia hoſtis debelletur ſævitia; non præſumat, dum parcimus; non erigatur, dum aliquando ceſſamus. Vexatio continua diaboli quandam nobis imponit neceſſitatem orandi; cùm verò duplicis generis homines potiſſimum vexet. I. Peccatores, qui per pœnitentiam ſe volunt ad Deum convertere; II. Moribundos; ſequitur, his quoque maximè neceſſarium eſſe uſum orationis, & præſertim hodiernæ: *Jeſu fili David, &c.*

§. 12. *David oratione vicit ſuos hoſtes, præſertim Goliadem.* Diſcamus artem aliquam eximiam ſuperandi hoſtes noſtros à Davide, cujus in hac oratiuncula fit mentio. Cum Architophel Abſoloni ſuggeſſiſſet conſilium, quo poſſet deleri exercitus Davidis; diſplicuit illud Chuſai Arachiti, qui judicavit, illud non ſucceſſurum, ob hanc cauſam, l. 2. Reg. 17. v. 9. *Forſitan nunc latitat in foveis* [David] *aut in uno quo voluerit loco.* Sed an ideo Architophel non poterit facere, quod Abſoloni promittebat: *Eligam mihi duodecim millia virorum, & conſurgens perſequar David hac nocte. Et irruens ſuper eum, percutiãeum.* Hoccine inquam ex mente Chuſai fieri non poterit, quia David latet in aliqua ſpelunca? Eleganter meo dubio reſpondit Carthuſ. hic: *Quod ut creditur, ideo dixit Chuſai, quoniam David, quando fuit cum aliis temporibus nocturnis in deſerto aut rure, conſuevit orationis cauſa, & compunctionis ſe abſentare ad tempus, atq; in ſuis latibulis Deo vacare. Ideo Chuſai magis timuit Davidem orantem, quàm pugnantem.* Certè vires Davidis orantis expertus fuit Goliathus, teſte S. Chryſoſt. orat. de orat. *Admirabilis David, Goliathum illum, ut metuendum quendam dæmonem irruentem, non armis, non gladiis, ſed precatione dejecit;* Ita telum eſt acerrimum Regibus in præliis deprecatio; & nobis ad dæmonum impetum propulſandum; repelluntur, fugantur, vincuntur per orationem. Gigantem David lapide, cui inſcripſerat nomen *Jehova* ſive *Jeſus*, victor dejecit.

§. 13. *Juditha Holofernem.* De nobiliſſima Juditha ait ſac. text. c. 10. v. 1. *Cùm ceſſaſſet clamare ad Dominum, ſurrexit de loco, in quo jacuerat proſtrata ad Dominum. Vocavit famulam, &c.* Unde tanta vis in fœmina ad perdendos hoſtes? Jacuerat proſtrata ad Dominum; Ne miremur, ex oratione tantam exurrexiſſe victoriam, ait S. Aug. ſer. 228. de temp.

Cum

Digitized by Google

Cum palmifera caſtitate Judith ad cives ſollicitè feſtinat. Jam recipit attonita civitas tantæ victricis reditus triumphales: jam luctus convertuntur in gaudium. Omnis erat in civitate victoria, in hoſtium caſtris tremor erat & fuga. Vbi enim aſſiduis pulſatur orationibus cœlum, potentia ſemper calcatur armorum. Ecce glorioſa fœmina caſtitatem ſervavit oratio, & hoſtem ſervare non potuit multitudo.

Uſitatiſſima eſt quæſtio apud SS. PP. quinam ſperare poſſint, ſe piè morituros? vel quænam ſint pretioſæ præparationes ad ſanct. mortem? vel quinam ſperare poſſint auxilium de alto, & adjutorium altiſſimi pro ſupremo agone, ad vincendos dæmones, qui in illa hora horrendũ nos vexabunt Laudo ergò illos, qui orationis & compunctionis cauſa, certis temporibus quærunt latibula in vulneribus Jeſu crucifixi, ut ibi deliteant, ut ibi ſuſpirent: *Ieſu fili David, miſerere mei.* Laudo illos, qui certis diebus ſe ſe ſolent in locum à turba populi remotum recipere, ut Deo vacent, & præſertim per quadrageſimam meditationi paſſionis & mortis Chriſti. Laudo illos, qui cum Davide ita ſe diſponunt, ut irruentem aliquando dæmonem non armis & gladiis, ſed precatione debellent. Laudo illos, qui in fluvio Jordanis, in pretioſo ſanguine Jeſu crucifixi quærunt limpidiſſimos lapides, ut illis inſcribant hæc verba: *Ieſu fili David, miſerere mei.* Laudo illos, qui cum Juditha frequenter ſe proſternunt coram Domino; hoc enim fiet, cum moriemur, inter dæmones erit tremor & fuga. D. Cyrillus Alexandr. *Iacula hujuſcemodi* [talia verba Jeſu] *diaboli viſceribus infiguntur, draconemq; interficiunt. Conſumuntur hujuſmodi jaculis dæmonum catervæ, & inimicis exitialia fiunt.* Noſtra erit victoria! Agite mei Sodales Agoniæ [vos hodierna Dominica Congregationis, potiſſimum compello] aſſiduis orationibus pulſate cœlum, &c. pulſate oſtia Divinæ miſericordiæ; ſupirate millies: *Ieſu fili David*, per roſea tua vulnera, *miſerere*! Ita hoſtium calcabimus potentiam, & cùm lætitia cœleſtem ingrediemur Jeroſolymam.

§. 14. *Digreſſio ad glorioſam præparationem ad ſanctam mortem.*

Supereſt vocula ultima: *Mei*! quâ ſapientiſſima mulier declaravit, ſe obſecrare Chriſtum D. cum magna reverentia, humilitate & animi ſubmiſſione. Nam toties à Chriſto repulſa, quod canis eſſet, perſeve-

§. 15. *Particula Mei, indicat Cananeæ humilitatem.*

perſeveranter clamavit: *Etiam Domine! nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſâ dominorum ſuorum.* Admittit opprobrium, quo canis vocabatur, & canis utilitati adhæreſcens contendit particeps fieri miſericordiæ; Origin. hom. 7. ex diverſis: *O prudentia fœmina! Canis ſum Domine, ſum etenim! Itaque nutri me velut canem, quia non poſſum relinquere menſam Domini mei. Sed quia canem me appellas, ſaltem porrige mihi micas. Dixiſti cauſam meam, manifeſtaſti conditionem meam*; q. d. quia agnoſco vilitatem meam; tu cauſam habes, ut me exaudias, & filiæ meæ ſuccurras. D. Hieron. hic: *Scio me*, inquit Cananæa, *filiorum panem non mereri; nec ſedere ad menſam cum patre, ſed ſum contenta micis catulorum, ut per humilitatem micarum ad panis integri veniam magnitudinem.* Quid ſapientius? quid enim magis movet Salvatorem ad miſericordiam, quàm humilis oratio. Tanta humilitate mulier ſuam oratiunculam protulit: *Vt durum viſum fuerit*, ait Paſchaſius, *diſcipulis, quod ad tam precatorias voces Chriſtus D. jam diu nullum reſponſum daret.* Sed ideo non dedit, quia tam humilis, tam perſeverans oratio illi ſummopere placuit. Tandem enim exclamat: *O mulier &c.* Iterum vos rogo Auditores, & finio, Oratiunculam hanc vobis reddite familiarem; dicite mane, dicite veſpere, dicite interdiu: dicite in tenebris, dicite in lumine, dicite in mœrore, dicite in gaudio; dicite in campo, dicite in domo, dicite in foro, dicite in templo; in negotiis, in orationibus; dicite ubique: *Jeſu fili David, miſerere mei.* Quoties volumus, uſu hujus oratiunculæ cum Jeſu nobis agere licet familiariſſimè!

CON-

CONCIO XV.

DOMINICA III. QUADRAGESIMÆ.

Erat JESVS ejiciens dæmonium,
Lucæ 11. verſ. 14.

SYNOPSIS CONCIONIS.

OStendit ejectionem dæmonis, ſive converſionem magni peccatoris ad pœnitentiam eſſe peculiare opus Divinæ omnipotentiæ,& gratiam aſcribendam miſerationibus Jeſu Crucifixi, ad cujus ſummam gloriam; diaboli confuſionem & ſtuporem, Angelorum gaudium; peccatorumque fiduciam, Divina gratia tales converſiones operatur.

§. 1. *Cur Deus permittat hominem obſideri à diabolo.*

§. 2. *Propoſitio cum Apoſtrophe ad Jeſum Crucifixum.*

§. 3. *Diabolus ob odium & iram erga genus humanum comparatur pardo.*

§. 4 *Lucta inter diabolum & Chriſtum D. de poſſeſſione animæ hominis.*

§. 5. *Cur Chriſtus D. à ſponſa vocatus fuerit hinnulus cervorum.*

§. 6. *Tortuoſum aliquem ſerpentem ſolus Chriſtus ex corde impii educere poteſt.*

§ 7. *Quod in cruce fecit vulneratis ſuis manibus.*

§. 8. *Converſio alicujus impii, eſt opus Divinæ omnipotentiæ.*

§. 9. *Victoria Bananiæ contra gigantem Æthiopem.*

§. 10. *Attribuitur Chriſto D. præſertim in converſione boni latronis, quæ ad ſummam Chriſti D. ceſſit gloriam.*

§. 11. *Teſtimonia SS. Patrum.*

§. 12. *Pia petitio ad Chriſtum D. pro converſione peccatorum.*

§. 13. *In quo DEVS maximè commendet ſuam charitatem.*

dimus atque peſſundamus, ob favum mellis, in totum exhauſtum fellis mare noſmetipſos conjicimus. Valde timendum eſt ne brevi audiamus propugnaculum Chriſtianitatis in Italia, regnum Candiæ à Turca planè expugnatum. Fortaſſis [mirabilia ſunt Dei judicia;] ad menſuram peccatorum, quæ illam pœnam merentur, deeſt adhuc transgreſſio jejunii, &c. Quæſo mei Bambergenſes nos ſaltem allaboremus, ne tantæ cladi præbeamus & nos cauſam: Jejunemus, ut confundatur hoſtis! jejunemus, ut avertatur peſtilentia, &c.

§. 14. Per Quadrageſimam alios cibos nobis offert Chriſtus, alios diabolus.

Memores ſimus, per Quadrageſimam alios cibos nobis offerri à diabolo, alios ab Angelis & Chriſto D. lib. 3. Reg. c. 17. v. 6. invenio figuram. Elias ſedit in torrente Carith, qui eſt contra Jordanem. *Corvi quoque deferebant ei panem, & carnes mane & veſperi.* Alias, cum perſequente illum Jezabele, fugeret mortem, laſſitudine fractus, ſub umbrâ Juniperi decumbens, indormiuit. *Et ecce* [cap. 19. v. 15. ejuſdem lib.] *Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: Surge & comede. Reſpexit, & ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis, & vas aquæ. Comedit ergo & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus uſque ad montem Horeb.* Cur corvus attulit panem & carnes, & bis de die? Cur Angelus panem & aquam ſolam & ſemel? In corvo agnoſcite angelum malum, diabolum; hic offert carnes, ut deinde paſtos dilaceret, &c. Angeli boni, & ipſe Chriſtus D. nos invitant ad quadrageſimale jejunium; ut dum infernalis Jezabel, caro & ſenſualitas nos perſequuntur, dum mortem æternam nobis machinantur; fortes poſſimus fugere ad montem virtutum, & ex illo ad gloriam æternam. Amen! Non decet [inquit ille] militem vulnera ſubterfugere, vulnerato duce. Probroſum & dedecoroſum eſt Chriſtiano ſub ſpinoſo Jeſu Chriſti capite, membrum eſſe velle delicatum, ſine ſpinis, ſine corporis mortificatione, vexatione. Addo ego; turpe eſt JESU jejunante, &c. non jejunare & illos, qui ſe JESU CHRISTI ſervos profitentur!

CON-

CONCIO XIV.

DOMINICA II. QUADRAGESIMÆ.

JESU! fili David, miſerere mei,

Matth. 15. verſ. 22.

SYNOPSIS CONCIONIS.

IN 4. punctis exponit omnes voculas hujus orationis. In I. *Jeſu!* In II. *Fili David.* In III. *Miſerere.* In IV. *Mei.* Miſcentur varia de neceſſitate, utilitate & perfectione, ſive efficacia orationis; præſertim illius, quâ nos præparamus ad mortem.

§. 1. *Mulier Cananæa* Matth. 15. *& hæmorrhoiſſa* Marc. 5. *docent nos excellentiſſimum modum orandi.*

§. 2. *Cananæa ſuam orationem prudenter exorſa fuit à nomine Jeſu.*

§. 3. *Quis ſenſus vocularum ſequentium;* Fili David.

§. 4. *Vocula hæc* Miſerere, *continet in ſe pelagus clementiæ.*

§. 5. *Tribulatio ſuggeſſit Cananææ hanc oratiunculam.*

§. 6. *Similis dolor & zelus movet viros Apoſtolicos, ut orent pro impiis.*

§. 7. *Multò magis peccator uti debet hac oratiuncula.*

§. 7. *Impius converſus ad Deum, utiliter orat.*

§. 9. *Variæ claves ad reſerandum theſaurum Divinæ miſericordiæ. Clavis una eſt hac oratiuncula, Jeſu, &c.*

§. 10. *Poterit fieri, ut in ſubitanea morte per hanc oratiunculam obtineamus cælum.*

§. 11. *Cananæa nos docet orationem frequentem & aſſiduam.*

§. 12. *David oratione vicit ſuos hoſtes, præſertim Goliadem.*

§. 13. *Juditha Holofernem.*
§. 14. *Digreſſio ad pretioſam præparationem ad ſanctam mortem.*
§. 15. *Particula* Mei; *indicat Cananææ humilitatem, quæ comes debet eſſe orationis.*

§. 1. *Mulier Cananæa. Matth. 15. & hæmorrhoiſſa. Marci 5. docent nos excellentiſſimum modum orandi.*

ILLa mulier, quæ in hodierno Evangelio oravit tanta humilitate, tanta patientia, [permiſit enim, imò approbavit ſe excludi à numero filiorum, ſe vocari canem] tanta perſeverantia, tanto fervore & ardore, tam compoſitis verbis: *Jeſu, fili David, miſerere mei!* Hæc inquam mulier meritò vocata fuit ab Evangeliſta *Cananæa,* quæ vocula idem eſt, quod prudens negotiatrix vel advocata, vel prudentiſſima oratrix; ita enim ſe humiliavit, ita ſuam patientiam & humilitatem, fidem & fiduciam manifeſtavit, ita feliciter peroravit, ut quod petendo, urgendo, obſecrando Chriſtum, clamando: *Jeſu fili David, &c.* petiit, obtinuerit. Hujus voculæ circumſtantiam non parum admiror; cum apud S. Marc. c 5. v. 28. lego, aliam mulierem profluvio ſanguinis laborantem, tranſeunti Jeſu nullam verbis propoſuiſſe petitionem; nam tacita accedens, tetigit ſolam fimbriam veſtimenti ejus, & dicebat interius: *Quia ſi tetigero fimbriam veſtimenti ejus, ſalva ero.* Et confeſtim ſiccatus eſt fons ſanguinis ejus. Non fecit verbum pro ſalute ſua, & tamen obtinuit; ſiluit apud Jeſum, & tamen fuit exaudita. Unde hoc? num quæ ſiluit, loqui tamen potuit? Reſpondet elegantiſſimè meo dubio Sedulius l. 3. Paſch. c. 11. *Ecce nunc fæmina, longæ paſſionis ſupplicio deſperata, venit ad medicum, non obſecrans, non gemens, non deplorans, ſed tacens abſtulit, quod quærebat. Stabat in ore muto ſilentium, & animus exclamabat ad Dominum.* Juxta illud S. Baſ. Seleuc. orat. 25. *Novit opportunum ſilentium, in contentam vocem erumpere.* Voces cordis citiſſimè extorquent à Deo & Chriſto D. quod petunt. Ita l. 1. Reg. c. 1. v. 13. Anna locuta fuit in corde ſuo, & labia tantum movebantur; mox tamen obtinuit filium Samuelẽ. Ita binæ hæ mulieres nos docent duplicem orationem, internam cordis & externam oris. De utriusque perfectione, neceſſitate, & aliis circumſtantiis fuſius aget hæc concio, potiſſimum tamen has voculas exponet, *Jeſu fili David miſerere mei.* Ars longe utiliſſima eſt ſcire bene orare, præſertim hoc ſacro tempore quadrageſimæ,

mæ, ut bene jejunando, bene orando, placeamus Deo & Chriſto Salvatori noſtro, Amen.

Jeſu fili David, miſerere mei! quaſi dicat Cananæa: O Salvator, brevi verbulo te compellabo; ſed quod con tinet cauſas innumeras, ob quas ſpero à te auxilium. Scio hoc nomen Jeſus eſſe terrorem dæmonum; in nomine hoc genua flectunt & contremiſcunt. Mi Jeſu! hanc potentiam exere contra illud dæmonium, quod tam miſere torquet filiam meam. Hoc nomen ſol & lux eſt! filia mea à dæmonio in tenebroſo carcere, in tenebris tenetur captiva; eſto tu illi Jeſus! eſto ſol! eſto lux! diſſipa & fuga has tenebras. Ut audio, Jeſus ſanavit leproſos, claudos, ſurdos, cœcos! Domine, filia mea longè eſt miſerior; non à lepra vel alio morbo, ſed diabolo torquetur. Huic creaturæ oſtende te Jeſum, qui obſeſſos à tam tetro hoſte liberare potes: diabolus illam premit, tu potes erigere Iſte vult occidere, tu! Si Jeſus es! quod credo! potes illam vivificare. Credo enim, hoc tuum nomen plus valere ad erigendam filiam meam, quàm diabolus valeat ad illam deprimendam. Ni fallor; Jeſus ſignificat illum, qui ſcit & vult ærumnoſis ſuccurrere; hoc nomen ſignificat illum, in quo eſt potentia, ſapientia, bonitas, miſericordia! Ecce Jeſu! filiam meam, in qua hæc tua attributa toti mundo potes manifeſtare; Si hoc modo velim proponere ſignificationes glorioſiſſimi hujus nominis, effluet totum Concionis tempus; quod tamen alteri diſcurſui cupio impendere. Hoc tantùm advertite, I. Prudentem Cananæam ob juſtiſſimas cauſas exorſam eſſe ſuam oratiunculam ab hoc nomine. II. Bene facturos nos, ſi in orationibus noſtris hoc nomen frequenter & devotè pronuntiemus. *§. 2. Cananæa ſuam oratiunculam prudenter exorſa fuit à nomine Ieſu.*

Sequuntur hæ voculæ, *Fili David*! q. d. audio Davidem fuiſſe regem manſuetisſimum & miſericordisſimum, quia credo, te eſſe filiũ ejus, rogo ut miſeriaris filiæ meæ, quæ tam miſerè torquetur à dæmonio. Audio, quod David in cythara ſuaviter & fortiter canens, malignum ſpiritum, qui exagitabat Saulem, compeſcuerit, quod dæmonem effugaverit. O fili David; hoc coram te proſtrata obſecro, apprehende cytharam dulciſſimæ & fortiſſimæ vocis tuæ; dic verbum, compeſce & fuga dæmonium, quod vexat filiam meam. Audio, quod David Rex noſtræ gentis, quod tam fuerit fortis, ut jugulaverit leones & urſos. O fili hujus Davidis; quàm truculentus leo, quàm infernalis *§. 3. Quis ſenſus vocularum ſequentium; Fili David.*

lis beſtia in ſuis unguibus tenet filiam meam; Surge fortiſſime David, aggredere, pelle, fuga hunc leonem; *Ne quando* [Pſ. 7. v. 3.] *planè rapiat animam ejus, dum non eſt, qui redimat, neque qui ſalvam faciat eam, niſi tu*, fortiſſime David! David [ſic referunt] fuit vigilantiſſimus paſtor, qui non permiſit à feris ſylvæ rapi oviculas ſuas. Filia David, filia mea eſt ovicula perdita! jam hæret inter dentes infernalis lupi; ſurge! ſuccurre! & pelle ex corpore filiæ meæ tam rapacem lupum. Iterum propero ad reliquas voculas hodiernæ orationis: *Jeſu! fili David, miſerere mei.* Puto, vos advertere prudentiſſimam Cananæam ob juſtiſſimas cauſas vocâſſe Chriſtum D. filium Davidis.

§. 4. *Vocula hæc miſere, continet in ſe pelagum clementiæ.*

Miſerere! deinde ait Cananæa ad Chriſtum D. Ubi D. Chryſoſt. hom. 79. ad pop. *Breve verbum! & clementiæ pelagus continet.* Et D. Damaſc. l. 3. parall. c. 15. ex S. Chryſoſt. *Vide Philoſophicam mulieris animam, dicentis: Miſerere mei. q. d. Ad miſericordiam confugio - ad ipſum fontem accedo - Jeſum quæro; qui filiam meam unus & ſolus ſanare poteſt.* Ni fallor Auditores; puto Spiritum S. in hac ſancta Quadrageſima eò permovere corda veſtra, ut coram aliquo Crucifixo corde contrito & humiliato ſæpius dicatis: *Jeſu fili David, miſerere mei.* Vel cum Regio Pſalte, Pſ. 50. v. 1. *Miſereri mei Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam.* Breves voculæ! Verùm ô felices animæ, tale ſuſpirium clavis eſt, quâ immenſum pelagus Divinæ miſericordiæ aperire poſſumus. Fontes quæritis? Ecce vulnera SS. pedum Crucifixi; confugite ad miſericordiam; hic vos proſternite, dicite: Fili David, per vulnera SS. pedum, miſerere mei: Breve verbum! quod clementiæ pelagus in ſe continet. [Sic de aliis vulneribus, præſertim benedicti lateris & cordis.]

§. 5. *Tribulatio ſuggeſſit Cananææ hanc oratiunculam.*

Cananæam ad hanc oratiunculam compulit miſerrimus ſtatus Filiæ, obſeſſæ à dæmonio; ita enim illam loquentem inducit D. Baſil. Seleuc. orat. 20. *Miſerere mei, quæ filia vice flagellor. Illa quidem patitur, ego doleo; eam ad oſtentationem dæmon agit: contra me verò per eam telum natura jacit. Utinam, ne tantos in me cruciatus natura peperiſſet.* S. Chryſ. hom. 27. ex variis in Matth. ejus oratiunculam ſic exponit: *Miſerere mei, ſpectatricis diuturnorum laborum; quotidie*

Digitized by Google

quotidie cruciatus meos video. Sed quare Cananæa mulier, filiam à dæmonio malè vexatam coram non adduxit, ut magis & citius, triſti ſpectaculo Chriſtum D. commoveret ad commiſerationem? Reſpondet pro matre S. Chryſ. hom. 53. in Matth. *Miſerere mei; nam illa inſenſata jacet; ego verò illa ſum, quam ſenſus morbi non fugit, quæ ſentiens atq; intelligens inſanio, & mille vexor ærumnis. Ego proinde adſum, ego me ad medici pedes abjicio, & rogo, ut miſereatur. Jeſu fili David, miſerere mei; & ſimul filiæ meæ. Si filii & filiæ parentum ſunt animæ; miſerere animæ meæ. Si filii & filiæ in parentibus vitæ ſunt oculus* [ut Euripides loquitur] *O Jeſu reſtitue mihi oculum meum.*

Non miror ego Auditores, aliquos impios etiam in Quadrageſimâ non eſſe orationi addictos, non quidem corporaliter poſſeſſi ſunt à dæmone; in animâ tamen per peccatum mortale poſſeſſionem quandam, cacodæmones ſunt conſecuti: Ideo non agnoſcunt, non ſentiunt miſeriam animæ ſuæ, in quam per peccatum mortale inciderunt. Sunt inſenſati, jacent ſine intellectu. A nobis Audit. hoc exigit charitas, ut confugiamus ad miſericordiam! ad fontem gratiæ! ad Jeſum. O mi Jeſu! quàm multos ad oſtentationem agit, torquet, flagellat dæmon! hoc eſt, quod S. Fr. Xaverio ſuggeſſit ardentem illam orationem? *Æterne rerum omnium effector Deus! miſerere! vide, quàm multi vexuntur à dæmonio. Memento, abs te animas infidelium NN. ad imaginem & ſimilitudinem tuam creatas. Miſerere; memento, illas pretioſo ſanguine filii tui eſſe redemptas; Miſerere! Ecce in opprobrium tuum illis repletur infernus. Miſerere.* Ideò frequentiſſimè viri ſancti cum eodem S. Xaverio ardenter ſic orant: *O Jeſu Chriſte, Deus cordis mei! obſecro te per quinq; illa vulnera, quæ tibi in cruce noſtri amor inflixit; famulis tuis ſubveni, quos pretioſo ſanguine redemiſti. Miſerere!*

§. 6. Similis dolor & zelus movet viros Apoſtolicos, ut orent pro impiis.

Quid ſi fortaſſis alicui ex meis Auditoribus Spiritus S. hanc ſuggerat cogitationem; Eheu! ego inter illos ſum, qui peccavi! ah! anima mea, quomodo torquetur à diabolo! Eheu! vexat me mea luxuria! eheu! quomodo flagellor à graviſſimis ſceleribus! &c. Quiſquis es, ſurge cum Cananæa; confuge ad miſericordiam; quære fontes infinitæ bonitatis! medicum accede; rue in genua; dic ex intimo corde; *Jeſu! fili David, miſerere mei.* Huic brevi

§. 7. Multo magis peccator uti debet hac oratiuncula.

brevi oratiunculæ ita aſſueſcere, ut nunquam incumbas, niſi prius coram Crucifixo dixeris, *Jeſu miſerere!* breve verbum, ſed quod continet pelagus immenſum clementiæ.

§. 8. *Impius converſus ad Deum, utiliter orat.*

Quisquis ad Deum converſus pœnitet, ſi orat, bene ſperet. Bonus Jeſus, non diu differt auxilium, cum tali bene agitur. Declaro ex c. 9. v. 6. Act. ubi Paulus, adhuc Saulus, ſpirans minas & cædes in novellum gregem Chriſti, acceptis literis à Principibus Synagogæ, ibat in Damaſcum, ut omnes credentes in Chriſtum captivos traheret Jeroſolymam. In via ſubita lux de cœlo dejecit illum ex equo in terram, intonante voce de cœlo, *Saule! Saule quid me perſequeris?* concuſſus ingenti terrore ait, *Quis es Domine?* & reſpondit Dominus, *Ego ſum Jeſus quem tu perſequeris.* Saulus adhuc magis tremens ac ſtupens dixit, *Domine, quid me vis facere?* Viri illi, qui comitati fuerunt Saulum, ſteterunt ſtupefacti, audientes quidem vocem, neminem videntes: trahentes tamen Saulum manibus, induxerunt in Damaſcum. Integro triduo Saulus nihil manducavit neq; bibit. Diſcipulo cuidã Ananiæ dixit Dominus in viſu, *Surge, & quære in domo Judæ Saulum nomine Tarſenſem.* Ananias videtur voci Domini nonnihil reluctatus, ait enim: *O Domine, audivi à multis de viro hoc, quanta mala fecerit Sanctis tuis in Jeruſalem!* Sed reſpondit Dominus, *vade tu,* alius eſt. Verſ. 11. *Ecce enim orat.* Domine, egone ibo ad Saulum, qui habet poteſtatem à Principibus Sacerdotum alligandi omnes, qui invocant nomen tuum. Dixit Dominus: *Vade! Orat.* Domine ſpirat cædes! carceres, minatur vincula; ante fecit, *jam orat*; jam gemuit? *Miſerere mei Jeſu!* jam ſuſpirat, egone Jeſum Nazarenum ſum perſecutus: Jeſu miſerere! *Ecce orat*; dicens millies: *Domine, quid me vis facere!* Perge itaq; Anania: *quoniam vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram gentibus & Regibus; impleaturq; Spiritu S.* Benè ſit converſio peccatori! qui hac Quadrageſima ferventer orat, præſertim cum Cananæa: *Jeſu fili David, miſerere mei!* Breve verbum, ſed quod concludit pelagus miſericordiæ.

§. 9. *Varia claves ad reſerandum theſaurum Divinæ miſericordiæ.*

Et certè miram habet hæc vocula vel oratiuncula: *Miſerere mei Deus,* efficaciam. Matth. 16. 18. Chriſtus D. dixit ad S. Petr. *Tibi dabo claves regni cœlorũ.* Locutꝰ fuit Chriſtus de illa poteſtate, quã habet Sacerdos, ut peccatorem ſolvat à graviſſimis delictis, ſine hac

Digitized by Google

hac clavi, nullus unquam impius reſerare poterit theſauros Divinæ miſericordiæ. Vera itaque pœnitentia, legitima confeſſio, ardens contritio, ſunt claves, quibus graviſſimis peccatoribus reſeratur regnum cœlorum. Simili modo ſcio dixiſſe S. Hier. *Sanguis Chriſti eſt clavis paradiſi.* Idem aſſerunt SS. PP. de SS. cruce. De oratione dixit S. Joan. Chryſoſt. *Clavis cœli fuit ſermo Eliæ; jubet, & clauditur cœlum, orat poſtmodum, & aperitur.* Simile quid ego hodie affirmo de oratiunculâ Cananææ; hoc ſermone: *Miſerere*: veluti fortiſſima clavi reſeravit & aperuit cor Jeſu, ut hic commotus ad miſericordiam, dixerit: *O mulier, &c.*

Clavis una eſt hæc oratiuncula: IESU, &c.

§. 10. *Poterit fieri, ut in ſubitanea morte per hanc oratiunculam obtineamus cœlum.*

Non deſunt cauſæ, ut nos quoque hanc oratiunculam faciamus nobis familiarem; repentinæ & ſubitaneæ mortes nos perterrefaciunt, & merito, quis ſcit, an non ego, an non tu, an non aliqui ex nobis tali morte ſint morituri, & quidem poſt breve temporis intervallum! fortaſſis hodie, forte cras. Quæſo vos Auditores, dicamus millies cum Cananæa: *Jeſu! fili David, miſerere mei.* Cum hæ voculæ nobiliſſiarum virtutum includant actus, fidei, fiduciæ, amoris, humilitatis, contritionis, reſignationis fieri poterit, ut illa devotè prolata, ſit nobis loco ſacerdotalis abſolutionis; hoc fieri poterit, ut per illã à Jeſu crucifixo obtineamus guttas pretioſiſſimi illius ſanguinis, in quibus lavemur; poterit fieri ex infinita Dei miſericordia, ut hę voculę nobis reſerent cœlum. Vix dixerat latro in cruce: *Domine, memento mei, &c.* & audire meruit: *Hodie mecum eris in paradiſo.* Ut vero gratiam pronuntiandi tum hanc oratiunculam teneamus certius, non differamus ejus uſum in illam horam ſupremam; ſed dum ſani ſimus, dicamus millies: *JESU, &c.*

§. 11. *Cananæa nos docet orationem frequentem & aſſiduam.*

Jam verò Cananæa non ſemel tantum, ſed bis, ter, ſæpius, ſemper cum majori contentione clamavit: *Jeſu, fili David*; ut nos doceret, orationem noſtram debere eſſe aſſiduam; ut quandoquidem dæmon nunquam ceſſat nos divexare, nos nunquam ceſſemus Deum adorare. Cauſam advertit S. Chryſoſt. in cat. lin. ſup. v. 11. c. 17. Exod. *Cum levaret Moyſes manus, vincebat Iſrael, ſin autem paululum remiſiſſet, ſuperabat Amalec.* Super hæc verba, inquam S. Chryſ. hoc advertit: *Hoſtis, dum oras, premitur; dum ceſſas, erigitur.*

Cum palmifera caſtitate Judith ad cives ſollicitè feſtinat. Jam recipit attonita civitas tantæ victricis reditus triumphales: jam luctus convertuntur in gaudium. Omnis erat in civitate victoria, in hoſtium caſtris tremor erat & fuga. Vbi enim aſſiduis pulſatur orationibus cælum, potentia ſemper calcatur armorum. Ecce glorioſa fæmina caſtitatem ſervavit oratio, & hoſtem ſervare non potuit multitudo.

§. 14. *Digreſſio ad glorioſam præparationem ad ſanctam mortem.*

Uſitatiſſima eſt quæſtio apud SS. PP. quinam ſperare poſſint, ſe piè morituros? vel quænam ſint pretioſæ præparationes ad ſanct. mortem? vel; quinam ſperare poſſint auxilium de alto, & adjutorium altiſſimi pro ſupremo agone, ad vincendos dæmones, qui in illa hora horrendũ nos vexabunt Laudo ergò illos, qui orationis & compunctionis cauſa, certis temporibus quærunt latibula in vulneribus Jeſu crucifixi, ut ibi deliteant, ut ibi ſuſpirent: *Ieſu fili David, miſerere mei.* Laudo illos, qui certis diebus ſe ſe ſolent in locum à turba populi remotum recipere, ut Deo vacent, & præſertim per quadrageſimam meditationi paſſionis & mortis Chriſti. Laudo illos, qui cum Davide ita ſe diſponunt, ut irruentem aliquando dæmonem non armis & gladiis, ſed precatione debellent. Laudo illos, qui in fluvio Jordanis, in pretioſo ſanguine Jeſu crucifixi quærunt limpidiſſimos lapides, ut illis inſcribant hæc verba: *Ieſu fili David, miſerere mei.* Laudo illos, qui cum Juditha frequenter ſe proſternunt coram Domino; hoc enim fiet, cum moriemur, inter dæmones erit tremor & fuga. D. Cyrillus Alexandr. *Iacula hujuſcemodi* [talia verba Jeſu] *diaboli viſceribus infiguntur, draconemq; interficiunt. Conſumuntur hujuſmodi jaculis dæmonum catervæ, & inimicis exitialia fiunt.* Noſtra erit victoria! Agite mei Sodales Agoniæ [vos hodierna Dominica Congregationis, potiſſimum compello] aſſiduis orationibus pulſate cœlum, &c. pulſate oſtia Divinæ miſericordiæ; ſupirate millies: *Ieſu fili David*, per roſea tua vulnera, *miſerere!* Ita hoſtium calcabimus potentiam, & cum lætitia cœleſtem ingrediemur Jeroſolymam.

§. 15. *Particula Mei, indicat Cananeæ humilitatem.*

Supereſt vocula ultima: *Mei!* quâ ſapientiſſima mulier declaravit, ſe obſecrare Chriſtum D. cum magna reverentia, humilitate & animi ſubmiſſione. Nam toties à Chriſto repulſa, quod canis eſſet, perſeve-

Digitized by Google

CONCIO XV.

DOMINICA III. QUADRAGESIMÆ.

Erat JESUS ejiciens dæmonium,
Lucæ 11. verſ. 14.

SYNOPSIS CONCIONIS.

OStendit ejectionem dæmonis, ſive converſionem magni peccatoris ad pœnitentiam eſſe peculiare opus Divinæ omnipotentiæ, & gratiam aſcribendam miſerationibus Jeſu Crucifixi, ad cujus ſummam gloriam; diaboli confuſionem & ſtuporem, Angelorum gaudium; peccatorumque fiduciam, Divina gratia tales converſiones operatur.

§. 1. *Cur Deus permittat hominem obſideri à diabolo.*

§. 2. *Propoſitio cum Apoſtrophe ad Jeſum Crucifixum.*

§. 3. *Diabolus ob odium & iram erga genus humanum comparatur pardo.*

§. 4 *Lucta inter diabolum & Chriſtum D. de poſſeſſione animæ hominis.*

§. 5. *Cur Chriſtus D. à ſponſa vocatus fuerit hinnulus cervorum.*

§. 6. *Tortuoſum aliquem ſerpentem ſolus Chriſtus ex corde impii educere poteſt.*

§ 7. *Quod in cruce fecit vulneratis ſuis manibus.*

§. 8. *Converſio alicujus impii, eſt opus Divinæ omnipotentiæ.*

§. 9. *Victoria Bananiæ contra gigantem Æthiopem.*

§. 10. *Attribuitur Chriſto D. præſertim in converſione boni latronis, quæ ad ſummam Chriſti D. ceſſit gloriam.*

§. 11. *Teſtimonia SS. Patrum.*

§. 12. *Pia petitio ad Chriſtum D. pro converſione peccatorum.*

§. 13. *In quo DEUS maximè commendet ſuam charitatem.*

§. 14. Converſio Davidis triumphus Divinæ gratiæ.

§. 15. Epilogus, cum terribili hiſtoria.

§. 1. Cur Deus permittat hominem obſideri à diabolo.

TEmpore S. Chryſoſt. Deo permittente, quidam nomine Stagyrus fuit obſeſſus à dæmonio; qui cum vulgò haberetur vir pius & ſanctus, multis hoc viſum fuit perquàm mirum, Deum permittere, ut vir talis ac tantus divexetur torqueaturque à dæmone. Quâ occaſione S. Chryſ. ſcripſit tres libros, in quibus varias adducit cauſas, ob quas divina providentia talia non impediat. Illa, quæ meo diſcurſui ſuper hodiernum Evangelium ſervire poteſt, talis eſt. Deus optimus maximus, juſto ſuo judicio permittit, infernalem hoſtem in exterioribus membris humani corporis agere tam dira, ſæva, atrocia! ut ex miſerabili hoc ſpectaculo intelligamus; ea, quæ diabolus intus agat in animâ, quam poſſidet, per actuale aliquod peccatum mortale. Attenta ſæpe mente conſideravi, quâ ratione impiæ animæ poni poſſit ob oculos: infinita malitia & turpitudo peccati mortalis. Speculum lucidiſſimum nobis proponit hodiernum Evangelium, ſcilicet dæmoniacum, cœcum, ſurdum mutum. *Advertite infernalis draconis aſtutiam*; monet S. Chryſoſt. Omnes vias occupavit atq; obſtruxit, quibus ille erat crediturus. Cùm diabolus in caſtro animæ hos tres aditus bene cuſtodivit, quaſi in ſecura habitat quiete. Quâ enim ratione convertetur impius, ſi diabolus non corporis tantùm, ſed mentis oculos teneat clauſos; Si aures ſint obduratæ; & quod caput eſt, ſi lingua ſit muta, præſertim in ſacramentali confeſſione.

§. 2. Propoſitio cum Apoſtropho ad Ieſum crucifixum.

Auditores! ut talis dæmoniacus liberetur; id eſt, ut convertatur obſtinatus peccator; quem in ſcopum Concionatores, tempore quadrageſimæ debent collimare; brachio omnipotente, ſive manu Filii Dei eſt opus. Converſio peccatoris eſt opus divinæ omnipotentiæ, & ſumma gloria Jeſu crucifixi; quod hac Concione iterum oſtendam. Mi Jeſu! ſi forte cœcus ſit præſens, peto ex SS. tuis vulneribus aliquot guttas pretioſi ſanguinis tui, illas præſertim, quæ ex transverberato tuo corde in oculos Longini profluentes, illos aperuerunt, has inquam guttas poſtulo, ut aperiant oculos meorum Auditorum, ut videant. Bone Jeſu! ſi fortaſſis clauſæ ſint cujusdam aures; ex ſpineâ tuâ coronâ concede mihi unicam

eam ſpinam, ſed ſanguine tuo tinctam, illa conabor tales aures aperire. Sed quid ſi alicujus ſit clauſa lingua; à dæmonio, quod maximè timeo? diffido ego mihi de auxilio; te obſecro & obteſtor crucifixe Jeſu, vulneratâ & ſanguineâ tuâ dexterâ, tu illam tange, ut ſolvatur & loquatur.

§. 3. *Diabolus ob odium & iram erga genus humanum comparatur pardo.*

Pardus [crudeliſſimum animal] adeo homini eſt inimicus, tantoque odio illum proſequitur, ut ſi vel pictam ejus offendat imaginem, vel videat in ſpeculo; dentibus & unguibus in mille partes dilaceret & confringat. Talis pardus eſt diabolus, Deo & Filio Altisſimi, à quo præcipitatus fuit in tartara, inimicisſimus; cui cum nocere nihil poſſit, in imaginem SS. Trinitatis, in hominem omnem effundit bilem, nec aliud intendit, quàm ut homines ſecum æternùm ardeant in inferno; de hac infernalis monſtri irâ, exclamat Angelus Apocalypticus c.12.v.12. *Væ terræ & mari; quia deſcendit diabolus ad vos, habens iram magnam.* Quantacunque nihilominus illa ſit, certum tamen eſt, truculentisſimam illam beſtiam, licet ut leo rugiens obambulet; homini niſi volenti nocere non poſſe. Vult autem homo, tum, cum ſciens & volens lethali crimine divinam Majeſtatem audet offendere. Illo momento infernalis draco ingreditur cor hominis, veluti in aliquam ſpeluncam; in quâ latitat, donec impius in impia morte, ab ipſo præcipitetur in tartara; niſi ante infinita Dei miſericordia, per veram pœnitentiam & converſionem ante mortem expellatur.

§. 4. *Lucta inter diabolum & Chriſtum D. de poſſeſſione animæ hominis.*

Hinc illa perpetua lucta, inter diabolum, hominis inimicum & Chriſtum D. Salvatorẽ noſtrum, humani generis amatorem, v.g. ſeptem dæmonia ingreſſa fuerunt in Magdalenam; ſed ejecit illa Chriſtus D. Miſerum hominem in hodierno Evang. dæmon fecit cœcum, ſurdum, mutum. Chriſtus D. reddidit illi oculos, aperuit aures; ſolvit linguam. Eximium Chriſti Salvat. elogium eſt, quod in hodiernum diem perſequatur diabolum, & ſit ejiciens dæmoniũ.

§. 5. *Cur Chriſtus D. à ſponſa vocatus fuerit hinnulus cervorum.*

Hanc Chriſti D. proprietatem, quod in cordibus hominum perſequatur diabolos & immundos ſpiritus, veluti ſerpentes, inſinuavit ſponſa, cum de dilecto ſuo diceret 2. Cant. v.17. *Similis eſt dilectus meus hinnulo cervorum.* Ante illam David venturum Meſſiam hoc nomine compellavit, cum Pſ. 21. hunc præfixit titulum ex mente S. Hieron. *Pro cerva matutina.* In Germanico, *Für den Creutz-hirſch,* qui fuit Chriſtus D. Hinnuli enim ſunt inimici ſerpentum; oriente ſole vagantur per ſylvas, ut venenentur venenatas has beſtias; vix

aſpis

aſpis ex foliis explicat caput,& fit eſca cervi. S.Gregorius Nyſſenus in Cantica: *Hinnulorum naturæ eſt proprium, beſtias illas abſumere, ſuoque anhelitu, ac proprietate quadam corporis abigere angues; propterea cervorum hinnulo Chriſtus comparatur.* Theodoretus & Origines ajunt hom. 2. in Cant. *Cervus ſerpentium inimicus ac debellator eſt, ita ut ſpiritu narium eos extrahat de cavernis.* O ſi impii viderent vel intelligerent, quinam ſerpentes, aſpides & bufones lateant in cordibus ſuis; venenatus bufo eſt luxuria&c. draco terribilis eſt diabolus. Præter Chriſtum Salvatorem non eſt, qui poſſit expellere.

§. 6. *Tortuoſum aliquem ſerpentem, ſolus Chriſtus ex corde impii educere poteſt.*

Cap. 26. v. 13. ait Job: *Obſtetricante manu ejus, eductus eſt coluber tortuoſus.* Tortuoſum hunc colubrum Iſaias c. 11. vocavit *Vectem*; vel ut S. Hieron. legit ex hebraico: *Serpentem claudentem.* Citatum verſum ex Jobo ita exponit D. Gregor. M. Cavernæ hujus colubri, corda fuerunt iniquorum, ſed obſtetricante manu Dei, coluber de cavernis pulſus eſt. Voculam obſtetricantem interpretes explicant clarius, dum ajunt: *Manu vulnerata*, vel ſanguinea, vel affixa cruci, ex hoc mundo expulſus eſt draco infernalis. Clarius hic diſcurſus per hanc quæſtionem ita proponi poteſt, quando Chriſtus D. vicerit illum ſerpentem, & reſpondeo: Cùm permiſit fortiſſimas ſuas manus affigi cruci. Ea quibuſdam impiis in Quadrageſima ſolet obtingere felicitas, ut ad ſeriam convertantur pœnitentiam. Contingit frequenter, ut aliqui multis annis ſecum circumferant ſerpentem vectem, qui per annos ſæpe multos peccatoris cor, os & linguam habuit obſeratam. Tempore Paſſionis, an non congruum erit, ut tandem talis ſerpens educatur? ſed obſtetricante, ſed vulnerata, ſed ſanguinea Jeſu crucifixi manu eſt opus! id eſt, peculiari gratia.

§. 7. *Quod in cruce fecit, vulneratis ſuis manibus.*

Talia prædixit de Meſſia Iſaias c. 11. *In cavernam reguli* [Jeſus crucifixus] *manum ſuam mittet.* Ad literam ſermo de incantatoribus, qui in cavernas ſerpentum immittunt manus illosq; extrahunt, & licet lædantur, id fit ſine damno, quia pretioſo balſamo vel unguentis, vim veneni pellunt, & vulnera confeſtim ſanant. In ſenſu myſtico, caverna diaboli fuit hic mundus, quem ingreſſus fuit per primorum parentum peccatum; *In hanc cavernam miſit Chriſtus D. manum ſuam*, inquit nobilis Concionator,

cùm

Digitized by Google

cum in monte Calvariæ ad arborem crucis illas extendiſſet, cui trabalibus clavis fuerunt affixa. Sed ita cervus hic matutinus è ſua ſpelunca extrahit diabolum, & ſerpentis tortuoſi debellator, caput ejus contrivit. Læſa quidem fuerunt divinæ illæ manus, hiantia acceperunt vulnera, copioſum & pretioſum effuderunt ſanguinem; ſed idem ſanguis pretioſum fuit unguentum, quo ſanantur vulnera animarum. O mi Jeſu! ecce cavernam in corde hujus impii! O mi Jeſu! non deſunt cordibus noſtris cavernæ; nec iſtis deſunt cavernis ſerpentes, & colubri tortuoſi! opus eſt obſtetricante manu Divina! Eja bone Jeſu! manus tuas vulneratas immitte in cordium noſtrorum foramina, & quidquid in illis reperies peſtilens, dirum, ſerpentinum [reperies autem ſat multum] extrahe, elide, contere.

Sub imagine tortuoſi ſerpentis, è caverna potenti manu extracti nobis ob oculos ponitur ſeria converſio magni peccatoris; quæ ut dixi, opus eſt divinæ omnipotentiæ; Hanc ut Filius Dei pulcherrimo modo, etiam pendens in cruce, demonſtraret, impium latronem, quaſi in termino vitæ voluit convertere; *Ut* [ſicut Concionator ille ait,] *cederet hoc opus ad ſummam redemptoris gloriam, inimicorum ejus maximam confuſionem, diaboli ſtuporem, gaudium Angelorum, peccatorum fiduciam, & ſingulare Deiparæ lenimentum.* Intelligite ex his verbis, quid fiat, cùm in quadrageſima convertitur peccator. Illo frequenter fit modo, tam improviſo, tanto fervore, ut hinc ſtupeant diaboli, hinc gaudeant Angeli, &c. Sed hoc eſt præcipuum, cedit hoc opus ad ſummam Redemptoris gloriam. Dum in cruce, quaſi ex unguibus ſatanæ eripuit alterum latronem, admirabilem de diabolo reportavit triumphum.

§. 8. Converſio alicujus impii eſt opus divinæ omnipotentiæ.

Figuram habemus l. 2. Reg. c. 23 v. 21. Bananiam filium fortiſſimi Jojadæ, Ægyptius gigas, ad particulare provocavit duellum, ſive ad monomachiam. *Prodiit uterq; in campum; gigas in lorica, &c.* longa & prægrandi minax haſta. Bananias illi occurrit inermis, ſed tanta celeritate & fortitudine aggreſſus fuit Æthiopem, ut quaſi momento illi extorſerit lanceam, illaquè hoſtile latus transfixerit. O pugnam! O victoriam!

§. 9. Victoria Bananiæ contra gigantem Æthiopem.

Eja Auditores, ad montem Calvariæ hoc ſacro tempore quadrageſimæ ſimile certamen ibi videbitis. In vertice montis,

§. 10. Attribuitur Chriſto

Digitized by Google

D. præſertim in converſione boni latronis, quæ ad ſummam Chriſti D. ceſſit gloriam.

veluti theatro videbitis cœleſtem Bananiam, Chriſtum D. Vocucula enim hæc *Bananias* idem eſt, quod filius Dei, præcipuè fortis, omnipotens filius Dei! Videbitis inermem, imò nudum ſine clypeo, ſine haſta, &c. Nihilominus debilis Bananias à quot & quàm crudelibus hoſtibus oppugnatur? niger Æthiops & gigas eſt diabolus, qui intravit corda Phariſæor. & implevit rabie & odio contra Chriſtum. Niger Æthiops eſt ſynagoga armata clavis, ſpinis, malleis, lanceâ; his adeo oppugnarunt Bananiam, ut clavis affixerint cruci, ut lanceâ aperuerint pectus. Pupugêre clavi Bananiæ manus & pedes; pupugêre ſpinæ caput, pupugit lancea cor. Hæc omnia Chriſtus pertulit patiens, permiſit hoſtibus hæc arma. Sed lanceā acutiſſimam, tela venenatiſſima, quibus diabolus Banan. oppugnavit, per linguas blaſphemantium, & præcipuè linguam boni latronis, hanc Bananias nobili victoria voluit extorquere; & extorſit, dum cor boni latronis commovit ad pœnitentiam. Lanceam extorſit giganti, cum linguam blaſphemantem commovit ad ferventiſſimam oratiunculam ex corde contrito: *Memento mei, cùm veneris in regnum tuū. Ad iſta* [exclamat S. Athan. de paſſ.] *verè obſtupuit diabolus, & magna anxietate haſitationeq́; tenebatur, quem enim concitaverat blaſphemias dicere* [cui lanceam dederat omnium acutiſſimam] *illum ipſum videbat jam Dominum adorare, alterumq́; increpare latronem.* Itane? ex corde latronis momento ejici dæmonium? nemo niſi filius Dei potuit hoc facere. Itane momento qui blaſphemavit, ferventiſſimè orat: *Memento, &c.* Digitus Dei hoc fecit, hic ejecit dæmoniū; converſio latronis nemini niſi Chriſto crucifixo attribui poteſt. In cruce, in doloribus oſtendere voluit, ſe eſſe filium Dei. Ingens fuit fortitudo Samſonis, alligati ad columnas, quod duobus brachiis concuſſerit illas, ut fundamenta & domus corruerit. Major fortitudo fuit Samſonis cœleſtis, quod cruci affixus ad crucem, ad ſalutarem pœnitentiam concuſſerit cor latronis.

§. II. Teſtimonia SS. Patrum

Non deſunt teſtimonia SS. PP. ſuper ℣. illum 9. Jobi c. 28. *Ad ſilicem extendit manum ſuā, ſubvertit à radicibus mentes*, ajunt interpretes; fecit hoc Chriſtus D. in cruce cum corde latronis. S. Aug. ſer. 156. de temp. *In cruce hoc miraculum operatus eſt, unde maximè omnipotentiam ſuam declarat omnipotens: non mortem ſuſcitans, non*

mari

Digitized by Google

mari & undis imperans, ſed crucifixus, & conſputus in facie, clavisque crucifixus! cum injurias & maledicta ſuſciperet, deriſus & contemptus, malignam illam atque longo ſcelerum uſu obturatam latronis mentem immutare prævaluit. Hoc fuit ejicere dæmoniũ; hoc ceſſit ad crucifixi ſempiternam gloriam, hoc obſtupuit diabolus, &c. Elegantiſſimè S. Chryſ. ſer. de latrone. *In cruce ſuſpenſus Chriſtus, clavis affixus, omnib. ſubjugatus injuriis, totus dedecori ſuccũbens & infamiæ, inſultantiũ deriſione deluſus; latronis adverſã mentẽ valuit commutare, ut ex omni parte ejus ſentiatur divinitas! etenim univerſã terruit creaturã, & petras ſaxaq; diſrupit, & omniũ lapidũ inſenſilitate animã durìorẽ ad ſe traxit, & ad meliora convertit, & honore ſummo decoravit.*

Auditores mei! datâ operâ cum ſolatio, in quadrageſimalibus meis concionibus mentionẽ facio Jeſu crucifixi; libenter video, ſi oculos in altum erigatis, ut aſpiciatis Salvatorem pendentem in cruce. Sed! quod funeſtum ſpectaculum cerno pręterea? Quinam ſunt illi gigantes? iſti Æthiopes, qui filium Dei rurſum crucifigunt? quænam ſunt illæ lanceæ, quibus divinum ejus cor rurſum transverberatur? ah! linguæ blaſphemæ ſunt illæ lanceæ! lanceæ ſunt tot laſcivæ cogitationes, lanceæ ſunt verba illa impudica, quibus caſtæ piæq; aures, & cum auribus ipſa etiam juvenilis caſtitas non ſine grandi ſcandalo vulneratur: lanceæ ſunt verba illa mordacia, iniqua, prolata in occulto, quibus famæ & honori proximi [qui membrum eſt Chriſti] detrahitur. lanceæ ſunt tot alia ſcelera, quæ paſſim in orbe atq; urbe vigent, & impunè tolerantur. Exurge itaq; exurge cœleſtis Banania; eja dux fortiſſime, aggredere diabolum; eripe illi has lanceas, &c. converte peccatores &c. Hoc opto, ut id cedat ad ſumam tuam gloriam. Cum Iſaias gloriã Chriſti crucifixi voluit deſcribere, ait c. 45. 14. *Labor Ægypti, & negotiatio Æthiopiæ, viri ſublimes ad te tranſibunt, & tui erunt, poſt te ambulabunt, vincti manicis pergent, & te adorabunt, teque deprecabuntur. Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael ſalvator.* Hic eſt ſenſus hujus loci. Cum Ægyptii, enutriti inter ollas carnium, cum nigri Æthiopes negotiatores, uſurarii, libidinoſi, ſuperbi, tandem per ſeriã pœnitentiã accedunt ad Chriſtũ, & recipiunt vincula & jugũ mandatorũ Dei, cũ tandẽ per ardentes preces deprecantur veniã & implorãt miſericordiã; enimverò, tũ ſe ſe prodit Deꝰ abſconditus;

§. 12. Pia petitio ad Chriſtum D. pro converſione peccatorum.

Digitized by Google

ditus; licet gloria ejus videatur abſcondita, dum nudus pendet in cruce NN. tamen revera oſtendit ſe Filium Dei, oſtendit ſe Deum Salvatorem, oſtendit ſe divina ſua potentia poſſe ejicere dæmonium!

§. 11. *In quo Deus maximè commendat ſuam charitatem.*

Ad Rom. 5. v. 8. *Commendat autem charitatem ſuam* [pari ratione miſericordiam, bonitatem, omnipotentiam, &c.] in græco: *notam, nobilem, illuſtrem facit charitatem ſuam.* Et quando? ℞. S. Paulus: *Quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.*

§. 10. *Converſio Davidis triumphus divinæ gratiæ.*

Notiſſimus vobis eſt Pſ. 50. ſive: *Miſerere.* Titulus Pſalmi in latino ſic ſonat: *In finem, Pſalmus David.* Chaldaice: *Ad laudandum, hymnus David.* S. Hier. ſic vertit: *Victori David, Pſalmus.* Symmachus: *Triumphus ipſi David, &c.* Senſus eſt, David pœnitens cum triſti cithara cecinit hunc Pſalmum, cum seriò pœnituit, ob NN. cùm obtulit cor contritum & humiliatum, Deo dedit cauſam victoriæ; triumphi, dedit cauſam, ut Deus laudetur, ut glorificetur per ſuam pœnitentiam, per lachrymas, verbo, per ſuam converſionem? & hodie cœleſtis David, Chriſti crucifixi hoc tempore quadrageſimali ſumma laus, ſumma gloria, ſumma victoria, ſummus triumphus eſt, ſi ejiciat dæmonium, ſi aliquem Davidem adulterum, &c. Si quemcunque demum peccatorem convertat. Caput tanti victoris triumphali debet coronari coronâ: quàm Chriſto crucifixo hoc ſit glorioſum inſinuat Zach. 6. 11. *Sumes aurum & argentum - ex Babylonia avectum; & facies coronas ad coronandum caput Sacerdotis.* Sed nunquid erat aurum in Jeroſolima, quid opus eſt auro ex Babylonia? hoc latet myſterium, Babylon ſignificat corda impiorum, cùm hæc per pœnitentiam, per charitatem quaſi convertuntur in aurum, pulcherrima ex illo Chriſto crucifixo formatur corona. Cant. 4. v. 8. fit mentio de floribus, qui creverunt in monte Amana, inter leones, pardos, &c. ex his quoque Chriſto crucifixo pulcherrima poteſt fieri corona, ex floribus, ex roſis, ex liliis & violis, quæ creſcunt in corde contriti & humiliati peccatoris. O peccatores! ſi non placeat hac quadrageſima caput Crucifixi coronare auro, gemmis vel floribus; quæſo coronate ſpinis! quid horretis? quid me aſpicitis! Ita repeto, ſi Chriſto D. in doloribus crucis vultis rem præſtare gratam,

tam, ſi augere ejus gloriam, coronate ſpinis! ſed ſpinæ, de quibus loquor creverunt in maledicta terra cordis tui, has extrahe ex corde tuo, dole, &c. geme, &c. elue ſanguine Chriſti per pœnitentiam, per confeſſionem, &c. quæris quæ ſpinæ? *Maledicta terra in opere tuo, ſpinas & tribulos germinabit tibi*; Quæris quæ ſpinæ? ſpinæ ſunt actiones ſermonesq; invidiam ſpirantes; ſpinæ ſunt ſuperba tua conſilia mentisque elatæ conceptus; ſpinæ ſunt tua in pauperes verba dura atq; aſpera; ſpinæ ſunt tuæ fornicationes, adulteria, aliæq; non nominandæ obſcœnitates. Amabo te, extrahe, extrahe tandem has ſpinas, evelle illas è terra cordis tui; irriga lachrymarum fluentis, dole, ſuſpira, ingemiſce; connecte has ſpinas filo aureo charitatis, contexe coronam, illamque benedicto Jeſu crucifixi capiti impone. Volo dicere, convertere ſeriò, convertere! glorioſa erit & perquam honorifica tua converſio Jeſu crucifixo.

Utinam hoc ſacro tempore conſiderarent impii, quid ſit poſſeſſum eſſe à dæmonio, quid ſit hærere in faucibus infernalis ſerpentis, quid ſit vivere in ſtatu peccati mortalis, utinam perpenderent, quam cauſam habeant confugiendi ad Jeſum ſalvatorem, ad implorandum ejus auxilium in tam miſerabili ſtatu. Pro cujus rei explicatione Petrus Dam. ep. 10. Apol. hanc horribilem narrat hiſtoriam, & quam ſic auſpicatur. *Quidam pænitens ſub peregrino habitu in noſtris partibus exulabat. Qui requiſitus, quæ eum exulare culpa compelleret: Cum convicaneo meo*, inquit, *ad ligna cadenda pergebam, & ecce trabalis magnitudinis ſerpens, duobus attollens colla venenata capitibus, ſinuoſis flexibus obrepebat; qui nos, ut eò ambulantes conſpexit, continuo ſcintillans oculis, & tanquam linguis exacuens ora triſulcis, in nos impetum fecit: cui protinus conviator meus librata ſecuri unum caput abſcidit, moxq; ferramentum ex manibus ejus excidit, protinus ſerpens in furoris rabiem efferatus in ſublime ſe erigit, quod ſolum remanſerat caput, attollit, auctoremq; proprii vulneris mordicus apprehendit: quem mox, ut invaſit, ſinuoſis ita ſpiris implicuit, & involvit, totumq; hominem ſuis viribus vindicans, in ſubterraneam ſpecum abduxit. Sed dum traheretur ille, quod ſolum poterat, me flagitat, in me clamoſas voces ingeminat, ut vel ipſe ſibi promptus adjutor accurrerem, vel ſecurim, quæ in meis erat manibus,*

§. 15. *Epilogus cum terribili hiſtoria*

Digitized by Google

porrigere feſtinarem. Ego autem infelix & degener, ultricibus flammis obnoxius, & ipſe potius à ſerpentibus devorandus, væ mihi homicidæ! contremui, ideoque fugam paravi. Subdit S. Petr. Dam. *Quæ gemenda calamitatis hiſtoria, ita totum cor meum concutit, ut immenſam cordis mei formidinem, neque ſtylo tradere, neque ſermone proferre valeam. Meditor enim ſæpe, ecce homo & beſtia, duo pariter in ſpelunca! non mediator adeſt, non ereptor accedit! ferinum ſanè cor pietas non emollit; beſtia ſola ultionem ſpirat; quæſo quæ rei tunc ſpecies erat, imo quæ mens miſeri hominis eſſe poterat, cum præda factus eſſet, hoſti, inſcio, miſereri, cum evadendi ſpes nulla ſupereſſet, ſed cruentis dentibus in eſcam traditus ferinam potius ingluviem ſatiaret.* Hujus ego formidoloſi caſus ſpeciem in meâ ſæpe mente depingo, moxq; draconem illum, totius crudelitatis actorem, quomodo rapiat ac devoret animas, pavidâ conſideratione pertracto. illũ ſæpe verſic. 7. repetens [ex Pſ. 7. *Ne quando rapiat ut leo animam meam, dum non eſt, qui redimat, neque qui ſalvum faciat.*] Amantiſſimè Jeſu; cum tu non ſuccurris, ſcio, non eſt, qui redimat; ſcio, non eſt, qui ſalvam faciat miſellam animam peccatoris. Irruit interim ille, qui circuit tanquam leo rapiens & rugiens. Irrue & tu mi Jeſu in illum; qui circumis tanquam paſtor bonus! Circumit ille, quærens quem devoret; tu circumeas, quærens, quam redimas ex ipſis leonis faucibus oviculam; Ille mortem minatur, tu vitam polliceris; ille furorem ſpirat, tu amorem; ille perſecutionem machinatur, tu defenſionem: Ergo veni, ſuccurre, fer opem miſeris, quia ſine te non eſt, qui redimat, neque qui ſalvum faciat.

CONCIO XVI.

DOMINICA IV. QUADRAGESIMÆ.

Abiit JESUS trans mare Galilææ,

Joan. 6. verſ. 1.

SYNOPSIS CONCIONIS.

OB tragicas hiſtorias, minatur ſacrilegè cõfitentibus in ſupremo agone, laqueũ deſperationis, quo primus ſacrilegè confitẽs & cõmunicans Judas ſe ſuſpẽdit, poſt illũ, æternãdamnationẽ.

§. 1. Tem-

§. 1. Tempore quadrageſimæ Concionatores utiliter agunt de integritate confeſſionis.
§. 2. Infelix mors puellæ, ſacrilegè confitentis.
§. 3. Propoſitio.
§. 4. Cur Ezechiel viderit Angelos aſtantes altari, armatos gladiis.
§. 5. Sacrilegæ confeſſiones & communiones ſunt novi laquei, quibus impii magis ligantur.
§. 6. Confeſſiones ſacrilegæ diſponunt peccatores ad deſperationem in ſupremo agone. Hoc contigit Iudæ.
§. 7. Sacrilegi tandem cum Iuda confugiunt ad laqueum.
§. 8. In agone non poterunt loqui.
§. 9. Hiſtoria.
§. 10. Sacrilegè confitentes jacent in puteo iniquitatis, cujus os clauſum eſt. Proinde in ultimo etiam agone loqui non poterunt.
§. 11. Tragica hiſtoria, quod ſacrilegi moriantur infelices.
§. 12. Proſecutio.
§. 13. Alia hiſtoria.
§. 14. Alia.
§ 15. Proſecutio.
§. 16. Proſecutio.
§. 17. Apoſtrophe ad Auditores.
§. 18. Fruſtra ſacrilegi conantur Deum decipere.

§. 1. Tempore quadrageſimæ concionatores utiliter agunt de integritate confeſſionis.

MAre, cujus ad literam in hodierno Evangelio fit mentio in ſenſu myſtico, apud SS. Patres, eſt ſymbolum ſacramenti pœnitentiæ, & præſertim ſacramentalis confeſſionis, in qua veluti mari gratiarum, vi & efficia pretioſi ſanguinis D. noſtri Jeſu Chriſti, relapſi rurſum lavantur, & ab omnium peccatorum ſordibus mundantur ac liberantur. Cum paſchale tempus, quo omnes ad confeſſionem obligantur, appropinquet, meritò Concionatores materiam hanc de cathedris ſolent pertractare. Ego 27. annorum decurſu, quo Concionatorem ago, experientia didici, me nunquã hoc tempore ſine fructu egiſſe de confeſſionis integritate, de illa inquam perfectione, contra quam ii peccant potiſſimùm, qui præ pudore gravia ſcelera Sacerdoti nolunt detegere, qui pudor in horrenda illos præcipitat ſacrilegia; Monendi itaq; ſunt, ut intelligant, in quàm periculoſo vivant ſtatu; terrendi ſunt funeſtâ morte, quâ ſacrilegè confitentes frequenter in ſupremo agone, à diabolo rapiuntur in tartara.

§. 2. Infelix mors puellæ ſacrilegè confitentis.

Anno 1590. in India Orientali, in urbe Itata vixit puella, dedita privatis libidinibus, quas, etſi ſæpius alia confiteretur peccata, nunquam tamen præ pudore Sacerdoti aperuit. In ſupremo morbo, Patri è Soc. Jeſ. novies ſacrilegè fuit confeſſa: & abeunte Patre, idipſum ſuæ ancillæ recenſuit, haſq; addidit circumſtantias. *Hinc mihi aſtitit S. Maria Magd. cui ſemper fui devota: hinc niger diabolus. Illa ſuaſit mihi Confeſſionem integram; ille diſſuaſit: eheu! huic*

ſum

ſum aſſenſa. Subito ancilla advocavit Patrem, accurrit, invenit ſpirantem, ſed nolentem confiteri; atque ita expiravit. Poſt mortem apparuit domeſticis inter flammas, terribili voce inclamans: *Ob peccata ſilentio ſuppreſſa, ſum æternùm damnata; ex orco ab Omnipotente huc mittor, ut ego vobis, vos aliis hoc annuncietis, ut ſapiant.* Ita diſparuit!

§. 3. *Propoſitio.* Si ex meis Aud. eſſent aliqui ſceleris hujus rei; illi ſibi certò perſuadeant, non lateri tantùm aſſiſtere, ſed in corde & in ore habire dæmonium mutum; hoc vobis linguam claudit; ſic impedit, quò minus peccata veſtra integrè confiteamini. O S. Maria Magd. tibi me adjungam ſocium in hac Concione; tu tuis precibus apud Jeſum crucifixum obtine neceſſariam gratiam; mihi, ut talibus proponam ea, ex quibus intelligant, in quàm miſero vivant ſtatu; illis verò, ut ſapiant, ne cum infeliciſſima illa puella æternum damnentur. Fundamentum hujus Concionis eſt illud dictum P. Celada: *Confeſſio ſacrilega eſt officina peccatorum, ſyngrapha damnationis & ſymbolum mortis.*

§. 4. *Cur Ezechiel viderit Angelos, aſtantes altari, armatos gladiis.* Sacrilegè confitentes & communicantes non dubitent graviſſimas ſibi paratas pœnas. Sacrilegia Deus non ſinit impunita. c. 9. v. 2. vidit Propheta Ezechiel cum magno terrore, ſtantes Angelos cum evaginatis gladiis, paratos ad cædendum, occidendum, fundendumq; ſanguinem: *Et ecce ſex viri, & uniuscujusq; vas interitus in manu ejus; ſteterunt juxta altare.* Hinc terror & metus Ezechiel. ſed cur Angeli juxta altare manibus ſuis præferunt minaces gladios? aurea thuribula, phialæ plenæ odoribus, argentea cymbala, fiſtulæ & organa, amœni flores, coronæ ſine dubio Ezechiel. non terruiſſent, ſed recreâſſent; Verùm quæſtioni huic ad rem meam eleganter reſpondit S. Hier. *Juxta altare ſtare dicuntur, parati ad jubentis imperium, ut cujuscunq; viderint, ibi non eſſe peccata dimiſſa* [preſertim ob ſacrilegam confeſſionē, & eſſe potius acuta priora] *ſententiæ Domini, & interfectioni ſubjacere cognoſcant.* Sed mi Jeſu; cur ſunt ex meis Aud. qui à 10. 20 añis confeſſi ſunt ſacrilegè; imò jam actu propoſitum habent, hoc Paſchali tempore, iterum ita confitendi; & tamen parcit illis percutiens Angelus? O SS. Angeli, Divinæ juſtitiæ adminiſtri, cur parcitis reis corporis & ſanguinis D. noſtri Jeſu Chriſti? Eſt hæc infinita Salvat. noſtri bonitas & miſericordia,

cordia, quia mitis & longanimis expectat noſtram pœnitentiam. Cavete ſacrilegi! ſi hoc Paſchali tempore adhuc ſemel confiteamini ſacrilegè, Angelus Domini, quem hactenus ſuſpendit, ictum præſtabit.

§. 5. *Sacrilegæ confeſſiones & communiones ſiunt novi laquei, quibus impii magis ligantur.*

Sed pœnæ, quas ſacræ literæ minantur ſacrilegis, ſunt variæ; illam elegi pro hac Concione, quam reperio in Pſ. 68. v. 22. pleno horribilibus maledictionibus; conqueſtus fuit David in perſona Meſſiæ; quod fuerint, qui oderunt illum gratis, qui perſecuti illum ſunt injuſtè, qui contra illum locuti ſunt, quod in eſcam dederint illi fel, & in ſiti ſua potaverint illum aceto, quod addiderint illi dolorem, ſuper dolorem vulnerum, &c. Omnibus his David imprecatur horribilia; v. g. *Obſcurentur oculi illorum, ne videant; effunde ſuper eos iram tuam, furor iræ tuæ comprehendat eos. Deleantur de libro viventium, & cum juſtis non ſcribantur.* Verſu 23. cit. Pſ. hoc minatur: *Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, & in retributiones, & in ſcandalum.* Quam imprecationem vel prædictionem, quid futurum ſit, ſic intelligo. Certum eſt, per menſam vel cœnam, vel convivium, vel prandium frequenter nobis proponi SS. Sacramentum Euchariſtiæ. In qua menſa juſti comedunt corpus & carnem Chriſti Salvat. & pretioſiſſimum ejus bibunt ſanguinem. Antequam peccator ad has epulas accedat, neceſſe eſt, ut prius confiteatur omnia letalia peccata, quæ commiſit. Quot affert ejusmodi ſcelera, tot accedit irretitus laqueis & catenis; hac verò intentione accedit ad ſacrum pœnitentiæ tribunal, ut juxtra verba Chriſti D. *Quæ ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis*; abſolvatur à vinculis & laqueis peccatorum: Sed quid fit, dum talis pœnitens confitetur ſacrilegè? eheu! dum ſacerdos ait: *Abſolvo te*; putat, ſe rumpere pœnitentis vincula, & fit contrarium; Illa falſa abſolutio, ob celatum peccatum, fit novus laqueus, convertuntur omnia priora ſcelera in novas catenas; quibus miſer alligatur fortius. Hoc ſacrilegis minatur David. Sacrilegæ confeſſiones & communiones ſunt laquei, quibus diabolus tales pœnitentes demum trahit in barathrum deſperationis, ex hoc in æternam damnationem præcipitat. Hanc propoſitionem SS. PP. aliis verbis proponunt.

§. 6. *Confeſſiones ſacrilegæ diſponunt peccatores ad deſperationem in ſupremo agone. Hoc contigit Judæ.*

Confeſſio ſacrilega nihil juvat pœnitentem; imò fomes eſt majorum ſcelerum, & denique impium protrudit in barathrum deſperationis; cum attentione his diebus conſideravi dictum Chriſtiani Druthmari: *In vanum agit pœnitentiam, quamdiu vegetatur, & creſcit.* Vult dicere, quædam peccata à quibusdam in malitia & gravitate ſummopere augeri; & quidem per pœnitentiam; ſed qua ratione hoc fieri poteſt? accedit v. g. aliquis ſacerdotem fatetur ſe juraſſe, &c. abſolvitur; Confeſſarius putat ſe animam ſui pœnitentis lavare in balneo pretioſi ſanguinis Jeſu Chriſti, quid ſi fiat, ut talis tegat peccatum aliquod grave ex pudore! tum ſcilicet omnia illa peccata vegetantur, creſcunt; prioribus additur ſacrilegium, quod eſt peccatum graviſſimum. Et hanc pœnitentiam tales confeſſiones continuant, donec tandem agantur in deſperationem. Exemplum habemus in pœnitentiâ Judæ, de quo ait S. Matth. c. 27, 3. *Tunc videns Judas, qui eum tradidit; quod damnatus eſſet, pœnitentia ductus ait - Peccavi, tradens ſanguinem juſti, - & projectis argenteis in templum receſſit, & abiens laqueo ſe ſuſpendit:* Pulchrè Euthym. *Agnovit, pœnituit eum, confeſſus eſt, veniam autem ab eo, qui eam dare poſſet, non requiſivit.* Cum ergò ad hunc clementiſſimum confugere oporteret, ille ad mortem potius confugit. Tales hodie quoq; fiunt confeſſiones, per quas pœnitens non obtinet veniam, ſed mortem incurrit. Confeſſiones ſcilicet fratrum Judæ, qui Chriſtum oſculantur, ſimulant ſe amicos, quærunt nomen pœnitentis; & infami oſculo ſacrilegæ confeſſionis, in faciem Jeſu, eundum rurſus vendunt & tradunt, donec tandem in agone, obruti à gravitate ſcelerum, quæ multis annis in falſis confeſſionibus ſuppreſſerunt, cum Judâ deſperabundi intereant.

§. 7. *Sacrilegi tandem cum Juda confugiunt ad laqueum.*

De eadem Judæ pœnitentia & confeſſione ait D. Leo ſer. . *Dicendo, peccavi tradens ſanguinem juſtum, in impietatis ſuæ perfidia perſtitit, quia Jeſum, non Deum Dei filium, ſed noſtræ conditionis tantummodo hominem, inter extremum mortis periculum credidit.* Cujus Jeſu remedium Judam non tranſiviſſet, ſi ad eam pœnitentiam confugiſſet, quæ illum revocâſſet ad Chriſtum, non quæ inſtigâſſet ad laqueum. Ecce duplicis generis confeſſionem. Una eſt remedium; una ducit nos ad Jeſum, una obtinet veniam. Altera ducit ad mortem, ad laqueum, ad deſperationem! O miſeros! qui putant, dum

dum cōfeſſario imponunt ſe, Deo ſe poſſe illudere; dū gravia peccata tegunt; Cavete impii, hæc ſcelera, NN. erunt laquei, quibus diabolus inter extremū mortis periculū conſcientiā veſtrā ſuffocabit, in easq; rediget anguſtias, ut proxima ſit futura deſperatio.

Quamprimum Aſſuerus c. 7, 8. Eſther; juſſit Amanum ſuſpendi in patibulo, quod præparaverat Mardochæo, Regis famuli, & miniſtri juſtitiæ: *Statim operuerunt faciem ejus, ne forte verbum loqui poſſet*, quo à Rege & Regina obtineret veniam, atq; ita deſperans eductus fuit ad ſupplicium. Ite ſacrilegi! ite, & in confeſſione tegite facies conſcientiarum veſtrarum; tegite enormia ſcelera NN. claudite ora & linguas; appendite labiis veſtris ſerpentem vectem claudentem, ſive dæmonium mutum, de quo egi ante dies octo. Inter ſupremum mortis periculum, diabolus hic mutus, operiet facies veſtras velo deſperationis; fortaſſis voletis loqui, & non poteritis; hinc deſperatio. §. 8. *In agone non potuerunt loqui.*

Tragicam hiſtoriam non ita pridem audivi; quam paucis recenſeo. In duello alter à ſocio lethaliter læſus, dum corruit, per omnia ſacra inimicū fuit obteſtatus, ut curaret advocari Confeſſarium; ſe graviter ſaucium; alter plenus irâ & odio, per jacentis os gladium in pectus, ad cor uſq; adigens, dixit: *Vade in infernum, atq; ibi diabolis confitere.* Sic miſer animam exhalavit; quo! Deus ſcit. Vos ego compello ſacrilegi confitentes! cavete; modo tacetis; fruſtra vos obſecro, per Jeſu vulnera & ſanguinem, &c. ut confiteamini integrè; forte veniet hora, inter ſupremum mortis periculum, qua petetis confeſſarium, &c. eheu! truculenta! improviſa mors, dicet, hæc nimis ſero! ite, ite in ignem æternum, ibi cum Juda æternùm confitemini diabolo. §. 9. *Hiſtoria.*

Mors calamitioſior pro impio excogitari non poteſt, quàm ſi in eam incidat calamitatem, ut tandem velit confiteri, & non poſſit. Hanc mortem timuit reg. pſaltes, cum dixit Pſ. 68, 16. *Neq; urgeat ſuper me puteus os ſuum.* Ubi S. Aug. *Magnus eſt puteus, profunditas iniquitatis humanæ.* In illum quisq; ſi ceciderit, in altum cadit. Sed tamen ibi poſitus, ſi confiteatur peccata ſua Deo, non ſuper eum claudit puteus os ſuum. Si autem factum fuerit in illo, quod ſcriptura dicit? *Peccator, cum venerit in profundum malorum, contemnit*; id eſt, ſi agnoſcit, ſe graviter peccâſſe, & nihilominus nolit vul- §. 10. *Sacrilegè confitentes jacent in puteo iniquitatis, cujus os clauſum eſt. Proinde in ultimo etiam agone loqui non potuerunt.*

Digitized by Google

nus ſuum detegere, clauſit ſuper eum puteus os ſuum [diabolus ſerpens, vectis, claudens dæmonium mutum pendet ex labiis] quare clauſit os ſuum? perdidit enim confeſſionem, verè mortuus eſt; Metuenda iſta res vehementer, Fratres, amiſſa confeſſione, non erit locus miſericordiæ. Inſinuat S. Aug. vix futurum, ut qui ſacrilegè confitetur, multis annis cum hoc propoſito, non velle ſe confiteri, niſi in agone ultimo; ut inquam talis obtineat miſericordiam, & gratiam bene confitendi. Metuendum eſt, ne tales cum Juda confugiant ad mortem, ad laqueum, ad deſperationem. Iterum vos rogo ſacrilegi confitentes, aperite oculos, cernite, in quo jaceatis puteo, & rogate Jeſum, ne permittat à dæmonio muto claudi ora veſtra in ſupremo agone.

§. II. *Tragica hiſtoria, quod ſacrilegi moriantur infeliciter.*

Hoc ſuo damno expertus fuit miſer ille ſacerdos; de quo Baronius narrat T. 12. ſequentia: Fornicarius, concubinarius frequentiſſimè fuit confeſſus, celebravitq; ſacrilegè; ut nequitiam tegeret, familiariter egit cum Religioſis Bonæ vallis; incidit tandem in periculoſum morbum, [attendite Aud. ſiquidem hiſtoriæ in hac materia ſacrilegis vel maximè ſolent terrorem incutere] cùm ad extrema perveniſſet, de cætera nocte pro introitu æternitatis, cum morte luctanti adfuit Prior illius conventus, vir pius & religioſus. Media nocte æger horrendum exclamavit: *O Pater! ſuccurre! ſuccurre! ecce terribiles duo leones in me irruunt? quales dentes? qualis rictus? quales oculi! toti terribiles ejaculantur ignes! Pater! ora Deum pro me miſero peccatore.* Fecit Pater; in genua procidit, oravit ardentiſſimè, fortè dixit oratiunculam, quâ deinde zelator ille animarum S. Fr. Xaver. fuit uſus: *O mi Jeſu, obſecro te per tua vulnera, quæ tibi amor noſtri in cruce inflixit, parce! miſerere hujus peccatoris, quem pretioſo tuo ſanguine redemiſti.* Mox dixit æger: *Pater, ob tuas prèces evanuêre beſtiæ.* Pergite, pergite ſacrilegi; repetite de menſe in menſem falſas confeſſiones; O audaces & temerarii! pergite ſacrilego corde & ore tractare tremenda myſteria altaris; In agone veſtro; olim, fortaſſis brevi, eheu! quales leones in vos irruent! quis ſcit, an vobis adfuturus ſit aliquis, qui pro vobis preces offerat. O mi Jeſu crucifixe, modo dum tempus eſt gratiæ, ad te me converto. Audite ſacrilegi, aperite aures, ut una mecum ſaltem in corde dicatis: O Jeſu! O fons gratiæ miſerere, &c.

At

Digitized by Google

At necdum eſt finis hiſtoriæ; hoc fuit admirandum, quod miſer ille ita territus ab infernalibus leonibus, cùm ad ſe rediiſſet, nihilominus nihil voluerit audire de integra confeſſione; proinde mox iterum horribilius quàm ante exclamavit; *O qualis ignis ruit de cælo! heu! circumdatus ſum flammis! Pater, ora!* Per ardentes preces aſtantium Religioſorum, per paſſionem, per ſanguinem Chriſti inclamantium miſericordiam, ab hoc quoq; periculo fuit liberatus. Quid cogitatis Aud. an non quivis veſtrum cogitat; ego ſi in tanto periculo conſtitutum me cernerem in agone, in ſuprema lucta, cuivis ſacerdoti præſenti vellem confiteri, etiam graviſſima ſcelera. O ſacrilegi! jam facite, jam per integram confeſſionem confugite ad miſericordiam, ad Jeſum Salvat. fortasſis in ſupremo illo periculo id facere non poteritis. Profectò hic æger etiam ab infernalibus flammis territus non fecit; proinde juſto Dei judicio tandem in has voces & ejulatus prorupit: *Jam rapior ad judicium!* paulo poſt! *eheu! æternum ſum damnatus! ecce igneam ſartaginem, ad quam me rapiunt dæmones, ut in illa æternùm ardeam!* Hic Pater! *O mi Jeſu! parce! per tua vulnera, per tuam mortem, per omnem tuam miſericordiam obſecro & obteſtor, miſerere infeliciſſimi hujus peccatoris; Ceſſa* ait infelix ſacerdos, *non exaudieris. Ah frater,* inquit Prior, *fuge adhuc ſemel ad Jeſum Salvat. ecce!* [fortè imaginem Crucifixi dexterâ exhibuit] *ejus vulnera' ecce ſanguinem, quem pro te fudit! bonus eſt! benignus eſt! miſericors eſt; miſerationũ ejus non eſt finis; non vult mori peccatorem, ſed vivere!* fruſtra hęc omnia, exclamavit ſceleſtus & ſacrilegus ſacerdos; *heu! miſer! jam dæmones arripiunt linteamina! jam abripior.* Hæc dicens, exſpiravit, tanto omnium aſtantium terrore, ut omnes aufugerint. Qui hanc hiſtoriam recenſet Auctor, bene addit ex S. Greg. hæc contigiſſe, *ut ſciamus, quantâ cautelâ, quàm reverenter divina tractanda ſint myſteria.* Si qui ſint præſentes; qui ſe ſceleris hujus reos agnoſcunt, quos conſcientia arguit; nunquid hoc ſcelus comiſiſti? nunquid in anno ætatis 12. &c. peccâſti cum fratre vel ſorore? nunquid tu, ut cum Propheta loquar, fornicata es cum amatoribus multis? Et tu conjux ſive maritus, vir ſive uxor, nunquid tot in tali loco & tempore adulteria commiſiſti? Et tu juvenis! nunquid infandas cum his tuis ſociis libidines perpetraſti? nega ſi audes; Dei oculos non effugiſti; nec

§. 12. *Profectio.*

Digitized by Google

Dei effugies judicium,& tamen hactenus præ pudore,te vincere non potuiſti,ut confitereris; hos inquã rogo, ut in tragica hac hiſtoria veluti ſpeculo intueantur, & conſiderent,quâ fortè morte ſint rapiendi ad judiciũ; quæ ignea ſartago in inferno,juxta ſacrilegum hunc ſacerdotem, vel infeliciſſimum Judam, primùm ſacrilegè communicantem, in omnem æternitatem ſit præparata.

§.13. *Alia hiſtoria.* Terribile quoq; eſt, quod refert Bellarminus,piiſſimus Cardinalis. Epiſcopus quidam optimæ vitæ, cadaver cujuſdam fœminæ, quæ ad externam ſpeciem vixerat ſanctè, permiſit tumulari in ſuo ſacello; poſtridie funeris mane illud ingreſſus, vidit in aperto defunctæ tumulo, inter erumpentes flammas, fœtidum ejus cadaver jacere ſupra prunas, quod ab Epiſcopo adjuratum in nomine JESU Crucifixi, reſpondit: *æternum ſum damnata! aſpexi olim aliquos non caſtis oculis; quod peccatum, præ pudore, nunquam volui confiteri, hæc cauſa meæ damnationis.* Auditores amantiſſimi! quid fiet illis, qui ſcelera nefanda NN. præ pudore nolunt confiteri? per multos annos? quid illis ſceleſtis Sacerdotibus,qui nocte turpisſima committunt ſcelera, & mane, vel ſine confesſione, vel cum confesſione ſacrilegâ audent accedere ad altare!

§.14. *Alia.* Concionator quidam zeloſus animarum,exemplo S.Xaverii, & Cardinalis Boromæi, occaſionem captavit loquendi, peccatori alicui obſtinato,& monendi eum ad ſeriam pœnitentiam; ſed ſolum, amotis omnibus arbitris; quod quæſivit, invenit. Itaq; coram illo in genua procumbens, extracto ex ſinu Crucifixo, his ferè verbis ipſum fuit allocutus. *Per Crucifixi vulnera! per pretioſum ejus ſanguinem! per mortem Crucis obteſtor, convertere ad Dominum Deum tuum. Fortaſſis brevi non erit amplius tempus pœnitendi. Niſi converſi fueritis,gladium ſuum vibrabit: arcum ſuum tetendit, &c.* Brevis ſed ſeria hæc fuit exhortatio, ſed ex parte peccatoris non fuit efficax. Noluit monentem audire, nihil de confesſione,nihil de vitæ mutatione! manſit qui fuerat. O Judicia Dei! Intra paucos dies,repentino gravique morbo oppreſſus,impœnitens fuit mortuus. Quamprimum id Concionator, qui illũ monuerat,intellexit,coram imaginè Crucifixi,ardentibus precibus animam defuncti Deo comẽndavit. Sed ſtatim terribilis viſio oculos incurrit, vidit animam defuncti, igneis ligatam vinculis,

ja-

Digitized by Google

centem in igneo fluvio, & ardenti balneo. Vultis audire & videre aliquid longè terribilius? audite & videte, ſed cũ metu, cum tremore & timore, ne vobis ô impii, aliquid ſimile olim contingat. Vidit Concionator ex aperto latere, & vulnere benedicti cordis Jeſu crucifixi, loco ſanguinis & aquæ, qui liquores ex illo fonte effluxerunt in cruce, cùm Longinus lanceâ illum aperiret; loco inquam ſanguinis & aquæ vidit erumpere rivulum igneum, qui illas flammas, inter quas anima ardebat, accenderunt, & magis inflammarunt; cùm ingenti dolore infeliciſſimæ illius animæ.

Vultis audire omnium terribiliſſimum? audite, & tremite. Chriſtus crucifixus in cruce aperuit labia & os ſuum, movit linguam, & partim inter flam̃arum ſtrepitũ, partim inter deſperantis animæ ejulatus & ſingultus, his verbis fuit auditus alloqui maledictam animam: *Nonne ſilui & tacui: nonne diſſimulavi, & projeciſti omnes ſermones meos; nunc autem ſicut parturiens loquar, diſſipabo & abſorbebo ſimul. Diſce de maledicta in ignem æternum.* Inter hæc dicta igneus ille fluvius ex latere Chriſti erumpens, illam tam profundè in ignes immerſit, ut à concionatore amplius viſa non fuerit. O iras! ô juſta irati Dei & judicis, cum fremit in furore ſuo, judicia! §. 15. *Proſecutio.*

O metamorphoſis: hoc ſcio, ex latere Chriſti cum pretioſo ſanguine & aquis gratiarum effluxiſſe igneas catenas, quibus inter flammas amoris Seraphica corda colligentur Chriſto crucifixo. Hoc ſcio, ex illo clibano decidere prunas & ignem amoris, quem venit mittere in terras. Sed ut inde ſuper impios ex illo latere, cum ſanguine erumpant flammæ, quæ accendunt infernum; hoc eſt terribile! hoc eſt luctuoſum! §. 16. *Proſecutio.*

Fili mi! esne ex illorum numero, qui vivunt in ſtatu peccati mortalis, & tamen necdum illa per confeſſionem expiarunt? Esne ex illis, qui confeſſi ſunt, ſed ſacrilegè? Esne ex illis, qui nihil audire volunt de pœnitentia? En Jeſum tuum pro te proq; me & omnibus crucifixum! En vulnera ejus, aſpice, perpende, meditare. Sunt divini amoris indicia. Per hæc ego te vulnera; per hujus divini amoris veſtigia te oro, obſecro obteſtor; miſerere animæ tuæ; ne illa obruatur incendio furoris, quæ jam ex benedicto latere Jeſu poteſt cõcipere ſcintillas amoris. Adhuc reluctaris? an necdum obtinere poſſum, ut pudorem tuum vincas, ut cogites, volo confiteri! Cave! time improviſam & infeliciſſimam mortem! hoc fiet, in agone, cum voles pœnitere, ex hoc latere, ſuper te, ſuper infeliciſſimã animã tuam, erumpet ignis, qui pro te accendet infernum, in quo æternùm ardebis. §. 17. *Apoſtrophe ad AA.*

Digitized by Google

bis. Suadeo tibi amice mi, quod S. Franciſca Rom. cuidam peccata ſua non integrè confitenti dixit: *Vade explica totum, & ne verecunderis; quia melius eſt in hac vita pati iracundiam, quàm in futuro ſæculo æterna ſupplicia.*

§. 12. *Fruſtra ſacrilegi conantur Deum decipere.*

Poſtquam fratres Joſephi, illum vendidiſſent Ægytiis mercatoribus, noluerunt hoc conſtare patri, *tulerunt itaq; tunicam ejus* Gen. 37. v. 31. *& in ſanguine hœdi, quem occiderant, tinxerunt, mittentes qui ferrent ad patrem, & dicerent, hanc invenimus: vide utrum tunica ſit filii tui, an non? quam cum agnoviſſet pater, ait: tunica filii mei eſt, fera peſſima comedit eum.* Jeſum vendit, quiſquis peccat mortaliter; Miſer, vides tunicam Joſeph? ſanctiſſimum ejus corpus laceratum, vulneratum, ſanguine coopertum, quid murmuras in ſacro tribunali, te non eſſe reum? quid diſſimulas injuriam Chriſto illatam? nunquid tua libido N. N. illum laceravit? & Patri, qui ſedet loco Dei, illud putas non conſtare? nunquid tu es fera illa peſſima, quæ venenatâ linguâ audes lingere pretioſum Agni immaculati ſanguinem? fera illa peſſima, quæ rabidis dentibus vulnera, quæ clavi aperuerunt in cruce, renovas? & talia tam atrocia, tam inormia ſcelera oculis, qui omnia vident, vis tegere? Patrem omnia ſcientem putas te poſſe decipere, & quidem per tunicam, quam tu ſanguine intinxiſti! *Ah! Quid,* [inquit S. Chryſoſtomus ibi] *quid decipitis voſmetipſos inſenſati?* Nam licet Patrem illum [illum Confeſſarium] decipere poſſitis; non tamen falletis Judicem illum, qui decipi nequit; ſed ita ſe habet humana natura; imò ita ſe habet multorum deſidia, ut humanum timorem, & præſentis vitæ confuſionem, maximi faciat, in mente autem, non verſet terribile illud tribunal, & pœnam intolerabilem. O miſeri, quid reſpondebitis, cum olim in agone vobis ponetur ob oculos ſanguinea tunica Joſeph? cùm rationem reddere debebitis de ſanguine, de turpitudine, de abominatione illorum ſcelerum, quæ tot annis in tot ſacrilegis confeſſionibus redditis graviora. Fera peſſima devorabit vos. O Fera peſſima! mors ſubitanea! O fera peſſima! Judicium ſine miſericordia. O fera peſſima, æternæ damnationis ſententia! Hæc perpendite AA. & quo pacto confeſſionem veſtram Paſchalem, quâ integritate, quâ ſinceritate, quo dolore ac contritione peragere oporteat, concludite.

CON-

Digitized by Google

CONCIO XVII.

DOMINICA PASSIONIS.

Quis ex vobis arguet me de peccato?
Joan. 8. verſ. 46.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Horrendas fulminat minas contra ſacrilegè communicantes.

§. 1. *Vexilla Regis prodeunt.*

§. 2. *Euchariſtia, indignè illam ſumentibus eſt letalis. De Regio convivio, in quo Aman rapitur ad patibulum. Idem Aman fuit figura Judæ proditoris, primi indignè communicantis.*

§. 3. *Indigna communio præcipitavit Judam in abyſſum graviſſimi sceleris & deſperationis.*

§. 4. *Proſecutio ex S. Chryſoſtomo.*

§. 5. *Sacrilegè communicantes invertunt intentiones, ob quas Chriſtus D. SS. Euchariſtiam inſtituit.*

§. 6. *Acris invectiva in ſacrilegè communicantes.*

§. 7. *Horribiles effectus ſacrilegæ communionis ex S. Ambr.*

§. 8. *Acerrima invectiva in ſacrilegè communicantes.*

§. 9. *Sanguis Euchariſticus ſacrilegis non præſtat vitam, ſed mortem.*

§. 10. *Indignè communicantibus Jeſus in Euchariſtia, propinans ſuum ſanguinem, eſt pincerna mortis.*

§. 11. *Fructus paſſionis, crucis & mortis, & ſanguinis Chriſti renovantur in paſſione.*

§. 12. *Conglobatio gratiarum, quæ conferuntur dignè communicantibus.*

§. 13. *Terribiles minæ ſuper indignè communicantes.*

§. 14. *Tragica hiſtoria.*

§. 15. *Epilogus, ſacrilegè confitentibus & communicantibus ſimiles minatur pœnas; niſi hoc Paſchali tempore reſipiſcant.*

HOdierna Dominica olim in Eccleſia fuit appellata *Dominica Lætare*, eò, quod hac die, duodecimâ ante ſuam paſſionem, Chriſtus D. ſuſcitaverit Lazarum à mortuis; à quo die Phariſæi & Principes Sacerdotum, ex invidia ob illam famam, quam tanto miraculo Chriſtus D. ſibi conci- (§. 1. *Vexilla Regis prodeunt.*)

Digitized by Google

liaverat, ſeriò cogitarunt de illo occidendo. Vocatur præterea *Dominica Judica*, ob introitum hodiernæ miſſæ, qui ſumptus eſt ex pſ. 30. v. 1. *Judica me Deus &c.* ut ſimus memores illorum conventuum & judiciorum, quæ ab hoc die Judæi contra Chriſtum inſtituerunt, conſultantes, quâ viâ illum tollerent è medio. Ob eandem cauſam vocatur *Dominica Paſſionis*, quia mater Eccleſia inſtar triſtis turturis hodie incipit ingemiſcere & lugere mortem ſponſi ſui, quem in agro montis Calvariæ, Juſtitia & Miſericordia, ſive amor in cruce triſti nece peremerunt. Hodie vexilla Regis prodeunt; in quibus inſtrumenta paſſionis, flagella, ſpinæ, clavi, columna, crux, lancea ſimiliaque inſtrumenta oculis noſtris proponuntur, ut triſti ſpectaculo ad teneram cordium compaſſionem moveamur. Quando Romæ purpureum, ſive, ut Tacitus loquitur, ruſſatum exponebatur vexillum, cives & milites concurrebant ad Capitolium, ut communi, quæ erat, neceſſitati occurrerent; ideò Cicero dixit: *Vexillo opus eſt, & convolabunt.* Verùm antequam de hâc cathedrâ vobis proponam myſteria paſſionis; hâc adhuc concione mihi agendum eſt contra peculiares hoſtes crucis & ſanguinis Chriſti; quales ſunt Paſchali hoc tempore ſacrilegè confitentes & communicantes; contra illos egi ante octiduum. Hos aggrediar hac concione, omnemque movebo lapidem, an fortaſſis illis perſuadere poſſim, ne tam gravium ſcelerum reos ſe conſtituant.

§. 2. Euchariſtia indignè illam ſumentibus eſt lethalis. De Regio convivio, in quo Aman rapitur ad patibulum. Idem Aman fuit figura Judæ proditoris, primi indignè

Primum quod ſcire velim, ſacrilegè communicantes; eſt hoc: Euchariſtiam ipſis fore prorſus lethalem, juxta illud S. Thomæ: *Mors eſt malis, vita bonis.* Eſther. c. 7. v. 1. *Intravit Rex & Aman, ut biberent cum Regina.* Et tantum convivium, quid utilitatis attulit Amano? Sacer textus ait hunc fuiſſe finem; *Suſpenſus eſt Aman in patibulo.* Rupertus l. 8. de vict. verbi Dei c. 21. *Convivando, ſuper menſam* [cum Rege & Regina] *invenit pœnam*, ut eſſet figura primi indignè communicantis Judæ. Quis non miretur? Judas, licet eſſet fur, licet eſſet avarus, licet ſæpius à Jeſu propter hæc vitia fuiſſet reprehenſus, tamen ab illo non diſceſſit; noluit Jeſum dimittere. Ubi tandem ad menſam Euchariſticam fuit deventum; poſtquam Chriſtus D. SS. Euchariſtiam inſtituit; Poſtquam de

pane

pane dixit: *Hoc eſt corpus meum*; & Judas auſus fuit illud manducare. Poſtquam de calice dixit: *Accipite, bibite, hic eſt calix ſanguinis mei*; & proditor auſus fuit ſacrilegè bibere ex illo calice, cùm accepit bucellam, Joan. 13. v. 30. *Exivit continuò. Erat nox*, & ſequenti mane laqueo ſe ſuſpendit. Quid Judæ profuit comediſſe, bibiſſe cum Rege Regum? ut ſibimet latro, ſeipſum ſuſpenderit? Quiſquis hodie Dei hoſtis indignè accedit ad S. Communionem, nihil aliud ſperet, quàm ruinam, quàm laqueum deſperationis, & mortem æternam. *communicantis.*

§. 3. *Indigna communio præcipitavit Iudam in abyſſum graviſſimi ſceleris & deſperationis.*

D. Paſchaſius lib. de corp. & ſang. Dom. cap. 8. *Judas donec buccellam acciperet, quamvis mente ſaucius, interdum tamen à Domini bonitate leniter, crebroque nunc cum aliis, nunc ſolus monetur. Sed poſtquam indignus myſtica præſumpſit, invaſit eum diabolus; & qui prius nutabat, cum accepit buccellam, continuò exivit - & poſt paucas horas ſe ſuſpendit. Non priora facinora, ſed ſacrilega communio, ipſum adegerunt ad deſperationem.* Advertite greſſus, quibus hodie cum Juda plurimi pergunt ad deſperationem, & infernum. Primus greſſus eſt, committere lethale peccatum. Secundus, nutare; tertius, præſumere ſacrilegam communionem; quartus denique, acceptâ ſæpius buccellâ, ſubjacere diabolo, deſperare, & æternum perire!

§. 4. *Proſecutio ex S. Chryſ.*

Tremenda verba de Juda addit D. Chryſoſt. ſerm. 3. de prodit. & cœn. Dom. *Judas confugit ad laqueum; ultimum capiens ex pane ſolatium.* Id eſt, Judas felicem ſe credidit, ſi mox, ſtatim, continuò, ſubitaneam mortem ſibi inferret; ne dilata vita majores calamitates parturiret. Sed unde tantus metus? tantus terror? an quod furatus fuerit nummos? an quia vendidit Chriſtum? an quia eduxit cohortes? an quia proditorium ſuo Magiſtro obtulit oſculum? graves cauſæ! Sed S. Chryſ. id aſcribit pani, quem comedit. Id eſt, quod Judæ maximum incuſſit terrorem, quod illum præcipitavit in barathrum deſperationis, quod laqueum illi dedit in manus, hoc totum fuit illa apprehenſio, quod ſacrilegè communicâſſet. Cavete ſacrilegi! veniet hora, quâ vos in anguſtias compellent veſtra ſcelera; libidines, luxuriæ, odia, &c. Sed hæc fortaſſis à bono Jeſu vos non avellent. At ſi ſacrilegè communicaſtis, ſi myſtica præſumitis; cavete; ex cœleſti pane, hoc vobis erit ſolatium, ut deſperetis.

Digitized by Google

§. 5. *Sacrilegè communicantes invertunt intentiones, ob quas Chriſtus D. SS. Euchar. inſtituit.*

Ut malitiam ſacrilegæ communionis intelligamus, advertere debemus tales communicantes; directè ſe opponere intentioni, propter quam Chriſtus D. SS. Euchariſtiã inſtituit; Joan. 19. poſt latus Chriſti percuſſum, *Continuò exivit ſanguis & aqua.* Circa quæ Paſchaſius l. de corp. & ſang. Dom. c. 11. *Quod tunc de carne fluxit, hoc nunc cedentes de calice bibunt. Caro quidem datur in cibum, ſanguis & aqua verè in potum.* D. Aug. Ser. ad Neoph. *Hoc accipite in pane, quod pependit in cruce! & hoc accipite in calice, quod effuſum eſt de Chriſti latere.* Nimirũ in Sacramento pœnitentiæ & Euchariſtiæ. Sed quid intendit tam eximia liberalitas Chriſti D.? Reſpondet Paſchaſ. *Vt quod ſemel de latere manavit, hoc totum homo his duobus renovatus bibat; ut ſi quam peccati maculam poſt fontem traxit, habeat in hoc undam veniæ, quâ diluatur* (nimirum in Sacramẽto Pœnitentiæ;) *& pretium ſuæ redemptionis, quo unuſquiſq; redemptus de die in diem rurſus renovetur.* - Et, - *ut eodem pretio ſalutis noſtra ſaginetur. Vt de morte redimamur ad vitam.* His proinde intentionibus, ſi deſiderio, & amori, quo Chriſtus D. SS. Euchariſtiam inſtituit, reſpondere volumus, homo debet accedere; ſive bibere illud, quod olim in cruce fluxit de latere Chriſti. 1. ut abluatur à maculis præteritorum peccatorum. 2. ut in illorum ſatisfactionem Deo Patri veluti pretium eundem offerat ſanguinem. 3. ut intuitu ſanguinis quem bibit, DEUM iratum moveat ad veniam & miſericordiam. 4. ut cõmunio pro effuſione tàm pretioſi ſanguinis ſit condigna gratiarum actio. 5. ut ille ſanguis JESU Crucifixi in Euchariſtia, præſertim ille, qui de benedicto corde effluxit in Cruce, à Patre miſericordiarum petat, & impetret novas gratias; præſertim illas, quibus indigemus ad ſalutem. Ecce nobiliſſimas intentiones, ob quas Chriſtus Dominus inſtituit Sacramentum Euchariſtiæ, ecce eximios ejuſdem fructus! Ecce cauſas ob quas Mater noſtra Eccleſia præcipiat, ut omnes Chriſti fideles circa Paſchale tempus, ſaltem ſemel accedant ad Synaxin.

§. 6. *Acris invectiva in ſacrilegè communicantes.*

Vos verò ſacrilegi, dum id facitis, quid agitis? Sanguis Chriſti deberet vos abluere; verùm quia bibitis indignè, noxæ & graviſſimæ culpæ voſmet ipſi reos conſtituitis, quæ culpa novã & turpſſimam ſecum maculam ducit. Sanguine Chriſti deberetis

tis ſatisfacere pro veſtris delictis, ſed communio ſacrilega auget debita priora, ſic ut ſimul nova contrahatis. Sanguis, qui fluxit ex latere Chriſti, quem bibitis in Euchariſtia iratum Deum non movet ad veniam, ſed iras priores ſuper capita veſtra longe magis accumulat. Bibendo illum divinum ſanguinem, pro illo deberetis agere gratias, ſed projectum in cloacam fœtidi cordis conculcatis pedibus; Proinde ille idem ſanguis à Patre, non petit gratias, ſed vindictam! ſed juſtam punitionem! non vitam, ſed mortem! non ſalutem, ſed æternam damnationem. Benedictus ille ſanguis olim in agone deberet vobis eſſe ſolatio, & fundamentum ſpei veſtræ; eheu! erit cauſa anguſtiarum, & radix deſperationis. In illis anguſtiis, ille ſanguis vobis non opitulabitur, ſed coram tremendo tribunali D. Juſtitiæ accuſabit!

Hos effectus, fructus, vel damna ſacrilegæ communionis videtur inſinuaſſe S. Joan. c. 13. v. 27. cum ait: *continuò poſt buccellam introivit in eum Sathanas.* Quod meditatus D. Ambr. ſer. 34. de jejun. Dom in deſerto, ait; *Ex quo buccellam cæpit Judas, cæpit eſſe proditor* (non in cogitationibus tantùm, ut antè, ſed reipſa egreſſus rem tranſegit cum Principibus Sacerdotum) & ſubdit S. Ambr. triſtes querelas; *Non bonus cibus, poſt quem negatur Dominus, poſt quem ingreditur inimicus.* Quid ais D. Ambroſi? Caro Chriſti non bonus cibus? divinus ille ſanguis, non bonus potus? Non bonus cibus, pergit, *poſt quem Chriſtus reſpuitur, devoratur Antichriſtus. Non bonus cibus, qui benedictione caret, maledictione completur.* Illa eſca nobis neceſſaria eſt, quæ vitam præſtat, quæ animam paſcit, poſt quam ſequitur Chriſtus, inimicus excluditur. Illam eſcam debemus accipere (id eſt, caro Chriſti talis debet eſſe cibus, ſanguis ejus talis potus) quam Salvator, non diabolus ſubſequatur, quæ perceptione ſui confeſſorem faciat, non proditorem.

§. 7. *Horribiles effectus ſacrilega communionis ex S. Amb.*

O ſacrilegi! diſcite à S. Ambr. quid fiat cum indigni acceditis ad SS. comunionem. Caro Chriſti vobis non eſt bonus cibus; Sanguis ejus non eſt bonus potus; illum indignè ſumendo negatis Jeſum, non illi, ſed diabolo aperitis portas cordis, ut ipſe, ille ſerpens, illa vipera, ille draco, ille bufo, loco Jeſu ingrediatur. Eheu! vulnera corporis Jeſu crucifixi, vobis non ſunt bonus cibus! ſu-

§. 8. *Acerrima invectiva in ſacrilegè communicantes.*

mendo reſpuitis Jeſum, conſpuitis illius faciem; imò non Jeſum, ſed diabolum devoratis. Arrigite aures, & percipite triſtia! horrenda! tremenda! S. Ambr. repeto verba; indignè communicando, non Jeſum, ſed diabolum devoratis! Caro Chriſti non eſt vobis bonus cibus, multò minus ſanguis bonus potus; veſtra communio caret benedictione, completur mille horrendis maledictionibus. Illa eſca vobis non vitam, ſed mortem præſtat. Illa eſca veſtras animas non paſcit, ſed occidit. Nam illa cœleſtis medicina vobis non eſt antidotum, ſed venenum. Eheu! in vos ſceleſta capita; cum hac eſca non ingreditur Chriſtus, ſed diabolus. Non eſtis confeſſores Chriſti, ſed proditores.

§. 9. *Sanguis Euchariſticus ſacrilegis non præſtat vitam ſed mortem.*

Dum conſiderarem allata paulò ante verba, cœleſtem potum, ſive ſanguinem Chriſti ſacrilegis non pręſtare vitam, ſed mortem: incidi in hiſtoriam, quam refert Jordan. ep. Ravennenſ. in l. de hiſtoria Geti; de Attila notiſſimo Gothor. Rege. Puellam Ildico nomine, decoram valde, ſibi in matrimonium aſſocians, in ejus nuptiis magna hilaritate perfuſus, vino ſomnoq; gravatus, jacebat reſupinus, ſed redundans ſanguis à calido vino generatus; dum conſuetis meatibus impeditur, itinere ferali, faucibus illapſus infelicem extinxit. Ita glorioſo per bella Regi temulentia pudendum exitum dedit. Calor copioſi ſanguinis illi fauces intercluſit. Ex SS. literis atq; ex dictis SS. PP. notum eſt, SS. Euchariſt. vocari nuptias Agni, vel cœnam magnam, vel Regium convivium. Has nuptias, cum communicamus, accedimus, ut uniamur cum Chriſto, ut deſponſemur cœleſti ſponſo animarum noſtrarum, & quidem ſponſo ſanguinis, id eſt, cum illo, qui ex infinito amore ſuum ſanguinem pro nobis effudit; Amantiſſimus ſponſus in ſignum amoris & deſiderii, quo fragrat, ut nobis uniatur, veluti in nuptiis, veluti in Regio convivio, vel in magna cœna, ſub ſpeciebus vini, nobis propinat ſuum ſanguinem; illum revera bibimus, illum inquam, qui in cruce pro nobis fuit effuſus. Benè illis, in quorum corda, per puras & mundas fauces, per mundos meatus in corda delapſus, in illis generat mille delicias, & vitã ſuppeditat. Cavete verò ſacrilegi, nam ſi fortaſſis fauces veſtræ ſint immundæ, ſi fortaſſis lateant putrida ulcera illorum ſcelerum, quæ ſiluiſtis quia dæmonium mutum, quia ſerpens mutus illas præcluſit, ſi fortè ad-

Digitized by Google

adhuc ſint madidæ à ſanguine Chriſti, quo ſacerdos in ſacrilega abſolutione, cui dediſtis cauſã, vos aſperſit; cavete, ne dum in ſacrilega communione illum augetis, per ferale iter mortis, animabus veſtris ſit cauſa mortis. Quod divinus ille ſanguis in Euchariſtia ſacrilegè ſumptus, non ſtatim redundet, quod non ſubito in infames fauces veſtras ſe effundat, quod non momento ad ipſum altare vos ſuffocet & extinguat; hoc infinitæ Chriſti bonitati debetis aſcribere, quę vos expectat ad ſeriam pœnitentiam. Interim verò mortem animarum veſtrarum incurritis; ſanguis Jeſu eſt vobis venenum. Implenturq; frequenter minæ Jerem. c. 51. v. 37. *Erit Babylon* [dicam ego cor ſacrilegè communicantis] *habitatio draconũ*, [dracones ſunt diſſimulata ſcelera in cõfeſſione] *inebriabũtur* [& quidẽ pretioſo ſanguine Jeſu crucif.] *ſed ſopiũtur, & dormiũt, & non conſurgũt, donec excitẽtur à repẽtina morte*; ſed eheu! nimis ſerò.

Affectuoſus eſt modus loquendi, quo uſus fuit D. Cyprian. ſer. de cœn. Dom. *Bibimus autem de ſanguine Chriſti; eo jubente vitæ æternæ cum ipſo participes. Chriſtus enim ſuâ clementiâ & ſanguine ſuo, ad ſocietatem vitæ æternæ nos reduxit.* Nobis itaq; ipſe Chriſtus [omnia verba habent emphaſin] pincerna porrexit hoc poculum. In nuptiis agni; ſponſus & ſimul pincerna eſt, & quidem vitæ æternæ. In regio convivio, Rex eſt, ſimul pincerna. In cœna magna Paterfamilias eſt, ſimul pincerna vitæ. In nuptiis verò diaboli, in cujus cõvivio & cœna, in ſacrilega comũnione, dicite ſacrilegi, quis veſter pincerna eſt? non alius, quam ille, qui SS. Euchariſtiã inſtituit. In calice ſuo potandũ vobis offert ſanguinẽ ſudoris ſanguinei; ſed pincerna mortis. Bibitis ſanguinem flagellationis & ſpineæ coronationis; ſed culpa veſtra bonus Jeſus qui bibendũ offert, pincerna eſt mortis! O ſceleſti! illum ſanguinem, quem pro vobis effudit in cruce, audetis bibere! cavete! recedite, niſi velitis ut veſter ſalvator ſit vobis pincerna mortis & æternæ damnatiõis.

§. 10. *Indignè communicantibus Jeſu in Euchariſtia, propinans ſuum ſanguinem, eſt pincerna mortis.*

In c. 19. S. Joan. ait S. Chryſ. *Quoties ad admirandum calicem acceſſeris, tanquam ab ipſo latere hauriens accedas.* S. Damaſc. in l de corp. Chriſti: *Elevatur in manibus ſacerdotis in crucem, & frangitur, & diſtribuitur, & in nobis ſepelitur.* Liturgia S. Jac. hæc habet *Taceant mortales, & ſtent cum metu & tremore, nihil terrenum cogitantes. Rex enim Regum Chriſtus Deus noſter exiſtit, ut mactetur, & detur in cibum fidelibus.* Verba illa Chriſti D. *Accipite, comedite, bibite*: Ita exponit S. Chryſ. quaſi diceret Chriſtus D. *Adhibete*

§. 11. *Fructus paſſionis, crucis, & mortis & ſanguinis Chriſti renovantur in ſumptione Euchariſtiæ.*

manus

ed by Google

manus veſtras cum S. Thoma, & mittite in latus meum, omnia mea membra tenete; quodcunque enim membrum ceperitis, in eo ſum totus. O felices animas, quæ cum memoria paſſionis Chriſti accedunt ad S. Synaxin; eja anima mea, ſubinde cogita te amplecti vulneratos pedes; in illis eſt totus Jeſus! ſubinde tibi ipſi perſuade, te reſidere ad vulnera manuum; ibi epulas invenies cœleſtes! ſubinde credas habitare te in benedicto corde Jeſu, cujus oſtium Longini lancea aperuit; O quas ibi delicias! quàm dulcia amoris fercula guſtabis! *In omni membro totus Chriſtus*; ait S. Thomas; in omni membro tota cœli eſt dulcedo; Et iterum S. Ambr. *Totus epulantium cibo cedit.* Piè S. Cyprian. de primo verbo à Chriſto in cruce prolato; putat illum non verbis ſolùm à Patre petiiſſe veniam pro ſuis inimicis; ſed etiam ſanguine, dum ait: *Chriſti ſanguis de cruce clamans, pacem loquitur & reconciliationem*; Quin idem ſanguis, quoniam à nobis bibitur, ſi modò dignè bibitur, clamat in corporibus noſtris verba pacifica. Addit D. Cæſar. Arelat. hom. 7. de paſſ. *Vides, quod qui de gratia Chriſti* [addo ego, de ejus ſanguine] *biberit, ſequitur eum Chriſti miſericordia.* Elegantiſſimè Paſchaſ. ep. ad Trudegardum: *Facit corpus & ſanguis, quod ipſum feciſſe Chriſtum in cruce legimus, dum uni eorum, qui erant cum eo in patibulo, confitenti paradiſi præſtitit regnum, Alteri verò blaſphemanti, judicium determinavit.*

§. 12. *Conglobatio gratiarum, quæ conferuntur dignè communicantibus.*

Omnium harum gratiarum fiunt participes illi fideles, qui dignè ad S. Synaxin accedunt; ex ipſo latere Chriſti divinum hauriunt ſanguinem; Chriſti D. corpus in illis ſepelitur; idem datur illis in cibum; adhibent manus, mittunt cum S. Thoma digitos in vulnera Jeſu; contrectant benedicta ejus membra, oſculantur pedes cum Maria Magd. incumbunt pectori cum S. Joanne; Quid ſtupetis ad contactum? quod liceat tangere membra Chriſti; Totus Jeſus epulantium cibo cedit. Chriſti D. ſanguis pro illis loquitur verba pacifica; ſequitur illos miſericordia. Facit denique Chriſtus D. in Euchariſtia, quod fecit in cruce, dando nobis paradiſum & vitam æternam.

§. 13. *Terribiles mina ſuper indignè*

Vos verò ſacrilegi! adeone eſtis impudentes, ut ex latere Chriſti velitis haurire ſanguinem, ſed fœtida, turpi, ſceleſtâ linguâ, quâ in confeſſione præcedenti occulta ſcelera diſſimulâſtis? illâ linguâ,

guâ, in quâ ſedet dæmonium mutum! quid hoc eſt aliud, quâm venenatis dentibus mordere cor & latus Jeſu. Cogitate, ſi cum cadaver Chriſti de cruce fuit depoſitum, cum triſtis mater latus filii exoſculata, lachrymis illud abluit; cum Magdalena exoſculata fuit vulneratos pedes, &c. Si tum aliquis irruiſſet canis, & caninis dentibus laceràſſet adhuc magis vulnera Chriſti: Quid hic obſtupeſcetis? quid ingemiſcitis? an quia crudelis eſt hæc atq; impia cogitatio? ſit crudelis, per me licet, ſit & impia: at vos! vos ô ſacrilegè communicantes; vos inquam tales eſtis canes rabie perciti; imò canibus illis pejores. Illi ſiquidem dilaniando corpus exanime Salvatoris non peccâſſent; at vos ratione præditi, vos inquam, dum Euchariſtiæ menſæ ſacrilegè accumbitis, idem præſtatis, ac ſi rabidis dentibus benedictum Jeſu corpus in mille partes diſcerperetis. Sunt præterea corda veſtra turpes cloacæ, & in illis audetis ſepelire corpus Jeſu! in illas effundere ejus ſanguinem? vosne adhibere ſacrilegas manus, ut illis contrectetis puriſſimi corporis membra? Non veniam, ſed vindictam contra vos clamat ille ſanguis: Hoc ſupereſt, ut tandem bonus Jeſus faciat, quod fecit in cruce; ut ſicuti à facie ſua atq; à latere abjecit alterum ſceleſtum latronem; ita ſuper vos fatalem fulminet ſententiam & in æternos præcipitet ignes. Idque certum eſt, reipſa fieri frequenter per ſubitaneam & improviſam mortem. *communicantes.*

Tali morte Anno 1624. in Hiſpania ſublatus fuit Nobilis Toledanus. Vitam hic vixit luxurioſam; non tamen immemor B. Virg. cui erat devotus. Hunc nocte intempeſtâ, ſancta quædam matrona vidit rapi ad tribunal Chriſti, audivitq; illum à dæmonibus accuſari de graviſſimis ſceleribus; & cùm jam jam juſtus judex damnationis vellet proferre ſententiam, interceſſit mater miſericordiæ V. Maria, reoq; adhuc obtinuit triginta dies vitæ; quibus, niſi ſeriò pœniteret; minatus fuit judex, improviſo transfigendum illi cor. Narravit hanc viſionem ſive ſomnium illa matrona alicui Patri è Soc. Jeſu, cui ille nobilis ſubinde fuerat confeſſus; hic rem totam comunicavit pœnitenti; qui territus tam horrendis minis, mox ſeriam peregit confeſſionem. Sed heu! quid non poteſt impia fœmina? ſcelerum ante ſocia ſive concubina, ſocium iterum in vias Veneris ſeduxit; rediit inſtar canis ad vomitum; §. 14. *Tragica hiſtoria.*

tum; monitus iterum à ſuo Confeſſario, memor eſſet habiti judicii, memor minarum, quas Chriſtus D. ipſe protuliſſet, ſed riſit monentem; adfuit nox diei trigeſimæ, in illa, ſubitò cum ingenti ejulatu exclamavit, configi, vulnerari, lacerari, diſcerpi ſibi cor; ſed ô juſta Dei judicia! inter hos dolores in ſupremo mortis periculo, nihil audire voluit de confeſſione; ſic expiravit. Et, quod auditu horribile eſt, eadem ſancta Matrona in illa nocte vidit Chriſtum D. in præſentia amantiſſimæ Matris, & Angelorum conſpectu, arreptâ lanceâ obdurati peccatoris cor configere. Eodem momento dæmones contaminatam illius animã, igneis alligatam funibus & catenis raptârunt ad tartara.

§. 15. Epilogus ſacrilegè confitentibus & communicantibus ſimiles minatur pœnas, niſi hoc Paſchali tempore reſipiſcant.

Ite impii! ite ſacrilegi! & ridete verba amici, qui per JESU Chriſti vulnera & ſanguinem, vos rogat, ut hoc Paſchali tempore ſalutis veſtræ memores, de ſeria confeſſione cogitetis; ite inquam & verba mea ridete atque contemnite. Sed hoc ſcitote, fortè brevi improviſa mors ad judicium vos citabit; fortaſſis brevi diabolus, de veſtris ſceleribus, præſertim ſacrilegis confeſſionibus, & communicationibus vos accuſabit; quod hactenus factum non ſit aſcribite interceſſioni Matris miſericordiæ; fortaſſis illa à Filio hoc Paſchale tempus adhuc impetravit; ut ſi velitis, poſſitis agere pœnitentiam. Et adhuc reluctamini? adhuc dæmonium mutum claudit fauces? Cavete, ne hæc ultima veſtra ſacrilega confeſſio & communio vertatur in lanceam, quâ iratus Jeſus corda veſtra transfiget. Cavete ne vertantur in clavos & ſpinas, quæ vos lancinabunt? Cavete ne vertantur in igneas catenas, quibus diaboli veſtras animas raptabunt in ignem æternum. O JESU Crucifixe! per transverberatum pectus, & cor tuum; tantum à nobis malum averte!

CONCIO XVIII.

DOMINICA PALMARUM.

Benedictus, qui venit in nomine Domini, Matth. 21. v. 9.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EXponitur gloria, pompa, excellentia glorioſiſſimi triumphi, quo Jeſus inſidens aſinæ ingreſſus fuit Jeroſolymam. Additur cauſa-

Digitized by Google

cauſa, ob quam ignominioſiſſimæ Chriſti paſſioni, & morti hoc triumpho prælusum fuerit.

§. 1. *Nucleus hodierni Evangelii.*
§. 2. *Ingreſſus Chriſti D. in Jeroſolymam fuit pacificus. Ideò omnes deſiderarunt videre vultum ejus.*
§. 3. *Premuntur illa verba,* ſedens ſuper aſinam.
§. 4. *Summam gloriam Jeſu fecerunt, amor populi, fides & admiratio cum honore.*
§. 5. *Proſecutio.*
§. 6. *Clandeſtina hoſtium Chriſti murmurationes non obfuerunt ejus gloriæ.*
§. 7. *Salomon in ſuo triumpho uſus fuit ferculo aureo, Jeſus aſino, ad majorem gloriam.*
§. 8. *Cur Saba non adoraverit Salomonem; & 3. Reges adoraverint parvulum de Bethleem.*
§. 9. *Pater cæleſtis voluit ſuum filium ante paſſionem extraordinario modo honorari.*
§. 10. *Honor exhibitus Agno in cœlo; Chriſto D. fuit exhibitus in hodierno triumpho.*
§. 11. *Alia cauſa, ob quam aſinæ inſedit, ut oſtenderet ſe fore fortunatum & victorem.*
§. 12. *Differentia inter Abſolonem, dum regnum affectavit, & Jeſum, dum hodie Rex Iſrael voluit declarari.*
§. 13. *Die paraſceves mirabilem videbimus rerum cataſtrophen.*
§. 14. *Epilogus.*

GLorioſiſſimus fuit triumphus, quo Chriſtus D. hodierna die paucis ante ſuam paſſionem diebus fuit ingreſſus Jeroſolymam. Illuſtris ingreſſus ob duodecim Apoſtolorum comitatum! *Aſcendens Jeſus, aſſumpſit duodecim ſecum.* Glorioſus ingreſſus! ob ingentem populi concurſum; *Et qui præibant & qui ſequebantur.* Illuſtris ingreſſus! ob univerſalem omnium turbarum applauſum, clamantium: *Hic eſt Jeſus Propheta.* Quærentium advenarum ex univerſa Judæa: Hicne eſt, qui nuper ſanavit cœcum natum? hicne eſt, qui ſanavit hæmoroſoiſſam, hicne eſt, qui ejecit dæmonium mutum? hicne eſt, qui nuper in deſerto paucis panibus pavit aliquot millia hominum? hicne eſt, qui ante paucos dies Lazarum quatriduanum à mortuis ſuſcitavit? hiccine, qui ſedet in aſino? omnino; hic eſt ille Jeſus! O glorioſum triumphum! alii de olivis, alii de cedris, alii de palmis præſciderunt ramos, quibus viam exornarunt; alii etiam ex primoribus ſtraverunt veſtimenta ſua ad parandam viam

§. 1. *Nucleus hodierni Evangelii.*

Domino. Glorioſus fuit hic Chriſti D. triumphus, ob publicas gratiarum actiones. Cœperunt omnes turbæ, gaudentes laudare Deum: *Benedictus, qui venit in nomine Domini.* Glorioſus denique fuit Chriſto D. ob timorem inimicis ſuis injectum, commota eſt civitas univerſa; imò Principes populi ab altiori vi coacti fuerunt, ut & ipſi Chriſto D. occurrerent obviam, &c. Hoc nimirum triumpho Chriſtus D voluit præludere ſuæ cruentæ paſſioni, ut intelligamus, quis ſit, qui tanta pro nobis exantlaturus eſt tormenta. Quod paulò prolixius hac vobis concione exponã. Attendite.

§. 2. *Ingreſſus Chriſti D. in Ieroſolymam fuit pacificus. Ideo omnes deſideraverunt videre vultum ejus.*

De Jeſu ingrediente Jeroſolymam eleganter dixit Auctor operis imperf. hom. 37. in Matth. *Dominus aſcendens ad Jeroſolymam, magnam gratiam pacis & concordiæ mundo univerſo quaſi in teſtamento reliquit.* Non ſedit in curru aureo, pretioſâ purpurâ fulgens; neq; aſcendit ſuper fervidum caballum diſcordiæ amatorem, & litis, qui de longè odorat bellum, & gaudet ad vocem tubæ, & cum viderit ſanguineam pugnam, dicit in corde ſuo: Bene eſt factum. Sed ſedet ſuper aſinam, tranquillitatis & pacis amicam. In hoc ſchemate! in tanto triumpho! Jeſus pecificus voluit ingredi regiam ſui regni Jeroſolymam, ut ſciamus, I. ejus regno annexam eſſe pacem & abundantiam tranquillitatis. Amorem ſimul, & tenerrimum affectum erga ſubditos. II Ut advertamus, illum ſingularem à Patre paratum honorem, debuiſſe mereri profundâ humilitate. Olim l 3. Reg. c. 10. v. 23. *Rex Salomon fuit magnificatus ſuper omnes Reges terræ, ut univerſa terra deſideraverit videre vultum Salomonis. Quod factum eſt,* inquit S. Matth. c. 21. v. 5. *ut adimpleretur quod dictum eſt per Prophetam, dicentem, dicite filiæ Sion, ecce Rex tuus venit tibi manſuetus.* Proinde, *turba multa,* Joan. 12. v. 12 *quæ venerat ad diem feſtum, cùm audiſſet, quia venit Jeſus Jeroſolymam* [omnes deſideraverunt videre vultum ejus, & cùm viderunt licet ſedentem in aſinâ] *acceperunt ramos palmarum, & proceſſerunt obviam ei, & clamabant, Oſanna; Benedictus, qui venit in nomine Domini.* Theophylactus: *Occurrerunt ei cum gloria, propter miraculum Lazari, majorem illi impendentes honorem, quàm homini puro debeatur. Non enim ultra ut Prophetam habebant illum. Quem enim Prophetarum ſic venerati ſunt olim unquam? ut adimpleretur, quod in Salomone fuerat præfiguratum. Mundi Meſſias, Rex Regum, ante ſuam paſſionem in glo-*

rioſiſſimo

rioſiſſimo triumpho debuit magnificari ſuper omnes Reges terræ. Ita ordinavit divina providentia, ut univerſa Jeroſolyma, licet plurimi Phariſæi & Judæi illum odiſſent, in hodierno tamen triumpho deſiderarent univerſi videre faciem ejus; cùm ſolenniter, cùm benedictionibus, tanquam Rex Jeroſolymam fuit ingreſſus.

Sed hoc eſt mirabile; *Sedens ſuper aſinam*! Quis Regum hodie, ſi cum duodecim piſcatoribus in aſino vellet ingredi aliquam regiam, ſine regio comitatu, ſine tubis & tympanis; quis inquam regum commovebit populum, ut occurrat obviam, ut ingredienti in aſino acclamet: *Vivat Rex*! Hæc nimirum eſt illa gloria, per quam ſolus Jeſus fuit magnificatus ſuper omnes reges terræ. Nullus hactenus Rex in hoc fuit ſimilis Jeſu meo, ob quam cauſam non ocioſè poſita eſt in citato meo themate vocula *Ecce*, quaſi diceret Propheta; huc veſtros oculos ad tale ſpectaculum, hinc intuemini Jeſu Regis humilitatem, ſedentis ſuper aſinam; ex altera verò parte videte concurſum populi, Ecce! Principes Sacerdotum accurrunt! ecce! confluunt Scribæ! Ecce! ſuas veſtes abjiciunt infra pedes aſinæ, cui inſidet Dominus. An non hoc eſt, magnificare Jeſum! Ecce illi afferunt ramos olivarum! ecce! illi elatas palmarum! ecce illi folia cedrorum! an non hoc eſt, magnificare Jeſum! ecce! qui præeunt; qui latera ſtipant, qui ſequuntur; innumerabilis multitudo populi, qui ex toto regno Iſraëlis ad regiam, ad diem feſtum confluxerat, omnes unâ voce clamant: *Benedictus, qui venit, &c.* An non hoc eſt magnificare Jeſum? cui Prophetarum, cui Regum hoc unquam contigit?

§. 3. Premuntur illa verba, Sedens ſuper aſinam.

Lib. 2. Offic. dixit Cicero: *Summa & perfecta gloria conſtat ex tribus his: ſi diligit multitudo: ſi fidem habet, ſi cum admiratione quadam honore nos dignos putat.* Illa itaq; alicujus Principis vel Regis ſumma eſt laus & gloria, quod talia faciat, quæ habeant virtutem commovendi ſubditos, ut erga illum amorem præſeferant affectum, ut credant judicentq; illum eſſe ſummo dignum honore, & opere ipſo, & modo quidem ſingulari, extraordinario & non conſueto, honorent & revereantur. Hac ratione ante ſuam paſſionem magnificari debuit Chriſtus D. Salvator noſter.

§. 4. Summam gloriam Ieſu fecerunt, amor populi, fides & admiratio cum honore

Apud pauciſſimos Judæos, præſertim ex primoribus erat vera fides de Chriſto; pauciſſimi crediderunt, ipſum eſſe verum Meſ-

§. 5. Proſecutio,

ſiam,& filium Dei. In hodierno triumpho occurrit populus, confluunt turbæ; clamant parvuli Hebræorum: *Oſanna! benedictus &c.* Quid tunc? Phariſæi ergo [Joan. 12,19.] dixerunt ad ſemetipſos: *Videtis, quia nihil proficimus: ecce mundus totus poſt eum abiit.* Oculis ſuis debuerunt cernere, totam multitudinem populi in Jeſum eſſe quàm optimè affectam. Audire debuerunt ſuis auribus, habere turbas fidem de Jeſu, eſſe Meſſiam, &c. eſſe filium Davidis, & proinde ſuum Regem. Euthym. hic: *Maximè ſuffocabat Judæos, perſuaſam eſſe turbam, quod Jeſus à Deo veniret.* Tandem tamen attracti exemplo multitudinis, ipſi Phariſæi, licet eſſent hoſtes Chriſti, egrediuntur ex urbe, ut Jeſum excipiant. Ecce: hoſtes Chriſti offerunt illi palmas! Ecce! Phariſæi abjiciunt veſtes! Ecce! Phariſæi tam glorioſis ſignis oſtendunt ſe habere fidem de Jeſu ſanctitate & divinitate! Ecce! Phariſæi ſunt affecti in Jeſum! Ecce! ipſi illi benedicunt! hæc ſcilicet fuit perfecta & ſumma Chriſti laus; ſummum teſtimonium ſuæ excellentiæ, à multitudine tota diligi, laudari, & cum admiratione quadam honorari. Ita ante paſſionem fuit magnificatus glorioſus Rex Salomon!

§. 6. Clandeſtina hoſtium Chriſti murmurationes non obfuerunt ejus gloria.

Verùm quis ſcit, an non aliqui in cordibus interius de hac gloria Chriſti fuerint indignati? quis ſcit, quot intus foverint blaſphemias? ſit ita; non nocuerunt gloriæ Chriſti; Ideo Plinius ita ſuum monuit Trajanum: *Huc aures, huc oculos intende. Ne reſpexeris clandeſtinas exiſtimationes, nulli magis, quàm audientibus inſidiantes ſuſurros. Melius omnibus quàm ſingulis creditur. Singuli enim decipere & decipi poſſunt; nemo omnes, neminem omnes fefellerunt.* Dicere voluit Plinius; magnam Regis eſſe gloriam, ſi laudetur & ametur à multitudine, licet privatos habeat hoſtes. Triumphat propterea hodie gloria Chriſti. Jeroſolyma univerſa illum agnoſcit filium David, videtis Phariſæi; ecce! quem quæritis ad necem; glorioſus urbem veſtram ingreditur. Quid hoc miraculi? Nunquid heri adhuc in veſtris conciliabulis conſultaſtis, quomodo poſſitis illum tollere è medio? cur inſidentem aſinæ adoratis? cur veſtes abjicitis? Nunquid heri dixiſtis, Joan. 11. v. 48. *Si dimittemus eum ſic, omnes credent in eum.* Videte! audite, omnes credunt. Nunquid heri, inter vos ſententia hæc lata fuit: *Expedit, ut unus homo moriatur*

pro

Digitized by Google

pro populo! Nunquid cogitatis illum interficere? Nunquid vocâſtis populi ſeductorem? cur maledictiones mutatis in benedictiones? cur ipſi, cum plebe, cum pueris clamatis: *Oſanna! Benedictus*! ſic Jeſus ante ſuam paſſionem à ſuis hoſtibus debuit magnificari.

Sed quis ignorat Salomonem [qui figura fuiſſe dicitur magnificentiæ Chriſti] in triumphali ingreſſu ad celebrandas nuptias cum filia Pharaonis, uſum fuiſſe curru, de quo ait c. 3. Cant. v. 9. *Ferculum ſibi fecit Rex Salomon de lignis Libani; columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum, media charitate conſtravit*. LXX. *Intimum ejus lapidibus conſtratum*. S. Ambroſ. Theodoret. &c. legunt: *Gemmis & lapidibus pretioſis variatum*. De ſponſi purpura & triumphali ſive nuptiali ſerto ait eod. c. v. 11. *Egredimini filiæ Sion, &c.* Quàm alia cerno in meo Jeſu; in hodierno triumpho. Pro curru, pro regali equo diſcipuli adduxerunt aſinam & pullum, & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua, & eum deſuper ſedere fecerunt. Sed ubi purpura? ubi diadema? ubi gemmæ? & nihilominus tota ad ſpectaculum, ad plauſum, ad pompam, ad laudes, ad encomia effunditur Jeroſolyma: Hujus rei cauſam inquiro; & puto me reperire

§. 1. *Salomon in ſuo triumpho uſus fuit ferculo aureo, Ieſus aſino ad majorem gloriam.*

Lib. 3. Reg. c. 10. v. 4. *Videns Regina Saba omnem ſapientiam Salomonis, & domum, quam ædificaverat, & cibos menſæ ejus &c. non habebat ultra ſpiritum, dixitque ad Regem, verus eſt ſermo, quem audivi.* Hoc ſolum fecit Regina Saba; non addit S. textus, quod laudaverit Regium palatium vel menſam. Vel quod corruerit coram Salomone, ipſumque adoraverit: Longè aliter Magi, venientes ex Oriente, egerunt, nam Matth. 2. v. 11. *Intrantes domum, invenerunt puerum & Mariam matrem ejus, & procidentes adoraverunt eum, & apertis theſauris ſuis, obtulerunt ei aurum &c.* Ut vident puerum, quamprimum procidunt & adorant. Et cur Saba in tantùm admirata pompam Salomonis, ut pene deficeret, non tamen ante illum procidit, cur non adoravit? Magi verò, cur videntes puerum in ſumma jacentem penuria adorant? cur coram illo procidunt? Cur Salomō ſolam à Saba extorſit admirationē, & parvulus ſimul adorationē. Salomō ſedit in eburneo throno, indutus purpura &c. Jeſus; parvulus, nudus, pauper jacuit in præſepio & ſinu matris! Elegan-

§. 8. *Cur Saba non adoraverit Salomonem Et tres Reges adoraverint parvulum de Bethleem.*

Digitized by Google

Elegantiſſimè S. Aug. ſer. 6. de Epiph. *Non ſub poplite ſella regalis, non de membris purpura, non de capite diadema fulgebat, non pompa famulantium, non terror exercitus, non glorioſorum fama præliorum, hos ad eum viros ex remotis terris, tanto voto ſupplicationis attraxit; Jacebat in præſepi puer ortu recens, exiguus corpore contemptibilis paupertate.* [Cur ergo humiliantur Reges, &c.] Sed magnum aliquid latebat in parvo, quod illi homines primitiæ gentium, cœlo narrante didicerant, & quod intuendo non videbant, promereri adorando cupiebant. Magnum quid fuit abſconditum in Parvo!

§. 8. Pater cœleſtis voluit ſuum filium ante paſſionem extraordinario modo honorari.

An adhuc quæritis & miramini? ſedenti in aſino cur tantus exhibetur honor? cur occurrit Jeroſolyma? cur Principes? cur præſcindunt ramos? ſi Rex eſt, ubi Regia Majeſtas? Si Rex eſt, ubi paludimentum Regium, quod ab humeris regalibus defluat, aut purpura? Si Rex eſt, ubi ſceptrum Regium? Si Rex eſt, ubi cætera Regum inſignia? Uutut ſit! ut hæc omnia deſiderentur, Rex tamen eſt Jeſus noſter, hodiernâ die triumphum agens ſupra omnes Regum Cæſarumque triumphos celeberrimum! Illa nimirum Regia & Divina Majeſtas, licet occulta omnium in ſe rapuit oculos & animos. Ex pulcherrimis oculis gloriæ ſuæ evibravis radios, ex quibus turbæ agnoverunt; magnum aliquod in illo eſſe abſconditum. Sedentem in aſino agnoverunt, Regem, Meſſiam, Filium Dei. Quem poſt dies quinq; in urbem ducent veluti latronem; quem ut reum mortis accuſabunt coram Pilato, quem flagellabunt, quem ſpinis coronabunt, quem deniq; cruci affigent; illum prius hodie proclamant ſuum Regem; illum hodie magnificant ſupra omnes Reges; illum hodie licet aſino videant inſidentem; nihilominus Deum agnoſcunt; Sed quæ vis illos ad hoc coëgit? ab alto venit illa virtus; Voluit cœleſtis pater ſuum filium, antequam caperetur, ut latro, &c. extraordinario & admirabili honore, inaudito triumpho, à ſuis hoſtibus & adverſariis honorari & magnificari.

§. 10. Honor exhibitus agno in cœlo Chriſto D fuit exhibitus in

Ante paſſionem fieri debuit in terris, quod deinde S. Joannes vidit contigiſſe in cœlis, Apocal. c. 4. v. 11. Vidit throno Agni aſtare 24. Seniores, pulcherrimis redimitos coronis, ſed illas de capite detractas abjecerunt ante thronum, dicentes ad agnum: *Dignus es Domine Deus noſter, accipere gloriam & honorem.* Quis non miretur?

Digitized by Google

miretur? ad pedes agni abjici coronas? & agnum ita laudari? ſed cur miramur? cum ille agnus ſit filius Dei, qui veluti agnus immolatus fuit in ara crucis, & ideo tollit peccata mundi. Verùm ante immolationem, benedictus ille agnus hodie, id eſt ſex diebus ante paſſionem, quo agni Paſchales in urbem induci ſolebant, ſolenni pompâ ipſe quoque ingredi voluit. Currite Phariſæi, abjicite veſtra veſtimenta coram hoc agno: *Dignus eſt accipere gloriam & honorem.* Currite, afferte ramos palmarum! Dignus eſt! præcurrite, dicite filiæ Sion: *Ecce, Rex tuus venit tibi manſuetus.* Dignus eſt! Comitamini, ſequimini; & vos pueri Hebræorum aſſociate vos turbis, una omnes dicite: *Benedictus, &c.* Dignus eſt, antequam die Paraſceves à vobis mactetur & immoletur in ara crucis, antequam ſanguinem effundat; Dignus eſt, ut in hodierno triumpho à vobis accipiat honorem, gloriam & benedictionem. Victor ad c. 4. Apoc. *Alii præciſis arborum ramis palmarum viam ſternebant; ita palmas victoriarum, victori omnium Chriſto ſub pedibus ponebant.* Quia dignus fuit. *Alii,* Matth. 21, 8. *plurima turba ſtraverunt veſtimenta ſua in via.* Euthym. *Id eſt, excellenti modo illum honoraverunt.* Orig. ſ. 39 ſiq. *Ne terram calcaret filius Dei in Hieroſolymis, diligentes eum, ſtraverunt veſtimenta ſua nec aſellum, qui portabat eum, volebant terram calcare.* Nam & modico ante tempore, cùm Lazarum ſuſcitâſſet, magnam apud eos reverentiam acquiſivit. De tunicâ, quâ Jonathas ſe exuit, Davidem induit, dixit Fortunatus: *Prima hæc fuit arrha & pignus amoris.* Gratulor Jeſu meo, quando video, plurimas turbas, & ipſos Phariſæos exuere ſe ſuis veſtimentis, eaque abjicere ſub pedibus aſinæ, cui inſidet Jeſus; agnoſco ego tales veſtes eſſe pignus amoris, eſſe ſignum, quod omnes Jeſum, quia Regem illum agnoſcunt, etiam ament. Et digniſſimus eſt, qui ametur!

hod. triumpho.

§. II.

Alia cauſa, ob quam aſinæ inſedit, ut oſtenderet ſe fore Fortunatum & victorem.

Sed miror iterum, qualis ingreſſus Chriſti? in triumpho? in Jeroſolymam? dum appropinquat, in monte Oliveti, vicino urbi colle, conſcendit aſinum. Principem fortaſſis hodie inveniemus, qui per urbem pedibus volet incedere; ſed quis inveniet aliquem, qui aſino velit inſidere? ſolus humillimus Jeſus id fecit, ſed ad majorem gloriam, & pompam & ſignum futuræ felicitatis; Plutarchus in vita Antonii, de Cæſare Octaviano, qui cum ingenti

claſſe venerat in portum, hæc refert: *Cæſari memorant in tenebris adhuc, cum egreſſus tabernaculo eſſet, in orbem circumeunti ad luſtrandam claſſem, hominem quendam, qui agebat aſinum, occurriſſe. Nomen quærenti, cùm non cognoſceret, reſpondiſſe hominem; Fortunati mihi nomen eſt, aſino victoris.* Docuit eventus, feliciſſimum hoc fuiſſe omen Octaviano, qui deinde fuit fortunatiſſimus & victorioſiſſimus Imperator. Fortunatior longè & victorioſior poſt paucos dies erit Rex Regum Chriſtus Jeſus. Occidetur, ſed vincet. Morietur, ſed mors ejus toti mundo erit fortunatiſſima. Eja Jeroſolyma in hodierno triumpho, licet aſino inſideat, occurre victori! eja, palmas date victori! eja, veſtimenta ſubſternite victori. Sic magnificari debet, antequam pugnam cum hoſtibus aggrediatur.

§. 12. *Differentia inter Abſolonem, dum regnum affectavit, & Jeſum, hodie dum Rex Iſrael voluit declarari.*

De Abſolone affectante regnum ait l. 2. Reg. c. 15. v. 1. *Fecit ſibi Abſolon currus & equites, & quinquanta viros, qui præcedebant eum.* Aliter CHRISTUS JESUS hodie procedit Jeroſolymam verſus, ut proclametur Rex Judæorum. Inſidens aſinæ, & ita [Sedulius libr. 1. Paſch. cap. 20.] *Dominus JESUS, ſæcularis ambitus caduca contemnens Dominum ſe ſe celſiſſimum magis humilitate monſtraret; non altis curribus, quibus pompa mortalis amor oſtenditur;* magnâ celeritate ſubvectus, iter explicuit pulvereum; nec ardua frementis equi terga compreſſit, ſed viliſſimi lento potius aſello geſtamini fuit honos ille ſufficiens. Et ſedenti in aſino occurrit Jeroſolyma? humili, ſed altiſſimo Regi! Et ſedenti in aſino ſubſternunt veſtimenta? & offerunt palmas? humili, manſueto, celſiſſimo Principi. Abſolon in curribus & equis quæſivit regnum immortale, ideo periit; Chriſtus D. ad regnum immortale, & ad nobiliſſimam victoriam contra potentiſſimos hoſtes pergit in aſino; & vincet! triumphabit! Dicamus cum Drepano Floro:

Victrices Chriſti vigeant per ſæcula palmæ,
Quas illi exultans turba canora dedit.
Paciferos ſcindens oleæ de vertice ramos,
Atque ſacram ſternens veſte nitente viam.
Quò Dominum portans manſuetæ pullus aſellæ,
Poneret innocuos molliter ille pedes.

Verbo, glorioſiſſimus fuit hic Chriſti D. triumphus.

Verùm

§. 13. *Die Paraſceves mirabilem videbimus rerum cataſtrophen.*

Verùm ô inconſtantiam hujus mundi! hodierna exterior Chriſti gloria evaneſcet poſt paucos dies. Turbæ hodie clamantes & ſalutantes illum Regem, poſt triduum dicent in aulâ Pilati: *Non habemus Regem, niſi Cæſarem*, Joan. 10. v. 15. D. Cyr. Alexandr. l. 12. in Joan. 19. *Ipſi autem, quanquam aſina pullo inſidentem Jeſum publicè in Jeroſolyma, cum infantibus divinis honorant laudibus, Benedictus, clamantes; qui venit in nomine Domini, reſilient tamen - die Paraſceves - Principatum Romanorum amplexi; & jugum regni Dei ejicient*. Hodie à populo, & à ſimplicioribus, ut Deus, Chriſtus laudatur; die verò Paraſceves conſilio & clamore Pontificum regnum Dei excutient. Qualis erit cataſtrophe? de qua S. Bern. ſer. 2. de ramis: *O quàm diſſimiles voces! quas hodie audimus: Oſanna, Benedictus, &c. & quas audiemus: tolle, tolle, crucifige! O quàm diſſimiles clamores! Rex Iſrael, & non habemus Regem. Quàm diſſimiles! rami virentes & ſpinæ; palma & crux.* S. Anſelmus ſer. de paſſ. *O quam diſſimilis erit proceſſio diei Veneris, ab ea, qua hodie cum palmarum ramis fuit ſuſceptus in urbem! Hodie ut Rex honorificè, & cum laudibus eſt honoratus; die Veneris ut latro iniquiſſimus cum contumelia ejicietur. Hodie dignus imperio judicatur; poſt paucos dies morte turpiſſimâ condemnabitur. Hodie via, per quam inceſſit ad ſui gloriam, veſtimentis & virentibus ramis fuit inſtrata; tum ad confuſionis ignominiam nudabitur, & aridi ligni patibulo ſuffixus morietur.* Sed nolo modo his myſteriis velut undis Oceani profundiſſimi me immergere.

§. 14. *Epilogus.*

Hoc tantùm moneo meos Auditores; ut in meditatione paſſionis nunquam hujus obliviſcantur circumſtantiæ. Chriſtus, qui patitur, eſt filius Dei, flagellatur, ſed eſt filius Dei. Hoc ante ſuam paſſionem nobis Chriſtus D. glorioſiſſimo hodierno triumpho voluit demonſtrare. Sit illi proinde etiam ad columnam honor & gloria, ſit illi honor & gloria in coronatione ſpineâ; ſit benedictus, dum ſtat ante præſidem judicandus; benedictus, dum trabale crucis lignum effert in montem Calvariæ; benedictus, dum veſtibus exuitur, dum in crucem proſternitur, dum clavis in illam ſuffigitur; benedictus, dum pendet latronis inſtar in crucis patibulo; benedictus, dum maledicitur, benedictus, dum moritur!

CONCIO XIX.

DE PASSIONE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI,

De ſeptem verbis in cruce ab illo prolatis.

Pater dimitte illis, non enim ſciunt, quid faciunt,

Lucæ 23. verſ. 34.

SYNOPSIS CONCIONIS.

COntinet ſeptem puncta. Primum agit de primo verbo; & ita deinceps.

§. 1. *Introitus in Concionem de ſeptem verbis Domini.*

§. 2. *Oratiuncula hæc arguit ſupereminentem charitatem Chriſti D. erga peccatores.*

§. 3. *Nam licet Phariſæi ſub cruce illum blaſphemarent; ipſe pro illis oravit.*

§. 4. *Examinantur circumſtantiæ hujus oratiunculæ.*

§. 5. *Explicatur prima vocula* Pater.

§. 6. *Explicatur vocula* Illis!

§. 7. *Quid Chriſtus D. petiit à Patre, & quo fructu.*

§. 8. *Aliqua documenta.*

§. 9. *Maria quoq; ſtans juxta crucem, cum filio oravit pro crucifixoribus.*

§. 10. *Ingreſſus in expoſitionem verbi ſecundi.*

§. 11. *Variæ cauſæ tenebrarum ſub crucifixione. Inter has tenebras converſus fuit bonus latro.*

§. 12. *Bonus latro defendit Chriſtum D. contra varias blaſphemias.*

§. 13. *Proſecutio.*

§. 14. *Sed cur hic illum defendit non alter latro?*

§. 15. *Quàm eximia fuerit fides boni latronis; & qualis ejusdem oratio.*

§. 16. *Chriſtus D. de cruce latroni promittit paradiſum.*

§. 17. *Converſio latronis adſcribitur etiam B. Virgini.*

§. 18. *Ingreſſus in expoſitionem verbi tertii.*

§. 19. *Ad majus tormentum fuit*

Chriſto

Chriſto D. ſibi ſub cruce aſſiſtere matrem.
§. 20. Stetit Maria ſub cruce, non corruit.
§. 21. Quibus oculis Chriſtus D. de cruce aſpexerit matrem.
§. 22. Ecce Filius tuus!
§. 23. Ecce mater tua!
§. 24. Valedictio Mariæ ad morientem filium Jeſum.
§. 25. De ſiti Chriſti D. in cruce.
§. 26. Proſecutio.
§. 27. Cur conqueſtus fuerit de hac ſiti.
§ 28. Ejus cauſæ naturales.
§. 29. Quantum tormentum fuerit illa ſitis.
§. 30. Varii affectus compaſſionis erga Jeſum ſitientem.
§. 31. Judæi potaverunt illum aceto.
§. 32. Ingreſſus ad expoſitionem verbi quinti. Jeſus in cruce ſitivit animas noſtras.
§. 33. Ingreſſus ad expoſitionem verbi quinti.
§. 34. Qua ratione filius à patre fuerit derelictus.
§. 35. Proſecutio.
§. 36. Alius ſenſus hujus derelictionis.
§. 37. Alius.
§. 38. Digreſſio ad B. Virginem.
§. 39. De ſexto verbo.
§. 40. Varia ejus expoſitio.
§. 41. Vita Chriſti fuit peregrinatio, prælium, ſacrificium, &c. Omnia ſunt conſummata.
§. 42. In ultimo verbo tria præcipuè ſunt conſideranda. I. Clamor.
§. 43. Proſecutio.
§. 44. Inclinatio capitis.
§. 45. Emiſſio ſpiritus: cum ingenti matris & omnium creaturarum dolore.
§. 46. Affectuoſus Epilogus.

§. 1. Introitus in concionem de ſeptem verbis Domini.

PEriti & eruditi Rhetores, cum orationem aliquam vel legunt, vel audiunt, cum curâ obſervant finem & epilogum, an vehemens ſit, efficax & affectuoſus. Tota vita Salvatoris noſtri Jeſu, ſive verba, ſive facta & eximias virtutes ſpectemus, continua fuit concio. Epilogus fuit ſanctiſſima ejus mors in ligno crucis! Epilogus planè efficax! Si facta ſpectemus. Sanctiſſima crux fuit theatrum, in quo epilogum vitæ ſuæ pulcherrimarum virtutum exercitio coronavit. Si verba conſideremus; ſanctiſſima crux fuit cathedra, de qua ſeptem verbis peroravit, breviter & efficaciſſimè, nam multa in cruce non fuit locutus: vel quia dolorum vis & vehementia, præcipuè linguæ ſiccitas in tanta ſiti non permiſit; vel, ut plus temporis impenderet oratio-

ni, vel ut illa pauca verba extremùm prolata, facilius & profundius memoriæ noſtræ imprimeret. Pauca verba, ſed quæ portis inferni & diabolo fuerunt ſeptem tonitrua, quæ S. Joannes audivit Apoc. 10. v. 4. vel ſeptem tubæ, quarum clangore Jerichontis mœnia ſunt dejecta, Joſ. 6. v. 20. Prout hæ voces exhilarant bonos, ſunt ſeptem lampades, vel ſeptem ſtellæ, Apoc. 1. v. 16. quas moriens Chriſtus pro ſolatio ſuorum, & veluti duces ad vitam ſtatuit, & accendit in candelabro ſanctiſſimæ crucis. Septem illa verba comprehenderunt Majores noſtri, quæ Chriſtus in cruce protulit, devotiſſima illa cantione: Da Jeſus &c. quoties illam audio ad devotionem me movet illa potiſſimum clauſula, Wer Jeſu Marter, &c. Itaque hac concione Deo dante illa ſeptem verba vobis explicabo.

Punctum I.

DE PRIMO VERBO, à CHRISTO D. IN CRUCE PROLATO.

Pater! ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt. v. 34.

§. 2. Oratiuncula hæc arguit ſupereminentem charitatem Chriſti D. erga peccatores.

EX hac Chriſti oratiuncula imprimis advertite immenſum & infinitum Chriſti amorem erga peccatores; vel ut S. Paulus loquitur ad Epheſios c. 3. v. 19. *ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti.* Nam etſi graviſſima eſſent tormenta, quæ in cruce Chriſtus patiebatur in manibus & pedibus ob immanes clavos, ob ruptos nervos, ob pondus corporis, quod vulnera ampliabat, cum terribili cruciatu, in toto corpore, ob immanem ejusdem extenſionem, ob innumera vulnera, in capite ob ſpineam coronam, in facie ob tot inflictas alapas, in humeris ob illa vulnera, quæ pondus crucis impreſſerat, in lingua ob ſitim, nihilominus pro inimicis ſuis oravit.

§. 3. Nam licet Phariſæi ſub cruce illum blaſphemarent, ipſe pro illis oravit.

Advertite ſupereminentem Chriſti charitatem! homines barbaros legimus hoſtium necibus ingemuiſſe; cum Julio Cæſari afferetur ſanguineum caput Pompeji Magni, hoſtis ſui acerrimi, palam in lachrymas erupit. Sed rabies Judæorum irritata fuit acrius; libenter magis afflixiſſent: quocirca cum in cruce pendentem amplius torquere non poſſent manibus, flagellis ac ſpinis,

nis, fecerunt id linguis, conviciis, maledictis, ſubſannationibus, blaſphemiis. S. Leo ſer. 10. de paſſ. *Fixuris clavorum addendo tela linguarum.* Pſ. 68. v. 27. *Super dolorem vulnerum addiderunt, &c.* Quas injurias Chriſtus magis ſenſit, quam tormenta, quia maledicta in calamitoſum conjecta, ipſa calamitate & morte ſunt acerbiora. Afflicto ab hoſti major afflictio infligi non poteſt, quam ſi in calamitate ab hoſte exultante derideatur. Hoc fecerunt Principes, Scribæ, Phariſæi, &c. Sed advertite, inquam, ſupereminentem Chriſti charitatem; nam etſi hoſtes hæc fecerunt, ipſe tamen omnium injuriarum oblitus, in his tormentis pro hoſtibus ad Patrem clamat: *Pater ignoſce.* In textu Evangelii hæ voculæ præcedunt: *Jeſus autem dicebat*, ac ſi diceret Evangeliſta; Illi Dominum crucifigebant, ille autem pro illis oravit; iſti irridebant, ille condolebat; iſti odio perſequebantur, ille amabat; iſti dividebant inter ſe veſtimenta, ille cor ſuum illis & ſanguinem offerebat; iſti blaſphemabant, ille orabat; iſti meditabantur furorem, ille autem amorem; iſti mortem machinabantur, ille autem vitam rependebat. O ſtudia prorſus contraria! ſic ludit contra Deum mundus! ſic contra mundum ſeſe vindicat, in cruce pendens Deus, cum hæc & talia videret audiretq; ille pro illis clamavit ad Patrem, & dicebat: id eſt, Chriſtus Dominus ob amoris vehementiam, hanc oratiunculam, *Pater ignoſce illis,* brevem quidem, ſed efficacem protulit; verba paucula, ſed ardentia! eruperunt veluti flammæ ex pectore, veluti æſtuante fornace! non ſemel ſed multoties, & cum clamore valido amplius! cum lachrymis, amplius! cum voce & clamore ſanguinis ſui veniam à Patre hoſtibus petiit. Sanctus Anshelmus ſermone de Paſſione. *O verbum magnæ patientiæ! magnæ dulcedinis! magni amoris & indicibilis charitatis! ecce enim non ſuam attendit injuriam, non pœnam reputat, non ſentit contumelias, non obliviſcitur miſereri, ſed ipſis potius à quibus patitur, compatitur, à quibus vulneratur, ille medetur, vitam procurat, à quibus occiditur, orat pro eis, & non petit ultionem.*

Quis orat? Filius DEI, ad quem? ad Patrem. Ubi? in arbore crucis. Quando? jam moriturus. Quomodo? expaſſis *§. 4. Examinantur cir-*

bra-

cum ſtantia hujus oratiuncula. brachiis, elevatis manibus: Pro quibus? peccatoribus Quid? veniam graviſſimi ſceleris! Quo fervore? non ore tantum, ſed ſanguine & lachrymis; & ita variis linguis Chriſtus D. hoc petiit. Spinæ clamarunt: *Ignoſce*. Clavi clamârunt: *Ignoſce*. Vulnera manuum clamârunt *Ignoſce*, vulnera pedum clamârunt *Ignoſce*; profuſus ſanguis clamavit *Ignoſce*. Hoc clamavit facies Jeſu benedicta! Hoc clamarunt oculi jam velut in mortis confinio natitantes; hoc clamarunt aures tot jam blaſphemis vocibus vulneratæ, hoc clamarunt genæ atque maxillæ, tot colaphis oneratæ; hoc clamârunt labia jam jam aceto felleque potanda; hoc clamârunt humeri flagris undique cruentè diſcerpti; denique hoc verbulum *Ignoſce* omnia crucifixi Jeſu membra, ipſum autē præ reliquis dulciſſimū cor, & cum corde omnes venæ atque arteriæ clamarunt: *Ignoſce, Ignoſce*! Per hanc oratiunculam Chriſtus Dominus in cruce implevit figuram Moyſis Exodi 32. v. 31. populus cogitabat illum lapidare, ille autem in monte tam ardenter pro populo orabat, ut diceret: *Aut dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro vitæ*. Per hanc orationem implevit figuram Davidis; Abſolon cogitabat patrem ejicere ex regno, ille autem David cum lachrymis dicebat: *Abſolon fili mi quis mihi dabit, &c.* Per hanc orationem Prophetiam implevit Iſaiæ; Synagoga cogitabat, quomodo illum occideret, ille autem pro *transgreſſoribus orabat*, Iſ. 53. v. 12. Sic denique implevit doctrinam ſuam, quâ juſſerat: *Diligite inimicos veſtros, benefacite illis, qui oderunt vos*. quod docuit fecit. S. Cyprian. ſer. de paſſ. *Ita de impietate & malitia Judaeorum ſuavitas pietasque Chriſti triumphavit*!

§. 5 Explicatur hac vocula Pater. Omnes voculæ hujus primi verbi ſunt plenæ amore & affectibus. *Pater*! patrem appellat, quia ſciebat, opus eſſe benignitate patris, non ſeveritate judicis, ad placandum Deum iratum ob tam atrox ſcelus *Pater*. quaſi diceret: O Deus, propter ſuavitatem & dulcedinem hujus nominis audi illum, qui eſt filius tuus, & filius obediens, filius innocens, filius, qui te patrem amat, & quem tu amas ut filium: audi filium, qui tuo amori innocens in cruce moritur: *Pater* non gratis peto, ut ignoſcas; ego ſatisfaciam, ecce pretium dabo: ecce lutrum, &c. rem peto magnam! veniam

am de illata morte Filio Dei! ſed petit, qui illam ſuſtinet, &c. Secúdo. *Pater*! illi, pro quibus rogo, ſunt filii rebelles, inobedientes, indigni, quibus parcas, vel quos oculis miſericordiæ tuæ reſpicias, ah Pater! ego ſum filius obediens, me; in meam faciem, in faciem Filii tui reſpice, me reſpice, qui pro illis morior! Tertio. O *Pater*! audi non vocem illorum, qui clamant, ut ſanguis meus ſit ſuper eos, & ſuper poſteros, in vindictam; me audi; mei ſanguinis audi vocem & clamorem, qui veniam & miſericordiã clamat. Quartò. *Pater*! ipſi non merentur, ut eos audias, merentur iram, merentur infernum, ſed mea mors, mors Filii tui meretur, ut à Patre exaudiatur, Quintò. *Pater*! non aliâ ratione magis te Patrem, & dulciſſimum Patrem miſericordiarũ oſtendas, quàm ſi meis Crucifixoribus parcas Sextò. *Pater*! quò major horum eſt iniquitas, eò major erit tua bonitas. Septimò. *Pater*! quia es Pater miſericordiarum, es quoq; Pater & Deus conſolationis. 2. Cor. 1. v. 3. O *Pater*! in his tormentis ego tuus filius unã peto conſolationem; O *Pater*! in cruce ſaltem, in hac ſiti N.N. [hoc peto ſaltem ſolatium! Pſ 68. v. 21.] *Et ſuſtinui*, [in mea agonia NN.] *qui ſimul contriſtaretur, & non fuit, qui conſolaretur, & non inveni.* Video Matrem! eheu, auget dolores, ad te *Pater* confugio, ſolatium peto, ô *Pater* interiùs ſimul & exterius ſum omni deſtitutus ſolatio! hoc à te peto! *Ignoſce*! non peto, ut tranſeat hic calix, non ut aliquis ſolvat hos clavos, non ut mater eruat has ſpinas ex capite, non ut Veronica ſtrophiolo detergat hunc ſanguinem, has lachrymas, hæc ſputa, hunc mortualem ſudorem, non ut Joannes oculos claudat, non peto hoc ſolatium, ut Magdalena ungat, tergat pedes meos; non aliud peto, niſi hoc, *Pater ignoſce illis*.

O mi Jesu! *Illis?* Illi ſunt qui te in horto cœperunt, illi ſunt Annas, Caiphas, Pilatus iniquiſſimi Judices! O mi Jeſu aperi ſanguineos oculos, illi qui adſtant, pro quibus oras, ſunt qui te flagellârunt, qui te ſpinis coronârunt. Ecce illi! hi hi ſunt, qui te crucifixerunt! illi, illi Principes Sacerdotum, ille ingratus populus, qui clamavit, *tolle*, &c. Fruſtra hæc ego dico, no- §. 6. *Explicatur vocula illis.*

Digitized by Google

vit illos Jeſus; vos diſcite ſupereminentem charitatem, pro illis ipſis orat, pro illis clamat ad Patrem. S. Auguſtinus infra citatus: *Non enim attendebat, quod ab ipſis moriebatur, ſed quia pro ipſis moriebatur.* Sed quid Judæis tantum iraſcimur? & nos fuimus in numero illorum, quia & nos, ego, tu, vos, omnes fuimus cauſa paſſionis. Vidit tum Dominus vos, qui modo illum ſuperbiæ ſpinis coronatis; vidit tum, cum hæc diceret, Dominus vos, qui flagellis luxuriæ flagellatis. Vidit tum vos, qui illum in faciem conſpuitis, jurando, pejerando, blaſphemando: Vidit & vos, qui illius veſtimenta diripitis, hoc eſt, qui alienæ famæ detrahitis! Vidit & vos, qui cum Diſcipulis turpem fugam corripuiſtis, hoc eſt, quibus nec animus nec amor eſt aliquid cum & pro Chriſto patiendi; denique & vos vidit, qui movetis capita veſtra, & dicitis: *Vah, qui deſtruis, &c.* hoc eſt, qui ludibrio habetis juſti, ejusque probitatem & ſimplicitatem deridetis! Vidit, inquam, vos omnes Salvator, nihilominus pro vobis ſuas quoque preces cum lachrymis effudit, & quod vos Tartarus non ſtatim abſorbeat, tum obtinuit. Supereminens fuit ejus charitas! Gaudeant amici & devoti paſſioni, ſi in cruce ita oravit pro ſuis inimicis, pro ſuis quomodo orabit in cœlis! ah animæ piæ, hac quadrageſimâ eſtote devotæ paſſioni, quoties myſterii alicujus vos ſubit memoria, pro vobis orat, quoties vos ex imo corde pia funditis ſuſpiria; toties pro vobis orat Jeſus! cum dicitis: Jeſu, per ſanguineam flagellationem tuam miſerere mei! ille orat! cùm amicos oculos defigetis in unam paſſionis ejus effigiem, ille orat! cùm ſalutatis quina ejus vulnera, ille orat! cùm honori ejus amorique eleemoſynam pauperi confertis, ille orat! Verbo dicam, ille pro nobis in cœlo orare non deſiſtit, cum nos non deſiſtimus illum amare in mundo, præſertim, cùm amariſſimæ ejus paſſionis ſimus memores.

§. 7 *Quid Chriſtus D. hoc verbo petierit à Patre, & quo fructu.*

Hoc autem petit, ut Pater tam atrox crimen illis ignoſcat, O denuò ſupereminentem charitatem! O diſcrimen inter Chriſtum & alios viros alioquin eximios! Impius Cham aſpexit nudum patrem, quod cum relatum fuit patri, iratus dixit: *Maledictus erit Chanaan, ſervus ſervorum erit fratribus ſuis.* Judæi nudârunt Chriſtum in flagellatione, in coronatione, in cruce totum nudum omnium

omnium oculis expoſuerunt, pro maledicto audiunt dulciſſima hæc verba: *Pater, dimitte illis*. Lib. 4. Reg. c. 1. v. 14. cohortes Regis Ochoziæ voluerunt capere Eliam, ſed vir Dei evocavit flammas de cœlo, *& deſcendit ignu, & omnes devoravit*; Quâ furiâ Chriſtus captus ſit à Judæis, ſcitis utique; ſi permiſiſſet, ignis pro illo decertâſſet, ſed pro ignibus reponit ignea verba: *Pater, ignoſce illis.* Lib. 4. Reg. c. 2. v. 24. complures pueri riſerunt calvitiem Eliſæi, *& maledixit eis in nomine Domini, egreſſiq; ſunt duo urſi de ſaltu, & laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros.* Chriſtum in cruce riſerunt Judæi; deridebant Principes illudentes cum Scribis & Phariſæis; Principes imitatus eſt populus, ſecutus miles, ſed & alter latronum improperabat ei! ubi manſerunt urſi, leones, tigrides? riſerunt non Eliſæum, ſed Chriſti Divinitatem, impiis, ſcurrilibus, blaſphemis vocibus laceraverunt, ſummi & infimi. Et ecce his vocibus Chriſtus melleas oppoſuit illas, *Pater, dimitte illis.* Lucæ c. v. 54. Jacobus & Joannes, quia Samaritani Chriſtum noluerunt recipere, dixerunt: *Vis, dicimus, ut ignis deſcendat de cœlo, & conſumat illos*; & increpavit illos, dicens: *Neſcitis, cujus ſpiritus eſtis. Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſalvare*; Semper hoc fecit Chriſtus, maximè tamen in cruce, cum non ignes de cœlo, ſed veniam petiit. Neque ſuo effectu caruit tam efficax Chriſti oratio. *Primò, multi enim,* ait textus, *reverſi ſunt Jeroſolymam, percutientes pectora ſua.* Gloſſa ordinaria in v. 12. citato Iſ. 53. *Pater, ignoſce illis*; Ad hanc vocem, ſecundum Evangelium Nazaræorum multa millia Judæorum aſtantium, circa crucem crediderunt. *Secundò*; Primus motus in corde latronis ad pœnitentiam, incepit, cùm audivit hæc verba Chriſti. *Tertio*; Secundum ſanctos Patres probabile eſt, aliquos ex ipſis crucifixoribus eſſe converſos. *Quarto*; De centurione patet ex textu: *Verè filius Dei erat iſte. Quinto*; Qui lanceâ cor Chriſti aperuit, eſt converſus! *Sexto*; Deinde ſpatium illud quadraginta annorum, quod Jeroſolymæ datum eſt ad pœnitentiam, Chriſtus hac oratione obtinuit. *Septimo*; Omnibus ſaltem hoc obtinuit, quod infernus vivos non ſtatim deglutierit; quin & amplius obtinuit.

Octavo. Quotquot ex nobis Chriſtum denuò crucifixerunt, qui denuò converſi ſunt, qui convertuntur, qui convertentur; id huic Chriſti orationi debent adſcribere.

§. 8. *Aliqua documenta.* Documentis inhærere non poſſum, inſinuo tandem. *Primò* diſcite à Chriſto moriente hanc oratiunculam; dum ſpinas ſentis, quibus hoſtis te pungit, non dicas: O deſcendat ignis de cœlo! non, ſed; *Pater ignoſce, &c. Secundò* pro ſupereminente charitate, eſtote grati, gratitudo amor eſt, amate hac Quadrageſima JESUM crucifixum. *Tertiò,* denique peccator etiam graviſſimus non deſperet de venia, modò converti velit, quia Chriſtus pro nobis in cruce oravit. Sanctus Auguſtinus tract. 31. in Joannem tom. 9. *Oravit hac Jeſus, ut nemo de peccati ſui dimiſſione deſperet, quando illi veniam meruerunt, qui Chriſtum occiderunt.* Finio primum concionis punctum loco affectuoſiſſimo, qui his diebus aliquoties pias lachrymas cordi meo exſculpſit.

§. 9. *Maria quoq; ſtans juxta crucem, cum filio oravit pro crucifixoribus.* Ex ſacro textu ſcimus, ſub cruce aſtitiſſe doloroſiſſimam Dei matrem. Refert Pater Salmeron; illam in immenſibus doloribus, quamprimum audivit hæc prima filii verba, hanc oratiunculam, ut ſe filio conformaret, procidiſſe in genua, & ex corde ſimiliter clamaſſe: *O Pater!* ita *ignoſce*, & non ſemel, ſed millies, & cum clamore cordis, & cum lachrymis, imò ſanguineis lachrymis; *O Pater!* miſerè tractarunt filium meum, filium tuum: Filius ignoſcit, ignoſco & ego, quæ mater ſum, ignoſce & tu, qui Pater es. *O Pater!* per filii ſpinas *ignoſce!* Et quid iratum te exhibes? Si quid poteſt materni nominis authoritas; per filii mei ſpinas te obſecro! *Ignoſce O Pater!* hanc cordi meo afflicto conſolationem indulge, *Ignoſce!* per filii mei ſanguinem obteſtor, *Ignoſce.* Sunt latrones! *Ignoſce* tamen; ſunt ſævi lictores, imò tyranni ſunt! *Ignoſce* tamen, ſunt crudeles leones, ſunt tigrides terribiles! *Ignoſce* tamen, ſunt homicidæ, imò parricidæ! *Ignoſce* tamen, *O Pater ignoſce* illis, quibus ignoſcit & filius & mater, *Ignoſce!*

Digitized by Google

Punctum II.

DE SECUNDO VERBO.

Hodie mecum eris in paradiſo,

Lucæ 23. verſ. 43.

CAntillante in vere dulciter philomelâ in aliqua arbore, ple-
rumque qui recreationis gratiâ ſylvulam perambulat, ſiſtit §. 10.
gradum ſub umbra alicujus arboris, nec ſuavi voculâ ſatiari po- *Ingreſſus in*
teſt. In primo puncto hujus concionis meos Auditores in mon- *expoſitio-nem verbi*
tem myrrhæ duxi, ad hortum montis Calvariæ, ad arborem amœ- *ſecundi.*
niſſimam, ad cedrum, ad palmam, de qua cœleſtis & crucifixus a-
mor, inſtar philomelæ ſuaviſſimè cœpit canere: ſubſtitimus ad
mediam horulam, quâ prima vocula ſuaviſſima! dulciſſima! aures
noſtras multum recreavit. Arrigite aures Auditores, cantillat de-
nuò de cruce noſtra philomela, noſter crucifixus amor. Audite!
amoris voce nil dulcius! ſedete parumper ſub palma ſanctæ cru-
cis, præbete mihi aures, & explicabo breviter alterum Chriſti in
cruce verbum, quod latroni dixit: *Hodie mecum eris in paradiſo.*
Occaſio hæc talia loquendi hæc fuit.

Illi tumultui, quo lictores Chriſtum cruci affixerunt, illi cla-
mori, quo in altum elevârunt, illi riſui, quo Judæi in cruce eleva- §. 11.
tum aſpexerunt, illis blaſphemiis & conviciis, quibus milites, Scri- *Variæ cauſa tenebra-*
bæ, Phariſæi, tranſeuntes, latrones in cruce pendentes, altis voci- *rum ſub*
bus illum blaſphemaverunt, finem aliqualem impoſuerunt terri- *crucifixio-ne. Inter*
biles tenebræ; quæ paulò poſtquam Chriſtus in cruce fuiſſet ele- *has tene-*
vatus, factæ ſunt ſuper univerſam terram; quibus, quia naturales *bras con-*
eſſe non potuerunt, quod factæ ſint in inſueto tempore, inſolito *verſus fuit bonus la-*
modo, ſuper univerſam terram, per tres horas; accedente terribi- *tro.*
li terræ motu, petrarum ſciſſione, omnes circumſtantes crucem,
& funeſtæ Tragœdiæ ſpectatores, adeò exterriti fuerunt, ut mul-
ti percutientes pectora ſua reverſi ſint in urbem. Quod autem
Chriſtus Dominus ferè trihorio crucis voluerit pendere in te-
nebris, non contigit ſine myſteriis, quorum multa reperiuntur
apud ſanctos Patres. *Prima* eſt, quam his verbis affert ſanctus

 Ambroſius

Digitized by Google

Ambroſius in ſanctum Lucam: *Sol occidit ſacrilegis, vel refugit, ut funeſti ſpectaculum ſceleris obumbraret.* Sanctus Hieronymus in caput 27. Matthæi: *Videtur mihi, luminare majus retraxiſſe radios ſuos, ne aut pendentem viderent Dominum, aut impii blaſphemantes ſua luce fruerentur.* Euſebius lib. 9. hiſt. Eccleſiaſt. c. 9. *Solem horum produco teſtem, qui cum hæc fieri per impios videret* [verbi gratia, filium Dei cruci affigi] *in terris lumen ſuum meridie abſcondit in cœlo.* Euſebius Emyſſenus homilia de beato latrone: *Apertè rerum natura conſpicitur commoveri, velut in vindictam auctoris ſui armari. Terra ipſa concuſſa à fundamentis, quaſi quæ ſuper crucem Deum vix ſuſtineat, tanquam ad ſcelus proprium contremiſcit. Sol refugo lumine quomodo poteſt, ſumit lamentum, & fuſco triſtium tenebrarum habitu more lugentis induitur.* Et ſicut tota cœli facies Dominicæ Nativitatis gloriam novâ luce teſtabatur, ita crucis injuriam novis tenebris deteſtatur. Et quæ durities cordis humani? væ! eis, qui inter iſta non credunt. Quandoquidem creatura inſenſibilis, quæ recipere non poteſt crudelitatis affectum, dat tunc Deo confeſſionis obſequium, & cum pro ſolo homine Chriſtus mortuus eſt, perhibet ei tamen etiam pars illa mundi teſtimonium Divinitatis, ad quam non pervenerunt beneficia paſſionis! *Secundo,* dum in occaſu funeſtæ mortis & crucis occidit ſol juſtitiæ, non mirum eſt, eſſe tenebras ſuper univerſam terram. *Tertio,* quia creaturæ rationales creatoris ſui obitum non lugent, faciunt id creaturæ irrationales modo quo poſſunt; cœlum lugubri pallio ſe induit, petræ præ dolore ſcinduntur, elementa moventur. *Quarto,* dum homines in Chriſtum inſurgunt, cœlum & terra pro illo pugnant, & amplius pro illo feciſſent; terra omnes abſorbuiſſet, aqua ſuffocâſſet, ignis devorâſſet, niſi bonus Jeſus hanc vim illis ademiſſet, & ſolam lugendi poteſtatem reliquiſſet. Quo luctu, ſaltem impios terribilis illa eclipſis exterruit, & meritò! *Quinto;* Cavete impii! hæ tenebræ umbra ſunt tenebrarum exteriorum, in quas ligatis manibus & pedibus juſtitia judicis vos præcipitabit. *Sexto;* Cavete & vos Auditores: tales tenebræ ſunt ſuper faciem cordis humani; quoties ingratus homo per peccatum ſibi denuò Jeſum crucifigit. *Septimo.* In tenebris Salvator noſter ſuſti-

ſuſtinere voluit graviſſima tormenta crucis, ut ſatisfaceret pro illis ſceleribus, quibus in tenebris offenditur: paucis verbis inſinuo multa. *Octavo.* Denique CHRISTUS in cruce voluit pendere in tenebris, ut eò ferventius precibus vacaret, ut extremum illum actum inſtantius Patri commendaret. Præ omnibus hæ tenebræ utiles fuerunt bono latroni, qui pendebat à dexteris Chriſti; ut enim mors Chriſti eſſet ignominioſior, inter duos latrones illum crucifixerunt, ut impleretur quod ſcriptum eſt, *Cum ſceleratis reputatus eſt*, Iſa. 53. v. 12. Ob gravia ſcelera, ob latrocinia, uterque promeritus erat mortem, ſed alter à dexteris jam hærebat in cruce ſua attonitus, & motus, visâ ac perſpectâ Chriſti patientiâ, & inſigni manſuetudine, & auditâ ejus charitate, quâ pro crucifixoribus oravit. Accedentibus itaque his ſignis, tenebris, terræ motu: montium & ſaxorum concuſſione, orta eſt lux magna, & ita diſpoſitus fuit, ut Dominum intus illuſtrantem & irradiantem viderit; & ſubitò tam firmam tamq; magnificam fidem, cum profunda humilitate, ferventi contritione, ingenti fiducia & charitate concepit, ut in morte ex latrone factus ſit glorioſus confeſſor Chriſti.

In fidei ſuæ teſtimonium increpavit ſocium ſuum, qui cum Judæis Chriſtum in cruce blaſphemabat, dicendo ſæpius: *Si tu es Chriſtus, ſalvum fac te ipſum, & nos*; hanc blaſphemiam audierat à Judæis, *ſe ſalvum faciat, ſi hic eſt Chriſtus.* Et à Scribis & Senioribus populi: *Alios ſalvos fecit, ſcipſum non poteſt ſalvum facere: Si Rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei*: & à prætereuntibus, *ſalva temetipſum, ſi filius Dei es, deſcende de cruce.* Impias has blaſphemias imitatus eſt impius latro, improperans Chriſto impotentiam, quaſi diceret, ſi tu eſſes Chriſtus, non deeſſet tibi potentia, quæ ſi adeſſet, ſine dubio te ſalvares, quod cum non facias, ſignum eſt luculentum te Chriſtum non eſſe. Eadem blaſphemia Chriſto voluit impingere mendacii crimen, qui dixerat, ſe eſſe filium Dei. Addit *& nos*: Improbam comparationem! nocens ſe comparat innocentiſſimo, latro filio Dei! lupus agno! tenebræ luci! Accedit impii & ſcelerati latronis ſumma impudentia, qui in graviſſimis & horrendis ſceleribus audet adhuc petere ſalva-

§. 12. Bonus latro defendit Chriſtum D. contra varias blaſphemias

ſalvationem. Fratres hujus latronis ſunt hæretici vel Catholici, qui cum gravibus ſceleribus Deum offendunt, cum fateantur, ſe non poſſe ſervare mandata, cum mille modis mereantur infernum, tamen vi mortis Chriſti exigunt, ut rem debitam ſalutem, imò de illa nec dubitant.

§. 15. *Proſecutio.* Contra has blaſphemias Chriſtum defendit alter latro, & ait: *Neque tu times Deum*? quaſi diceret, vide, quem blaſphemes; Deus eſt, contra quem linguam tuam acuis? nobis in infirmitate ſimilis eſt, tamen Deus eſt; pendet in cruce, tamen Deus eſt; & hunc tu, tu blaſphemas? poſt tot ſcelera; tu impie; tu, qui jam moreris, qui jam es in porta æternitatis; tu, qui intra horam coram hoc, tanquam judice comparebis. Quæſo? quid tibi hic fecit, quem blaſphemas? in quo te offendit? quid ergo blaſphemas? tu, qui nocentiſſimus es; Nos enim mortem hanc commeriti ſumus, *hic vero nihil mali geſſit.* Patitur quidem gravia, ſed nihil mali geſſit. Auditis Phariſæi, nihil mali geſſit; Auditis Scribæ; movetis capita? inſanitis? nihil mali geſſit; quod ante Pilatus dixit: *Non invenio cauſam mortis*, confirmat latro. Audax dictum de cruce! inter tormenta dictum forte! ſolent illa conſtantiam & animum frangere; crevit hic in cruce latroni. Inter medios hoſtes Chriſti, audet, quod nemo alius; publicè Pilatum, Principes, &c. condemnat injuſtitiæ! nec veritus eſt illorum præſentiam! neque majores pœnas, quæ propterea timere poterat, ſed palam ait; licet à populo ſuo condemnatus ſit, tamen hic nihil mali geſſit! magnis animis ad hoc opus fuit, ingentique fiducia. Diſcipuli omnes fugerunt, tot prodigiorum teſtes, unus aſtat Joannes, neque publicè tamen Chriſtum defendit, latro illud fecit, qui nihil in Chriſto præter nudum hominem vidit, flagris conciſum, clavis cruci affixum, Apoſtoli multa viderant, quæ Deum teſtabantur; latro nihil niſi hominem, Judæorum ludibrium, gentium opprobrium, in quo quidquid divinum erat, altè tegebatur; tamen latro innocentem aſſerit, quem tota Judæa morte dignũ proclamat! Apoſtoli viderunt illuminari cœcos, &c. expelli dæmones, calcari maria; latronem omnia

Digitized by Google

omnia invitabant, ne crederet: vulnera, ſpinæ, crux, clavi, ſputa, riſus, blaſphemiæ, quid dicam de vulneribus? an non videbantur clamare? noli credere! quid de ſpinis? noli credere! quid de cruce? noli credere! quid de clavis? noli credere! quid de ſputis, quid de blaſphemiis? noli credere! Quid multis? quot cernimus tormenta; tot in contrarium videmus argumenta! quot ſigna morientis, totidem velut ora clamantia; noli credere. Non eſt hic filius Dei; non eſt Meſſias, non eſt Rex Iſrael. Nihilominus credit dexter; ille ter felix latro! credit firmiter & profitetur conſtanter! credit indubie & eloquitur generoſe! Gratulor tibi mi Jeſu atque ex intimis animi medullis congaudeo, in tanta hominum ſceleratiſſimorum turba unum ſaltem reperiri, qui tibi in hiſce anguſtiis teſtimonium innocentiæ non negat. Sed quia hæc latronis Confeſſio eſt materia integræ concionis, hinc pedem retraho ne in immenſum hæc mea præſens oratio creſcat.

§. 14. *Sed cur hic, illum defendit, non alter latro.*

Verum enim verò non poſſum hic omittere quæſtionem S. Leonis ſermone ſecundo de paſſione. *Qua iſtam fidem exhortatio perſuaſit: qua doctrina imbuit? quis prædicator accendit?* ego infinitæ Jeſu miſericordiæ adſcribo, qui hoc die oſtendere voluit etiam ultima hora peccatores graviſſimos converti poſſe. Sed cur huic miſericordia propitia, non alteri? O altitudo! cauſam ex parte Dei ſcrutari non licet, ex parte latronum hæc eſt cauſa, alter gratiam reſpuit, alter acceptavit, &c. Sed hoc modo ad alterum Chriſti verbum vix ſum perventurus.

§. 15. *Quam eximia fuerit fides boni latronis; & qualis ejusdem oratio.*

Poſt tam generoſam fidei & Chriſti confeſſionem, poſt publicam ſui accuſationem ex intima interna contritione cum magna fiducia & charitate ſe convertit ad preces; converſis in Chriſtum oculis, nec dubito quin voce magna & cum lachrymis dixerit, *Domine, memento mei cum veneris in regnum tuum*, agnoſcit Dominum, quem Judæi ut mancipium tractabant, agnoſcit regem, contra quem clamarant, *Non habemus regem niſi Cæſarem*, agnoſcit regem non in regno hujus ſæculi, ſed futuri, conſequenter non agnoſcit ſolum Dominum & Regem, ſed & Deum eſſe. Divus Maximus de ſancto latrone homilia 1. ait *hæc eſt fidei plena devotio, ut cum de vulneribus Domini profluens ſanguis cernitur, tum de pote-*

ſtate ejus venia poſtuletur! cum videtur ejus humilitas, tunc magis timeatur ejus divinitas, cum morti addictus putatur, tunc Regis illi honorificentia deferatur. Cernat ejus licet hiantia vulnera, ſpectet Ipſius ſanguinem profluentem, Deum tamen credit, & ait, *Domine memento mei*, Dominum vocat, ut oratio ſit humilis. O felix latro, quis tibi ſuggeſſit hanc voculam? Spiritus Sanctus ſuggeſſit Judithæ c.9. v.1. cum ingreſſa eſſet oratorium ſuum, & proſterneret ſe coram Domino, clamabat ad Dominum: hoc fecit latro de cruce. Hanc voculam Spiritus Sanctus ſuggeſſit Eſtheri c.14. v.2. quæ cum depoſuiſſet veſtes regias fletibus & luctui apta indumenta ſuſcepit, pro unguentis cineres, & corpus ſuum humiliavit jejuniis, & deprecabatur Dominum Deum Iſrael: hoc modo oravit latro, de Ezechia ait l.4.regum.c.20.v.2. *qui convertit faciem ſuam ad parietem, & oravit Dominum, & flevit fletu magno.* Latro convertit faciem ad Jeſum &c. hoc modo Daniel ait ſe oraſſe c.9 v.3. *Poſui faciem meam ad Dominum, & oravi Dominum Deum meum, peccavimus, iniquitatem fecimus, impię egimus*, ſic oravit latro; ut Suſanna Dan.13.v.35. *quæ flens ſuſpexit ad cœlum, erat enim cor ejus fiduciam habens in Domino.* Eſdras lib.1.c.9. v.4. de ſe ait. *Sedebam triſtis uſque ad ſacrificium veſpertinum, & in ſacrificio veſpertino de afflictione mea expandi manus meas ad Dominum Deum meum, & dixi, Deus meus confundor & erubeſco, levare faciem meam ad te, quoniam iniquitatem, &c.* Sed *miſerere, eſt* hæc ſuſpirantis noſtri latronis pia cogitatio, *miſerere mei*, nam & ego confundor & erubeſco, *miſerere*, nam ob ſcelerum meorum enormitatem faciem ad te attollere non auſim! *miſerere*, nam vere hactenus ſedebam triſtis, uſque ad ſacrificium hoc meum veſpertinum! Fallor, non meum eſt hoc ſacrificium, ſed tuum; ſacrificium veſpertinum ſacrificium amoris, ſacrificium miſericordiæ! Proinde reſpice in me & miſerere mei, quoniam unicus & pauper ſum ego. *Miſerere*! nam & tribulationes meæ multiplicatæ ſunt nimis! *Miſerere*, te enim credo & profiteor omnium fontem miſerationum! Oratisne & vos hoc modo, Auditores, hac quadrageſima? diſcite quomodo debeatis orare coram crucifixo. Sua hac oratione latro non petiit liberari à cruce, non longiorem vitam, ſed ſalutem, &

exau-

exauditus eſt ſtatim. O latro ter felix! paucis verbis furatus eſt Chriſto paradiſum, venit hora ultima, & noviſſimus factus eſt primus. Audiviſtis verba latronis, nunc audite vocem Philomelæ, amoris crucifixi de palma crucis.

Hodie mecum eris in paradiſo. Hactenus ad blaſphemias obmutuit, non dixit verbum; at quamprimum audivit vocem errantis oviculæ, illam bonus paſtor audiit, & oviculæ reſpondit. *Hodie &c.* O mi Jeſu! Judæi tuam linguam potarunt aceto, & felle, ſed latet adhuc mel ſub lingua tua; An non mellea verba? *Hodie mecum eris in paradiſo.* Hodie! non poſt annum vel menſem, ſed ſtatim bonus Jeſus audivit preces converſi latronis: tam facilis in humiles preces Deus eſt, ipſo momento, quo peccator dolet, ipſo momento quo ſe accuſat, quo veniam petit, illo non tantum ſcelera delet, ſed regnum offert. *Mecum,* primo loco ſeipſum donat pro præmio; altero loco paradiſum. Quæſtio eſt, quis fuerit ille paradiſus, non fuit cœlum, quia ante aſcenſionem Chriſti reſeratum non fuit. Sed quid opus fuit cœlo? in cœlo ſunt, qui Chriſti viſione fruuntur, ubicunque ſint. Neque videtur ſermo fuiſſe de limbo, qui erat locus triſtitiæ: attamen Chriſtus ſua illum præſentia momento convertit in paradiſum; quidquid ſit, quo poſt mortem ſuam in cruce abiit Chriſtus, eo abiit & anima feliciſſimi latronis; & ibi paradiſum invenit. Amate & vos Jeſum crucifixum! petite ardenter, & veſter erit paradiſus. §16. *Chriſtus D. de cruce latroni promittit paradiſum.*

Finivi paulo ante primum verbum cum doloroſa Matre, faciam & modo. Beatus Petrus Dam. refert Beatam Virginem inter Chriſtum & latronem, qui à dexteris pendebat, ſtetiſſe, & hujus aſpectu commotum filium piis oculis aſpexiſſe bonum latronem: non diſputo quam ſolidum hoc ſit, hoc puto eſſe probabile. Sicut cum B. Virgo audivit filium orantem pro hoſtibus, procubuit in genua, & cum filio pro iiſdem ardentiſſime oravit, ita cum audivit hunc latronem clamantem *Domine, &c.* ſtatim & ipſa filium oravit, Ah! ita fili, memento hujus peccatoris. Addunt S. Patres B. Virginem reſponſo Chriſti fuiſſe peculiariter conſolatam. Quocirca O Maria, ſi tantum tibi gaudium conſurgit ex eo quod peccatrix anima paradiſum ſuſpiret & flagitet! Ecce & nos illis te vo- §17. *Converſio latronis adſcribitur etiam B. Virgini.*

ſumus deliciis cumulare! Nos cum latrone paradiſum quam poſſumus humillime petimus! nos exclamamus totis cordibus, *Memento noſtri Domine cum veneris in regnum tuum.* Et tu Virgo Mater hunc in finem memento noſtri, cum venerit ille articulus, quo vel regnum Patris cœleſtis vel regnum tenebrarum nobis conferetur; Memento noſtri; cum jacietur ultima ſalutis noſtræ alea; memento noſtri, cum animæ noſtræ parabunt è ſuis corporibus egreſſum, memento noſtri, O mater doloroſa, memento noſtri, & tuo nos filii materni cordis tui affectu commenda.

Punctum III.

DE TERTIO VERBO.

Mulier, ecce Filius tuus, ecce mater tua.

Joan. 19. v. 26.

§.18. *Ingreſſus in expoſitionem verbi tertii.*

SUaviſſimus ſonus teſtudinis, vel citharæ, vel fidium, ſimiliumque inſtrumentorum, provenit à chordis; ſed ut ſonent, in ligno vel ſuper lignum debent extendi, & manu tangi. Suaviſſimæ citharæ merito comparatur vox Chriſti Salvatoris. Sponſa de illa ait, Cant. 2. v. 14. *Vox tua dulcis, ſonet in auribus meis.* Verba ad leproſum Matth. 8. v. 3. *Volo mundare,* ad paralyticum, Matt. 9 v. 6. *tolle grabatum tuum,* ad adulteram, Joan. 8. v. 11. *neque ego condemno,* ad Magdalenam, Luc. 7. v. 47. *dimittuntur tibi peccata tua.* Quam ſuaves voces! ſed chordæ illæ, illa viſcera charitatis, viſcera ſuaviorem ſonum non dederunt, quam cum in ligno crucis fuerunt diſtenta, tacta clavis, linguis, ſuaviſſimum ſonum ediderunt, longe ſuaviſſimum primæ & ſecundæ chordæ, ſive duorum primorum verborum ſuavem ſonum hactenus audivimus. Tertiam tangam modo. Sedete, auſcultate, ſoni ſuavitatem percipite, matri dixit: *Mulier ecce filius tuus.* Joanni, *ecce mater tua.*

§.19. *Ad majus tormentum fuit Chriſtus D ſibi ſub cruce*

Infinitum fuit Chriſti deſiderium pro noſtra ſalute patiendi, ut copioſiſſima eſſet redemptio. Cum quis morte crudeli, & præcipue violenta, plena dedecoris & infamiæ è medio tollitur, parentes & propinqui non permittuntur adeſſe, ne dolor & triſtitia vel morientis, vel aſtantium inde augeatur. Maxime matres; utpote

tene-

teneriotis affectus, in tali caſu ſolent ſe abſcondere, præcipue cum morienti filio ſuccurrere non poſſunt. Chriſtus autem non contentus paſſione propria eaque atrociſſima, doloris & dedecoris plena, voluit ut propria Mater & diſcipulus, quem diligebat, adeſſent & prope crucem in conſpectu ſtarent, ut dolor compaſſionis erga dilectiſſimos, dolorem paſſionis duplicaret, dolores enim Chriſti ex aſpectu Matris creverunt in immenſum. Cum enim hinc videret, quanto Mater intus dolore premeretur, quantuſque gladius cor illius tranſverberaret, & hinc tenerrime illam amaret, non poterat non pro ſuo in chariſſimam Matrem affectu dolorem illius ſentire; O amorem Jeſu! cui non ſatis fuit, ſentire tot horrenda vulnera in corpore, in capite, ſed inſuper in anima, & in corde ſentire voluit gladium doloris, qui cor matris transfigebat. Econtra verò dolores Matris ex aſpectu filii aucti fuerunt in immenſum. Injuriam feci quibuſdam matribus. Aliquæ ita amant moribundum filium, ut licet videant, licet corda illarum torqueantur, licet ultra opem ferre non poſſint, tamen nolint filium deſtituere, aut ab eo vel latum pedem diſcedere. Vidi matres, quæ morientes filios tenebant in ſinu, quæ morientibus clauſerunt oculos. Certe Mater amore plena fuit B. Virgo; at illud ſolatii obtinere non potuit, ut teneret morientem in ſinu, vel in brachiis, ut exanimes ejuſdem oculos occluderet. O quam libenter feciſſet! ſed in cruce vidit; hinc dolores ejus fuerunt inexplicabiles! omnes enim dolores quos filius ſuſtinuit in corpore, ſuſtinuit illa in corde, clavos, ſpinas, crucem, adeo ut clavi qui perforarunt manus filii, perforarint & animam Virginis. Divus Bernardus ſermone de Paſſione. *Quod in carne Chriſti agebant clavi & lancea, hoc in Virginis mente egerunt naturales affectus, & materna anguſtia.* Idem S. Bernardus homilia ſuper *ſtabat juxta crucem*, *O dolores inexplicabiles, O ineffabilis reciprocatio ſancti amoris, ſicut nulla lingua explicare poteſt illum amorem, qui fuit inter Ieſum & Mariam, ſic nec dolores, quos in cruce ſenſit Ieſus ex aſpectu matris & contra.* Tantus nempe impetus paſſionis Domini Jeſu fuit, ut quaſi torrens ipſum impleri patientem, quis Chriſto impleto in matrem fluxit compatientem, qua ſimiliter impleta ad filium redundavit inundatio

aſſiſtere matrem.

amaritudinis, & mœroris. Proinde non unus aut ſimplex, ſed geminus & duplex fuit ille doloris ſenſus. A filio tranſiit ad matrem; à matre rurſus commigravit ad Filium. Spinas ſenſit primum in capite Jeſus; mox ſpinas ſenſit in corde Maria. Blaſphemias auribus excepit Jeſus; excepit viſceribus Maria. Vulnera tulit filius in corpore; vulnera tulit mater in animo. En quo pacto geminata fuerit doloris acerbitas; dum à filio transfunditur in matrem, à matre in filium. Alibi de his doloribus ago latiſſime. Voluit etiam Salvator mundi in ſua morte matrem ſibi aſtare, ut humani generis reparatio mundi ruinæ congrueret. Cum ſub arbore ſcientiæ boni & mali in paradiſo humanum genus perderet, ſocia fuit Eva, hæc prior guſtavit pomum & guſtatum obtulit Adamo. Cum in paradiſo montis Calvariæ ſecundus & cœleſtis Adamus ſub arbore vitæ, ſub ligno crucis mundum redimeret, ſolus eſſe non voluit, ſed cum Eva, cum matre viventium. Fuit Eva mater in interitum, Maria in vitam, hoc tamen diſcrimine; fructus amaros crucis guſtavit prior, dein Matri obtulit. Sic redempti ſumus, & vitæ reſtituti, per Chriſtum, per Adamum, ut Salvatorem, per Mariam, ut advocatam & novam matrem viventium

§.10. *Stetit Maria ſub cruce, non corruit.*

Cum myſterio ſacer textus ait, *ſtabat juxta crucem mater Ieſu.* Moventur aliquæ mulierculæ, cum vident à pictore depictam beatam Virginem ſub cruce jacentem humi, atque ejulantem; verum non contigerunt talia. Vos Auditores vobis imaginamini matrem ſub cruce triſtiſſimam, afflictiſſimam ſanguineas lachrymas plorantem, ſed ſtantem cum omni modeſtia, & invincibili conſtantia. Gen. 22. v. 9. triſtis fuit Abraham unigenitum immolaturus filium, ſtetit tamen, ſtetit & ipſe ligavit manus: Simili animi conſtantia mater ſub cruce obtulit ſuum filium, imo ſi opus fuiſſet, ipſa affixiſſet cruci, ſtetit veluti Rachel juxta terebynthum parturiens cum dolore filium Gen. 35. v. 16. Stetit ſicut Debora fortiſſima juxta palmam in monte Ephraim, ſpectans prœlium Barac contra Siſaram, Judicum. 4 v. 5. id eſt, Chriſti filii contra dæmonem. Proverb. 31. v. 10. ait Salomon, *mulierem fortem quis inveniet?* non cogitate de Judith, de Jahel &c. In monte Calvariæ demum eſt inventa, cuius illæ, umbra & figura fuerunt; Illa mulier fuit fortis,

quæ

Digitized by Google

quæ in morte funeſtiſſima filii à cruce ſeparari non potuit. Gen. 21. v. 15. cum Agar, ancilla Abrahæ, videret morientem filium, abjecit puerum ſubter unam arborem, & abiit, ſeditque è regione procul. Dixit enim, *non videbo morientem puerum.* Non ſic ancilla Domini, & Mater Jeſu Maria; cum videret Filium ſuum, non jacentem ſub arbore, ſed affixum clavis, morientem ſiti, non tamen abivit, non dixit, hæc videre non poſſum; ſed ſtetit, aſpexit vulnera, tamen ſtetit, pergit ſacer textus.

Cum ergo Ieſus vidiſſet Matrem, & diſcipulum ſtantem, quem diligebat. De hac vocula, *vidiſſet*, dixit B. Virgo ſanctæ Brigittæ l. 4 revel. c. 70. *Tam ſanguinolentus erat meus filius, ut nec ipſe me aſtantem cruci videre potuerit, niſi ſanguine expreſſo per ciliorum compaſſionem.* (Roga à Jeſu gratiam per interceſſionem ſancti Joſephi, cujus hodie feſtum eſt, ut hoc affectuoſe proferas) vocula *juxta* non ſic intelligenda eſt, quod tum, cum Chriſtus matrem de cruce allocutus eſt, ſteterit ad latus, prout pingi ſolet, ſed ante crucem, in conſpectu Jeſu; tanti enim fuerunt dolores Chriſti in capite ob ſpineam coronam, ut ad latera movere vultum non potuerit, ſed illo trihorio ut plurimum pependit capite pendulo, & ſacer textus inſinuat, *inclinato capite tradidit Spiritum.* Poſtquam ergo Chriſtus de cruce, apertis nonnihil oculis, & inclinatione capitis Matrem ſalutaſſet, ait *Mulier, ecce filius tuus.* Divus Chryſoſtomus in hæc verba. *O bone Ieſu! quid Matrem tuam erubuiſti, quæ te tam diligenter nutrivit, reverenter tractavit, dulciter lactavit, tam dure loqueris?* Sed bene reſpondit, *ideo factum eſſe arbitror, ne materno nomine amplius dolorem excitares: non enim tempus tunc erat, matrem dulciter alloquendi, nec nomen matris exprimendi. Quia ſi dulcius illi locutus fuiſſet, credo quòd cor Virginis crepuiſſet.*

§. 21. *Quibus oculis Chriſtus D. de cruce aſpexerit matrem.*

Ecce filius tuus! *O commutatio!* ait ſanctus Bernardus. *Ioannes tibi pro Ieſu traditur, ſervus pro Domino, diſcipulus pro magiſtro, filius Zebedæi pro filio Dei, homo purus pro Deo vero? Ecce filius tuus.* O mi Jeſu! hancne conſolationem relinquis Matri tuæ? ut tuo loco ſubſtituas diſcipulum, quæ paritas inter te & Joannem! Nos omnes Auditores Chriſtus Dominus in ſua morte ſolari voluit, cum Joanne enim ultima ſua voluntate tradidit nos omnes matri in filios

§. 22. *Ecce filius tuus.*

filios. Mihi præ gaudio ſalit cor, cum cogito me eſſe filium doloroſæ matris ſub cruce! Filii naturales, filii uteri Virginei quidem non ſumus, ut unigenitus Chriſtus Jeſus fuit, ſumus autem filii Virginei cordis, quod ſectum doloris gladio ſub cruce nos peperit filios, fratres & cohæredes Chriſti. Secti cordis filii ſumus. Jeſus in primo partu Virginis fuit filius gaudii, nos in ſecundo partu ſub cruce ſumus filii dolorum. Cum ſuaviſſima cogitatione me volo conſolari, ut liqueſcat cor dulci flamma amoris erga B. Virginem, imaginor mihi cor virgineum, in illo gladium doloris, quomodo fodiat, laceret, ſcindat, ſecet, vulneret; tum cogito, hujus vulnerati cordis ſum filius! Pater meus eſt Chriſtus crucifixus, ſum filius cordis Jeſu. Mater verò, eſt mater crucifixi; ſum filius vulnerati cordis matris: quis ſine ſolatio hæc cogitare poteſt? maximè ſi verum eſt, quod aſſerunt nonnulli, matres peculiari aliquo affectu ferri in illas proles, quas ingenti cum dolore pepererunt: cum dolore creſcit amor. Ah Auditores! O filii B. Virginis! de ejus amore non dubitate, ſub cruce enim inter cruciatus maximos facta eſt nobis mater, ſumus filii doloris, quos neceſſario amat. *Mulier ecce filius tuus*, quaſi diceret, mulier! cogitate Chriſtum in corde dixiſſe, mater, ſum filius tuus, te ut matrem ſemper dilexi; ſed Patri meo obedire cogor: hic me vocat ad mortem. Vado mater, ſed prius de hac cruce, de hoc lectulo amoris, ſi non multis verbis, ſaltem corde valedico. Mater! mors mea inſtat, non obliviſcor me eſſe filium, prius ergo ago gratias pro ſanguine &c. Mater! antequam moriar, ſanguineis his manibus tibi benedico: benedicat quoque Pater & Spiritus Sanctus, vale mater! ſed ſuprema mea verba audi; ne filio ſis orbata, Joannem trado. Mater! pro quibus morior, tibi ut filios commendo, maxime peccatores hos, dum morior, ut filios tibi trado. Ah animæ piæ! cum talia mater ex filii ore de cruce audivit, contremuit ejus uterus, Virgineum gladius ſecuit cor; & illo momento immani dolore nos peperit, ſic facta eſt mater viventium, & mater miſericordiæ. Itaque O mater ſi ſumus filii cordis tui, ſolare nos. Aliam modo cauſam non allegamus, quam hanc. Filius tuus Jeſus moriens in cruce hoc à te petiit, ille nos tibi tradidit filios, ille nos tibi commendavit. Itaque O mater, audi verba

quibus

Digitized by Google

quibus te ſupremum alloquitur tuus filius, ait nos eſſe filios, O mater ſuſcipe nos ut filios, mater! lacta nos ut filios, protege nos ut filios &c.

Diſcipulo, quem diligebat Jeſus dixit, *Ecce Mater tua*, quam liberalis fuit Chriſti amor! dederat jam omnia in columna, in ſpinea coronatione, in cruce, veſtes militi; &c. tantum non habuit, ut gutta aquæ refocillaretur, ſe totum jam dederat in Euchariſtia, Spiritum qui reſtabat, daturus erat Patri, aliquid quod maxime amabat ſupererat, Virgo mater, hanc Joanni & nobis legavit in matrem. Magna gratia fuit, in cœna fuiſſe Joanni permiſſum, incumbere pectori Chriſti, major fuit gratia juxta crucem inſpicere vulnera Jeſu, & pro matre accipere Mariam! Cum Jacob teſtamentum conderet, filiorum ſingulis tribuit portionem, & præter cætera ob ſingularem in Joſeph amorem, aliam etiam illi dedit portionem, quam ipſe gladii ſui potentia ab Amorrhæis rapuerat. Sic Chriſtus condens teſtamentum ſub mortem, omnia diviſit bona, portionem illam, matrem, quam ligno crucis contra Satanam ab omni peccato ſibi vendicarat, Joanni & nobis teſtamento reliquit. His verbis dictis forte Jeſus ex Pſ. 88. v. 4. oravit: *Diſpoſui teſtamentum electis meis*. Solent probi filii, cum à moribundo Patre ultimam audiunt voluntatem, in genua procumbere, agere gratias, oſculari manus, & ſupremam petere benedictionem, hoc Auditores idem facimus & nos. Nam ſi Jeſum Patrem agnoſcimus, quidni proborum filiorum partes implebimus? Eia boni filii ad lectulum morientis amantiſſimi Patris, ad crucem Jeſu huc mecum properate; flexoque poplite ultimum vale atque ultimam amoris paterni teſſeram accipite. Valete (inquit) valete filii mei, valete pro quibus hic morior in cruce mortales; hæreditas veſtra cœlum eſt; Poſſeſſio veſtra Deus eſt. Vivite mei memores, morior ego: valete mortales. §. 23. *Ecce mater tua.*

At ecce in labyrintho verſor ſuaviſſimæ materiæ, itaque filum retraho & finio. Cardinalis Bellarminus ait, B. Virginem ſub cruce, cum audiviſſet hæc filii verba, præ dolore, ob aſtantes milites, locutam non eſſe, ſed humillima inclinatione capitis annuiſſe, quaſi diceret: Ita fili, vale mi Jeſu vale, tranſi ad Patrem! tuo loco §. 24. *Valedictio Mariæ ad morientem Filium Jeſum.*

ſuſcipio Joannem, cum illo totum genus humanum, præcipue peccatores, pro quibus moreris, pro quibus ſanguinem fundis, mater ero, vale mi Jeſu, & tu ſuprema mea verba audi; gratias tibi ago &c. fili novos meos filios tibi commendo, miſerere peccatorum. O fili, plura loqui non ſinit nimius dolor! permitte, ut quantum mihi licet, maternis meis manibus tibi benedicam: Gratias agos fili mi, quod me præ millibus matrem tuam elegeris; gratias, quod olim Archangelum Gabrielem ad me deſtinaris legatum in Nazareth, gratias, quod animam meam tantis gratiarum theſauris dotaveris; gratias, quod me Matrem ſimul & Virginem volueris; gratias pro tot aliis innumeris imo infinitis mihi, ancillæ tuæ præſtitis beneficiis. O mi fili, Jeſu mi, mi dulcis fili! quid retribuam tibi pro omnibus, quæ retribuiſti mihi? fili! novos meos filios tibi commendo, miſerere peccatorum. O fili, plura loqui non ſinit dolor! vade mi Jeſu. Ah mater, filius tuus benedictus eſt ab æterno, nobis filiis tuis benedic O mater! Benedic mihi mater! filius tuorum dolorum cupio vivere, & mori. Benedic mater nunc, ſed præcipue in hora mortis. O mater; hanc gratiam petimus, ut per tuos dolores, per mortem filii tui, in hora mortis oſtendas benedictum fructum ventris tui Jeſum, ut ducat nos ad te, ad ſe, ubi Filium, ubi te, æternum laudabimus. Amen

Punctum IV.

DE QUARTO VERBO.

Sitio.

§.25. *De ſiti Chriſti D. in cruce.* CUm cervus à Venatoribus & canibus exagitatur per montes, per valles, poſtquam tutum latibulum invenit, ſentit magnam defatigationem, ad fontem proinde properat aut rivulum, ut ſe recenti aqua refrigeret. Hanc cervi ſitim expertus fuit David. Pſ. 41.v.1. *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum &c.* David in pluribus, ſic & in hoc nobiliſſima fuit figura Chriſti Domini. Cervus variis de cauſis eſt ejuſdem ſymbolum. Non poſſum illas modo deducere. Sufficiat titulus Pſ.21. in quo regius Pſaltes plurima myſteria paſſionis prædixit; quod in paſſione derelictus ſit à Deo; quod fuerit vermis, opprobrium hominum, abjectio plebis; irriſus,

irriſus, circumdatus à tauris, & canibus, quod perfoſſæ manus & pedes, &c. Titulus autem pſalmi eſt, *pro cerva matutina.* Sufficiat teſtimonium ſponſæ Cant. 8. v. 14. *Dilecte mi, aſsimilare hinnulo cervorum ſuper montes aromatum.* O venatores, O canes, O tigrides, O tauri, vos Judæos intelligo, quomodo jam à viginti horis hunc cervum agitaſtis! in monte Oliveti, in via per vallem Joſaphat, in domo Annæ, in domo Caiphæ; eo illum adegiſtis, ut hæreat in profundo ſanguinei lacus, in pretioſo ſuo ſanguine, qui undique ex his vulneribus defluit, quid mirum quod ſitiat, quod anhelet ad fontem aquæ; Hoc in cruce declaravit quarto verbo. *Sitio.*

O cœlum! qui in cruce pendet, fons eſt ſapientiæ, & ſitit! qui in cruce pendet, torrens eſt voluptatis! & ſitit? eſt abyſſus dulcedinis, eſt fons hortorum, puteus aquarum viventium, & ſitit? qui pendet in cruce librat fontes aquarum Prov. 8. v. 28. & ſitit? imo; ſic voluit, ut qui pro nobis paſſus eſt in viſu, in auditu, in odoratu, in tactu, pati etiam voluerit in guſtu, ut lueret pro peccatis noſtræ intemperantiæ; *ſitio*, quaſi diceret, tandem in corpore meo omnis humor deficit, aruerunt venæ, aruit lingua, aruit palatum, aruerunt fauces, aruerunt interiora omnia. Si quis eſt, qui me in hac ſiti refocillare cupiat, potum offerat, ſaltem hauſtum aquæ. *§. 26. Proſecutio.*

Sed cur de ſiti hic conqueritur moriens Jeſus? cur non de dolore, quem cauſant clavi in manibus & pedibus? cur non de ſpinis in capite? cur non de tot vulneribus? cur non de immani corporis, & membrorum omnium diſtenſione? Colligere inde debemus, ſitim, quam Jeſus in cruce ſuſtinuit, fuiſſe immane tormentum, fuit enim ſitis ingens ob plurimas cauſas naturales. *§. 27. Cur conqueſtus fuerit de hac ſiti.*

Naturaliter ſitim cauſat ſudor; bonus Jeſus ab horis viginti in continuo eſt ſudore, imo ſudavit ſanguinem, videte, jam toto corpore lethalis erumpit ſudor, quid mirum eſt quod ſitiat: Naturalis cauſa ſitis eſt effuſio ſanguinis, qui cogitat, quam ſanguinis copiam Chriſtus effuderit in ſanguineo ſudore, in flagellatione, coronatione, crucifixione, jamque actu de cruce ex ſanctiſſimis vulneribus copioſus de toto corpore ſanguis *§. 28. Ejus cauſa naturales.*

promanat, profectò non miratur quod ſitiat. Naturale eſt ut ſitiant, qui in gravibus ſunt doloribus, qui grave portant onus, qui vigilant, dolores Jeſu ſunt inexplicabiles, crucem, & crucem tam gravem ac grandem tam ponderoſam ſanguineis humeris ipſe tulit in montem Calvariæ, tota nocte quietis nihil habuit, nihil comedit, nihil bibit. Sitire ſolent itinerantes. Bonus Jeſus non ductus, ſed raptus eſt à monte Oliveti ad domum Annæ, ab Annæ ad Caipham, à Caipha ad Pilatum, à Pilato ad Herodem, hinc rurſum ad Pilatum, inde in montem Calvariæ, non fuit, qui hauſtum aquæ offerret; naturaliter ſitire debuit. O animæ piæ, in ſudore ſanguineo! ah non fuit, qui daret hauſtum aquæ, in nocte, in flagellatione; ah non fuit, qui aliquot guttis aquæ refocillaret, quid mirum quod in cruce ſitiat. Vulnerato toto corpore hæret in cruce, expoſitus vento & aeri: quid mirum quod ſitiat? denique eſt in anguſtiis mortis, in terribili lucta & agone, non miror quod de ſiti conqueratur.

§. 29. *Quantum tormentum fuerit illa ſitis.*

Quanta illa ſitis fuerit, explicat v. 16. Pſ. 21. *Aruit tanquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faucibus meis, & in pulverem mortis deduxiſti me.* Quantum tormentum ſit ſitis, explicant ſancti Patres ex c. 16. v. 24. Luc. quod dives epulo ſepultus in inferno non queſtus ſit de ignibus, non de ſulphure, ſed de ſiti! colligunt inde ſitim fore unum ex immaniſſimis tormentis damnatorum. Verum, & hoc ſancti Patres addunt, audite, ſtupete animæ piæ; Chriſtum in cruce ſuſtinuiſſe ſitim animæ damnatæ, ut me, ut te liberaret à ſiti & morte æterna.

§. 30. *Varii affectus compaſſionis, erga Jeſum ſitientem.*

Geneſis 21. v. 19. cum Iſmael ob ſitim verſatur in periculo mortis, dum triſtis mater Agar propterea plorat ſub arbore, venit Angelus de cœlo, & triſtiſſimæ Matri oſtendit fontem! eheu, in arbore crucis expirat Jeſus, in anguſtiis mortis queritur de ſiti; aſtat Agar, Virgo Maria, plorat; Sed ubi eſt Angelus qui fontem oſtendat, Exodi 17. v. 6. Cum in deſerto populus ſitivit, petra dedit aquas! in monte Calvariæ, in cruce ſitit filius Dei, at ubinam eſt in tanto monte petra, quæ aquas ſuppeditet? O dura ſaxa! Judicum 15. v. 18. cum Samſon pugnat contra Philiſtæos ob ingentem ſitim exclamat ad Dominum, *Tu dediſti in manu ſervi tui hanc victoriam,*

Digitized by Google

riam, & en ſiti morior! Aperuitque Dominus molarem dentem in maxilla aſini, & egreſſæ ſunt ex eo aquæ; Jeſus in cruce pugnat contra Satanam, infernum; mortem, peccatum, ſiti moritur! & non eſt qui det hauſtum aquæ? libro Regum. 2. cap. 23. v. 15. Poſteaquam cum hoſtibus confligendo David victoriam reportaſſet glorioſam, tanta cœpit ſiti laborare, ut ſibi non potuerit exclamare, quin aquæ hauſtum poſtularet diceretque, *O, ſi quis mihi daret potum aquæ de ciſterna, quæ eſt in Bethlehem juxta portam.* Quod petiit David, obtinuit. *Irruperunt ergo* (ait S. textus) *tres fortes caſtra Philyſtinorum, & hauſerunt aquam de ciſterna Bethlehem quæ erat juxta portam, & attulerunt ad David.* O cœleſtium milites exercituum; Vos vos Angelos appello, eccur non ſimiliter Davidi veſtro cœleſti, regi veſtro, Deo veſtro dum ſitim patitur, hauſtum aquæ limpidiſſimæ ex fontibus illis gloriæ æternæ miniſtratis? O cœleſtes acies; rex veſter in cruce ſitit, & non eſt qui offerat aquam? Vere in ſumma paupertate obiit Jeſus. Cum ſubinde pauperes, præcipue in morte extremam inopiam volunt demonſtrare, ſolent dicere, Non habeo, qui mihi afferat hauſtum aquæ: in tali paupertate, pro te, pro me mori voluit Jeſus! Non dubito animam Chriſti amantem cogitare; O ſi ego adfuiſſem! perrupiſſem cuneos crucifixorum, & attuliſſem hauſtum aquæ; ego quæſiviſſem fonticulum, ſi dura ſaxa negaſſent, cor meum non negaſſet; laudo pia deſideria; Noli extra te quærere hunc fontem, intus in te latet, in tuo corde, in tuis oculis; lachrymæ contritionis, lachrymæ compaſſionis, lachrymæ amoris, ſunt aqua, quam ſitit.

Verum aquam non tantum non dederunt Judæi, ſed nec alium potum niſi fel, acetum; ad majus tormentum! David illum potum prædixit Pſ. 68. *Et dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto.* Prædixit Sibylla Erythræa ante mille quingentos annos: §. 31. *Judæi potaverunt illum aceto.*

—— —— —— *& fellis amari*
Apponent eſcam, potumque immitis aceti.

Euthymius ſuper hunc verſum Pſ. citati. *Arbitror fragmenta aridi fellis in aceto emollita fuiſſe, ut acetum eſſet loco vini, vel potus, illa vero fragmenta pro bucella panis* (qualis in vino crucifixis offerri ſolebat

lebat) idem auctor in Pſ.68. *fel aceto miſcuerunt, ut quod per ſe acerbum erat & moleſtum amarulentius redderetur.* Verum hoccine fuit conforme mandato ſapientis? Proverb. 31. v. 6. *Date ſiceram mærentibus, & vinum his, qui amaro ſunt animo.* O crudeles! quam amaro animo eſt Jeſus in cruce, & pro vino datis fel & acetum? hoccine conforme eſt legi Moyſis, Deuter. 8 v. 16. & Roman. 12. v. 20. *Si eſuriverit inimicus tuus, ciba illum, ſi ſitit da ei aquam bibere.* Et vos, qui gloriamini de legis obſervatione, datis acetum, non inimico, ſed amico, Meſſiæ! Luctuoſum eſt audire modum, quo Chriſto in cruce obtulerunt fel & acetum. Sanctus Joannes cap. 19. v. 29. ait: *Vas ergo poſitum erat aceto plenum.* Infuderant nequam Judæi acetum pro myrrhato vino, quod à piis matronis miſeris reis ſubmittebatur; jam ante in expoliatione veſtium illud ei obtulerant, ſed Jeſus noluit bibere. Cum audierunt hoc verbum Chriſti *ſitio*; acetum & fel, quod injecerant, & jam maceratum erat, illi obtulerunt, & quia Chriſti in alto pendentis ori, vas illud apponere non potuerunt, injectam ſpongiam alligarunt arundini, & ſic ori Chriſti non tantum appoſuerunt, ſed intruſerunt. Sanctus Lucas ait c. 23. v. 36. *Illudebant autem ei, & milites accedentes, & acetum offerentes.* id eſt, fecerunt cum riſu & cachinnis. Quæſo animæ piæ, conſideratis ne ſubinde hæc, cum auditis vel dicitis quartum verbum? ſi facitis, non dubito de vera compaſſione, de gratiarum actione, de amore erga Jeſum, de ferventibus ſuſpiriis, ut bonus Jeſus per hanc ſitim vos liberet à ſiti æterna. Hoc loco invehi poſſum illos qui adhuc hodie Chriſto in cruce offerunt acetum; ſed ago modo cum piis, qui nil deſiderant, niſi Jeſum in cruce ſolari.

§. 32. *Ieſus in cruce. ſitivit animas noſtras.*

Hæc de ſiti naturali corporis Chriſti: ſitis animæ eſt plena myſteriis. Divus Bernardus. *O bone Ieſu, ſpineam coronam ſuſtines, de tua cruce, & de vulneribus tuis iaces, & pro ſiti clamas dicens, ſitio, quid ergo ſitis?* Certe ſolam redemptionem hominis, & gaudium humanæ ſalutis: Divus Auguſtinus. *Adiecisti etiam Domine Ieſu Chriſte ſitio, quid ſitis Domine Ieſu? vinum de vite, aut aquam de flumine? ſitis tua, ſalus mea, cibus tuus, redemptio mea, hanc animarum ſitim tuo nobis teſtamento relictam noluiſti, mitiſſime Ieſu.* Sed ah quæ

Digitized by Google

quæ noſtra *eſt* ſitis? mundus quid ſitit? ſitit opes, ſitit honores, ſitit voluptates, quæ magno quidem conſtant, ſitim tamen nequaquam explent, imo ut venena bibentem perimunt. Tu vero mi Jeſu velles nos qui in mundo vivimus, ſitire fontem aquæ vivæ ſalientem in vitam æternam, id eſt, te Deum, te ſummum bonum, te omnis totiuſque ſalutis ſcaturiginem.

Punctum V.

DE QVINTO VERBO.

Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me.

Matt. 22.

CAnticorum 2. v. 11. ait ſponſa: *Iam hyems tranſiit, imber abiit, & receſſit, flores apparuerunt in terra noſtra, vinea florentes dederunt odorem ſuum, vox turturis audita eſt in terra noſtra.* Ad literam ſponſa deſcribit jucundum tempus veris; myſtice locuta eſt de vere gratiæ, quod incepit, cum abeunte hyeme & imbre paſſionis in monte Calvariæ aridum lignum crucis, factum à radiis ſolis, ſive crucifixi amoris velut animatum rigatumque ſanguine filii Dei, pulcherrime effloruit. Tum flores apparuerunt, & erupetunt ex terra divina, & areolis manuum, pedum, cordis divini, & ex ſanctiſſimis vulneribus, cum Nazarenus, ſive qui totus floridus eſt, vel, qui flos campi eſt, pependit vel floruit ex arbore vitæ. Tum florentes vineæ dederunt odorem ſuum, cum botrus cypri pependit ex pertica crucis: taceo vernos flores & roſas amoris, quibus ſponſus ſuum crucis lectulum inſtravit, quæ ſponſæ adeo placuerunt, ut dixerit, Cant. 1. v. 16, *Lectulus noſter floridus eſt.* Sed & vox turturis illo vere eſt audita, id eſt, vox ſponſi vel dilecti, vel crucifixi amoris, & crucis pro ſponſa ſua exſpiravit. Primum verbum fuit vox Agni, *Pater dimitte illis*, ſecundum verbum, *fuit vox avis Paradiſiaca, hodie mecum eris in paradiſo.* Tertium verbum fuit vox philomelæ, *Mulier, ecce filius tuus, ecce mater tua.* Quartum verbum fuit vox ſitientis cervi, *ſitio.* Has voces audiviſtis hactenus. Quintum verbum merito vocare poſſum *vocem turturis*; nunquam enim illa magis gemit, quam cum ſe ſolam & deſertam videt. Bonus Jeſus in cruce, in ſuo agone ab omni-

§. 33. *Ingreſſus ad expoſitionem verbi quinti.*

omnibus adeo deſertus fuit, ut dixerit, *Deus meus &c.* hanc vocem deinceps paucis explicabo.

§. 34. *Qua ratione Filius à patre fuerit derelictus.*

Cum trihorium quo filius Dei inter immanes dolores pependit in cruce, quo in ſummo ſilentio ferventiſſime pro nobis ad Patrem oravit, cum inquam hoc trihorium flueret ad finem, & jam trihoriæ tenebræ recederent, Chriſtus de cruce, voce tanta, ut ab omnibus circumſtantibus audiretur, elevatis ad cœlum quantum potuit oculis, clamavit: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me.* Hæc verba partim Syriace, partim Hebraice pronuntiavit, *Eli, Eli, lamma ſabactani*; ſimilibus verbis David incepit Pſ. 21. *Deus meus, Deus meus, reſpice in me, quare me dereliquiſti?* quibus David inter hoſtes, in perſona Chriſti ſe deſertum conqueritur. *Deus meus*, quaſi diceret O Pater, qui nullum relinquis, me in hac extrema lucta ſine omni relinquis ſolatio? Sed quomodo? Ille à Deo & patre deſertus eſt, de quo ipſe dixit Matt. 3. cap. v. 17. *Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi bene complacui*, cui dixit, *filius meus es tu, ego hodie*, (id eſt ab æternitate) *genui te*; cui promiſit, *Ego ero illi in Patrem, & ipſe erit mihi in filium*, cui dixit per Iſ. c. 42. v. 1. *Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus in quo bene complacuit animæ meæ*, hiccine queritur ſe à Deo, à patre deſertum? ille, qui eſt candor lucis æternæ & ſpeculum majeſtatis divinæ, imago bonitatis divinæ, ſplendor gloriæ divinæ, figura ſubſtantiæ divinæ, qui ſedet ab æterno ad dexteram majeſtatis Dei, verbo, qui Deus eſt, qui filius Dei eſt, à Deo, à Patre! ſe deſertum queritur in tantis anguſtiis, in cruce, in tali agone. Cum David ſe à Deo derelictum teſtari vellet, dixit. v. 8. ex Pſ. 87. *Super me confirmatus eſt furor tuus, & omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me. Clamavi ad te Domine tota die, expandi ad te manus meas, ut quid repellis orationem meam, & avertis faciem tuam à me?* potiori jure hæc Chriſtus dicere potuit, quis non ſtupeat, innocentiſſimus filius, ex ſanguineis verticibus torrentis Cedron, ad Deum, ad Patrem, ſanguineas expandit manus, clamat voce magna, & Deus, & Pater in furore judicis, ſepoſito omni amore, erga talem filium, hanc orationem, hos clamores amariſſimi cordis, hos gemitus; has lachrymas repellit? O pater, qui in cruce moritur, filius tuus eſt, & faciem avertis? Ipſe ſuam faciem

ciem ad te ſolum convertit, faciem eheu! lividam! faciem, eheu ſauciam! & tu tuam avertis? hoc tanto fuit dolori amantiſſimo meo Jeſu, ut voce magna de hoc conquereretur. Cum Job de re hac querelas exponeret, ſic ait c.16.v.13. *Tenuit cervicem meam confregit me, circumdedit me lanceis ſuis, convulneravit lumbos meos, non pepercit, & effudit in terra viſcera mea, concidit me vulnere ſuper vulnus, irruit in me quaſi gigas. Facies mea intumuit à fletu, & palpebræ meæ caligaverunt.* Hæc paſſus ſum abſque iniquitate manus meæ, cum haberem mundas ad Deum preces, & tamen iratus eſt contra me furor ejus, & ſic me habet quaſi hoſtem ſuum. Dixit hæc in perſona Chriſti. Confracta fuit cervix Chriſti, tot alapis, tot percuſſionibus arundinis, tot ſpinis coronæ, tanto pondere crucis: lanceis fuit circumdatus, cum gentilium & Judæorum armis fuit circumdatus in horto, & magis cum lancea divinum ejus cor trajiceretur. Convulnerati ſunt lumbi tot vulnerum millibus & talibus vulneribus, ut multis locis præſertim in lateribus & humeris paterent oſſa: conciſus eſt vulnere ſuper vulnus, quia totum corpus unum vulnus fuit. Vulneribus primis per repetita flagra, ſpinaſque addita ſunt nova. Irruit in illum gigas, cum immanes illum lictores cruci affixerunt: gigas fuit, qui inflixit colaphum, gigas qui detraxit tunicam, nec defuit fletus uberrimus. In his anguſtiis, in cruce per tres horas mundiſſimas fudit preces ad patrem, & tamen non eſt exauditus, imo in tantum acerbitatis cumulum excreverunt anguſtiæ, ut alta voce à Patre ſe derelictum teſtaretur: Verbo; habitus fuit, non ut filius, ſed ut hoſtis, ob noſtra peccata derelictus fuit à Patre. Verum verba hæc bene ſunt intelligenda. Siquidem hæretici nonnulli terribilibus blaſphemiis illa explicarunt. Sunt qui dixerunt ceſſiſſe à Chriſto Deitatem, ut mortuus ſit purus homo; blaſphemia eſt, Chriſtus filius Dei pro nobis mortuus eſt, puri hominis mors nobis nihil profuiſſet; impudens Calvinus auſus fuit dicere, Chriſtum in cruce cum hæc dixit, deſperaſſe; taceo ſimilia, vos ita intelligite, breviter & clare.

Potuit Deus ſive Pater cœleſtis, ſi voluiſſet, paſſionem & mortem filii ſui multis modis impedire, vel lenire. Ideo Chriſtus in horto, ad Patrem dixit, *Pater omnia tibi poſſibilia ſunt, tranſeat* §15. *Proſecutio.*

calix hic à me, ſed non quod ego volo, ſed quod tu; & ad Petrum; *An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi plus quàm duodecim legiones Angelorum*, Matt. 26. v. 53. Filius Dei, poſtquam affixus fuit cruci, potuit momento ſe liberare, vel ſi mori voluit & debuit, & in cruce potuiſſet id fieri, modo aliquo mitiori, non ſentiendo dolores, non impediendo ſolatia, quæ anima beata poterat transfundere in corpus. Hoc modo plurimi Martyres dolores non ſenſerunt: ille prunas calcavit ut roſas, iſte è craticula tyrannum invitavit ad epulas, alii ignibus incubuerunt ut violis, illi inter flammas, in Babylonicis fornacibus ſuaviſſime cecinerunt, multi ultro in ignes proſilierunt, multi candentes laminas, & forcipes amplexi ſunt ut lilia, multi in equuleis & cataſtis jacuerunt veluti in molli lectulo. Tantis erant intus delibuti voluptatibus in anima, ut tormenta non ſenſerint in corpore. Hac ratione dolores Chriſti facillime potuiſſent mitigari. Deus, qui Noe liberavit à diluvio, Iſaacum à gladio Patris, Jacob de manu Eſau, Joſeph ex carcere, David à gigante Goliath & manu Saulis, Jonam à ventre ceti, Danielem à leonum unguibus, Suſannam ab iniquis Judicibus, hic Deus ſuum filium potuiſſet liberare à cruce, ſed aliud placuit Patri, aliud ipſi Filio, aliud Spiritui Sancto, ſanctiſſimam illam humanitatem, non liberare, ſed cruciare conſtitutum erat, imo velle ut atrocia pateretur, ut in cruce moreretur; & in hoc Pater deſeruit filium, id quod Jeſu, licet volenti, durum adeo fuit, & tantus dolor, ut voce magna, forti clamore, hanc derelictionem publice de cruce vicinus morti conteſtari voluerit his verbis, *Deus meus &c.* non accuſando Patrem, non indignando, non proprie conquerendo, ſed dolorem ſuum manifeſtando. Innuere nobis voluit ſe pro nobis mori ſine omni ſolatio & conſolatione, qua tamen perfrui potuiſſet, ſed ut major eſſet amor, & major dolor, omnia quæ ſolatio eſſe potuiſſent, etiam ipſam Patris aſſiſtentiam reſpuit. Quæ juxta crucem ſtabat Mater, ſolatio non fuit, ſed dolori; & illa opem ferre licet voluiſſet, non potuit. Pater potuit, ſed non voluit, voluit autem ut filius plus pateretur. Et filius acceptavit, ut fortius diligeret; in parte inferiori intolerabiles erant pœnæ, & tamen à parte ſuperiori ſive divinitate, ſive gloria animæ, nihil ſolatii accepit, ſed
relicta

Digitized by Google

relicta fuit, ut pateretur quantum poſſet. v.g. In capite paſſus eſt quantum potuit: In oculis paſſus eſt quantum potuit: In genis & maxillis quantum potuit: In labiis & ore, quantũ potuit: In barba, quantum potuit, in collo, quantum potuit: in humeris quantum potuit: in dorſo quantum potuit: in ventre, quantum potuit: in manibus & brachiis quantum potuit: In pectore & corde, quantum potuit: In cruribus & pedibus, quantum potuit, in venis & arteriis, quantum potuit: in nervis & oſſibus, quantum potuit, denique in toto divino corpore quantum fuit poſſibile, paſſus eſt Jeſus patientiſſimus, ſed quia dolor ille erat abſconditus intus in anima; illum ante mortem his verbis indicare voluit.

Cardinalis Bellarminus hæc verba Chriſti ſic explicat: *Chriſti D. gloria & excellentia,* de qua S. Joannes ait c.1.v.14. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre plenum gratiæ & veritatis, poſita erat in potentia, ſapientia, probitate, majeſtate regia, beatitudine animæ, & dignitate divina, quam habuit, ut verus & naturalis Dei filius, hæc omnia, ſive hanc gloriam Paſſio valde obſcuravit.* Obſcurata eſt potentia, quia affixus cruci nihil videbatur poſſe, ideo Principes & milites ei improperabant, *ſi tu es Chriſtus deſcende de cruce, alios ſalvos fecit &c.* Obſcurata eſt ſapientia, cum coram tot Judicibus nihil reſpondit, cum ab Herode veluti fatuus eſt illuſus. Obſcurata eſt ejus ſanctitas & innocentia, dum veluti reus inter duos latrones moritur. Obſcurata eſt majeſtas regia, dum pro aurea corona impoſuerunt ſpineam, dum pro ſceptro dederunt arundinẽ, pro throno, patibulum. Obſcurata eſt gloria animæ, cum eum fecerunt *virum dolorum & ſcientem infirmitatem, & deſpectum, & noviſſimum virorum.* Iſ.53.v.3. denique obſcurata eſt celſiſſima dignitas ejus perſonæ, cum factus eſt *vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis.* Pſ.22.v.7. hæc & plura talia potuiſſet Deus impedire; ſed non fecit, imo voluit, ut hæc pateretur, & hoc ſenſu Deus Chriſtum, Pater filium dereliquit. *§.36. Alius ſenſus hujus derelictionis.*

Eſt & alius pulcherrimus interpretum ſenſus. In graviſſimis tormentis crucis, vidit Chriſtus Dominus clariſſime velut in ſpeculo, hinc omnes ſalvandos, quibus ſuus ſanguis & mors eſſent profutura: Hinc vero vidit tot milliones damnando- *§.37. Alius.*

Digitized by Google

rum, pro his vidit ſe fruſtra hæc pati, fruſtra pro his vidit ſe ſanguinem ſudaſſe in horto, fruſtra ligatum ſe funibus, fruſtra flagellatum ſe virgis, flagris, funibus atque catenis, fruſtra infixas ſibi ſpinas in capite, fruſtra bajulaſſe ſe crucis lignum tam ponderoſum, fruſtra in crucem ſe actum, fruſtra tam ſævos clavos in ſuas manus pedeſq; adactos, fruſtra in ſuum cor directam Longini lanceam, denique fruſtra vidit omnia ſua tormenta, tam multa, tam dira atque horrenda, tolerata; quando hos omnes impios tanto numero ac copia vidit deſerendos à Patre, in omnem æternitatem. Hic dolor ita transfixit tenerrimum Jeſu pectus, adeo hoc ſenſit, nimirum acutius quam clavos, fortius quam ſpinas, acerbius quam vulnera vel crucem; adeo hoc ſenſit, ut in perſona illorum clamarit ad Patrem: *Deus meus, Deus meus*, quaſi diceret, O Pater pro his ego pendeo in cruce, & tamen ardebunt; O Pater quid in illis me deſeris, nunquid pro illis ego jam ſanguinem ſudavi in horto? & illi adhuc ſanguinem ſudabunt inter flammas in inferno? Nunquid pro illis me vinculis funibuſque conſtringi paſſus ſum? Et illi adhuc innectentur catenis damnationis æternæ, ſic ut manus pedeſque ligati mittantur in tenebras exteriores? nunquid pro illis ego tot ictus ſuſtinui ad columnam flagellatus? Et in illos æternum adhuc ſæviet furioſa dæmonum multitudo, flammeis armata flagellis? O mi Pater, nunquid pro illis coronatus ſum ſpinis; & illi adhuc jacebunt inter ſpinas æternæ maledictionis? O mi Pater! nunquid pro illis mortem ſubeo. An non pro illis bibo acetum, & illi nihilominus potabuntur ſulphure in omnem æternitatem; Voluiſſet Chriſtus Dominus omnes ſalvare ſed quia Deo hoc non placuit, quia in hoc preces ejus exauditæ non ſunt, merito ſe in hoc derelictum & deſertum queritur. Et me, & te, meam, tuam animam tunc Chriſtus habuit præ oculis, ſed in quorum numero? hoc Deus ſcit, rogemus ſæpe per amaram Chriſti paſſionem, per ſuprema verba, ut in æternum nos non deſerat Deus.

§ 38. *Digreſſio ad B. V.* Sed ſi filius Dei in ſuprema lucta, in cruce à Patre deſertus eſt, quid mihi, quid tibi fiet? O mi Jeſu per tua vulnera! ſaltem tu tunc me non deſere. Ut vero & Filius & Mater B. V. nos tum non deſerant, mementote ſæpe illius doloris, illius gladii, qui Virgineum

cor

Digitized by Google

cor transfixit, cum audivit has querulas voces filii ſui de cruce; ſed de ejus doloribus modo hoc unum dico, quod ſupra de Filio dixi, paſſus eſt filius in corpore quantum pati potuit, paſſa quoque eſt Mater ſed in corde, quantum pati potuit. In revel. S. Brig. ait B. Virgo. *Cum dixit, Deus meus, apertum eſt os ejus, & lingua ejus videbatur tota ſanguinolenta.* Addo ego hic dictum S. Aug. ſer. de paſſ. *Nam qui devote conſideraret, ex quam anxio gemitu, ex quam alto ſingultu, ex quam profundo luctu, ex quam amaro planctu hæc vox in cruce proruperit ab ore Domini Ieſu, nullus eſt, ſi haberet pectus ferreum qui non molliretur compunctione.*

Punctum VI.

DE SEXTO VERBO.

Conſummatum eſt.

Joan. 19. v. 30.

PRiori puncto audiviſtis primum verbum Chriſti in cruce prolatum, *pater dimitte illis*, fuiſſe vocem Agni, alterum, *hodie*, vocem avis paradiſiacæ, Tertium, *Mulier &c.* vocem philomelæ, Quartum, *Sitio*, vocem ſitientis cervi, Quintum *Deus meus, Deus meus*, vocem turturis, quæ in vere gratiæ, in monte Calvariæ, in palma crucis audita eſt, jam ſtatim audietis, vocem cygni: hæc enim volucris cum morti ſe vicinam advertit, cantillat ſuaviſſime. Itaque reliqua verba, quæ Chriſtus in cruce paulo ante mortem protulit, vox cygni optime dici poſſunt. Sextum Chriſti verbum duas continet voculas; *conſummatum eſt*. Affectuoſe S. Brigitta. Poſtquam dixit Deus meus, &c. tunc color & horror mortis omnia Chriſti membra invaſit, coſtæ ita attenuatæ ſunt, ut dinumerari potuerint, & cum cor ita prope ſciſſionem eſſet, totum corpus contremuit, capilli & barba horruerunt, tum dixit Conſummatum eſt. Literalis ſenſus hic eſt; Opus conſummavi, quod dediſti mihi ut facerem, manifeſtavi nomen tuum hominibus. De altero, poſtquam ſcilicet omnia paſſus eſſet, quibus præluſerant victimæ, ſacrificia & figuræ, poſtquam paſſus eſſet omnia, quæ prædixerant prophetæ, præcipue Iſaias, Jerem & David in Pſalmis; poſtquam

§. 39. *De Sexto verbo.*

Digitized by Google

totum calicem à Patre paratum ebibiſſet, & non reſtaret niſi ultima gutta, ſed amariſſima, ſcilicet mors crucis, quam tamen jam jam bibiturus,erat, conſummatum eſt. Hoc futurum pridie prædixerat, Luc.18. v.31. *Ecce aſcendimus Jeroſolymam, & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per prophetas de filio hominis.*

§.40. *Varia ejus expoſitio.* Probabile eſt Chriſtum in cruce hoc verbum protuliſſe voce Hebræa, ſcilicet *Niſchlam*, id eſt, *conſummatum eſt*. S. Joannes Græce vertit, τετέλεσται. Syriacus, *haam ſchalam*. Vox autem illa hebræa habet plures ſignificationes. Subinde 1. ſignificat id quod ſolutum vel reſtitutum eſt. Subinde 2. quod perfectum eſt. Subinde 3. idem eſt, quod pacatum, pacificatum, reconciliatum eſt. Omnes hæ ſignificationes fundamentum habent in ſcriptura & mirifice conveniunt paſſioni & morti Domini. Nam per illam primo, Debitum quod Adamus contraxerat, & nemo hominum exſolvere potuerat, ipſe ſolvit ac diluit; at poſtquam fecit, antequam moreretur, hoc nobis innuere voluit, pro ſolatio; *Conſummatum eſt*. id eſt debitum generis humani ſolutum eſt. Secundo perfecit hoc cum ſumma perfectione, ad rigorem Juſtitiæ, copioſa redemtione, ſumma ſanctitate & innocentia, exercitio nobiliſſimarum virtutum; & hoc nobis innuere voluit, pro exemplo, & imitatione, ut ſciamus, qua ratione & nos opera noſtra perficere debeamus. Tertio. *Conſummatum eſt*, idem eſt, quod pacificatum eſt, ipſe enim fuit verus Salomon, & pax noſtra, ipſe mediator eſt, qui per mortem crucis nos Patri reconciliavit, pacificans per ſanguinem ſuum, ſive quæ in cœlis, ſive quæ in terris ſunt, prout Apoſtolus loquitur: Omnes has & alias ſignificationes pulcherrimis verbis proſequitur Taulerus in exercitat. de vita Chriſti, ſuper hoc verbum. *Conſummatum eſt quidquid æterna ſapientia conſtituerat, quidquid æterna voluntas conſtituerat, quidquid Juſtitia rigida pro ſingulis exigebat, quidquid caritas amanter poſcebat, quidquid erat promiſſum Patribus, quidquid myſteria, figuræ, ceremoniæ & ſcripturæ præſignarant, quidquid ad noſtram redemptionem erat accommodatum ac neceſſarium, quidquid in noſtris abolendis debitis erat conducibile, quidquid glorioſum atque amicabile eſſe poterat ad ſublimem demonſtrandum amorem, quoque* (pro noſtro bono) *deſiderare potuiſſemus,*

quid-

Digitized by Google

quidquid demum honeſtum ac congruum erat glorioſo mirificæ redemtionis noſtræ triumpho celebrando, atque victoriæ, cuncta hæc iſto ſunt determinata verbo: Conſummatum eſt.

Vita & paſſio Chriſti, dura fuit peregrinatio, per torrentem Cedron, per mare rubrum pretioſi ſui ſanguinis, ſed tandem conſummata eſt. Eia anima Chriſtiana, eſtne tibi prædurum bajulare crucem? eſt via crucis tam aſpera? confide, ſponſus tuus prævit, & conſummabis brevi. Vita & Paſſio Chriſti acre fuit prœlium contra terribiles hoſtes; tandē felici conſummatione per crucem obtinuit victoriam: iidem hoſtes tibi debellandi ſunt, & iiſdem armis, pugna ut bonus miles, conſummabitur brevi, victori paratum eſt præmium. Vita & paſſio Chriſti, fuit ſacrificium immaculatum, in quo Sacerdos fuit Jeſus, Deus homo, ara, crux: hoſtia, Agnus Dei, ignis holocauſti, caritas; fructus ſacrificii, mundi redemptio; ſed conſummatum eſt; & fructus noſtri ſunt. Denique verbum hoc ſignificat, Chriſtum Dominum vitam feliciſſima clauſula conſummaſſe; ſic & vos vivite, ut quivis coram Judice in hora mortis dicere poſſit, peregrinationem meam, meum certamen, meum ſacrificium, meam vitam ſic conſummavi, ut ſperem intrare in gaudium Domini. S. Aug. ſer. de Paſſione. *Cum Ieſu qui eſt* Alpha & Omega, *non eſt præmium in inchoatione, ſed in conſummatione; non datur denarius incipientibus, ſed finientibus, & corona, non currentibus, ſed invenientibus.* §. 41. *Vita Chriſti fuit peregrinatio, prælium, &c. omnia ſunt conſummata.*

Punctum VII.

DE SEPTIMO VERBO.

In manus tuas commendo ſpiritum meum.

Luc. 23. v. 46.

NUnc tandem ultimum verbum morientis noſtri in cruce cygni audite. Sic habet textus Luc. 23. v. 46. *Et clamans voce magna Ieſus, ait, Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum & hæc dicens exſpiravit.* Exangues & ſemianimes clamare plerumque nequeunt, imo vix exili voce loquuntur, & tenuiſſimum exha- §. 42. *In ultimo verbo tria præcipue conſideranda ſunt. 1. Clamor.*

exhalant ſpiritum, & Jeſus in agone clamat? Tria ponderanda ſunt. Primo, Clamor. Secundo, Inclinatio capitis. Tertio, Emiſſio ſpiritus. Probabile eſt ad hunc clamorem de novo contremuiſſe terram, montes concuſſos, diſſiliiſſe ſaxa, obſtupuiſſe dæmonem, contabuiſſe infernum. Centurio, cum illam vocem audiret fieri ab homine, qui tantum ſanguinis effudiſſet, dixit, *vere filius Dei erat iſte*. Clamat primo; ut oſtendat majorem ſibi ineſſe potentiam, quam apparet. Secundo. Clamat voce magna, ut egregius de morte triumphator. Tertio. Clamat ut Rachel in partu Benoni, ſive filii doloris, ſive dexteræ excelſi. 4. Clamat ut leo rugiens ob famem animarum. 5. Clamat ut leo, ut terreat infernales beſtias detinentes prædam. 6. Clamat! & hoc clamore oſtendit ſe non neceſſitate, ſed voluntate mori. 7. Clamore hoc morti ſignum dedit, datam ſibi poteſtatem faciendi ultimum aſſultum erga divinum cor. 8. Denique clamat, ut oſtendat in quibus eſſet doloribus & anguſtiis. Dolores enim graves cauſant clamorem. Clamat. 9. moriens Jeſus, ut doceat quomodo & nos in articulo mortis clamare debeamus, tum ſcilicet cum jacitur alea æternitatis, mirabile quid refert Beda ſupra brachium ſiniſtrum crucis hæſiſſe diabolum intentum, an forte jus aliquod in illum habere poſſet, neque ceſſiſſe, donec ſpiritum emiſit. Quid nobis fiet; oremus modo, cum poſſumus, frequenter, ferventer, *Pater, &c.* 10. Clamat ut oſtendat ſe mori orando. 11. Clamat ad movenda dura corda. Denique clamat, ut Patrem moveat ad miſericordiam pro peccatoribus.

§. 43. *Proſecutio.* *Pater, in manus tuas, &c.* *Pater*, in ſupremis anguſtiis hoc dulciſſimo nomine ſe ſolari voluit, *Pater*, quaſi diceret, ecce jam filius tuus ſum, & filius obediens uſque ad mortem. Manus Dei in ſcriptura vocantur, *Dei attributa & perfectiones, ſed præcipue intellectus omnia ſciens, & voluntas omnia potens*. *Commendo*, id eſt, quaſi in depoſitum trado, ut quod trado brevi mihi reſtituatur; *Spiritum meum*, id eſt, non tam animam, (hæc enim quia Deitati fuit conjuncta, & beata, & victrix, in nullo fuit periculo; nec dæmones illam terrere potuerunt, ſicuti homini accidit) ſed vitam corporalem, ut ſenſus ſit, Pater, jam deſinam vivere, jam vitam meam pono, ſed

Digitized by Google

ſed illam tibi commendo, ut brevi mihi reſtituas. De hac oratione proprie intelligendus eſt verſus ille c. 5. v. 7. ep. ad Hebr. *Qui in diebus carnis ſuæ preces, ſupplicationesq; ad eum, qui poſſit illum ſalvũ facere à morte* (non, ut non moreretur, ſed ut vita reſtitueretur) *cũ clamore valido, & lachrymas offerẽs exauditus eſt pro ſua reverentia.*

His dictis ultimum inclinavit caput. Primo. Sic Patri profundiſſimam exhibens reverentiam, in ſignum profundiſſimæ humilitatis & obedientiæ. 2. vere pauper, quia in morte non habuit, ubi caput reclinaret. O pii Sacerdotes! quæſo eſtne inter vos, qui mihi concedat cor ſuum? ideo peto, ut ſupponam capiti Chriſti! O pii conjuges veſtra, veſtra etiam hic corda deſidero! accommodate mihi illa, ut & ego Jeſu meo in cruce morienti accommodem; ſed corda peto amantia, corda pura, corda concordia! O Juvenes Virginesque, huc huc veſtra quoque corda conferte, ſed caſta corda, corda amore Dei inflammata, corda Deum timentia! hæc ſi habuero totidem ex iis pulvinaria, quæ amantiſſimi mei Jeſu capiti ſupponam. 3. ſic ultimum matrem & omnes circumſtantes ſalutavit, inclinans caput ad dexteram, ad quam ſtabat Mater; ſolet enim moribundus in illum conjicere oculos, quem maximè amat. 4. ſic moriens oſculum pacis nobis obtulit. 5. caput inclinavit, ob grave pondus peccatorum, quod jamjam erat excuſſurus. 6. oſtenſurus Longino, ubinam pretioſiſſimus lateret theſaurus, ſanguis cordis. 7. inclinatione capitis repetit ſuaviſſima ſua verba, *Venite, &c.* 8. caput inclinat, demittit faciem, ne in agone aſpiciat iratum vultum Patris. S. Aug. in Ev. *Hanc pœnam videndi Deum, ut judicem iratum, damnatis reliquit.* 9. O animæ piæ, jamjam tempus eſt petendi, quidquid vultis, jã clamate, capite annuit ſe preces noſtras velle exaudire jã vos clamate. §. 44. *2. Inclinatio capitis.*

Sic tandem inclinato capite, Jeſus exſpiravit, & ſic organum & cithara Divinitatis, ſive vox dulciſſima Jeſu lugubri mortis ſilentio conticuit, tunc conticuit Agnus, tunc ſiluit philomela, tunc vocem expreſſit avis paradiſiaca, tunc curſũ inhibuit cervus ſitiẽs; tunc vox turturis audita nõ eſt amplius; tunc cantum finiit cygnus noſter, cũ vitam finit. hæc mors eſt materia aliarum concionum. Ajunt S. Brigittæ eſſe revelatum, illo momento, quo Chriſtus in cruce exſpiravit, omnium hominum, qui tum vixerunt ſubitũ invaſiſſe dolo- §. 45. *Emiſſio ſpiritus, cum ingenti matris & omnium creaturarum dolore.*

Digitized by Google

rem & vehementem Præ omnibus illum dolorem ſenſit B. Virgo. Dicunt pii auctores, triſtiſſimam Matrem, cum ultima verba audivit, cum vidit, cum advertit mori, dixiſſe, Fili mi Jeſu, Jeſu fili mi! quis mihi det, ut tecum moriar! fili mi! dulcis Jeſu! dicamus ſimilia, ut aliquando moriamur morte juſtorum.

§. 45. *Emiſſio ſpiritus, cum ingenti matris & omnium creaturarum dolore.*

Cum dilectus filius alicujus matris proficiſcitur in regionem longinquam, mater diligentiſſime intuetur faciem, frontem, oculos, genas, capillos, ut ſit memor; qualis diſceſſerit filius, vivam quaſi ejus imaginem imprimit phantaſiæ ſuæ. Aliquæ matres à pictoribus prius curant fieri ideam, hanc ponunt ante oculos. hinc ſuavis memoria filii, hinc mille ſuaviſſimæ de illo cogitationes. Subinde referunt; his verbis meus filius in diſceſſu ſupremum me fuit allocutus, vale Mater vale memor, vive memor tui nati; vivam & ego tui non immemor. Vale mater; & ſi quæ juvenili licentia contra debitam materno nomini pietatem deliqui, ignoſce. Vale mater, poſt annos pauculos, Deo dante, reviſemus nos mutuo. Vale mater, & pro collatis in me hactenus beneficiis gratias habe filiales, hoc eſt quam poſſum maximus. Vale mater, & mei in precibus ſis memor. Jamjam diſcedo. Huc itaque huc ad montem Calvariæ, O piæ animæ, elevate adhuc ſemel oculos in crucem, animæ piæ, jamjam adeſt momentum, ut dilectiſſimus noſter ſponſus ex hoc mundo vadat ad Patrem, in regionem longinquam, ſi illum amatis; quæſo prius bene inſpicite faciem, videte oculos, ecce qualis diſcedit, ad hunc finem inclinat caput, ut faciē poſſitis melius inſpicere. Vivaciſſimam ejus cordibus veſtris imprimite imaginem, ipſi eſtote pictores. Ut impoſterum apud nos ſit jugis memoria ejus formæ, in qua à nobis diſceſſit, ut hinc in nobis oriantur mille piæ & ſuaves cogitationes. Cogitate frequenter, hæc fuerunt ultima ejus verba; pro crucifixoribus dixit; *Pater, &c.* de B. Virgine dicit P. Buſæus quod hæc verba ſub cruce audita, inſculpſerit cordi profundiſſime, ſemper deinde illorum memor. Quæſo Auditores, idem faciamus; repeto breviſſime meum Exordium, O ſi ego igneos hos globos ex corde Chriſti, & ejus ore poſſem devolvere, utinam ſcriberem characteribus igneis! Charitas erga Jeſum crucifixum. O ignei amoris miniſtri Cherubi-

rubini ac Seraphini! huc huc mihi mille afferte calamos; mille calamos ocyus afferte; atramentum non eſt quod conferatis, intingam illos in pretioſo ſanguine demortui Salvatoris, & in meo primum, tum in omnium meorum Auditorum cordibus ſanguineis notis inſcribam has literas, Jeſus amor noſter crucifixus eſt! Jeſus amor noſter mortuus eſt! Jeſus amor noſter Longini lancea transfixus eſt.

CONCIO XX.

FESTO GLORIOSÆ RESURRECTIONIS CHRISTI.

Surrexit.

Marc. 16. v. 6.

SYNOPSIS CONCIONIS.

OStendit, adverſarios & hoſtes Chriſti, cogitaſſe inania ex pſ. 2. *Defecerunt conſilia illorum.* Crucifixus reſurrexit à mortuis.

§. 1. *Chriſtus ſurrexit à mortuis.*

§. 2. *Iudæi Chriſtum crucifixerunt, inter duos latrones, ut & ipſe talis haberetur.*

§. 3. *Crux ejus facta eſt glorioſa.*

§. 4. *Et ita Iudæi, & omnes hoſtes Chriſti, meditati ſunt inania.*

§. 5. *Fruſtra voluerunt impedire reſurrectionem.*

§. 6. *Ipſe diabolus contra Chriſtum nihil potuit.*

§. 7. *Quare nox paſſionis, vocetur tempus deliciarum.*

§. 8. *Hoſtes Chriſti, voluerunt eradere nomen ejus, & fecerunt illud longe glorioſius.*

§. 9. *Voluerunt illum veluti dracones, devorare, & devorati ſunt.*

§. 10. *Proſecutio, & altera figura.*

§. 11. *Sub pedibus Chriſti gemit devictus diabolus, cum ſuis aſſeclis.*

§ 1. *Christus resurrexit à mortuis.*

IAm hyems tranſiit, imber paſſionis abiit & receſſit, quia ver miſericordiæ incepit, Jeſus crucifixus, factus eſt Nazarenus, ſurrexit à mortuis. Non eſt hic, inter manus lictorum non eſt amplius. Inter virgas & ſpinas! non eſt amplius. In cruce, in ſepulchro, non eſt amplius. Surrexit, ſpecioſus & formoſus in gloria ſua! Itaque gratulari illi poſſumus cum Drogone ſer. de ſacram. D. Paſſ. *Data eſt tibi Domine Ieſu, omnis poteſtas in cœlo & in terra.* Magne Rex virtutum! quia factus es obediens Patri, uſque ad mortem, mortem autem crucis; ecce elevata eſt magnificentia tua ſuper cœlos, & omnia ſubjecta ſunt pedibus tuis. Surrexit! ad crucem alligatus eſt diabolus, &c. Sed, ut bene advertit Tertullianus. l. de cor. mil. c. 14. *Non ante Rex gloriæ, à cæleſtibus eſt ſalutatus, quam Rex Iudæorum, proſcriptus in crucem. Specioſus forma præ filiis hominum, pro filiis hominum illuminandis, obſcuratus fuit in paſſione, turpatus in cruce, expalluit in morte, ex toto non fuit ei ſpecies.* Sed ſurrexit! totus pulcher! ductus ad patibulum, portavit crucem, in qua meruit Principatum, ait gloſſa in c. 9. Iſ. v. 6. *Surrexit*! hoc eſt, quod deinde S. Petrus dixit actor. 2. v. 36. *Certiſſime ſciat omnis domus Iſrael, quia & Dominum eum, & Chriſtum fecit Deus, hunc Ieſum; quem vos crucifixiſtis.* Reſurrectio tam glorioſa, tanta exaltatio, ait S. Cyprianus, *merces fuit obedientiæ & mortis, atque crucis ſtipendium.* S. Anſelmus. *Nec major humiliatio, nec major exaltatio fieri potuit.* Quam proinde ejus hoſtes, qui illum crucifixerunt, fuerint decepti, hac concione exponam, unica hac vocula, *ſurrexit.*

§. 2. *Judæi Chriſtum crucifixerunt, inter duos latrones, ut & ipſe talis haberetur.*

Poſt ſanctam & glorioſam Chriſti Domini reſurrectionem, dicere poſſumus cum S Joanne Chryſoſtomo ſer. 7. in ep. ad Philipp. *Propterea* (his diebus) *inter duos latrones cruci affixus eſt, ut eadem de ipſo, ac de illis exiſtimatio eſſet, atque impleretur, quod dictum eſt, Et cum iniquis reputatus eſt, ſed tanto magis elucet veritas, tanto illuſtrior redditur.* Longe enim pulchrius, atque admiratione dignius ſpectaculum apparet; cum tot ab hoſtibus, adverſus ipſius gloriam, artificiis ac machinis adhibitis, ſplendet tamen illa & fulget. Quænam Judæi non excogitarunt? quæ non dixerunt, quæ non fecerunt? quos non invenerunt do-

Digitized by Google

los? quæ media non adhibuerunt, ut Chriſtus haberetur pro latrone; pro viro noviſſimo virorum? quibus nebulis non tentarunt obſcurare clariſſimum ſolem, ejuſque radios, dicta opera & miracula? Et fuit obſcuratus in ligno crucis. Sed hodie, à Chriſto reſurgente, veluti luciſſimo ſole, nubes diſſipatæ ſunt, in nihilum abierunt ſynagogæ inventiones, Chriſtus crucifixus reſurrexit.

Pergit S. Chryſoſt. hom. 88. in Matt. *Duos latrones utrinque crucifixerunt, ut eorum ſuſpicionis fieret particeps;* Per crucem putarunt illum poſſe deprimi & opprimi; ſed non ita evenit, nam de illis (de illorum crucibus) nihil dicitur; Hujus autem ubique crux honoratur. Reges diademata deponentes, aſſumunt crucem in purpuris, in diadematibus, in annis, ubique terrarum, crux Chriſti adoratur Oriens, Occidens, Meridies, Aquilo, Europa, Africa, Aſia America, coram cruce flectunt genua, & coram illo flectunt genua qui factus fuit, obediens uſq; ad mortem, & mortem crucis. ſurrexit. §. 3. *Crux ejus facta eſt glorioſa.*

Hodie poſt glorioſam reſurrectionem exclamare poſſumus cum regio Pſalte, Pſ. 2. v. 1. *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? aſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus.* Scelerati Principes Synagogæ! ad quid tot conjurationes excogitaſtis? contra Deum & Meſſiam? Excogitaſtis inania! Nunquid putaſtis vos poſſe per infamem mortem, ipſum & ipſius famam atque memoriam extinguere? Putaſtis inania! Vivit! & memoria ejus eſt in gloria atque benedictione. Omnia quæ fecerunt Judæi ad hunc finem, ſunt inania. Inania! Voluerunt obſcurare gloriam Chriſti, & hodie ſplendet magis. Inania: Crucifixerunt illum inter duos latrones tanquam ſceleratum; hodie reſurrectio ejus paſſim vocatur ſanctiſſima. Inania! affixerunt cruci, putantes fore, non habendum filium Dei, contingit contrarium; totus mundus hodie id credit. Inania! noluerunt illum habere pro Rege, velint, nolint, ipſi ob ingentia miracula coguntur dicere, *vere Filius Dei eſt!* cum jubilo, cum lætiſſimo Alleluja, applaudimus illi verbis, quæ in titulo crucis Pilatus juſſit, ſcribi, Jeſus Nazarenus Rex Judæorum. *Inania!* ut ait gloſſa S. Thomæ, *Meditati ſunt, credentes eum occidere totaliter, ſcilicet, quod non reſurgeret, ſed reſurrexit.* §. 4. *Et ita Judæi, & omnes hoſtes Chriſti, meditati ſunt inania.*

§5. *Fruſtra voluerunt impedire reſurrectionem.*

Meditati ſunt inania. S. Aug. in Pſ.63.v.7. ait, *defecerunt ſcrutantes ſcrutationes, conſilia mala.* Eo enim perduxerunt ſuas inventiones, ut mortuo jam Domino, & ſepulto, futuram, quam timebant reſurrectionem, impedirent, ut cuſtodes poſuerint ad ſepulchrum. Dixerunt enim Pilato, *ſeductor ille, dixit adhuc vivens, poſt tres dies reſurgam. Iube itaque cuſtodiri ſepulchrum, uſque in tertium diem, ne forte veniant diſcipuli ejus, & furentur eum, & dicant plebi, ſurrexit à mortuis. Et abeuntes munierunt ſepulchrum, ſignantes lapidem, cum cuſtodibus.* O inanes cogitationes. Reſurrexit die tertia; & miracula facta ſunt circa ſepulchrum, citius fuit ortus ſol, factus eſt terræ motus, revolutus fuit ponderoſus lapis, apparuerunt Angeli, aperuerunt ſe ſepulchra ut ipſi milites & cuſtodes, facti ſint teſtes Reſurrectionis. Vere defecerunt ſcrutantes ſcrutationes. Scrutatio invida, conſilium peſſimum fuit, ad majus Chriſti ludibrium & tormentum; coronetur ſpinis! ſed *meditati ſunt inania*, defecerunt, nihil effecerunt; ſpinea corona mutata eſt in ſplendidum gloriæ diadema; flagella mutata ſunt in ſceptra, columna hiccine ſanguine cruentata, mutata eſt in columnam honoris & gloriæ, lictorum atque carnificum loco ſucceſſit immenſa cohors Angelorum. Vulnera tranſierunt in inſignia, verbo nova ſunt omnia; ignominiam gloria, dolorem voluptas, hyemem æſtas, amaritiem expulit dulcedo.

§.6. *Ipſe diabolus contra Chriſtum nihil potuit.*

Primus horum conſiliorum auctor fuit diabolus; inſpirando invidis Judæis tam inania conſilia; de quo S. Chryſoſtomus ait hom. 84. in Joan. *Voluit dæmon rem ipſam tegere, non tamen voluit.* Crucifixi ſunt tres, claruit tamen unus Jeſus, ut intelligas ejus virtute eveniſſe omnia; (factæ ſunt tenebræ, terra fuit mota, concuſſæ & ſciſſæ ſunt petræ) nemo tamen illa miracula attribuit alteri latronum, ſed ſoli Jeſu: Ita diaboli inſidiæ irritæ factæ ſunt, & in ejus caput omnia irruerunt. Non ſolum crucifixi gloriam non offendit, ſed non parum auxit: dum multi ex aſtantibus ſub cruce; aliqui ex crucifixoribus, & ipſe centurio exclamarunt, *Vere filius Dei erat iſte.* Notate particulam *iſte!* non latro à parte dextra, non ille ad ſiniſtram, ſed iſte, qui medius pendet inter illos. *Iſte,* qui à nobis flagellatus eſt, eſt filius Dei, Sed coronatus eſt ſpinis, *iſte* eſt filius

Dei.

Digitized by Google

Dei. Poſtpoſitus fuit Barabæ· *Iſte* eſt filius Dei! Aſt condemnatus ad mortem? *Iſte*, iſte eſt. At probroſam ſuffixus in crucem? at inter latrones pependit in ligno? utut ſit, *iſte*, iſte, & non alius, eſt filius Dei. Ita diabolus & omnes Judæi, meditati ſunt inania, defecerunt, decepti ſunt S. Leo ſer. 4 de Paſſ. *De inſtrumento, quod iniquitas Iudaorum paravit ad pœnam: potentia Redemptoris gradum fecit ad gloriam.* Iſte qui ante triduum mortuus eſt inter latrones, iſte hodie ſurrexit, inter choros Angelorum. Ante triduum Principes Judaici populi, in Satanæ, nomine convenerunt, effundere Innoxium Chriſti ſanguinem ille malignus fuit in medio illorum, intus eos ad omnem crudelitatem malitiamque inſtigans. Ad quid? reſpondet S. Laur. Juſtin. de triumph. Chriſti agone cap. 10. *Voluerunt inermi manu duriſsimum confringere ſilicem.* Sed! prævaluerunt? Minime! manus contriverunt ſuas; ad hunc ſilicem confregerunt capita ſua, caſſoque defatigati labore, facere potuerunt nihil. Defecerunt victi, debellati ſunt omnes hoſtes Chriſti. Qui pependit in cruce, eſt in gloria, qui mortuus eſt reſurrexit. Quo alludere videtur v. 10. c. 21. Eccleſiaſtici. *Stuppa collecta, Synagoga peccantium, & conſummatio illorum flamma ignis.* Hugo Card. *ignis infernalis.*

Qui his diebus fuit in doloribus, hodie eſt in deliciis. De quibus Regius Pſaltes dixit Pſ. 138. v. 12. *Nox! illuminatio mea! in deliciis meis.* q. d. Nox meæ Paſſionis, eſt mea gloria, meus ſplendor & gaudium cordis mei; ſed quomodo, calix tam amarus, poteſt vocari melleus? mors tam ignominioſa ſuavis? tot pœnæ, tot dolores, deliciæ? Reſpondet S. Hilarius ſuper illa verba Pſalmi. *Domino Paſſio iſta deliciæ ſunt, dum in glorioſa Reſurrectione, in clariſſimo triumpho, Victor, portas æreas confringit, dum vectes ferreos conterit, dum omnem poteſtatem diſpoliat, dum de his* (de peccato, de morte, de diabolo, de inferno) *triumphat, dum, eum, quem ad imaginem ſuam fecerat, redimit, dum deliciis paradiſi reſtituit.* Deliciarum harum nos omnes ſumus participes. Prætерito triduo, illi cum lachrymis compaſſi ſumus; cum jubilo illi applaudimus: flevimus heri, hodie cantamus. Fuimus in planctu & luctu; hodie in deliciis. Vidimus illum hoc triduo plane deformatum; non fuit

§. 7. *Quare nox paſſionis, vocetur, tempus deliciarum.*

Digitized by Google

fuit illi aſpectus. *Hodie* (ait Rupertus in cap. 5. Cant.) *Exhibete oculos veſtros, oculos interiores, videre dilectum hunc, videre aureum caput ejus, nitentes oculos ejus, reverendas genas ejus, candida & gratioſa labia ejus, tornatiles & aureas manus ejus, eburneum & ſapphiris diſtinctum pectus ejus, rectiſſima crura ejus, manus & pedes liberos à clavis, rutilantes. Vulnerum cicatrices, & tangite ſuaviſſimum guttur eius, iuxta illud, Guſtate & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus.* Reſurrexit.

§ 8. *Hoſtes Chriſti, voluerunt eradere nomen ejus, & fecerunt illud longe glorioſius.*

Hoſtes Chriſti, meditati ſunt inania. Auſi, fuerunt ante paucos dies dicere, *Eradamus eum de terra viventium, & nomen eius non memoretur amplius. Mittamus lignum in panem eius.* Jer. 11. v. 19. O ſtolidi! *ſicut lignum*, ait Orig. hom. 8. in Jerem. *quod miſſum eſt in amaram aquam, fecit dulcem, ſic lignum Paſſionis Chriſti, Chriſtum nobis fecit dulciorem, & amabiliorem, & fontem maioris gaudii.* Factus quidem fuit maledictum, dum pependit à ligno, cum obtulit ſe ipſum ſponte pro nobis ad mortem, probri & dedecoris pleniſſimam. *Sed ita nos* (ad Gal. 3. v. 13.) *redemit de maledicto, quia effudit divinum ſuum ſanguinem, eripuit nos ex ſervitute diaboli, & ex morte & ex condemnatione, & interitu inferni.* Maledictum factus eſt Chriſtus, cum maledictorum & malefactorum mortem exſolveret. At quia peccatum non fecit, ideo maledictionem in benedictionem convertit; & ſalutis viam atque cœlum aperuit, Inania! *eradatur*, dixerunt, *è terra viventium, & nomen eius non memoretur amplius.* Hodie vero quatuor animalia (Apoc. cap. 5. v. 9.) & viginti quatuor ſeniores procidunt, coram Paſchali agno, & cantant canticum novum *Alleluia, alleluia! dignus es Domine, cui ſit honor, gloria, laus, & benedictio. Quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & natione.* Omnino memoretur nomen ejus; dicamus omnes cum S. Paulo, ad Philip. 2. v. 7. *Chriſtus factus eſt obediens usque ad mortem, & mortem crucis, propterea cæleſtis Pater exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Ieſu, reſurgentis à morte, omne genuflectatur, cæleſtium, Terreſtrium & infernorum.* Reſurrexit.

Meditati ſunt inania. Voluerunt illum hoſtes Chriſti quaſi devo-

Digitized by Google

devorare, ut loqui ſolemus; & devorati ſunt. Numer. 21. v. 9. *Fecit Moyſes ſerpentem æneum, & poſuit eum pro ſigno*, ſcilicet tum, cum populus in deſerto vexaretur à ſerpentibus ignitis. Ajunt SS. Patres multi, illum ſerpentem fuiſſe figuram Chriſti, pendentis in cruce, & glorioſi à morte reſurgentis. Et quomodo vel quare Chriſtus ſerpens? ſerpens eſt beſtia venenata, inimica generis humani, inſtrumentum, quo diabolus perdidit primos noſtros parentes; quo vicit! Jeſus humaniſſimus, dulciſſimus, quomodo dici poteſt ſerpens? Non ob aliam cauſam, quam quod nobilis victor & triumphator, infernalem ſerpentem vicerit, & omni ſpoliarit veneno, ut deinceps nobis nocere non poſſit. D. Ambr. l. 1. Apol. David cap. 3. *Aeneus ſerpens tanquam confixus cruci à Moyſe, pro medicina contra morſus igneorum ſerpentum, quia verus ſerpens* (Chriſtus) *crucifigendus generi annuntiabatur humano, qui ſerpentis diaboli venena vacuaret, qui totius mundi maledicta deleret.* Quod Chriſtus ante dixit Apoſtolis, Matt. 10. v. 16. *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes*, re ipſa oſtendere voluit, dum per opus tam admirabile, tantæ prudentiæ & ſapientiæ, quale eſt redemptio generis humani, ſuos hoſtes voluit vincere. Sine timore hodie dicamus; Chriſtus reſurgens à mortuis, victorioſus ſerpens, reliquos ſerpentes omnes, Judæos, diabolum, mortem &c. devoravit; exſpoliavit omni veneno, & maledictionem, quam ſerpens induxerat, delevit.

§ 9. *Voluerunt illum veluti dracones, devorare, & devorati ſunt.*

Hanc figuram alia ex cap. 7. Exodi declarat. Cum in conſpectu Pharaonis virga Aaronis verſa fuit in colubrum, ſimiliter & virgę maleficorum Ægyptiorum verſæ ſunt in aſpides, ut omnia eſſent plena ſerpentibus. Sed hoc contigit v. 12. *Devoravit virga Aaron, virgas eorum:* admirabile ſpectaculum! in quo virga una facta ſerpens, tot colubros, tot ſerpentes, tot dracones, devoravit, & Ægyptum à venenoſis beſtiis liberavit. Fuit illa virga, ille ſerpens, figura Chriſti D. pendentis in cruce, & depoſitis exuviis glorioſe reſurgentis à morte, de cujus virtute venit, ut tam venenati ſerpentes, diabolus, mors &c. cum minime putarunt, ſint devorati D. Ambr. l. de Salom. c. 2. *Illa virga Moyſis, vel Aaronis, quia typus fuit & imago corporis Chriſti, pendentis in cruce, tanta fuit virtutis, ut omnium Aegyptiorum poteſtatem abſorbuerit.* Quanto magis, ab

§ 10. *Proſecutio, & altera figura.*

ab ipſo Chriſto D. mors fuit abſorpta; diabolus abſorptus, &c. Vicit ſerpens, contra ſerpentem. Hoſtes Chriſti fuerunt pleni veneno, ſed illius vi ſpoliati ſunt. *Meditati ſunt inania! defecerunt! Chriſtus D. autem fuit* (D. Ambr. l. de Salom. c. 2.) *ſicut aquila, inimica ſerpentum. Vt aquila ſerpentes devorat, & eorum venena calore coquit interno, ita & Chriſtus D. noſter, percuſſo dracone, id eſt, diabolo lacerato, dum humanum corpus ſibi aſſumpſit, dum in illo corpore cruci fuit affixus, peccatum illud, quod hominem tenebat obnoxium, tanquam pernicioſum virus extinxit.* Auditores, ex his verbis poteſtis colligere ſignum præcipuum, an in cordibus veſtris, reſurrexerit Chriſtus. Advertite, an illi ſerpentes, qui hactenus latuerunt, ſint extincti, &c. ſi ſint, cum gaudio dicite, *reſurrexit.* quod ſi devorati ſunt dracones ſuperbiæ, bene habet, ſurrexit Chriſtus! evidens illius eſt ſignum, devictus ille draco Tartareus! Inſpicite ſinus veſtros, corda veſtra & conſcientias videte, quod ſi in iis extincti ſunt venenati ſerpentes invidiæ, iræ atque odii; ſi nullus lateat anguis ſub herba conſcientiæ; gratulor equidem vobis & congaudeo; nam bonus Jeſus in vobis ſurrexit; melius hujus anaſtaſis ſpiritualis argumentum mihi non ſuppetit.

§. 11. *Sub pedibus Chriſti gemit devictus diabolus, cum ſuis aſſeclis.*

Lucæ c. 8. v. 27. *Occurrit Ieſu vir quidam, qui habebat dæmonium jam temporibus multis, & veſtimento non induebatur, nec in domo manebat, ſed in monumentis. Is ut vidit Ieſum, procidit ante eum.* Adeſte infernales chori; his diebus vidiſtis Jeſum deſpectum, hodie ſurrexit, videte in gloria, procumbite ante eum, flectite genua; eſt filius Dei. *Dum in cruce exſpiravit, inclinavit caput, &* (D. Leo ſer. 4. de paſſ.) *ad tantam divinæ Majeſtatis inclinationem, terra mota eſt, petra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, imo totius mundi machina conquaſſata fuit.* Quid putatis? dum hodie redivivus glorioſum erexit caput, qualis fuerit motus, qualis concuſſio inferni? His diebus de Chriſto crucifixo diximus cum S. Joanne Baptiſta, Joan. 1. v. 29. *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* D. Th. *Ecce Agnus Dei, cujus ſanguini ſolo homines redimi potuerunt.* Hodie dicamus cum eodem S. Thoma, hic eſt agnus, quem lupi timent: qui leonem occiſus occidit. Mortem, occiſus occidit. Miror, quod Jud. c. 6. v. 18. ad ſonum buccinarum non corruerint muri Jericho, niſi cum ſeptimo

Digitized by Google

mo die ſeptima vice, ſeptem tubis, cum magno illorum clangore urbem circumierunt, tum corruit prius Jericho. Sed ceſſat admiratio, cum lego verſum cap. 5. v. 6. Apoc. *Ecce in medio throni Agnum ſtantem tanquam occiſum, habentem cornua ſeptem, quæ adumbrata fuerunt in iſtis ſeptem buccinis*, Significantes, idololatriæ lapſum, & ſimulacrorum ceremonias explodentes, Iudæi exploſerunt Chriſtum, exploduntur hodie. Non una Jericho, ſed regnum diaboli corruit. Quis illud dejecit? quis potentiam ejus ac robur ſubvertit? agnus Paſchalis. O ter felix Agne, O Agne victorioſe, qui corpore tuo innocenti tuliſti peccata mundi! O agne manſuetiſſime viciſti tolerando, viciſti moriendo. Nunc victor triumphas! habes tibi proſtratos leones, tigrides, dracones! Ter felix agne! Impera nunc, regna, triumpha; non animalium modo cæterorum, ſed & hominum, imo & Angelorum Rex es, viciſti triumpha! Tibi ſit laus, honor, virtus, gloria, claritas, gratiarum actio, benedictio in ſæcula, Amen

CONCIO XXI.

DOMINICA IN ALBIS.

Venit Ieſus, & ſtetit in medio, & dixit eis, Pax vobis.

Joan. 20. v. 19.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRima pars agit de incredulitate S. Thomæ, & quare pro ſigno factæ Reſurrectionis, petiverit videre, & tangere vulnera crucifixi. Secunda tractat hanc quæſtionem, an S. Thomas corporaliter illa palpaverit. Tertia, quo fructu. Quarta oſtendit, quomodo nos tangere, vel colere poſſimus veneranda Chriſti vulnera.

§.1. *Exordium deſumptum ex hiſtoria hodierni Evangelii.*
§.2. *Cur incredulus Thomas pro ſigno Reſurrectionis petiverit videre, & tangere vulnera Chriſti.*
§.3. *S. Thomæ non defuerunt alia ſigna omnipotentiæ Chriſti.*
§.4. *Proſecutio.*
§.5. *Aliqui SS. Patres excuſant & imminuunt curioſam incredulitatem Thomæ.*
§.6. *Proſecutio. Sed certum eſt Thomam fuiſſe incredulum.*
§.7. *Ideo venit ad illum Dominus, ne periret diſcipulus. Et qualis venerit, quid ad Thomam dixerit.*
§.8. *Prædictiones Davidis, de glorioſa Chriſti Reſurrectione.*
§.9. *An Chriſtus D. in glorioſo corpore revera retinuerit vulnera crucis. Pars affirmativa roboratur & S. Script. & SS. PP.*
§.10. *Proſecutio.*
§.11. *Certum videtur D. Thomam corporaliter palpaſſe veneranda Chriſti vulnera.*
§.12. *Quo fructu? quam Thomas illo contactu fuerit immutatus.*
§.13. *Miſcentur variæ viſiones de vulneribus Chriſti.*
§.14. *Qua ratione nos cum fructu ſpiritualiter illa poſſimus tangere.*
§.15. *Ieſus glorioſe à mortuis reſurgens, deſiderat eſſe nobiscum.*
§.16. *Amatores & cultores vulnerum Chriſti, pie & quiete moriuntur.*

§. 1. Exordium deſumptum ex hiſtoria hodierni Evangelii.

CIrca apparitionem Chriſti Domini, poſt glorioſam ejus Reſurrectionem, quam S. Joannes in hodierno Evangelio narrat contigiſſe in ipſa die Reſurrectionis; & iterum octiduo poſt, in hodierna Dominica, varias circumſtantias obſervavit S. Petrus Chryſologus, ſerm. 84. Glorioſiſſimus Salvator noſter, quia reſurrexerat in corpore; reſurgere quoque voluit in cordibus ſuorum diſcipulorum & Apoſtolorum, per fidem ſuæ reſurrectionis; quam quia credere noluit incredulus Thomas, hodierna die, altera vice congregatis Apoſtolis, cum illis adeſſet S. Thomas, prima enim vice, die ipſa Reſurrectionis abfuerat. Venit autem Jeſus, cum eſſet ſero; ob internum potius Thomæ mœrorem, quam ob rationem temporis. In mente, mœroris & triſtitiæ nebula, obſcurata, potius nox eſt quam dies. Luna & ſtellæ illis lucent,

cent, non Sol, vel phœbus, lætitiæ pater. Venit, cum fores eſſent clauſæ; neque enim glorioſo ejus corpori, ulla reſiſtere potuit creatura, potius omnes tanto victori obediverunt. Portæ manſerunt clauſæ, nihilominus in medio ſtetit Jeſus; veluti Magiſter inter diſcipulos, veluti Paſtor inter oviculas, veluti pater inter filios, oſtendens illis faciem gratioſiſſimam, vultum ſplendidiſſimum, totum corpus pulcherrimum, & quinque vulnerum cicatrices Sapphyris pretioſiores & fulgentiores carbunculis, & quia in Apoſtolorum, præſertim Thomæ cordibus, fidei & dubitationis, ſpei & deſperationis continui fluctus inter ſe præliabantur; quia diſcipuli dicebant, *Reſurrexit*, Thomas vero palam ipſis contradicebat, *Non credo*, ait illis Jeſus, *Pax vobis*. Quid accommodatius? quid optatius? quid ſuavius dici potuit? Amœniſſima Magiſtri facies, dulciſſima ejus vox, adeo momento illos beavit, ut ſumma illos voluptas inceſſerit. Et merito; quanto enim poſt tenebras, gratior eſt lux, poſt nubila phœbus, poſt tempeſtatem, ſerena quies & tranquillitas; tanto acceptius eſt gaudium, poſt mœrorem, riſus poſt lachrymas. lætiſſimum Alleluja, poſt triſte Miſerere. Illa, quæ hiſtoria hodierni Evangelii peculiariter narrat de S. Thoma, ego hac concione latius proponam meis Auditoribus, & ut ſpero non ſine peculiari fructu. Atque ut ex ordine procedat dictio, illam in quatuor dividam partes. Vos interim benevolis auribus animiſque adeſte.

§. 2. Cur incredulus Thomas pro ſigno Reſurrectionis petiverit videre & tangere vulnera Chriſti.

Cum citatus S. Petrus Chryſologus ſer. 84. conſideraſſet verba illa S. Thomæ, ad alios Apoſtolos, qui illi multa narrabant, de glorioſa Chriſti Reſurrectione, *Niſi videro in manibus ejus figuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam*. Super hæc inquam, verba Chryſologus has proponit quæſtiones. *Cur Thomas veſtigia fidei ſic requirit? an non alia indicia incredulitas ejus excogitare potuit? Cur tam dire diſcutit reſurgentem? Cur ea vulnera, quæ manus infixit impia, devota dextera ſic reſulcat? Cur latus, quod militis impii lancea patefecit, refodere manus eius nititur? adeone crudelis fuit Thomas erga ſuum Magiſtrum, ut dolores perſecutorum furoribus irrogatos immitis eius curioſitas voluerit renovare? cur novis tormentis Dominum,*

num, novis pœnis Deum vult probare? cur probaturus cæleſtem medicum, de vulnere diſcipulus ſic requirit. *¡Nimis immitis videtur fuiſſe curioſitas & incredulitas Thomæ.* Mi Thoma! alia ſuppetunt ſigna, quæ fidem Reſurrectionis tibi perſuadere poſſunt. Cecidit poteſtas diaboli, patefactus eſt carcer inferni, diſrupta ſunt vincula mortuorum, moriente Domino ſunt revulſa monumenta, & reſurgente Domino, tota mortis eſt mutata conditio; Eia Thoma! vade ad locum ſepulchri; lapis revolutus eſt, linteamina reſoluta ſunt, audin? Angelus ait, *Reſurrexit*; Synagogæ Sigillum laceratum eſt; appoſiti cuſtodes, timore exanimati fugerunt.

§.3. *Thomæ non defuerunt alia ſigna omnipotentia Chriſti.* S. Auguſtinus ſic ait, *O beate Apoſtole, ante oculos tuos potuit Chriſtus Lazarum ſuſcitare à mortuis; & putas ipſum de ſepulchro non potuiſſe aſcendere? quæris loca clavorum, & oblitus es miracula tanta ſignorum? Nonne ante oculos tuos cæcos illuminavit, paralyticos ſanavit, leproſos mundavit? Sic perdidiſti in triduo memoriam Magiſtri, ut potentiæ non crederes Chriſti?* Sed omnibus his & ſimilibus objectionibus reſpondit Thomas, *Non credam.* S. Auguſtinus ſer. 159. de temp. *Sciebat clavis in cruce confixum, ſciebat lancea latus percuſſum hæc ſigna quærebat, ideo non credebat. Manus quærebat & latus, & ſic dum curioſus extitit in vulnere, mortem incurrit in fide. Indicia fidei, ſola voluit eſſe vulnera.*

§.4. *Proſecutio.* Mi Thoma! quid ſi vulnera in manibus, in pedibus, in latere, cum aliis abolita fuiſſent? quid ſi in dorſo, in capite, in brachiis, &c. nullum ſupereſt vulnus? Nullane ergo pietatis monumenta, nulla Dominicæ Reſurrectionis inveniri æſtimas potuiſſe documenta, niſi manibus tuis renoves, inflicta, à Judaica crudelitate vulnera? fruſtra talia dicuntur Thomæ; reſponſio ipſius eſt; non credam, niſi hæc videro.

§.5. *Aliqui SS. Patres excuſant & imminuunt curioſam incredulitatem Thomæ.* Scio non deeſſe benevolos quoſdam S. Thomæ patronos, qui ejus incredulitatem ob varias cauſas & circumſtantias imminuunt; ita idem S. Petrus Chryſologus ait. *Sanctiſſima illa vulnera, in manibus, pedibus & latere, quæſivit Thomæ pietas, ejus devotio iſta exegit*, hoc eſt ex amore, ex pio affectu erga ſuum Magiſtrum deſideravit Thomas videre & palpare ejus vulnera, ut ita etiam impietas, & ejus hoſtes, atque adverſarii Judæi, non poſſent de glorioſa reſurrectio-

rectione dubitare. S. Thomas non ſolum quoad ſuam perſonam voluit de illa eſſe certus, ſed omnium hominum dubitationem curavit. Et prædicaturus hæc gentibus, quemadmodum tantæ fidei aſtrueret ſacramentum, executor ſtrenuus perquirebat. Voluit Thomas ex illis vulneribus diffundi per totum terrarum orbem Reſurrectionis fidem, quæ aquam in lavacrum, & ſanguinem Redemptionis noſtræ pretium de ligno crucis diffuderant.

Imminuitur multum curioſa incredulitas Thomæ, per illas laudes, quibus eandem deprædicat S. Auguſtinus ſer. 156. de temp. *Quam bona ignorantia, quæ erudivit ignaros, quæ inſtruxit incredulos, quam bona infidelitas, quæ ſæculorum fidei militavit. In his Apoſtoli verbis, mundi utilitas agebatur, unius interrogatio, univerſitatis erat inſtructio.* Et ſer. 161. *Non ſuffecit illi ad fidem propriam, vidiſſe quem noverat, ſed nobis operatus eſt, ut tangeret, quem videbat, ut ſi forte diceremus deluſos fuiſſe oculos, non poſſimus dicere, manus illius fuiſſe fruſtratas. In reſurrectionis enim manifeſtatione de aſpectu ambigi poteſt, de tactu non poteſt dubitari.* Non invideo S. Thomæ has excuſationes, ſed qui veritatis ſunt amatores, convincuntur clariſſimis verbis Chriſti D. Joan. 20. v. 27. *Infer digitum tuum huc, & affer manum tuam & mitte in latus meum: & noli eſſe incredulus, ſed fidelis.* Et paulo poſt v. 29. *Quia vidiſti me, Thoma credidiſti.* Ergo antea non credidit, ſed juxta etymon hujus voculæ, Thomas, fuit profunda & tenebroſa abyſſus timoris, deſperationis, & incredulitatis.

§ 6. *Proſecatio. Sed certum eſſe Thomam fuiſſe incredulum*

Sed ut *abyſſus abyſſum invocaret*, juxta Pſ. 41. v. 8. ut abyſſus incredulitatis converteretur in abyſſum immenſam miſericordiæ, quam Chriſtus glorioſe à mortuis reſurgẽs illi exhibuit, die octavo Reſurrectionis ad Apoſtolos congregatos, cum jam Thomas illis adeſſet, iterum venit Dominus, ne periret diſcipulus. Adeſt bonus paſtor, ut ex abyſſo miſeriæ eriperet perditam oviculam. De forma ſive ſpecie in qua illis apparuit, ait Toſtatus paradoxo 5. c. 7. *Quanquam in toto corpore Redemptoris, fulgor quidam prodierit, nobis inæſtimabilis, tanquam dos glorioſa pro ſuſceptis cruciatibus, admirabilior tamen adhuc ab eis proceſſit, in quibus differentius cæteris fuit vulneratus, ſcilicet à manibus, pedibus, atque latere.* Et quia Thomas illa peculiariter deſideraverat, videre & tangere; O pietas Salvatoris! non

§ 7. *Ideo venit ad illum Dominus, ne periret diſcipulus. Et qualis venerit, quid ad Thomam.*

non fuit dedignatus locum cicatricum oſtendere, & dum illi oſtendit, ſuaviſſimis verbis ait, *Infer digitum tuum huc, & mitte manum tuam in latus meum.* quaſi diceret, ex mente S. Chryſologi ſer. 81. *Vide carnis vulnera, qui Dei opera non vides. Palpa! ut vel manus fidem faciat, quia videns oculus ſic cæcatur. Oculus non videt, videat tactus. Age Thoma! digiti tui intrent veſtigia clavorum, manus tua alta vulneris exquirant. Aperi manuum foramina, ſulca latus, renova vulnera; quia non poſſum negare diſcipulo ad fidem, quod inimicis ad pœnam ſævientibus non negavi. Palpa, palpa! & uſque ad oſſa inquiſitor arduus perveni, ut vel oſſa carnis aſtruant veritatem, & me eſſe ipſum vulnera ſervata teſtentur.*

§ 8: *Prædictiones Davidis, de glorioſa Chriſti Reſurrectione.*

In Chriſti Domini perſona dixit David pſ. 3. v. 6. *Ego dormivi, & ſoporatus ſum, & exſurrexi, quia Dominus ſuſcepit me.* Pſal. 15. v. 10. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Pſ. 29. v. 12. *Convertiſti planctum meum in gaudium mihi: conſcidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitia.* Pſ. 70. v. 20. *Quantas oſtendiſti mihi tribulationes! multas & malas: & converſus vivificaſti me, & de abyſſis terræ iterum reduxiſti me.* Perge Thoma, inſpice hæc vulnera; palpa illa, hæc tibi clamant, Chriſtus dormivit & ſoporatus fuit in lectulo crucis; ſed exſurrexit, poſt mortem deſcendit in infernum, ſed corruptionem non vidit. Thoma, advertis me eſſe ipſum, cujus planctum Dominus convertit in gaudium, ipſum, qui circumdatus eſt lætitia. Vidi, paſſus ſum tribulationes multas & malas, ſed ſum ipſe, quem de abyſſis inferni, victorem hoſtium iterum reduxit Dominus. Sicut honor eſt militi, de prælio revertenti, deferre ſcutum fractum, ſic mihi honor eſt, deferre victoriæ meæ glorioſum triumphum. Itaque Thoma, ex his vulneribus agnoſce, me eſſe ipſum, qui in cruce fuit vulneratus; ſed illum ipſum qui glorioſe reſurrexit. *Infer digitum tuum huc, &c.* Chryſol. ſer. 84. *ut effundant toto orbe terrarum, te aperiente, hæc vulnera fidem.*

§. 9. *An Chriſtus D. in glorioſo corpore revera*

Verum antequam ulterius progrediar, reſolvenda eſt quæſtio, an S. Thomas in hodierna apparitione, revera & corporaliter palpaverit vulnera Salvatoris? Sed hæc quæſtio ſupponit alteram, utrum in glorioſo Chriſti corpore vere manſerint foramina, vel aper-

Digitized by Google

aperturæ factæ à clavis & lancea, an tantum quædam ſigna & cicatrices: hæc ultima opinio placuit quibuſdam SS. Patribus, verum ob verba illa Chriſti D. *Infer digitum, mitte manum in latus meum*, & alios modos loquendi SS. Patrum, quos paulo poſt inſinuabo, puto veriſſime dixiſſe S. Chryſologum ſer. 76. *Dominus eadem redit in carne, vulnera reportat, ipſa clavorum foramina reſumit, & ipſa facit teſtimonia ſui corporis, ſua reſurrectionis indicia, quæ fuerant contumelia Paſſionis* Sed hoc non contigit ſine ingenti miraculo, quod ſcilicet illa foramina, illæ aperturæ, illi hiatus non impediant, quo minus nervi, arteriæ & venæ ſint continuæ, optimeque diſpoſitæ, tum ad continendum ſanguinem, tum ad omnes actiones, & motus vitæ. Neque in corpore Chriſti oritur inde deformitas, ſed longe major decor, & venuſtas; ſtupenda, ſed amabilis.

retinuerit vulnera crucis pars affirmativa roboratur ex S. Script. & SS. PP.

Non deſunt plurima teſtimonia SS. Patrum. Vener. Beda ait: *Qui regna mortis deſtruxit, ſigna mortis obliterare noluit.* Euſebius Emyſſenus hom. 10. de paſch. *Præfert clavorum confixione corpus inſertum cruci, & lanceæ illiſione confoſſum.* Quid hoc? exſpoliata eſt fragilitas, exinanita mortalitas, ſola in cicatricibus permanent reverenda teſtimonia Paſſionis. Nimirum illud ſolum, unde reſurrectio erat credenda, non ſuſtulit. S. Thomas p. 3. q. 54. a. 4. in corp. *Conveniens fuit animam Chriſti in reſurrectione corpus cum cicatricibus reſumere, propter gloriam ipſius Chriſti, ut in perpetuum victoriæ ſuæ, circumferat triumphum.* Iterum Vener. Beda. *In perpetis victoriæ ſignum, Dominus excepta pro vobis vulnera, illæſa demonſtrans, & foraminum cruenta monilia.* S. Bernardus ſer. 15. in Cant. *O homo ſecurum habes acceſſum ad Deum, ubi habes matrem ante Filium; Filium ante patrem. Filius oſtendit patri apertum cor, & vulnera, mater oſtendit Filio pectus & ubera. Nulla ergo poterit eſſe repulſa, ubi tot ſunt charitatis inſignia.* Quando vulnera pro ejus gloria, & humani generis redemptione ſuſcepta oſtentat. Pulcherrimas cauſas ob quas in glorioſo corpore illa retinuit, tracto alibi, ſufficiant hæc ut revera credamus, Chriſtum illa retinuiſſe.

§. 10. Proſecutio.

His poſitis reſpondeo quæſtioni primæ, & aſſero S. Thomam re ipſa & corporaliter intuliſſe digitos ſuos (ut litera verborum Chriſti D. ſonat) in vulnera clavorum, & manum miſiſſe in aper-

§ 11. Certum videtur D. Thomam

Corporaliter palpaſſe veneranda Chriſti vulnera.

tum latus. Hæc idem inſinuat verbum à Chriſto prolatum, *Palpate* id eſt, tangendo, palpando me agnoſcite. Et illud S. Joannis ep. 1. c. 1. v. 1. *Quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, quod manus noſtræ contrectaverunt, de verbo vitæ.* Phraſes SS. Patrum, intrent digiti, manus exquirant, aperiant foramina; quod S. Thomas intulerit digitos, & miſerit manus in ſanctiſſima vulnera, quod eadem aperuerit Thomas, renovaverit, exquiſiverit manibus, veluti arcas vel ciſtas, in quibus pretioſi latuerunt theſauri. Hi inquam modi loquendi actualem contactum clare demonſtrant. Addit Sedulius l. 5. paſch. c. 23. *Trepidanti diſcipulo, palmis rurſus & latere demonſtratis, tactu vulnerum paſſus eſt ſe probari.* Videtur Chriſtus D. bis, ter, S. Thomam ad hunc contactum animaſſe; & dubitantis animam ut idem Sedulius loquitur placida foviſſe lenitate. D Cyrillus Alex. in c. 20. S. Joan. *Recordemur Magdalenam à tactu Chriſti prohibitam, Noli, inquit, me tangere. Thomam hortatur, ut & latus & clavorum fixuras diligentius tangendo, & manum, aut digitum immittendo perquirat.* Magdalena amatrix Chriſti, illo contactu non indigebat, ut incredulus Thomas, ut à vulneribus dirum vulnus infidelitatis ſanaretur. Iterum Sedulius l. 5. de paſch. cap. 23. *Dominus erga Thomam ambigentem, non fuit iratus, ſed ut digitos quoque in vulnera mergeret, facile conceſſit, quod verbum, mergo, inſinuat vulnera Salvatoris, fuiſſe veluti fontes ſapientiæ, & lucis, ex quibus Thomas momento fidem Reſurrectionis Chriſti hauſiſſe videtur.*

§. 12. *Quo fructu? quam Thomas illo contactu fuerit immutatus.*

Nam (D. Cyrillus.) *poſtquam Thomas & manum in latus, & digitos in foramina clavorum miſiſſet, ſtatim exclamavit, Dominus meus, & Deus meus.* Theophylactus. *Poſt tactum lateris, optimum ſe Theologum oſtendit, duplicem naturam, & unam hypoſtaſin Chriſti edisserens, dicens enim Dominum, naturam humanam, dicens Deum, divinam confeſſus eſt, in uno & eodem.* S. Auguſtinus. ſer. 156. de temp. *Fixuram perſpicit, corporis, & Deum prædicat Majeſtatis.* Rediit in momento in cor Thomæ, Celſitudo de profundis, lux de tenebris, vita de morte, fides ex vulnere, gaudium & lætitia, poſt luctum, ſerenitas poſt tempeſtatem, poſt nubila phœbus: ex infideli factus eſt fidelis, & fortis teſtis glorioſiſſimæ Chriſti Reſurrectionis. Sol Chriſtus in roſcida nube, quæ fluebat ex oculis,

ploran-

Digitized by Google

plorantis præ gaudio Thomæ, repercuſſis à glorioſo & beato corpore radiis, illico fecit iridem pacis, & pacem reddidit cordi triſtiſſimo. Bonus Paſtor, glorioſis vulneribus amplectens perditam oviculam, illam ſanavit, beavit, & ovili ſuo reſtituit. Neque fieri potuit, ut pulcherrimus Jeſus, cordi Thomæ ſtigmata ſua injiceret, ſine cœleſti & incredibili gaudio. Et ecce dum Thomas vulnera ſubiit, quid in iis niſi paradiſum & Roſetum cœleſtium deliciarum invenit? De S. Franciſca Rom. refertur in vita, quod paulo poſt ſumptam Euchariſtiam in ſplendidiſſimo lateris Chriſti vulnera conſpexerit amabile & dulciſſimum quoddam pelagus; ſub qua viſione S. Franciſca ſenſit, ſe interius totam ad tenerum erga Deum amorem animari. Hoc amabile & ſimul igneum pelagus amoris, & fontem lucis in corde Chriſti reperit Sanct. Thomas, illique immerſus, illuminatus lumine ſapientiæ, accenſus flamma charitatis, exclamavit, *Dominus meus, & Deus meus*.

Eadem Sanct. Franciſca, vidit quinque vulnera glorioſi corporis Chriſti, radiantia inſtar ſolis, & erumpentes ex illis igneas flammeaſque catenas, quibus amatorum Chriſti corda cordi Chriſti fuerunt unita & colligata. Tales catenas in iiſdem vulneribus reperit S. Thomas; quibus Chriſto ita fuit unitus, ut in ardentiſſimos fidei, ſpei, charitatis actus, illis verbis momento eruperit, *Dominus meus, & Deus meus*! Jacebat Thomas velut in quodam vaſtiſſimo mœroris tumulo, quamdiu neſcivit Chriſtum reſurrexiſſe ex ſepulchro. At cumprimum Chriſtus in corde ejus reſurrexit, revixit ſpiritus ejus, & velut è gravi ſomno evigilans, ſolem Juſtitiæ, & radios reſurgentis Jeſu in luce matutina reſpexit illuſtris. Intuitus ortum ſurgentis auroræ, credidit Paſcebatur oculis in carne fulgida reſurgentis, & mente cernebat pulchritudinem divinitatis, ut intus & foris, egrediens & ingrediens, frueretur paſcuis veræ ſempiternæque felicitatis. Verum pertinent hæc ad feſtum S. Thomæ: clepſydra interim me, ut finiam, commonefaciet, id quod faciam; ubi primum meis Auditoribus pro peculiari ſolatio factam ſanctæ Gertrudi viſionem narravero.

§. 13. Proſecutio. Miſcentur varia viſiones de vulneribus Chriſti.

Digitized by Google

§.14. *Qua ratione nos cum fructu ſpiritualiter illa poſſimus tangere.*

Inſtructa illa fuit à cœleſti ſponſo, qua ratione particeps fieri poſſet illius favoris, qui S. Thomæ fuit exhibitus, nimirum intellexit, illum ſpiritualiter tangere vulnera Chriſti, qui ponderat illum amorem, ex quo illa Chriſtus Dominus pro nobis ſuſtinuit, & viciſſim ſuum illi amorem impendit. Cum hoc ſancta Virgo faceret, viſus illi fuit è corde crucifixi evibrari igneus radius ad cor ſuum, quod ab illo radio veluti ſagitta fuit transfixum, & ſimul accenſum ardentiſſima flamma divini amoris. Si placet Auditores hoc modo & nos cum S. Gertrude & S. Thoma vulnera Chriſti poſſumus tangere. Et quidni faciamus quotidie? Bilance non opus eſt, ponderatur amor cum de illo ſuaviter cogitatur; ponderatur, cum alteri, id eſt, adverſæ lanci mutuus noſter amor injicitur, ponderatur, cum de eo libenter loquimur, colloquimur, meditamur! ponderatur, cum ejus & modum & finem, & magnitudinem, & alias amoris circumſtantias perpendimus. Laurentius adhuc teſtimonium amoris præbuit S. Gertrudi Chriſtus Dominus dum ſe in glorioſo illi corpore ſe ſpectandum dedit, & aperto latere dixit, *En tibi ab hoc latere ſigillum mei in te amoris ac beneficentiæ.* Agite animæ piæ, congratulamini Redemptori de tanta gloria, ſed ſimul in glorioſa vulnera veſtros oculos conjicite, ut memores amoris, quo nos redemit, amorem illi mutuum exhibeamus & vulnus lateris ejus, ejus cor, nobis erit pignus & liberaliſſimæ beneficentiæ ſigillum.

§.15. *Jeſus glorioſe à mortuis reſurgens, deſiderat eſſe nobiſcum.*

Necdum poſſum à S. Franciſca diſcedere, vox de cœlo aliquando eidem allapſa dixit. *Conſidera, quo modo Chriſtus D. quibus artibus ſeſe accommodaverit tibi, ut te ad ſe poſſet attrahere, ut cum illo eſſes.* Hanc ego puto fuiſſe unam ex cauſis, ob quas Chriſtus in glorioſo corpore retinuerit ſacra vulnera, & cur illa nobis tangendo offerat, ut ſcilicet illa amando ſubeamus, & per vivam fidem, per ſolidam ſpem, per ardentem charitatem, præſertim hoc Paſchali tempore cum illo amoris Domino converſemur in amore.

§.16. *Amatores & Cultores vulnerum*

Denique cum hodie poſt octiduum futura ſit congregatio ſodalium Agoniæ Crucifixi, quorum peculiaris devotio eſt, colere ſanctiſſ. Vulnera; hoc pro coronide addo. B. Alquirinus Ord. Ciſt. aman-

Digitized by Google

amantiſſimus Vulnerum Chriſti, ante mortem rogatus, quomodo haberet, bene inquit, *chariſſime Pater, bene omnino agitur mecum, quia vadens vado ad Dominum meum, omnia tranquilla, omnia læta conſidero* (q.d. ex hod. Evang. Pax mihi.) *quia jam præventus ſum à Domino, in benedictionibus dulcedinis, qui omnem mihi mærorem, à corde, & omnem pæne dolorem à corpore ſuſtulit.* Rogatus, num quid divinitus vidiſſet, reſpondit, *modo apparuit mihi, licet miſero & indigno, Dominus Ieſus Chriſtus, qui propitio ac ſereno vultu me intuens, ac ſigna beatiſſimæ Paſſionis oſtendens ait, ecce peccata tua deleta ſunt à facie mea. Veni ergo ſecurus, & vide, ac deoſculare vulnera mea, quæ tantum dilexiſti, & toties in meis infirmis confoviſti. Tali ergo promiſſione firmatus, jam mori non timeo, quia repoſita eſt hæc ſpes in ſinu meo.* Perpendite Audit. quo affectu impoſterum proſequi velitis glorioſa vulnera Salvatoris: Perpendite an non conſultiſſimum ſit, ut quoties crucifixi Jeſu imago oculos veſtros incurrat; incurrat etiam cordis affectum, & exprimat hoc Divi Thomæ ſuſpirium, *Dominus meus, & Deus meus!* O utinam hæc mea morientis ultima vox ſit, ut in amplexu crucifixi Jeſu & quinque ejuſdem ſacratiſſimorum vulnerum oſculo, exclamem, *Dominus meus ac Deus meus*, Jeſus meus, Deus meus, amor meus, omne bonum meum, beatitudo mea, gloria mea! idem & vobis ex corde precor Audit. *Timenti Dominum*, ajebat Salomon: addo ego, amanti Jeſum & vulnera Jeſu, *bene erit in extremis.*

Chriſti pie & quiete moriuntur.

CONCIO XXII.

DOMINICA II. POST PASCHA.

Ego ſum Paſtor bonus, & cognoſco oves meas.

Joan. 10. v. 14.

SYNOPSIS CONCIONIS.

CHriſtus D. eſt bonus Paſtor; quia eruit & liberat ſuas oviculas ex graviſſimis periculis, quia deducit illas ad bona paſcua, quia laborat pro illis, quia in ſanctiſſimis ſuis vulneribus illas abſcondit, & replet eaſdem cœleſtibus deliciis atque conſolationibus, præſertim, dum per ſpinas & tribulos ad montem Calvariæ, ad arborem ſanctiſſ. Crucis, cum bono Paſtore, illis ambulandum eſt.

§. 1. *Percuſſo Paſtore in Paſſione Apoſtoli fuerunt oves diſperſæ, ſed poſt reſurrectionem congregavit illos bonus paſtor.*

§. 2. *David paſtor, eruens arietem ex ore leonis, fuit figura Chriſti D.*

§. 3. *Captivas & ligatas oves, in captivitate diaboli, ſolvit & liberavit Chriſtus D.*

§. 4. *Idem adhuc hodie facit, dum peccatores ad ſe recipit, cum ingenti illorum gaudio & conſolatione.*

§. 5. *Quod eleganti ſimili declaratur ex c. 4. Malachiæ.*

§. 6. *Ad qualia paſcua liberatas oviculas bonus paſtor deducat.*

§. 7. *Vita Chriſti Domini veluti boni paſtoris fuit plane laborioſa.*

§. 8. *Magni labores & dolores, ſunt evidentia teſtimonia fidei & amoris. Pia digreſſio ad glorioſa vulnera Chriſti à morte reſurgentis.*

§. 9. *Ad hæc vulnera invitat bonus paſtor ſuas oviculas. Et quare?*

§. 10. *Inter ſigna paſtoris numeratur*

ratur fiſtula. Illa eſt ſymbolum cœleſtium, deliciarum, quibus ſuas oviculas conſolatur. Quod oſtenditur per brevia exempla.

§.II. *Proſecutio.*

§. I. Percuſſo paſtore in paſſione, Apoſtoli fuerunt oves diſperſæ, ſed poſt Reſurrectionem congregavit illos bonus paſtor.

CUm l. 3. Regum cap. 22. Michæas Regi Iſraelis, ab eo adjuratus in nomine Domini, ut loqueretur verum, triſtiſſimam, quæ illi imminebat, mortem vellet prædicere nam dum paulo poſt, cum Joſaphato Rege Juda, ingreſſus fuit prælium contra Regem Syriæ, v. 34. *Vir quidam tetendit arcum, in incertum ſagittam dirigens, & caſu percuſſit Regem Iſrael, inter pulmonem & ſtomachum, & mortuus eſt veſpere, fluebat autem ſanguis plagæ in ſinum currus*, cum inquam regiam mortem Michæas vellet prædicere, dixit, v. 16 *Vidi cunctum Iſrael diſperſum in montibus, quaſi oves non habentes paſtorem.* Mortuo Rege omnes Iſraelitæ fuerunt diviſi & diſperſi, quaſi oves ſine paſtore. Simile quid contigit diſcipulis, & Apoſtolis; cùm paſtor ipſorum Chriſtus D. fuit percuſſus, cum Magiſter illorum infami morte crucis fuit ſublatus, diſperſæ fuerunt oves, diffugerunt diſcipuli, quæſiverunt latebras pleni timore. Sine paſtore. Verum impleri debuit prophetia Ezechielis c. 37. v. 23. *Salvos eos faciam, congregabo eos, emundabo eos, & erunt mihi populus, & ego ero eis Deus. Et ſervus meus David ſuper eos, & paſtor unus erit omnium eorum.* Cum Theodoretus hæc ponderaret, dixit; *His ea congruunt, quæ à Domino Chriſto in ſacris Evangeliis dicta ſunt: Et alias oves habeo, quæ non ſunt, ex hoc ovili, & illas me oportet adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile & unus paſtor.* Hoc contigit, cum Chriſtus D. poſt glorioſam ſuam Reſurrectionem, per varias apparitiones diſperſos diſcipulos, præſertim errabundam oviculam, incredulum Thomam cum aliis juxta hiſtoriam Evangelii Dominicæ præteritæ congregavit. & ita poſtquam pacem illis fuit apprecatus, & eandem conciliavit, poſtquam dulci dilectionis vinculo omnes in unum colligavit, ait; *Ego ſum paſtor bonus:* quia jam tum erat omnium Apoſtolorum & diſcipulorum in Chriſtum una anima & cor unum, ſub uno amantiſſimo Paſtore. Itaque cum Chriſtus ipſe D. hoc amabili titulo glorietur in hodierno Evangelio; meum erit, ut

Digitized by Google

ab illius textu in hac concione non diſcedam, ſed potius ob quas cauſas bonus fuerit Paſtor, oſtendam.

§ 2. *David Paſtor eruens arietem ex ore leonis, fuit figura Chriſti D.*

De Davide Paſtore ait l.1. reg. cap.17. v.14. *Dixitque David ad Saul, paſcebat ſervus tuus patris ſui gregem, & veniebat leo, vel urſus, & tollebat arietem de medio gregis! Et perſequebar eos, & percutiebam, & eruebam de ore eorum.* Victor & victorioſus hic Paſtor, figura fuit Chriſti D. proinde in glorioſa ejus Reſurrectione impletus fuit verſus 15 c.33. *Germinare faciam David germen Iuſtitiæ.* Id eſt, alium mittam Regem vel Paſtorem, qui Davide longe erit glorioſior. Nam fuit quidem ingens Davidis fortitudo, in eruendis ſuis oviculis è faucibus talium beſtiarum, ſed elegans eſt obſervatio D. Ephrem. l. de Pœnit. *David arietem de ore urſi eruit, ut divina in eo demonſtretur bonitas. At quisnam hic urſus? iniquitas: quis ille leo? Diabolus: quis ille lupus? infernalis prædo! Et quis aries? latro in cruce propter iniquitatem affixus, qui cum ſolum verbum loqueretur, ſicut David arietem, ita & Chriſtus D. ex mortis faucibus latronem exemit, & liberavit.* Quo ſpectans Amos dixit. cap.3. 12. *Quomodo ſi eruat Paſtor de ore duo crura, aut extremum oviculæ, ſic eruĕtur filii Iſrael.* Innuitur duplex modus, quo aliquis leo vel lupus tollit oviculam de grege; nimirum ut non ſtatim devoret, ſed dentibus prædam tenendo fugiat, & ita David tempus habuit perſequendi illas belluas, & percutiendi & eruendi oviculam. Sed quis Paſtor unquam de ore leonis potuit, vel auſus eſt partem ovis ſuæ extrahere, quam jam devoravit beſtia? Id unus potuit Paſtor bonus Chriſtus Jeſus Filius Dei! ut dicat D. Cyrillus Alexandr. ibi. *Satan perditam & errabundam oviculam, id eſt, totum genus humanum, rapuit ac devoravit atrocius, quam immanes belluæ ſolent. Sed apparuit & occurrit Paſtor bonus, qui poſuit animam ſuam pro ovibus ſuis, & eripuit nos, qui jam eramus mortui.* Nam, ut ait, Pſ.57.v.7 *Molas leonum confregit;* Ita eripuit & liberavit nos Paſtor bonus, ita amat ſuas oviculas, ut etiam in extremo periculo conſtitutus non deſerat.

§.3. *Captivas & ligatas oves, in*

Quam eximiam charitatem boni Paſtoris noſtri deprædicavit, Zacharias cap. 9. v. 11. *Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui, eduxiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua.* Literam hujus verſus de-

ſus declarat experientia; Quod ſi forte contingat in ſilva oviculam aliquam incidere in lacum vel paludem, bonus paſtor, amans oviculæ ſuæ, omni modo laborat, ut illam eruat. Hoc ſenſu fuerunt oviculæ, animæ SS. Patrum & Patriarcharum, & aliorum ſanctorum, quæ tot ſæculis captivæ fuerunt detentæ in limbo, in lacu, umbra mortis, ſed poſtquam paſtor bonus, Chriſtus D. pro illis poſuit animam ſuam, & patri cœleſti in ara crucis, in pretium pro redemptione generis humani, obtulit ſanguinem teſtamenti ſui; de cruce in limbum deſcendens anima ejus, & die tertia corpori rurſus conjuncta, glorioſe reſurgens à mortuis, omnes vinctos, de lacu eduxit, & aureæ reſtituit libertati, duxitque ad paſcua Paradiſi. Theodoretus ibi. *Quos tuo pretioſo ſanguine redemiſti, & liberaſti, hos cum ſalutaribus teſtamenti tui tabulis emiſiſti, ut libertatem ſuam teſtentur & declarent.*

captivitate diaboli, ſolvit & liberavit Dominus.

In ſenſu myſtico, in hodiernum diem Redemptor noſter, eſt paſtor bonus erga ſuas oviculas præſertim perditas, id eſt, peccatores. In deſerto hujus mundi ah quam eſt facile, ut ovicula incidat in periculoſum lacum: habet venus ſuas paludes; habet non unam, ſed innumeras lacus diabolus; clarius loquar; quam facile eſt, ut homo aliquis incidat in peccatum mortale. Hoc unicum, eſt periculoſiſſimus ille lacus, ex quo miſer peccator, dum infeliciter moritur, præcipitatur & ſubmergitur in lacum inferni. Væ nobis, niſi haberemus optimum paſtorem, qui ſi velimus, quovis momento paratus eſt, ut oviculas ſuas ex tam periculoſo lacu vindicet, eruat, extrahat! Ipſe eſt qui hoc paſchali tempore ſuas oviculas, variis ſcelerum vinculis à Satana ligatas, & carceri incluſas, ſolvit, abſtrahit, & vi precioſi ſui ſanguinis, quem pro nobis effudit, libertatem donat ad lætiſſima vitæ paſcua, cum ingenti ipſarum ovicularum gaudio deducit.

§. 4. *Idem adhuc hodie facit, dum peccatores ad ſe recipit, cum ingenti illorum gaudio & conſolatione.*

Et hoc ipſum eſt, quod eleganti ſimili expoſuit Malachias cap. 4. verſ. 2. *Orietur vobis timentibus nomen meum, ſol Iuſtitia & ſanitas in pennis ejus, & egrediemini & ſalietis ſicut vituli de armento. Vel ſicut oves emiſſæ mane è ſtabulo ſuo.* Græce, hæc verba ita leguntur. *Et egrediemini & ſalietis ſicut vituli, de vin-*

§. 5. *Quod eleganti ſimili declaratur ex c. 4. Malachia.*

de vinculis relaxati. Solent poſt ſolis occaſum vituli alligari ad præſepe ſuum; oviculæ è campis reduci in clauſtra ſua; cum primum oritur ſol, vituli exſoluti à vinculis ſuis, oves aperto clauſtro emittuntur in agros, prata & campos, ſæpe cum quodam gaudio ſpectamus, quomodo diſcurrant, quomodo ſubſiliant, quæ exhibeant ſigna lætitiæ quod à vinculis & velut à carcere ſint liberæ. Hac metaphora nobis oſtendit Propheta elegantiſſime, quid nobis glorioſa Chriſti Reſurrectio, & ſollicitudo optimi noſtri Paſtoris contulerit. O quam multi ante paſchalia feſta fuerunt veluti vituli, à diabolo religati gravibus vinculis variorum ſcelerum, ad præſepe voluptatum hujus mundi; veluti oviculæ, detentæ in tenebroſo carcere, vel jacentes in profundo lacu iniquitatis, ſed per Dei gratiam, per ſacramentum pœnitentiæ & confeſſionis, ſoluti ſumus à vinculis, emiſſi ſumus ex carcere; ſole exſurgente, Chriſto glorioſe à mortuis reſurgente, proinde cum illo, pleni deliciis progredimur in campos lætitiæ, & lætum canimus Alleluja. Debeo hunc diſcurſum D. Cyrillo Alexandr. ibid. *Poſtquam pignore ſpiritus per Chriſtum ditati ſumus ſicut vituli, demptis vinculis & oviculæ emiſſæ ex armento per agros exiliunt; & in herba virenti ſubſultant, & mugiunt. Ita ſancti, vinculis peccatorum exſoluti, in jucunditatem ſanctis congruentem ingrediuntur.* Agite oviculæ, ſequimini bonum Paſtorem, qui vos ex tanto liberavit periculo; ad bona paſcua vos ducet. Verum cupio, ut oculos veſtros non in tripudiantes tantum oviculas, ſed & in ipſum paſtorem bonum convertatis; O verè paſtor bonus! Paſtor bonus! imo & paſtor totus jucundus & hilaris! qua de cauſa jucundus? propter oviculas. Gaudet iis eſſe bene, delectatur earum deliciis: bonis illarum paſcuis non minus ac ſi propriæ forent epulæ, recreatur. An non paſtor bonus, dulcis, jucundus?

§. 6. *Ad qualia paſcua liberatas oviculas bonus paſtor deducat.*

De his paſcuis pulchre ait D. Zeno lib. 3. ſer. 38. cum conſideraſſet verſum 15. Pſ. 77. *Interrupit petram in eremo, & adaquavit eos, pluit illis manna ad manducandum.* tum inquit; *Illi poſt mare ad eremum pervenere, nos poſt baptiſmum* (& pœnitentiam) *ad Paradiſum pervenimus. Illis eſurientibus terra irrorata eſt manna, nos autem eſurire non poſſumus, ſempiternam, qui cæleſtis panis nobiſcum*

porta-

portamus annonam. Illis ſitientibus petra fluxit in poculum; ad Chriſti fontem qui biberit, in æternum ſitire non novit. Illis in deſerto ſuavitas lactis, & mellis exhibita eſt, nobis vero, quod plus eſt, melle dulcior, & lacte candidior æterna vita beatitudo Dei, retribuetur in regno. Et nunquid exclamare poterimus, O nos felices oviculas! O quam bonum habemus paſtorem.

Vita Paſtoris eſt laborioſa, ſed amor erga oviculas omnes reddit leves & ſuaves labores; talem itaque vitam elegit Chriſtus Dominus, ut oſtenderet ſe paſtorem bonum, & quantum ſuas oviculas ſive homines amaret. Proinde ipſe ait, Lucæ cap.15. v.4. *Qui habet centum oves, & ſi perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deſerto, & vadit ad illam, quæ perierat, donec inveniat illam. Et cum invenerit eam, imponit in humeros ſuos, &c.* Ecce amatorem, ardentem! qui pro una ovicula, & paſtoris & portitoris, & ſervi aſſumit officium. Hic ſervus, hic paſtor, Chriſtus Filius Dei, reſpectu omnium aliarum creaturarum Dominus eſt & Rex, in ſolius hominis favorem & gratiam perſonam voluit induere ſervi & paſtoris. Jobius Monachus l.3. de Incar.c.14. *Neque enim communi illa & uſitata ratione, qua univerſum creavit, dixit.* v.g. *fiat cælum & factum eſt, &c.* ex c.1.v.8. Gen. *verbo quoque naturam noſtram reparavit: ſed, quod pro re nulla alia ſuſtinuit, non pro Angelis, non pro ulla alia natura, hoc, ad hominum toleravit ſalutem, ſervus pro Domino factus & triginta tribus annis paſtor, ponens denique pro ovicula animam ſuam.* Nonne merito igitur reliquiſſe dicitur oves nonaginta. Annon bene dixit, Ego ſum paſtor bonus.

§.7. Vita Chriſti D. veluti boni paſtoris fuit plane laborioſa.

Cum Jacob Paſtor Gen.31.cap.v.41. Labano ſocero ſuo, evidentiſſimum teſtimonium ſuæ fidei & amoris proferre vellet, ait ſic; *Per viginti annos in domo tua ſervivi tibi.* q. d. itane? die noctuque æſtu urgebar & gelu. Itane? fugit ſomnus ab oculis meis; ut afflictionem meam & laborem manuum mearum reſpexerit Dominus; & de fide vel amore meo vis dubitare? Antipater accuſatus coram Cæſare (ut refert Egeſippus l.1. Excid. Hieroſol.c.28.) quod reus eſſet læſæ Majeſtatis, adverſus ea non verborum referens fidem, ſed rerum aſſertionem, ſcidit veſtem, & nudus veſtimentorum, plenus vulnerum, diloricato amictu, afferens oculis

§.8. Magni labores & dolores ſunt evidentia teſtimonia fidei & amoris. Pia digreſſio ad glorioſa vulnera Chriſti à morte reſurgentis.

 circum-

circumſtantium ſpectatæ indicia virtutis, *En*, inquit, *malevolentiæ meæ in Cæſarem teſtimonia; defendant illa reum*; Has ego cicatrices tibi Cæſar, voluntatis internæ obſides tribuo: hæc ego fidei meæ depono pignora, & inſcriptos cordi apices gero. Hanc eandem puto eſſe cauſam, quod idem Chriſtus D. Salvator noſter, qui in hod. Evangelio de ſe ait, *Ego ſum Paſtor bonus*; de ſe dicat pſal. 24. v.18. *Vide humilitatem meam & laborem meum*. Pſal. 72. v.16. *labor eſt ante me*. Pſ. 87. v.16. *In laboribus à juventute mea*. Vulnera quod attinet, ait cum Iſaia, cap. 49. v.16. *In manibus meis deſcripſi te*. Sed quibuſnam characteribus? non alii illi ſunt, quam vulnera clavorum, & ſigna dolorum, quæ pro nobis ſubierunt manus optimi noſtri paſtoris: quod vulnera, quot labores, tot oſtendit apices, tot characteres; qui ſimul evidentiſſima ſunt teſtimonia illorum laborum, quos ex infinito amore pro ſua toleravit ovicula, novus utique Jacob pro formoſa ſua Rachele. Hinc D. Cyrillus Alexandr. in Exegeſi ad Acatium habita l. 6. Conc. Epheſ. c.16. reddens rationem, cur Chriſtus reſurgens reſervaverit ſua vulnera, ait. *Veſtimentum ſanguine rubricatum, & plagas in manibus oſtendit; non quod illas abjicere non queat; ſed ideo characteres illos cicatricesque retinuit, quo, infinitus ipſius amor, erga oviculas ſuas, Principibus & poteſtatibus in cæleſtibus pateſieret.* Quantum memini, non eſt ita pridem, quod uſus fuerim verbis Macarii Archiep. Philad. or de exalt. *S. Crucis*. *Nihil eſt ex omnibus rebus creatis, quod nobis modo tam admirando, & tam perſpicue benevolentiam & humanitatem Chriſti proponat, oculisque ſubjiciat, quam crux*. Crux eſt ejus, quam circa nos gerit, Filius Dei, paternæ ſollicitudinis repræſentatio. Si ſuper hodiernum Evangelium mihi proponatur hæc quæſtio, an non bene dixerit Chriſtus D. *Ego ſum Paſtor bonus*; ocyus reſpondebo, nihil eſt quod quæras: loquitur vita ejus laborioſa, in qua triginta tribus annis, per tot & tantos labores, perditam quæſivit oviculam; neque quievit, donec in monte Calvariæ, ſub arbore crucis illam reperit, & repertam humerisque impoſitam, cœleſti intulit Paradiſo. Qui hoc fecit, bonus eſt paſtor: & in ſignum tanti amoris etiamnum in glorioſo corpore, ſanctiſſima ſua retinet vulnera, & retinebit in omnem æternitatem.

Oite-

Digitized by Google

O iterum felicem oviculam, cui bonus paſtor ait, quod ſponſus ad ſponſam dixit, Cant. 2. v. 14. *Surge amica mea, ſpecioſa mea, & veni, columba mea, in foraminibus petræ, in caverna maceriæ.* Ubi ſuaviter Guerricus Ab. ſer. 4. in Ramis palmarum. *Benedictus Ieſus noſter*, (dicam ego, ovicula ejus,) *Benedictus paſtor meus bonus! qui ut nidificare, ut habitare, ut tuta delitescere poſſem in foraminibus petræ, ut ibi reperirem paſcua bona, manus, pedes, & latus perforari ſibi tulit, & ſe mihi totum aperuit, ut ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, & protegar in abſcondito tabernaculi ſui.* Opportunum quidem petra refugium erinaceis; ſed habitatio grata columbis: cujus foramina, tot vulneribus, toto fere corpore patentia, & veniam offerunt reis, & gratiam juſtis. Imo verò, tuta habitatio, turrisque fortitudinis, Chriſti D. vulneribus immorari. O ovicula! pone tibi latibulum in crucifixo. Ibi abſcondere à facie timoris Domini; hoc eſt, ab ipſo fuge ad ipſum: à Judice ad Redemptorem, à tribunali ad crucem. Quin imo non ad ipſum tantum, ſed in ipſum fuge; in foramina petræ, ingredere! in ipſis manibus perforatis, in foſſo latere, te ipſum reconde, ut ibi paſcas, ibi cubes in meridie. Chriſtus D. qui è periculo æternæ damnationis nos eripuit, qui nos ducit ad paſcua bona, qui tot pro oviculis ſuſtinuit labores, qui intra vulnera ſua illas recludit, ut contra omnes hoſtes ſint tutæ; nunquid bene dixit, *Ego ſum paſtor bonus.* § 9. *Ad hæc Chriſti vulnera invitat bonus paſtor ſuas oviculas. Et quare?*

Reſtat ultimum punctum hujus concionis, quod ſumpſi ex verbis Sanct. Hieronymi, qui ait, *Paſtoris inſignia ſunt pellis, pera, baculus, fiſtula, funes, canis ad latus.* Paſtoris noſtri, veſtis eſt, ſanctiſſ. ejus humanitas. In pera paſtores geſtare ſolent panem, & neceſſaria quædam medicamenta pro oviculis, ſi quæ forte languere incipiat. Jam animæ piæ cogitant de duobus ſanctis Sacramentis pœnitentiæ & Euchariſtiæ. Baculus ejus fuit S. Crux. Vincula ſunt funiculi charitatis. Sed ego modo his non inhæreo; per fiſtulam, ſuave Muſicorũ inſtrumentũ SS. Patres intelligunt illas delicias & conſolationes, quibus bonus paſtor oviculas ſuas recreat, præſertim cũ illis ambulandũ eſt, per petras & ſpinas, vel dũ uruntur à ſole tribulationis, doneç deveniant ad umbram, & dulces conſolationũ § 10. *Inter ſigna paſtorũ numeratur fiſtula illa eſt ſymbolum cœleſtium deliciarum, quibus ſuas oviculas conſolatur. quod oſtenditur per brevia exempla.*

Digitized by Google

cœleſtium rivulos. Hoc ſenſu, dicere poſſumus, vere bonus paſtor noſter, conſolator eſt, ſuarum ovicularum! talis ovicula fuit S. Thereſia, cum Chriſtus D. in quadam afflictione illi diceret (l. 4. vitæ c. 17.) *Ille patri meo cœleſti, omnium eſt ſimillimus, qui quamplurimis, maximisque afflictionibus exercetur. Et vide filia mea, vide & animitus perpende vulnera mea, & fatere, quam nulli tui dolores, ut cum meis vel conferri poſſint.* Quibus illa verbis adeo ardentem, avidamque patiendi famem, ſitimque concepit, ut itentidem diceret, *aut pati, aut mori!* Talis ovicula fuit B. Gertrudis, cui pater cœleſtis dixit. *Sicut annulus, ſignum eſt deſponſationis, ſic adverſitas tam corporalis, quam ſpiritualis, quæ patienter propter Deum ſuſtinetur, certiſſimum ſignum eſt divinæ electionis, & quaſi deſponſatio animæ una cum Deo.* Quæ paſtoralis fiſtula, dulcius huic oviculæ potuiſſet accinere melos? S. Eulalia, ovicula Chriſti, annos tantum nata duodecim, ultro ſe tyranno ſtitit, & ſtetit inter atrocia tormenta animo invicto. Cum tenerum corpus per pectines ferreos, hiantibus undique vulneribus, lacerum & dilaniatum conſpiceret, virgineoque ſanguine coopertum, exultavit tamen, & Chriſtum crucifixum læta conſpiciens ſic illum eſt allocuta. *Nunc O mi ſponſe & Redemptor, quam bene reſplendet in me, per iſta vulnera viva imago tui; Characteres iſti in corpore meo, per ſanguinem meum exarati, quam ad vivum mihi exprimunt, & repræſentant paſſionem tuam.* Igni injecta dicitur tripudiaſſe in flammis, & ore avido flammas hauſiſſe. Exſpiravit plena cœleſtibus deliciis, puriſſimam ejus animam viderunt carnifices, inſtar candidæ columbæ, evolare ad cœlos. Animæ piæ! Si non eſtis imagines Chriſti veſtri crucifixi, ſi eſtis abſque ſpinis, abſque vulneribus, non eſtis oviculæ Chriſti, Inter ſpinas cœleſtis paſtor ſuos præcipue conſolatur: ſpinæ! ſpinæ ſunt, inter quas bonus paſtor ſuas paſcit oviculas, ſpinæ! ſpinæ ſunt per quas penetrare nos oportet ad gaudia. Et quid exhorreſcimus? vulnera? erunt dulcia, quia ab amore. Sanguinem? hunc profundere in tam pulchra cauſa glorioſum eſt Mortem? modo non ſit æterna, quid pertimeſcis? En paſtor bonus! ad hunc te recipe, ſuccurret oviculæ ſuæ, aderit, medebitur, conſolabitur.

§. II. Sectio. S. Felix per quietem vidit locum ſplendidum, floribus ver-

nantem,

Digitized by Google

nantem, & aromatibus redolentem, in eoque tabernacula auro & gemmeis ſtellis inſignia: in quibus quinque nivei agni, liliis paſcebantur, quinque illi agni indicarunt S. Felicem, cum quatuor ſociis Martyribus. Ex quibus S. Ferreolus ſub idem tempus vidit quinque coronas, auro gemmiſque pretioſas, ſibi & ſociis deſtinatas. O oviculæ! ſi pro paſcuis lilia, ſi aurea tabernacula, ſi gemmeos flores, ſi floridas quæritis coronas, ite, ite prius per tribulos, per ſpinas, per ſaxa cum paſtore veſtro, ad montem Calvariæ, ad arborem S. Crucis: ibi reperietis optata paſcua, ibi deſideratam habebitis quietem. Unus dies, una hora in laboribus, erit ſempiterna ad præmium. S. Wilhelmo, Chriſtus D. in ſpecie pulcherrimi adoleſcentis dixit; *Noveris, te multa perpeſſurum, ſed iis ope mea ſuperatis, ad me venies in cæleſtem Paradiſum.* S. Genovefa Virgo illi apparens dixit, *Noli timere, quoniam bonum Deum habemus, Ieſum Filium Dei:* Alteri vox de cœlo dixit, *Non cures nunc quid ſuave ſit ac facile, quid grave & amarum, ſed quid placeat Deo. Qui ipſi non placuerit æternis tormentis cruciabitur, qui placuerit æternum erit beatus.* Similes cogitationes & inſpirationes illas adducunt delicias, quibus bonus paſtor interius etiam ſuas oviculas conſolatur, donec illas ad Paradiſum æternæ gloriæ deducat. Vere vere Audit. bonum habemus paſtorem & conſolatorem dulciſſimum! Inanis eſt omnis timor noſter, metus eſt panicus, quamdiu nos bonus ille paſtor regit ac dirigit; ille ille eſt, qui nos vindicavit ex ore leonis. Ille ille eſt, qui lupum infernalem in fugam compulit, ille ille eſt, qui ad pinguiſſima ſua paſcua nos deducit toties quoties in votis habemus. Ille ille eſt, qui ad ſuaviſſimam in ſuis SS. Vulneribus quietem nos invitat quotidie. Ille ille eſt, qui nos laboribus curſuque defatigatos ſuis imponit humeris, O dulcis paſtor, O paſtor vere bonus, vere dilectus, vere amabilis! Benedictus ſit, & centies & millies, & infinities millies benedictus ſit hic optimus animarum Paſtor Jeſus!

CON-

CONCIO XXIII.

DOMINICA III. POST PASCHA.

Modicum.

Joan. 16. v. 16.

SYNOPSIS CONCIONIS.

OStendit omnia bona hujus mundi eſſe *Modicum*: quod fluant & diffluant, cito tranſeant, momento abeant & perdantur.

§. 1. *Cur David ſe vocaverit oviculam, quæ periit.*
§. 2. *Modicum, idem eſt, quod, vanitas vanitatum, & omnia vanitas.*
§. 3. *Bona hujus mundi fluunt & diffluunt, ideo S. Ioannes vidit meretricem Babylonicam ſedentem ſuper aquas.*
§. 4. *Sunt paululum mellis.*
§. 5. *Cur fons parvulus Eſtheris, deinde exundans in fluvium converſus fuerit in ſolem.*
§. 6. *Bona hujus mundi, in æternitate, ſunt guttula aquæ.*
§. 7. *Tyrus, civitas opulentiſſima, cur fuerit ſita in mari.*
§. 8. *Prudentes, ut ſerpentes, contemnunt hunc mundum.*
§. 9. *Filii hujus ſæculi, habent mundum, non Deum.*
§. 10. *Florida corona, cum aliis, eſt ſymbolum vanitatis.*
§. 11. *Aliud ſymbolum meretrix Babylonica ſedens ſuper beſtiam.*
§. 12. *Quomodo decipiantur filii hujus ſæculi.*
§. 13. *Tragica hiſtoria de Turcarum Imperatore Mahomete, & Irena, puella Chriſtiana.*

§. 1. *Cur David ſeſe vocaverit oviculam quæ periit.*

QUàm bonus, quam ſollicitus, quam amabilis animarum noſtrarum Paſtor, ſit Chriſtus D. Salvator noſter, multis oſtendi in concione Dominicæ præteritæ. Sed vereor

reor ne quis ex nobis, qui oviculæ ſumus, ſit, qui cum Regio Pſalte dicere poſſit ex pſ.118. v.176. *Erravi ſicut ovis, quæ periit, quære ſervum tuum.* Putant interpretes, Davidem ceciniſſe hunc verſum, cum agnovit, ſe voluptatis illecebra delinitum incidiſſe in adulterium, ideoque receſſiſſe à Deo ſuo, à via virtutis ad ſemitam iniquitatis. Ita hodie reperiuntur multæ oviculæ, quæ ob leviſſimam cauſam recedunt à bono paſtore. Illam S. Baſilius advertit ex ovis proprietate, de qua ait, in cap.3 Iſ. *Ovis nullam habet peculiarem prudentiam, ut pergat ad paſcua, quæ in tutioribus ſunt locis, ut tuto loco ſibi conquirat potum, niſi affuerit paſtor, qui viam ei præmuniat, & præmonſtret ad hæc perquirenda.* Addit opportune Ariſtoteles l.9. de hiſt. Anim. c.3. *Genus ovile amens, & moribus, ut dici ſolet, ſtultiſſimis eſt, quippe, quod omnium quadrupedum ineptiſſimum ſit, repit in deſerta ſine cauſa.* Sine cauſa, dicit, quia à grege ſenſim diſcedit, & ſtulto errore ultro ad deſerta pergit, herbæ diſtantioris futili appetentia; & ſic paulatim gregem ac Paſtorem deſerens, ob leviculum herbæ, quam ſibi imaginatur, guſtum miſeranda lupi præda efficitur. Pari ratione plurimi, licet paſtor bonus nobis det paſcua optima, licet, &c. ob levem voluptatem, ob vanitatem, ob divitias deſerunt paſtorem optimum, & ingenti animæ periculo ſe exponunt. Prorepunt in loca arida ſine cauſa. Quidquid quærunt, eſt *Modicum*, Et hoc ipſum faventibus ſuperis, præſens concio pluribus exponet.

§.2. *Modicum, idem eſt, quod, vanitas vanitatum, & omnia vanitas.*

Significationem perbrevis ſed conſideratione digniſſimæ voculæ, *Modicum*, clare expoſuit Salomon, cum deliciarum ſatur diceret, Eccleſ.1.v.2. *Vanitas, vanitatum & omnia vanitas. Vanum* ait Marcellus l. 4. *idem eſt quod leve, inane, mendax, inſidioſum, ſubdolum.* Chaldæus Paraphraſtes cit. verſum, ſic legit. *Vanitas vanitatum, ſæculum hoc.* Alii. *Nihilum, nihil, & omnia nihil.* Proinde S. Chryſoſtomus in Parænetica ad Eutropium ait: *hunc verſiculum* (ego dico, hanc voculam Modicum.) *Si ſaperent, qui in potentia verſantur, in parietibus omnibus, & in veſtibus ſuis ſcriberent, in foro, in domo, in ingreſſibus, quoniam quidem, ſunt multæ rerum facies, multæ imagines falſæ, quæ decipiunt incautos.* Pagninus in verſione hebraica, ait, *vanitas, ſive vanum eſt, quod cito vileſcit,*

leſcit, & evaneſcit: quod cito deſinit, vapor v.g. vel fumus vel nebula. Alii utuntur metaphora floris, ut poſtea dicam, & ajunt, *vanum eſt, quod cito conſumitur, defloreſcit & cito marceſcit.* S. Gregorius. l.5. in 1. Reg. c.1.12. *Vanitas vanitatum & omnia vanitas. In comparatione enim æternorum bonorum vana ſunt omnia, etiam bona temporalia; quidquid enim in hoc ſæculo lætum, delectabile, ſublime, atque proſperum cernitur, vanum profecto eſt, quia difficile habetur, & cito amittitur. Repente alta ſæculi corruunt, pulchra tranſeunt, læta & proſpera evaneſcunt. Vana ſunt gaudia hujus ſæculi, quæ quaſi manentia blandiuntur, ſed amatores ſuos cito transeundo decipiunt.* Quod ſancti Patres variis loquendi modis conantur exprimere. |

§ 3. *Bona hujus mundi fluunt & diffluunt, ideo S. Ioannes vidit meretricem Babylonicam, ſedentem ſuper aquas*

Voluptates hujus ſæculi fluunt & diffluunt. Hoc in cap. 17. Apocalypſ. ſub pulchra metaphora fuit repræſentatum S. Joanni, nam meretricem Babylonicam vidit ſedentem ſuper aquas. Et ait v.15. *aquæ, quas vidiſti, ubi meretrix ſedet, populi ſunt & gentes.* Sed cur populi, & inter illos præſertim Principes, Reges, potentes, divites, dediti voluptatibus, ſignificantur per fluxas & inſtabiles aquas? Reſpondet Rupertus lib. 10. in Apoc. *Merito aquarum nomine deſignantur, ſuper quas meretrix ſedet, quia nimirum pro hoc ipſo, quod eis Domina talis præſidet, fluxæ ſunt & inſtabiles.* Vanitas? qualis Domina? Sed ſedet ſuper aquas, cum quibus fluit, diffluit, & in interitum decurrit. Juno! ſuperbiſſima illa Dea! qualis domina, qualis Regina? Sed thronus, in quo imperat eſt aqua, &c. Idem licebit nobis, imo oportebit cogitare de venere, de fluxis mundi voluptatibus, de Mammona, de honoribus, &c. Specioſa nempe venus eſt: ſed periculoſa ſimul! ſedet ſuper aquas: labitur, dilabitur. Ubi nunc deliciæ, quibus olim Sardanapalus atque alii Veneris clientes ſunt perfruiti? dilapſæ ſunt ut aqua. Et in quem tandem locum defluunt illi voluptatum torrentes? in mare; amarum utique mare, mare æternitatis.

§. 4. *Sunt paulum mellis.*

Sed fluunt quidem hi rivuli, ſed aqua dulci! ſunt rivuli lactei & mellei, flumina cryſtallina circumfluunt Babylonem! ideo populi & gentes; filii hujus ſæculi, vanitas, Juno, venus ſunt & vivunt inter delicias; fruuntur voluptatibus, paſcuntur melle, ſic judicat mun-

mundus, ſed fraudem, ſed celeritatem, qua diffluunt, ſed brevitatem & modicum, quo durant, expertus fuit Jonathas l.1. reg.14. v.43. cum ait, *guſtans guſtavi in ſummitate virgæ, quæ erat in manu mea, paululum mellis, & ecce ego morior.* D. Iſidorus Hiſp. in l.1.reg. c.6. *tale mel diſtillant labia meretricis, quod eſt delectatio.* Sed modica eſt. Mundus dat divitias, id eſt, paululum mellis, quod diffluit, & mortem accelerat. Ecce divites moriuntur. Dat mundus voluptates, deducit ſuas gentes per prata luxuriæ! id eſt paululum mellis: propinat delicias, inclamat ſuis Coſmophilis, guſtate & videte, non quam ſuavis eſt Dominus aut virtus, ſed, quam ſuavis eſt voluptas, quam ſuavis eſt venus! Guſtate per me licet Audit. paululum mellis eſt, guſtate, ſapit palato corruptæ naturæ, guſtate, mundus allicit, & caro; guſtate; ſocietas invitat; occaſio ſponte ſua concurrit; guſtate: Verum Enimvero mortem! mortem comedetis; mox mox clamabitis miſeri, Ecce ego morior! Heu mihi! væ animæ meæ! O acerba voluptas! Quam cito mel tuum tranſiit in fel amariſſimum! ſic eſt, Auditores.

Hoc opto & ſuadeo, potentibus atque divitibus hujus ſæculi, ut ſint ſolliciti, quomodo ſuas opes, divitias, honores, ſtabiles atque conſtantes efficiant. Mirabilem metamorphoſin narrat cap.11. verſ.10. Eſther, nam cum Judæi perturbati metu magno, quod audirent, ſe ceu victimas neci deſtinatos, clamarent ad Dominum, illis vociferantibus, *Parvus fons crevit in fluvium maximum, & in aquas plurimas redundavit*, ſed ſubito hic fluvius converſus fuit in ſolem. Dicunt interpretes, ſub hoc ſymbolo repræſentatam fuiſſe Reginam Eſther, quæ ex humillima fortuna, ob admirabilem pulchritudinem, quam impertierat illi Dominus ad ſolium regni fuit aſcita: Sed hoc argumentum ſatis expreſſit inundatio aquarum, quid neceſſe fuit eundem fluvium converti in ſolem? myſterium, quod latet, nobis ponet ob oculos verſ. 38. pſal. 88. *Thronus ejus ſicut ſol, & ſicut luna perfecta in æternum.* De qua ait Eccleſiaſticus cap.43. verſ.9. *Vas caſtrorum in excelſis, in firmamento cæli, reſplendens glorioſe.* Itaque thronus, in quo ſedit Regina Eſther, fuit ſol, id eſt ſtabilis. Non manſit ſuper aquas, ut meretrix Babylonica. Clarius. Eſther fuit Regina; ſed

§.5. *Cur fons parvulus Eſtheris, deinde exundans in fluvium converſus fuerit in ſolem.*

magis reſpexit & amavit ſolem & Deum, quam ſuum regnum. Eſther: fuit formoſiſſima, ſed formoſos ſuos oculos quotidie magis conjecit in ſolem, in Deum, quam Aſſverum. Non defuere deliciæ; ſed cor & cogitationes magis erant in excelſis, magis in firmamento cœli, quam in terris. Hoc eſt, fluxa, caduca, modica bona hujus mundi firmare, augere; hoc eſt, per bona temporalia, per divitias, per honores, &c. tranſire ad cœleſtia & æterna. Sed ad meam me recipio materiam, qua quod bona hujus mundi celeriter tranſeant, explano.

§. 6. *Bona hujus mundi, in æternitate ſunt guttula aquæ.*

Diviti epuloni, qui per delicias deſcendit ad infernum, Luc. 16. v. 22. S. Chryſologus ſer. 121. has quæſtiones proponit; *Quid eſt dives? petis inter flammas guttulam aquæ? ubi ſunt torrentes torcularium tuorum? ubi ſunt vina annoſitatibus & ipſa temporum oblivione ſervata? ubi ſunt effuſiones & flumina miniſteriorum tuorum? iſta omnia tibi periere, deſeruerunt te iſta.* Modicum fuit tempus, quo ſediſti ſuper iſtas aquas, jam jaces in ignibus inferni: Remanſere illa in mundo, tu torqueris in æternitate. Id quod pulchre ait regius Pſaltes pſ. 48. v. 17. *Ne timueris, cum dives factus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus ejus, quoniam cum interierit, non ſumet omnia, nec deſcendet cum eo gloria ejus.* Hæc eſt natura bonorum hujus mundi. Tranſeunt cito, & cum ſubito homini moriendum eſt, deſerunt illum; nullum comitantur in alterum mundum. In morte, honores, divitias, amicos &c. omnia oportet nos relinquere. Morientibus omnia intereunt, poſſunt dicere cum Jonatha, *Ecce, &c.* D. Chryſoſtomus, hom. in D. Julian. l. 6. *Talis namque eſt opum natura, non transferuntur cum Dominis: non cum poſſeſſoribus peregrinantur, non in judicium vocatis, ac pœnas luentibus, patrocinantur, ſed per mortem penitus præſcinduntur, imo multos ante mortem deſeruerunt.* Infidus eſt uſus, fructus inſtabilis, periculoſa poſſeſſio. Niſi contingat, ut ſuos rivulos & fontes convertant in ſolem; niſi cœleſtia, & Deum, magis ament, quam terrena, peritura, & hunc mundum.

§. 7. *Tyrus civitas opulentiſſima, cur*

Tyrus, pulcherrima, opulenta, ditiſſima fuit civitas, adeo ut apud Ezech. cap. 27 v. 4. inſtar Reginæ gloriata fuerit, *perfecti decoris ego ſum.* Sed ſtulta fuit, quod addat & dicat, *In corde,* vel, *in medio*

Digitized by Google

medio maris ſita. Irridet illam ſubito S. Hieron. ibi. *O ſtulta! bene dicis, quia quaſi inſula moveris, & fluctuas, & undarum illiſionibus confringeris, Fundamentum tuum, thronus tuus, eſt thronus meretricis, thronus tuus eſt aqua.* Et qualis gloria, quæ ſic fluctuat, quæ tam facile movetur, quæ mille tempeſtatum fluctibus eſt expoſita? Non equidem talia bona, tam fluxa, tam inſtabilia, tam modica, amanda, ſed deſpicienda ſunt, *Fuerit ſita in mari.*

Ideo prudentes ut ſerpentes, ſunt illi divites, illi magnates, illi Reges terræ, qui inter divitias & honores hujus mundi dicunt cum Regina Eſther c.14. v.15. *Noſti, quia oderim gloriam iniquorum, quod abominer ſignum ſuperbiæ & gloriæ meæ, quod eſt ſuper caput meum, in die oſtentationis meæ, & deteſter illud &c.* Animus excelſus Reginæ reſpexit ſolem, magis Deo & cœlo fuit affixus, quam bonus hujus mundi. Illi ſunt prudentes, qui ex c.11. v.13. ep. ad Hebræos, cum S. Paulo dicunt, *Confitentes, quia licet divitiæ nobis affluant, &c. Peregrini & hoſpites ſumus ſuper terram.* De quibus S. Chryſoſt. ait hom. de Anna t.6. *Ita ſunt hoſpites & advenæ, quod orbem univerſum deſpiciant, & parvi facientes terram* (memores Evangelici *Modici*) *ad cæleſtem illam civitatem reſpiciant.* Hac ratione fontes & rivuli hujus mundi convertuntur in ſolem, in beatitudinem, quæ æternum durabit. Prudentiſſimus ſerpens fuit Job, qui cap.31. v.25. auſus fuit dicere; *Si lætatus ſum ſuper multis divitiis meis.* Circa quæ D. Chryſoſtomus hom. 14. de avarit. *Audi quid dicat? quod ſi delectatus ſum, cum mihi multa affluerent divitiæ, ſi repoſui copioſam auri vim mihi, ſi fiduciam habui in lapidibus pretioſis,* id eſt, habuit Job divitias, habuit aurum, habuit gemmas; ſed quid ais? Non delectatus es? nequaquam inquit: Quid ita? quoniam videbam illarum inſtabilitatem, fluxamque naturam: videbam poſſeſſionem haud durabilem. §.8. *Prudentes ut ſerpentes contemnunt hunc mundum.*

Elegantibus verbis miratur S. Cyprianus in c.4. S. Matthæi, divites hujus mundi ſatiari non poſſe, dum quærit; *Quid ultra cupide quæris? quid amplius avare deſideras? nunquid & ſic poteſt impleri ambitio, aut ſatiari poteſt fames tua; oſſa hujus mundi injecta faucibus tuis, dentibus tuis univerſa rerum maſſa intruſa?* Vult avaro diviti demonſtrare S, Cyprianus, quod ſit inſatiabilis, & addit au- §.9. *Filii hujus ſæculi habent mundum, non Deum.*

Digitized by Google

ream rationem. *Miſer! Mundum habes, Deum non habes! ſed mundus tranſibit, tu cum eo, qui non ſtat, cades! tranſibis & rues. Proxima tibi mors.* Modicum & fortaſſis morieris. Cito, cito, contemne iſta, quæ tranſeunt; vide ut Deum habeas! & cadendo in morte ſtabis.

§. 10. *Florida corona, cum alis, eſt ſymbolum vanitatis.* Breviſſimam rerum in hoc mundo durationem, & celerem feſtinationem ad interitum, meo judicio elegantiſſimum hoc ſymbolum declarat; Ex una parte depictus eſt faſciculus florum; ex altera, florida corona; ſed flores & corona habent alas, quibus videntur avolare per aera. Pictura hæc fundamentum habet in ſacris literis. Nam cap. 48. v. 9. ait Jeremias, *Date florem Moab. Quia florens egredietur, & civitates ejus deſertæ erunt & inhabitabiles.* Pagninus & Vatablus ſic legunt. *Date alam Moab, quia volando avolabit.* Idem verbum in hebræo ſignificat coronam, ut legere quoque poſſimus, *Date coronam Moab.* Ecce flores! ecce coronam, ecce alas! Puto vos jam advertere myſterium. Intra paucos dies videbitis in hortis, pulcherrimas tulipas; ecquis poteſt florum horum pulchritudinem ſatis ſuperque deſcribere? Verum quot ſunt tulipæ pulcherrima folia, totidem ſunt illi leves alæ, quibus properat ad interitum. Quid in vere jucundius, quam aſpicere in hortis Arborem Mali granati, vel pomi aurei, & citrici, cum ſuis floribus? Ah! hi quoque floſculi habent alas! cito, citiſſime avolant. O filii hujus ſæculi vobis mundus dat flores, vobis offert coronas, ex roſis ac liliis, ſed omnia habent alas; Roſæ habent alas, lilia habent alas, Narciſſi habent alas, volant floſculi & cum illis (mirum dictu) color omnis ac decor velut avicula in auras evolat. Ite nunc homines, credite deliciis mundi fluxis, vanis, fallacibus.

§. 11. *Aliud ſymbolum: meretrix Babylonica ſedens ſuper beſtiam.* Cum divitiæ, opes, gloria & ſplendor Babylonis S. Joanni c. 17. Apoc. repræſentarentur ſub ſpecie meretricis magnæ; & Apoſtolus miraretur ejus pulchritudinem & ſplendorem. Subito aſtitit illi Angelus qui dixit, v. 7. *Quare miraris? Ego dicam tibi ſacramentum mulieris, & beſtiæ quæ portat eam, beſtia quam vidiſti, fuit & non eſt; & aſcenſura eſt de abyſſo, & in interitum ibit: & mirabuntur inhabitantes terram, quorum nomina non ſcripta ſunt in libro vitæ à conſtitutione mundi, videntes beſtiam, &c.* quaſi diceret Angelus ex mente Ruperti, lib. 10. in Apoc. *Quid tu miraris? mirentur illi*

qui

Digitized by Google

qui cœlum non aſpiciunt, ſed terram, ſicut corpore ita mente inhabitant, quorum nomina non ſunt ſcripta in libro vitæ, id eſt, quos Deus ad vitam non prædeſtinavit. Illi mirabuntur, & ſemper mirati ſunt magnitudinem beſtiæ, pulchritudinem meretricis, purpuram ejus, coccinum ejus, aurum eius, pretioſos lapides eius, Margaritas eius. Iuſti talia nec ſtupent, nec amant: quia Babylon fuit, non eſt amplius. Omnia abiere in interitum. Vanitas magna illius meretricis, habuit alas, avolavit. Hoc eſt ſacramentum, quod Chriſtus D. in hodierno Evangelio nobis proponit, vocula illa *Modicum.* Illud eſt myſterium, quod abſconditum eſt filiis hujus ſæculi; patet vero oculis ſanctorum, qui mundi vanitatem contemnunt, cum omnis illius ſplendor & gloria, quovis momento vergat in interitum, & properet in occaſum. Druthmarus. Temporalia, quæ videntur, corruptibilia ſunt, & cito tranſeunt.

§. 12. *Quomodo decipiantur filii hujus ſæculi.*

Juvat idipſum per alias S. Scripturæ figuras plenius cognoſcere. Lib. 1. Reg. c. 19. v. 13. res lepida accidit Sauli, & ejus ſatellitibus. Nuntiatum fuit Sauli, Davidem quem quærebat ad necem dormire in domo Michol; quare mox ſatellites qui illum caperent, ablegat: Michol facta certior de Regis conſilio, clanculum dimiſit Davidem, & in lecto illius loco, neſcio quod ſimulachrum, tectum pellibus caprarum, ſuppoſuit. Mox adſunt regii ſatellites; magno cum ſilentio ingrediuntur conclave, accedunt lectum, perſuadent ſibi ſe tenere Davidem; & ecce, dum manus injiciunt, repperere aliquod ſimulachrum, ſive mutam ſtatuam. Similis plane eſt rerum mundialium fallacia! ſic Reges, Principes & divites in hoc mundo decipiuntur! putant ſe poſſidere honores, divitias, &c. Sed dum adeſt dirus ſatelles, cum mors appropinquat, vix ſimulachrum vel umbra remanet vanitatis. D. Ambr. ep. 44. *Vana ſpes hominum in hoc ſæculo, quia ea, quæ non ſunt, tanquam quæ ſunt, ſequenda arbitrantur: omnia bona huius mundi, veniunt, abeunt: aſſiſtunt, evaneſcunt, circumfunduntur, diſperguntur, teneri videntur, & non tenentur.* Putamus nos videre hodie reges, cras ſunt cinis. Hodie videmus roſas; cras flaveſcent; Hodie videmus purpuram, cras rodent illam vermes. Sapientiſſime dixit Salomon Eccleſiaſtis c. 1. v. 12. *Ego fui Rex in Ieruſalem.* Cum hæc dixit, re ipſa fuit

adhuc

Digitized by Google

adhuc Rex; quomodo ait, *fui*? Reſpondet Hugo de S. Vict. hom. 5. in Eccleſiaſten. *Fui*, inquit, *quaſi dicat, jam non ſum. Quia etſi ſum, idipſum jam nihil eſſe agnoſco, quod ſum.* Itaque divitiæ reſpectu hominis, nihil ſunt, modicum durat vita hominis, nimis illa brevis eſt. Ob eandem cauſam; voluptates nihil ſunt, &c. Abeunt momento.

§. 13. Tragica hiſtoria de Turcarum Imperatore Mahomete, & Irena, puella Chriſtiana.

Quod damno ſuo experta fuit infeliciſſima Irena. Fuit illa puellarum in urbe Conſtantinopolitana, cum à Mahomete Turcarum tyranno occuparetur, omnium formoſiſſima, Chriſtianis orta natalibus, à parentibus bene educata, ejus aſpectu, licet mancipium eſſet, vulneratus adeo fuit Mahometes, ut, cum captivas luſtraret Virgines, Irenam quamprimum ad aulam duci juſſerit Cæſaream. At quid contigit? Ob ſuavem cum Irena converſationem Mahometes Proceribus & militi viſus fuit oblitus imperii, exercitus, & dignitatis Cæſareæ. Reſtitit initio pudica Virgo fœdis Tyranni amoribus, prius mori, quam fœdari parata. Sed quid mirum ſi inter tot illecebras, mox puellæ fuerit victa conſtantia. Religionis ſuæ, & Chriſti oblita, voluit, quod volebat Imperator. Verùm illa Cæſaris cum Chriſtiana ſerva familiaritas, adeo diſplicuit militi & exercitui, ut ob imminentem rebellionem, Palatinorum Princeps Muſtaffus feſtinarit ad aulam; ubi ad Imperatorias aures admiſſus, brevi oratione Imperatori expoſuit imminens periculum, militumque ſeditionem, cæteraque damna, quæ ex nimio erga Chriſtianam ſervam amore poſſent proficiſci. Cum Muſtaffus peroraſſet, juſſit Imperator totum exercitum tertio abhinc die pro prætorio adeſſe; verbo ſe factoque tumultuantibus reſponſurum. Non eſt hujus loci, ut referam, quænam in Imperatoris pectore exorta fuerit pugna, quale duellum inter gloriam & voluptatem, inter imminentium periculorum timorem, & erga ſuam Irenam amorem. Vicit gloria. Itaque ultimo veſpere Irenæ ait; conclusum apud ſe eſſe decretumque, mane poſtero ritibus publicis, ipſam tanquam Auguſtam Ottomannicam inaugurare. Iret ſine mora, atque in nuptias ſeſe comptam comatamque præpararet, ornaret ſe, quomodo vellet, Cæſariem tamen ſolam, turrito faſtigiatam turbine, meminiſſet componere, ut Imperatoriæ coronæ, inquit

quit Mahometes, quam meis ipſe manibus imponam, ſit locus. Cogitare pronum eſt, quibus gaudiis delibutum fuerit puellæ pectus, ob baſilica promiſſa, non opus eſt referre, qua cura ſe ſe ornarit. Tertio tandem in orbem illato ſole, cum jam in capaciſſimo prætorio Turcicus miles, purpuratique duces conveniſſent, in theatrum excelſum, floridis periſtromatis conveſtitum, Mahometes Imperator prodit; in elegantiori præter ſolitum habitu, deaurato & gemmeo ad latus acinace præcinctus. Poſt feſtivas acclamantium Ducum & militum voces prodiit Irena; cogitate vos videre aliquam Helenam, vel Cynthiam, aut formoſiſſimam Nympharum. O Irena! O Irena! qualis in Imperatorio pectore, in tuum caput, cuditur tragœdia. Poſt brevem ad milites perorationem epilogus ejus fuit, velle ſe Irenæ capiti Ottomannicam imponere coronam. Et Irena ſurgens ad ſponſi pedes ſe ſubmiſit. Sed manu levatam Mahometes, ſtare juſſit obverſo in exercitum vultu. Ipſe lævam ſuam capillorum ſummo turbini implicat, tanquam elegantiam ſuam militi oſtenſurus: nec deſiſtit altius identidem preſſiuſque capillorum verticem & comas attollere; tum voce clariſſima Mahometes; *Placet*, inquit, *Irene noſtra, placet connubio tecum convenire. Te ego hodie tanti Imperii ſociam ſolenniter aſciſcere volo. Tuum id unum erit, Irene mea, claris verbis annuere, an velis.* Ad quæ cum infelix puella, ter altum inclamaſſet, *volo, volo, volo*, Imperator barbarus dextera raptim evaginato acinace per fraudem accommodo collo, ictu uno, puellæ cervicem præſcindit, attonitis ad immanitatem non præviſam legionibus. Succiſum caput, in vulgus ſuperque cervices militum projecit & dixit, *Ite nunc milites, & ducem veſtrum mollitudinis arguite: amica vos caſa redarguat, loquaturque elingue caput ac teſtetur, didiciſſe me invaleſcenti voluptati poſſe frænum injicere.* Nobis Audit. hoc Irenæ lingua admurmurat, Heu! *modicum*! O Irene! ubi nunc tua pulchritudo? ubi deliciæ? ubi tantus corporis ornatus? ubi genarum roſæ? ubi lilia labiorum? ubi colli corallia? ubi ubi hæc omnia! Heu Modicum, Modicum!

Tam ſubito vanas decor omnis abivit in auras
Quam ſubita lingua volat irrevocabile verbum.

Momento evanuerunt omnia, momento Irene perdidit univerſa. Ah utinam non animam! Diſcite Aud. quid ſit Modicum voluptatis! felix quem faciunt aliena pericula cautum.

CONCIO XXIV.
DOMINICA IV. POST PASCHA.
Nemo ex vobis interrogat me, quo vadis.

Joan. 16. v. 5.

SYNOPSIS CONCIONIS.

IN tribulationibus & afflictionibus conſolari, animare, & confortare nos poſſumus, dulcibus de cœlo cogitationibus, cum ſpe bona, fore nos gloriæ cœleſtis participes.

§. 1. *Paradiſus Alardini.*
§. 2. *Quæſtio hæc,* quo vadis? *facit nos cogitare de cœlo.*
§. 3. *Hac cogitatione, ſancti Angeli confortarunt Martyres inter tormenta.*
§. 4. *Cogitationes de cœlo ſunt mellea.*
§. 5. *Cur Chriſtus D. dum octo propoſuit beatitudines, mentionem fecerit regni cœlorum.*
§. 6. *Analogia, inter amœnam arborem, & illum qui cogitat de cœlo.*
§. 7. *Quomodo viri ſancti talibus cogitationibus ſe fuerint conſolati.*
§. 8. *S. Ignatii, & Bernardi cogitationes de cœlo.*
§. 9. *Superant omnia tormenta, qui Deum & gloriam cœleſtem habent præ oculis.*
§. 10. *Ipſe Chriſtus D. S. Martyres his cogitationibus fuit conſolatus.*
§. 11. *Et B. Virgo ſuos clientes.*
§. 12. *Cur Joſeph in omni adverſitate fuerit lætiſſimus.*

§. 1. *Paradiſus Alardini.*

TEſte Paulo Veneto, Alardinus Rex Inſulæ cujuſdam in India, ut ſubditis inferret amorem Mahometis, hanc fraudem excogitavit. In amœniſſima valle regium exſtruxit pala-

palatium, cum amœniſſimis viridariis; verbo, quendam in terris paradiſum. Subinde aliquos ex præcipuis invitabat ad ſuam menſam, in fine propinabatur hauſtus, qui ſubito gravi ſomno illos conſopivit; quos ita jacentes in prius curavit palatium deportari. Ex ſomno ſibi redditi, obſtupuere loci elegantiam, delicias, menſas, convivia, Muſicos; ſed veſpere, ob eundem potum, iterum dormientes è palatio relati fuerunt ad Alardinum, cui, iterum ſibi redditi mira narrarunt, de deliciis, in quibus fuiſſent, tum ille. *Bono animo! in paradiſo fuiſtis Mahometis, hunc modo in ſomnio tantum oſtendit, illum daturus, ſi illum veneremini, & mihi obſequamini.* Et loci, quem viderant, pulchritudo, miros animorum motus in illis concitavit. Neſcio, an audeam dicere, idem in hodierno Evangelio facere Chriſtum D. ſed ſine fraude, dum ait, *vado parare vobis locum.* Ex quo poſtquam ad ſe rediit S. Paulus, veluti ex ſuavi ſomnio ait, *Nec oculus vidit, &c.* 2. Cor. 12. v. 3. Bono animo, Auditores, locus iſte eſt paradiſus cœleſtis ſponſi, eſt manſio Chriſti Salvatoris noſtri, locus iſte eſt illa civitas in quadro poſita, ex auro, argento, gemmis, quam vidit S. Joannes in Apoc. 21. v. 16. Modo nobis tantum oſtenditur, dabitur aliquando, dummodo illius fruitione nos dignos reddamus. Quam nobis utilis ſit frequens cogitatio de cœlo, oſtendet hæc concio. Attendite.

Suavis & dulcis illa cogitatio, quam hæc interrogatio Chriſti D. *Quo vadis?* nobis ſuggerit, quod ſcilicet vita hominis Chriſtiani, nil ſit aliud, quam iter quoddam & via ad æternam beatitudinem, ad quam homo à Deo creatus eſt; hæc inquam cogitatio, & fiducia obtinendæ tantæ felicitatis, in omni tribulatione, adverſitate, ærumnis, quibus hic mundus plenus eſt, ſolari atque animare nos debet, ut cum S. Paulo, curramus alacriter ad deſtinatum nobis bravium. Cum vitas SS. Martyrum percurro, reperio frequentiſſime invictos illos pugiles, in ſupremo agone inter acerbiſſimos cruciatus, & atrociſſima tormenta, à ſanctis Angelis fuiſſe confortatos, ſpe futuræ gloriæ. §. 2. *Quæſtio hæc quo vadis? facit nos cogitare de cœlo.*

Cum Sanctus Lucianus Martyr, jam jam capite eſſet plectendus, vox Angelica audita fuit ita loqui. *Euge, euge! famule Luciane, veni & ſuſcipe coronam tibi promiſſam, quia cum ſanctis* gratu- §. 3. *Hac cogitatione ſancti Angeli animarunt Martyres, inter tormenta.*

Digitized by Google

gratulaberis in cœlis. Veni & percipe manſionem gloriæ, tibi paratam cum Angelis. Caſtiſſimæ S. Juliani ſponſæ, S. Baſiliſſæ Angelorum chorus accinuit, *Beata es Baſiliſſa, quæ conſenſiſti ſalutaribus monitis, & falſa mundi blandimenta, ac terrenas delicias ſpernens, ad æternam te præparaſti.* Hæc ſcilicet ſpes futuræ gloriæ facit, ut viri ſancti cum gaudio mundum contemnant. S. Tatiana M. Angeli ſui cuſtodis voce animata, uncos, pectines, ignes invicta vicit; cum tandem gladio percuſſa fuit, rivuli lactei per vulnera, ſanguinis loco ſcaturierunt. Et nobis, ſi volumus, inter dolores non deerunt lactei rivuli cœleſtium conſolationum, dummodo frequenter cogitemus, *quo vadis?* ſcilicet ad cœlum: ad cœlum! S. Hermylum M. inter tormenta ſic allocuta fuit vox de cœlo, *Hermyle, eſto bono animo, & decerta; poſt tres dies liberaberis à præſentibus moleſtiis, præclaras autem & magnificas accipies laborum remunerationes;* cum tandem demergeretur in Iſtrum alta voce cecinit; *Gloria in excelſis Deo.* Si hæ remunerationes, noſtris quoque oculis frequenter obverſarentur, quam leves & faciles nobis forent omnes præſentes labores & moleſtiæ! Premit te paupertas? cogita, quo vadis; Acuta febris ardet in tuis viſceribus? cogita quo vadis? Cruciant te, quas innocens perpeteris, injuriæ? Iterum quo vadis cogita. Angunt mentem tuam innumeri ſcrupuli? Quo vadis amice, quo vadis? Fame torqueris aut ſiti? quo vadis? injuriis potentiorum expoſitum te quereris, nec hominem habes, qui opem ferat vel ſolamen afflicto? Quo vadis? crede mihi, via hæc tua, via ardua & aſpera; non eſt æterna. Tandem invenies terminum, cum termino patriam, cum patria quietem, cum quiete gloriam.

§. 4. *Cogitationes de cœlo ſunt melleæ.*

Cum S. Leocritia V. M. inter tormenta diceret S. Eulogio, ſibi oranti liquore mellis os repletum fuiſſe, ipſe reſpondit, *melle illo indicari eam, qua fruitura eſſet, regni dulcedinem.* Advertite quid intendat Chriſtus D. in hodierno Evangelio; ante dies quatuordecim vocavit ſe bonum paſtorem, ideo ante octiduum conatus fuit ſuas oviculas abducere à paſcuis, id eſt à voluptatibus atque illecebris hujus mundi, in hodierno Evangelio, dum cœleſtis beatitudinis facit mentionem, ſuas oviculas paſcit melle, ut paſti melle, cum ſpe æternæ gloriæ libenter ſequantur paſtorem.

Mat-

Digitized by Google

Matthæi 5. v. 3. Chriſtus D. ſedens in arduo montis faſtigio, velut in magiſtrali cathedra, aperuit os ſuum, & dixit, *Beati pauperes ſpiritu, beati mites, beati qui lugent, qui perſecutionem patiuntur, qui eſuriunt & ſitiunt Iuſtitiam.* Verum quid eſt difficilius in hoc mundo, quam eſſe pauperem, quam humiliari, quam diligere inimicos? &c. quid doctrinam tam auſteram poterit mitigare ad hominum illecebram, ut libenter ſint pauperes? mites, patientes? Reſpondet S. Chryſoſtomus h. 15. in Matt. dicendo, *quoniam ipſorum eſt regnum cælorum, doctrinam ſuam non ſub ſpecie mandatorum, atque exhortationis inducit, ſed ſub præmiis beatitudinem, ut ſcilicet ſermonem ipſum faciat gratiorem.* Difficile, arduum aut auſterum eſſe non poteſt, quod tam ſplendida mitigat promiſſio; ſpes regni cœlorum amara omnia, reddit mellea & dulcia. § 5. *Cur Chriſtus D. dum propoſuit eſſe beatitudines, mentionem fecerit regni cælorum.*

Notiſſimum eſt, Davidem in pſ. 1. v. 1. illum nominare virum beatum, qui currit per viam mandatorum Dei, cum ſpe cœleſtis gloriæ, & proinde illum comparat amœniſſimæ arbori, de qua ait v. 3. *Erit tanquam lignum &c.* Cauſam afferunt Patres Græci apud Corderium in comment. hic. pulchrum ſane operis præmium! qui enim divinæ legi vacat, & ejus rivulis irrigatur, aſſimilatus eſt arbori juxta aquas conſtitutæ, ſemper florenti, ſemper maturis frugibus onuſtæ. Siquidem Athletæ virtutis, in futura quidem vita, laborum fructus referent, accipient præparatam coronam, hoc eſt fructum ſuum dabunt in tempore ſuo, hoc eſt germinabunt & florebunt in perpetuas æternitates, hoc eſt, nulla illis hyemis aſperitas erit moleſta, nulli illis nocebunt ventorum turbines; nulla illis calamitatum tempeſtas florem fructumque decutiet. Verbo, erunt ſicut lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum! illarum inquam aquarum, quas in Apocalypſi vidit B. Joannes, futuræ gloriæ ſymbola, attamen etiam hic, ſpe bona tanquam foliis quibuſdam, obumbrantur, atque animi alacritate laborum moleſtiam fallunt § 6. *Analogia inter amœnam arborem & illum, qui cogitat de cælo.*

His foliis obumbratus fuit S. Arcadius M. cum lente, per ſingulas ſingulorum totius corporis membrorum juncturas, diſſectas inciſus, ventre laniatus, gratias Deo agens, & cœlum ſuſpiciens, dixit; *Manus tuæ Domine fecerunt me, & plaſmaverunt me, da mihi intel-* § 7. *Quomodo ſancti viri hac cogitatione ſe fuerint conſolati.*

intellectum: tum inter jacentia & ſparſa circa ſe membra corporis medius, *O vos*, ajebat, *membra felicia, nunquam vos ſic amavi in corpore, ut nunc vos videns avulſa; Sic nos decuit ad tempus ſejungi, ut tandem noſtro Regi occurramus in gloria; & pro mortalibus membris, vos eadem reſtituamini mihi immortalia*; ad ſpectatores vero dixit, *Parum eſt hoc, O viri, hæc facile eſt tolerare, qui novit de futura immortalitate cogitare.* Vita S. Anthimi M. poſtquam narravit, quod lapidibus fuiſſet percuſſus, ferreis & igne candentibus fibulis, talos transfixus, ſuper acutas teſtulas volutatus, virgis cæſus, rotæ alligatus, verſatus, ignitis lampadibus ſenſim exuſtus, capite plexus, cœleſti voce fuerit invitatus ad præmia æternitatis: tum ſcriptor addit aureum hoc epiphonema. *Digna eſt his æternitas, digna Chriſti mors, dignus Deus.*

§. 8. *S. Ignatii & S. Bernardi cogitationes de cœlo.*

His foliis bonæ ſpei, fuit obumbratus S. Ignatius, quando exclamavit: *Quam ſordet mihi terra, cum cœlum ſuſpicio!* & S. Bernardus cum in lib. medit. ingemuit, *Quæ nos angit veſania, vitiorum ſitire abſynthium, hujus mundi ſequi naufragium, vitæ labentis pati infortunium, impiæ tyrannidis ferre dominium, & non magis convolare ad ſanctorum felicitatem, ad Angelorum ſocietatem, ſupernæ lætitiæ & ad jucunditatem regni cœlorum.* Memini etiamnum parabolæ boni Paſtoris & oviculæ; quæ itaque veſania oviculam relinquere in pratis ſuaviſſimos floſculos, & quærere abſynthium? deſerere tutiſſimos portus SS. Vulnerum, & ambulare per loca deſerta, per mille pericula?

§ 9. *Superant omnia tormenta, qui Deum & gloriam cœleſtem reſpiciunt.*

Ut pro Deo ſtrenue certemus, ut fortiter laboremus, ut patiamur aſpera, nobis in Deum defigendi ſunt oculi mentis, & gloria, quam certantibus atque laborantibus præparavit, conſideranda: atque ita res etiam duriſſimæ ſuperantur. Dan. 3. tres pueri juſſi ſunt, aut ſtatuam Regis adorare, aut comburi in accenſa fornace. Quid agerent? jam ignis accendebatur, jam carnifices præparabant vincula; ſed uno ore dixerunt, v. 17. *Ecce enim Deus noſter, quem colimus, poteſt eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, O Rex, liberare. Quod ſi noluerit, notum ſit tibi Rex, quod Deos tuos non colimus.* Ecce! contra Regem, & fornacem, & ignem unum Deum ſibi ponunt ob oculos, & ſic omnibus malis ſuperiores

res

Digitized by Google

res evadunt. Pulchre D. Zeno ſer. 1. de Daniele. *Denique tres pueri in illo ſacro certamine præ oculis Deum ſibi propoſuere, non flammas: præmium futurum, non pœnam: ſicque inter tetros incendii globos triumphantes, barbarum Regem, minas omnes, ipſum quoque ſupplicium & ignes docuerunt, ſanctis hominibus non eſſe fortiores*; Miror animum generoſiſſimum D. Nazianzeni, qui orat. 20. auſus fuit dicere, *ubi Deus nobis proponitur, & gloria, ſive regnum cælorum, quod nobis & electis ſuis paravit, & promiſit. Ignis, & gladius, & beſtia, ut ungula carnem lacerantes voluptati nobis ac deliciis potius ſunt, quam terrori*. De S. Stephano, Act. 7. v. 55. quia in agone ſuo vidit cœlos apertos, & Jeſum ſtantem à dexteris virtutis Dei, ait S. Aug. hom. 95. de diverſis. *Ad Chriſtum flagrantiſſimo amore ſuſpenſus, carnem quantocyus relinquere deſiderabat, & ad ipſum cupiebat avolare, nec mortem jam timebat*. Qui cogitat, quo vadat, ſcilicet ad Chriſtum, ad cœlum, nihil pertimeſcit, imo uri & pati deſiderat. Hæc mens fuit S. Ignatio M. *Ignis, crux, beſtia, confractio oſſium, membrorum diviſio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant, tantum ut Chriſto fruar*. Ita ait Theophilus Alexandr. ep. 3. paſch. *Mens Dei amore vallata* (addo ego, obumbrata virentibus foliis de arbore bonæ ſpei ad fructus æternæ gloriæ) *flammas ſuperat, varios tormentorum ſpernit dolores, cumq; ſemel virtuti ſe tradiderit, quidquid adverſi evenerit, calcat & deſpicit*. Qualis fuit Paulus, ſcribens ad Rom. 8. v. 35. *Quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti? an tribulatio? an anguſtia? an fames an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius ſed in iis omnibus ſuperamus, propter eum, qui dilexit nos*, & ex amore infinito pro nobis mortuus eſt, ut eſſemus hæredes gloriæ æternæ. Cum Mach. l. 2. cap. 7. verſ. 28. invictæ Matris filius junior jam torqueretur: Mater ad illum dixit, *Peto nate, ut aſpicias ad cælum. Ita fiet, ut non timeas carnificem iſtum*. 2. Machab. capit. 7. Noviſſime autem poſt filios, Mater conſumpta eſt. Quem verſum ita explicat Joſephus Goryonides capite vigeſimo quinto. *Et virago, mulier fortis ſuper filiorum cadaveribus, palmas ſuas in cælum expandit, & dixit, O DEVS excelſe! DEVS ſæculi! abeam quæſo, cum filiis meis, in locum quem paraſti iis, Et*

iis. Et cum hac dixiſſet, reddidit animam ſuam, & cecidit ipſa ſuper filios ſuos, & cum ipſis abiit, ſicque feliciſſimis filiis, feliciſſima tandem mater adjuncta eſt. Auditores mei; dum in hoc itinere ignis tribulationis vos urit, hoc peto ut oculos defigatis in cœlum. Sunt ex hoc numero, quos miſeros videtur reddere rerum inopia atque paupertas! hoc peto, cœlum aſpiciant. Sunt ex vobis, quos aliena hominum peſſimorum flagellat invidia, mendaciis, calumniis, detractionibus. Hoc peto, hoc exigo; ſurſum corda, ſurſum & oculos. Cœlum cœlum aſpiciant. Ita fiet, ut non timeamus carnifices iſtos; ita fiet ut fortes perſiſtamus in adverſis æque ac proſperis; ita fiet ut ex arena virtutis, victores diſcedamus; ita fiet, ut ſemper læti, ſemper hilares, paradiſi gaudia jam in hoc ſæculo prælibemus,

§ 10. *Ipſe Chriſtus D. SS. Martyres his cogitationibus fuit conſolatus.*

Talia ipſe Chriſtus D. ſuaſit Martyribus, dum torquerentur, & viris ſanctis, dum doloribus vexarentur. S. Ephyſio ægro dixit; *Pax tibi, Ephyſi dulcis amice, confortare ac viriliter age, accipies enim coronam.* S. Joanni Calybitæ qui multis annis, ut alter Alexius in domo paterna latuit ſquallidus & ignotus, & illi apparens Chriſtus dixit; *Salve Ioannes, tua exercitationis tempus, & laborum tuorum certamen completum eſt, poſt tres dies ad me venies, ad illam juſtorum quietem.* S. Georgio M. ſummi hujus templi Patrono, inter graviſſima tormenta aſtans Angelus dixit, *curre Georgi, ut apprehendas, ſic enim curres non in caſſum.* Chriſtus D. vero illi dixit, *Ecce jam dignus factus es, qui mecum regnes:* poſt ſuaviſſimum amplexum illum coronavit, atque ita capite fuit plexus. S. Lutgardi Virgini inter graves dolores dixit angelus, *propediem à Domino, coronaberis, & ipſe Chriſtus D. prope eſt laborum tuorum finis, neque te diutius à me ſeparari patiar.* Moriens, obvios habuit Jeſum & Mariam. Hoc peto Auditores, ut ad talem mortem, ut ad cœlum aſpiciatis. Ut cogitemus, quo vadis? omnia hoc pacto erunt levia, diceremus, O quantulum eſt id, quod agimus vel patimur pro corona gloriæ cœleſtis.

§. 11. *Et B. Virgo.*

Eaſdem cogitationes ſæpius B. Virgo ſuis clientibus ſuggeſſit, S. Euphraſiam viſa fuit coronare corona gloriæ, & inter cœleſtes amplexus illi dixit, *ecce merces tua!* Poſt decem dies veniens fruere his

Digitized by Google

his ſæculis infinitis. Aliis cœleſtes roſas & paradiſi lilia oſtendens, illos ad agendum & patiendum fortiter fuit exhortata. Scimus fuiſſe clientes, quibus ubera ſugenda dedit, quos lacte virgineo pavit. Nunquid dicere poſſumus? dulciſſimum illud lac, fuit ſymbolum illius dulcedinis, qua in regno cœlorum æternum erimus beati.

Læti & jucundi ſunt, qui etiam inter tribulationes & perſecutiones, affectuoſas de cœleſti gloria fovent cogitationes. Cum admiratione lego apud SS.PP. magnum illum Joſephum, in tot & tam gravibus caſibus ſemper fuiſſe hilarem. Cum fratres in illum irruentes exuerent illum tunica ſua, fuit lætus. Ligatus vinculis, lætus! demiſſus in cavernam, lætus! venditus Ægyptiis mercatoribus, lætus! abductus in ſervitutem, conjectus in carcerem, lætus! variæ fortaſſis vobis occurrunt cauſæ hujus lætitiæ. Joſephum bona ſolabatur conſcientia: fuit innocens, Joſeph per orationem & reſignationem fuit conjunctiſſimus cum Deo ſuo. Ingenioſam hujus lætitiæ cauſam invenio apud S. Cyrillum; qui ait, Joſephum ex illo ſomnio, in quo vidit ſe adorari à ſole, Luna & undecim ſtellis cognoviſſe clariſſime, ſe fore Regem & Dominum fratrum ſuorum. Hac bona ſpe obumbratus Joſeph, hac animatus cogitatione, licet fratres mei me ſpolient veſte; aliam exſpecto purpuram, Ero Rex! Licet conſtringantur manûs meæ vinculis, veniet dies, qua portabunt ſceptrum, licet me conjiciant in foveam; ſedebo aliquando in throno; licet nunc cogar ſervire; olim imperabo. Et ita in quocunque caſu fuit lætiſſimus. O ſi talia cogitaremus cum Joſepho! quanta eſſet noſtra in hoc mundo felicitas? Hoc peto Auditores, in ignominia cogitemus de gloria, in inopia de futura meditemur opulentia, in mundo loquamur de cœlo. O cœlum! O patria præclara! patria beata! Patria bonorum omnium theſauris cumulata! O patria! millies atque iterum millies in hoc exilio deſiderata! O patria noſtrorum levamen malorum, noſtrarum portus procellarum! noſtrarum denique ærumnarum omnium unicum poſt Jeſum ſolamen.

§. 12. Cur Ioſeph in omni adverſitate fuerit lætus.

adhuc Rex quomodo ait, *fui?* Reſpondet Hugo de S. Vict. hom. 5. in Eccleſiaſten. *Fui*, inquit, *quaſi dicat, jam non ſum. Quia etſi ſum, idipſum jam nihil eſſe agnoſco, quod ſum.* Itaque divitiæ reſpectu hominis, nihil ſunt, modicum durat vita hominis, nimis illa brevis eſt. Ob eandem cauſam; voluptates nihil ſunt, &c. Abeunt momento.

§. 13. Tragica hiſtoria de Turcarum Imperatore Mahomete, & Irena, puella Chriſtiana.

Quod damno ſuo experta fuit infeliciſſima Irena. Fuit illa puellarum in urbe Conſtantinopolitana, cum à Mahomete Turcarum tyranno occuparetur, omnium formoſiſſima, Chriſtianis orta natalibus, à parentibus bene educata, ejus aſpectu, licet mancipium eſſet, vulneratus adeo fuit Mahometes, ut, cum captivas luſtraret Virgines, Irenam quamprimum ad aulam duci juſſerit Cæſaream. At quid contigit? Ob ſuavem cum Irena converſationem Mahometes Proceribus & militi viſus fuit oblitus imperii, exercitus, & dignitatis Cæſareæ. Reſtitit initio pudica Virgo fœdis Tyranni amoribus, prius mori, quam fœdari parata. Sed quid mirum ſi inter tot illecebras, mox puellæ fuerit victa conſtantia. Religionis ſuæ, & Chriſti oblita, voluit, quod volebat Imperator. Verum illa Cæſaris cum Chriſtiana ſerva familiaritas, adeo diſplicuit militi & exercitui, ut ob imminentem rebellionem, Palatinorum Princeps Muſtaffus feſtinarit ad aulam; ubi ad Imperatorias aures admiſſus, brevi oratione Imperatori expoſuit imminens periculum, militumque ſeditionem, cæteraque damna, quæ ex nimio erga Chriſtianam ſervam amore poſſent proficiſci. Cum Muſtaffus peroraſſet, juſſit Imperator totum exercitum tertio abhinc die pro prætorio adeſſe; verbo ſe factoque tumultuantibus reſponſurum. Non eſt hujus loci, ut referam, quænam in Imperatoris pectore exorta fuerit pugna, quale duellum inter gloriam & voluptatem, inter imminentium periculorum timorem, & erga ſuam Irenam amorem. Vicit gloria. Itaque ultimo veſpere Irenæ ait; conclusum apud ſe eſſe decretumque, mane poſtero ritibus publicis, ipſam tanquam Auguſtam Ottomannicam inaugurare. Iret ſine mora, atque in nuptias ſeſe comptam comatamque præpararet, ornaret ſe, quomodo vellet, Cæſariem tamen ſolam, turrito faſtigiatam turbine, meminiſſet componere, ut Imperatoriæ coronæ, inquit

Digitized by Google

quit Mahometes, quam meis ipſe manibus imponam, ſit locus. Cogitare pronum eſt, quibus gaudiis delibutum fuerit puellæ pectus, ob baſilica promiſſa, non opus eſt referre, qua cura ſe ſe ornarit. Tertio tandem in orbem illato ſole, cum jam in capaciſſimo prætorio Turcicus miles, purpuratique duces conveniſſent, in theatrum excelſum, floridis periſtromatis conveſtitum, Mahometes Imperator prodit; in elegantiori præter ſolitum habitu, deaurato & gemmeo ad latus acinace præcinctus. Poſt feſtivas acclamantium Ducum & militum voces prodiit Irena; cogitate vos videre aliquam Helenam, vel Cynthiam, aut formoſiſſimam Nympharum. O Irena! O Irena! qualis in Imperatorio pectore, in tuum caput, cuditur tragœdia. Poſt brevem ad milites perorationem epilogus ejus fuit, velle ſe Irenæ capiti Ottomannicam imponere coronam. Et Irena ſurgens ad ſponſi pedes ſe ſubmiſit. Sed manu levatam Mahometes, ſtare juſſit obverſo in exercitum vultu. Ipſe lævam ſuam capillorum ſummo turbini implicat, tanquam elegantiam ſuam militi oſtenſurus: nec deſiſtit altius identidem preſſiuſque capillorum verticem & comas attollere; tum voce clariſſima Mahometes; *Placet*, inquit, *Irene noſtra, placet connubio tecum convenire. Te ego hodie tanti Imperii ſociam ſolenniter aſciſcere volo. Tuum id unum erit, Irene mea, claris verbis annuere, an velis.* Ad quæ cum infelix puella, ter altum inclamaſſet, *volo, volo, volo*, Imperator barbarus dextera raptim evaginato acinace per fraudem accommodo collo, ictu uno, puellæ cervicem præſcindit, attonitis ad immanitatem non prævisam legionibus. Succiſum caput, in vulgus ſuperque cervices militum projecit & dixit, *Ite nunc milites, & ducem veſtrum mollitudinis arguite. amica vos cæſa redarguat, loquaturque elingue caput ac teſtetur, didiciſſe me invaleſcenti voluptati poſſe frænum injicere.* Nobis Audit. hoc Irenæ lingua admurmurat. Heu! *modicum*! O Irene! ubi nunc tua pulchritudo? ubi deliciæ? ubi tantus corporis ornatus? ubi genarum roſæ? ubi lilia labiorum? ubi colli corallia? ubi ubi hæc omnia! Heu Modicum, Modicum!

Tam ſubito vanas decor omnis abivit in auras
Quam ſubita lingua volat irrevocabile verbum.

Momento evanuerunt omnia, momento Irene perdidit univerſa. Ah utinam non animam! Diſcite Aud. quid ſit Modicum voluptatis! felix quem faciunt aliena pericula cautum.

CONCIO XXIV.

DOMINICA IV. POST PASCHA.

Nemo ex vobis interrogat me, quo vadis.

Joan. 16. v. 5.

SYNOPSIS CONCIONIS.

IN tribulationibus & afflictionibus conſolari, animare, & confortare nos poſſumus, dulcibus de cœlo cogitationibus, cum ſpe bona, fore nos gloriæ cœleſtis participes.

§. 1. *Paradiſus Alardini.*

§. 2. *Quæſtio hæc*, quo vadis? *facit nos cogitare de cælo.*

§. 3. *Hac cogitatione, ſancti Angeli confortarunt Martyres inter tormenta.*

§. 4. *Cogitationes de cælo ſunt mellea.*

§. 5. *Cur Chriſtus D. dum octo propoſuit beatitudines, mentionem fecerit regni cælorum.*

§. 6. *Analogia, inter amœnam arborem, & illum qui cogitat de cælo.*

§. 7. *Quomodo viri ſancti talibus cogitationibus ſe fuerint conſolati.*

§. 8. *S. Ignatii, & Bernardi cogitationes de cælo.*

§. 9. *Superant omnia tormenta, qui Deum & gloriam cæleſtem habent præ oculis.*

§. 10. *Ipſe Chriſtus D. S. Martyres his cogitationibus fuit conſolatus.*

§. 11. *Et B. Virgo ſuos clientes.*

§. 12. *Cur Ioſeph in omni adverſitate fuerit lætiſſimus.*

§. 1. *Paradiſus Alardini.*

TEſte Paulo Veneto, Alardinus Rex Inſulæ cujuſdam in India, ut ſubditis inferret amorem Mahometis, hanc fraudem excogitavit. In amœniſſima valle regium exſtruxit pala-

palatium, cum amœniſſimis viridariis; verbo, quendam in terris paradiſum. Subinde aliquos ex præcipuis invitabat ad ſuam menſam, in fine propinabatur hauſtus, qui ſubito gravi ſomno illos conſopivit; quos ita jacentes in prius curavit palatium deportari. Ex ſomno ſibi redditi, obſtupuere loci elegantiam, delicias, menſas, convivia, Muſicos; ſed veſpere, ob eundem potum, iterum dormientes è palatio relati fuerunt ad Alardinum, cui, iterum ſibi redditi mira narrarunt, de deliciis, in quibus fuiſſent, tum ille. *Bono animo! in paradiſo fuiſtis Mahometis, hunc modo in ſomnio tantum oſtendit, illum daturus, ſi illum veneremini, & mihi obſequamini.* Et loci, quem viderant, pulchritudo, miros animorum motus in illis concitavit. Neſcio, an audeam dicere, idem in hodierno Evangelio facere Christum D. ſed ſine fraude, dum ait, *vado parare vobis locum.* Ex quo poſtquam ad ſe rediit S. Paulus, veluti ex ſuavi ſomnio ait, *Nec oculus vidit, &c.* 2. Cor. 12. v. 3. Bono animo, Auditores, locus iſte eſt paradiſus cœleſtis ſponſi, eſt manſio Chriſti Salvatoris noſtri, locus iſte eſt illa civitas in quadro poſita, ex auro, argento, gemmis, quam vidit S. Joannes in Apoc. 21. v. 16. Modo nobis tantum oſtenditur, dabitur aliquando, dummodo illius fruitione nos dignos reddamus. Quam nobis utilis ſit frequens cogitatio de cœlo, oſtendet hæc concio. Attendite.

Suavis & dulcis illa cogitatio, quam hæc interrogatio Chriſti D. *Quo vadis?* nobis ſuggerit, quod ſcilicet vita hominis Chriſtiani, nil ſit aliud, quam iter quoddam & via ad æternam beatitudinem, ad quam homo à Deo creatus eſt; hæc inquam cogitatio, & fiducia obtinendæ tantæ felicitatis, in omni tribulatione, adverſitate, ærumnis, quibus hic mundus plenus eſt, ſolari atque animare nos debet, ut cum S. Paulo, curramus alacriter ad deſtinatum nobis bravium. Cum vitas SS. Martyrum percurro, reperio frequentiſſime invictos illos pugiles, in ſupremo agone inter acerbiſſimos cruciatus, & atrociſſima tormenta, à ſanctis Angelis fuiſſe confortatos, ſpe futuræ gloriæ.

§. 2. *Quæſtio hæc quo vadis? facit nos cogitare de cœlo.*

Cum Sanctus Lucianus Martyr, jam jam capite eſſet plectendus, vox Angelica audita fuit ita loqui. *Euge, euge! famule Luciane, veni & ſuſcipe coronam tibi promiſſam, quia cum ſanctis gratu-*

§. 3. *Hac cogitatione ſancti Angeli animarunt Martyres, inter tormenta.*

gratulaberis in cœlis. Veni & percipe manſionem gloriæ, tibi paratam cum Angelis. Caſtiſſimæ S. Juliani ſponſæ, S. Baſiliſſæ Angelorum chorus accinuit, *Beata es Baſiliſſa, quæ conſenſiſti ſalutaribus monitis, & falſa mundi blandimenta, ac terrenas delicias ſpernens, ad æternam te præparaſti.* Hæc ſcilicet ſpes futuræ gloriæ facit, ut viri ſancti cum gaudio mundum contemnant. S. Tatiana M. Angeli ſui cuſtodis voce animata, uncos, pectines, ignes invicta vicit; cum tandem gladio percuſſa fuit, rivuli lactei per vulnera, ſanguinis loco ſcaturierunt. Et nobis, ſi volumus, inter dolores non deerunt lactei rivuli cœleſtium conſolationum, dummodo frequenter cogitemus, *quo vadis*? ſcilicet ad cœlum: ad cœlum! S. Hermylum M. inter tormenta ſic allocuta fuit vox de cœlo, *Hermyle, eſto bono animo, & decerta; poſt tres dies liberaberis à præſentibus moleſtiis, præclaras autem & magnificas accipies laborum remunerationes*; cum tandem demergeretur in Iſtrum alta voce cecinit; *Gloria in excelſis Deo.* Si hæ remunerationes, noſtris quoque oculis frequenter obverſarentur, quam leves & faciles nobis forent omnes præſentes labores & moleſtiæ! Premit te paupertas? cogita, quo vadis; Acuta febris ardet in tuis viſceribus? cogita quo vadis? Cruciant te, quas innocens perpeteris, injuriæ? Iterum quo vadis cogita. Angunt mentem tuam innumeri ſcrupuli? Quo vadis amice, quo vadis? Fame torqueris aut ſiti? quo vadis? injuriis potentiorum expoſitum te quereris, nec hominem habes, qui opem ferat vel ſolamen afflicto? Quo vadis? crede mihi, via hæc tua, via ardua & aſpera; non eſt æterna. Tandem invenies terminum, cum termino patriam, cum patria quietem, cum quiete gloriam.

§. 4. *Cogitationes de cœlo ſunt melleæ.*

Cum S. Leocritia V. M. inter tormenta diceret S. Eulogio, ſibi oranti liquore mellis os repletum fuiſſe, ipſe reſpondit, *melle illo indicari eam, qua fruitura eſſet, regni dulcedinem.* Advertite quid intendat Chriſtus D. in hodierno Evangelio; ante dies quatuordecim vocavit ſe bonum paſtorem, ideo ante octiduum conatus fuit ſuas oviculas abducere à paſcuis, id eſt à voluptatibus atque illecebris hujus mundi, in hodierno Evangelio, dum cœleſtis beatitudinis facit mentionem, ſuas oviculas paſcit melle, ut paſti melle, cum ſpe æternæ gloriæ libenter ſequantur paſtorem.

Mat-

Digitized by Google

Matthæi 5. v. 3. Chriſtus D. ſedens in arduo montis faſtigio, velut in magiſtrali cathedra, aperuit os ſuum, & dixit, *Beati pauperes ſpiritu, beati mites, beati qui lugent, qui perſecutionem patiuntur, qui eſuriunt & ſitiunt Iuſtitiam.* Verum quid eſt difficilius in hoc mundo, quam eſſe pauperem, quam humiliari, quam diligere inimicos? &c. quid doctrinam tam auſteram poterit mitigare ad hominum illecebram, ut libenter ſint pauperes? mites, patientes? Reſpondet S. Chryſoſtomus h. 15. in Matt. dicendo, *quoniam ipſorum eſt regnum cælorum, doctrinam ſuam non ſub ſpecie mandatorum, atq; exhortationis inducit, ſed ſub præmiis beatitudinem, ut ſcilicet ſermonem ipſum faciat gratiorem.* Difficile, arduum aut auſterum eſſe non poteſt, quod tam ſplendida mitigat promiſſio; ſpes regni cælorum amara omnia, reddit mellea & dulcia. § 5. *Cur Chriſtus D. dum propoſuit octo beatitudines, mentionem fecerit regni cælorum.*

Notiſſimum eſt, Davidem in pſ. 1. v. 1. illum nominare virum beatum, qui currit per viam mandatorum Dei, cum ſpe cæleſtis gloriæ, & proinde illum comparat amœniſſimæ arbori, de qua ait v. 3. *Erit tanquam lignum &c.* Cauſam afferunt Patres Græci apud Corderium in comment. hic. pulchrum ſane operis præmium! qui enim divinæ legi vacat, & ejus rivulis irrigatur, aſſimilatus eſt arbori juxta aquas conſtitutæ, ſemper florenti, ſemper maturis frugibus onuſtæ. Siquidem Athletæ virtutis, in futura quidem vita, laborum fructus referent, accipient præparatam coronam, hoc eſt fructum ſuum dabunt in tempore ſuo, hoc eſt germinabunt & florebunt in perpetuas æternitates, hoc eſt, nulla illis hyemis aſperitas erit moleſta, nulli illis nocebunt ventorum turbines; nulla illis calamitatum tempeſtas florem fructumque decutiet. Verbo, erunt ſicut lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum! illarum inquam aquarum, quas in Apocalypſi vidit B. Joannes, futuræ gloriæ ſymbola, attamen etiam hic, ſpe bona tanquam foliis quibuſdam, obumbrantur, atque animi alacritate laborum moleſtiam fallunt § 6. *Analogia inter amœnam arborem & illum, qui cogitat de cælo.*

His foliis obumbratus fuit S. Arcadius M. cum lente, per ſingulas ſingulorum totius corporis membrorum juncturas, diſſectas inciſus, ventre laniatus, gratias Deo agens, & cœlum ſuſpiciens, dixit; *Manus tuæ Domine fecerunt me, & plaſmaverunt me, da mihi intel-* § 7. *Quomodo ſancti viri hac cogitatione ſe fuerint conſolati.*

Digitized by Google

intellectum: tum inter jacentia & ſparſa circa ſe membra corporis medius, *O vos*, ajebat, *membra felicia, nunquam vos ſic amavi in corpore, ut nunc vos videns avulſa*; *Sic nos decuit ad tempus ſejungi, ut tandem noſtro Regi occurramus in gloria; & pro mortalibus membris, vos eadem reſtituamini mihi immortalia*; ad ſpectatores vero dixit, *Parum eſt hoc, O viri, hæc facile eſt tolerare, qui novit de futura immortalitate cogitare.* Vita S. Anthimi M. poſtquam narravit, quod lapidibus fuiſſet percuſſus, ferreis & igne candentibus fibulis, talos transfixus, ſuper acutas teſtulas volutatus, virgis cæſus; rotæ alligatus, verſatus, ignitis lampadibus ſenſim exuſtus, capite plexus, cœleſti voce fuerit invitatus ad præmia æternitatis; tum ſcriptor addit aureum hoc epiphonema. *Digna eſt his æternitas, digna Chriſti mors, dignus Deus.*

§. 8. *S. Ignatii & S. Bernardi cogitationes de cœlo.*

His foliis bonæ ſpei, fuit obumbratus S. Ignatius, quando exclamavit: *Quam ſordet mihi terra, cum cœlum ſuſpicio!* & S. Bernardus cum in lib. medit. ingemuit, *Qua nos angit veſania, vitiorum ſitire abſynthium, hujus mundi ſequi naufragium, vitæ labentis pati infortunium, impiæ tyrannidis ferre dominium, & non magis convolare ad ſanctorum felicitatem, ad Angelorum ſocietatem, ſuperna lætitia & ad jucunditatem regni cælorum.* Memini etiamnum parabolæ boni Paſtoris & oviculæ; quæ itaque veſania oviculam relinquere in pratis ſuaviſſimos floſculos, & quærere abſynthium? deſerere tutiſſimos portus SS. Vulnerum, & ambulare per loca deſerta, per mille pericula?

§ 9. *Superant omnia tormenta, qui Deum & gloriam cœleſtem reſpiciunt.*

Ut pro Deo ſtrenue certemus, ut fortiter laboremus, ut patiamur aſpera, nobis in Deum defigendi ſunt oculi mentis, & gloria, quam certantibus atque laborantibus præparavit, conſideranda: atque ita res etiam duriſſimæ ſuperantur. Dan. 3. tres pueri juſſi ſunt, aut ſtatuam Regis adorare, aut comburi in accenſa fornace. Quid agerent? jam ignis accendebatur, jam carnifices præparabant vincula; ſed uno ore dixerunt, v. 17. *Ecce enim Deus noſter, quem colimus, poteſt eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, O Rex, liberare. Quod ſi noluerit, notum ſit tibi Rex, quod Deos tuos non colimus.* Ecce! contra Regem, & fornacem, & ignem unum Deum ſibi ponunt ob oculos, & ſic omnibus malis ſuperiores

Digitized by Google

res evadunt. Pulchre D. Zeno ſer. 1. de Daniele. *Denique tres pueri in illo ſacro certamine præ oculis Deum ſibi propoſuere, non flammas: præmium futurum, non pœnam: ſicque inter tetros incendii globos triumphantes, barbarum Regem, minas omnes, ipſum quoque ſupplicium & ignes docuerunt, ſanctis hominibus non eſſe fortiores*. Miror animum generoſiſſimum D. Nazianzeni, qui orat. 20. auſus fuit dicere, *ubi Deus nobis proponitur, & gloria, ſive regnum cælorum, quod nobis & electis ſuis paravit, & promiſit. Ignis, & gladius, & beſtiæ, ut ungulæ carnem lacerantes voluptati nobis ac deliciis potius ſunt, quam terrori*. De S. Stephano, Act. 7. v. 55. quia in agone ſuo vidit cœlos apertos, & Jeſum ſtantem à dexteris virtutis Dei, ait S. Aug. hom. 95. de diverſis. *Ad Chriſtum flagrantiſſimo amore ſuſpenſus, carnem quantocyus relinquere deſiderabat, & ad ipſum cupiebat avolare, nec mortem jam timebat*. Qui cogitat, quo vadat, ſcilicet ad Chriſtum, ad cœlum, nihil pertimeſcit, imo uri & pati deſiderat. Hæc mens fuit S. Ignatio M. *Ignis, crux, beſtiæ, confractio oſſium, membrorum diviſio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant, tantum ut Chriſto fruar*. Ita ait Theophilus Alexandr. ep. 3. paſch. *Mens Dei amore vallata* (addo ego, obumbrata virentibus foliis de arbore bonæ ſpei ad fructus æternæ gloriæ) *flammas ſuperat, varios tormentorum ſpernit dolores, cumq; ſemel virtuti ſe tradiderit, quidquid adverſi evenerit, calcat & deſpicit*. Qualis fuit Paulus, ſcribens ad Rom. 8. v. 35. *Quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti? an tribulatio? an anguſtia? an fames an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius ſed in iis omnibus ſuperamus, propter eum, qui dilexit nos*, & ex amore infinito pro nobis mortuus eſt, ut eſſemus hæredes gloriæ æternæ. Cum Mach. l. 2. cap. 7. verſ. 28. invictæ Matris filius junior jam torqueretur: Mater ad illum dixit, *Peto nate, ut aſpicias ad cælum. Ita fiet, ut non timeas carnificem iſtum*. 2. Machab. capit. 7. Noviſſime autem poſt filios, Mater conſumpta eſt. Quem verſum ita explicat Joſephus Goryonides capite vigeſimo quinto. *Et virago, mulier fortis ſuper filiorum cadaveribus, palmas ſuas in cælum expandit, & dixit, O DEUS excelſe! DEUS ſæculi! abeam quæſo, cum filiis meis, in locum quem paraſti*

iis, Et

iis. Et cum hac dixiſset, reddidit animam ſuam, & cecidit ipſa ſuper filios ſuos, & cum ipſis abiit, ſicque feliciſſimis filiis, feliciſſima tandem mater adjuncta eſt. Auditores mei; dum in hoc itinere ignis tribulationis vos urit, hoc peto ut oculos defigatis in cœlum. Sunt ex hoc numero, quos miſeros videtur reddere rerum inopia atque paupertas! hoc peto, cœlum aſpiciant. Sunt ex vobis, quos aliena hominum peſſimorum flagellat invidia, mendaciis, calumniis, detractionibus. Hoc peto, hoc exigo; ſurſum corda, ſurſum & oculos. Cœlum cœlum aſpiciant. Ita fiet, ut non timeamus carnifices iſtos; ita fiet ut fortes perſiſtamus in adverſis æque ac proſperis; ita fiet ut ex arena virtutis, victores diſcedamus; ita fiet, ut ſemper læti, ſemper hilares, paradiſi gaudia jam in hoc ſæculo prælibemus,

§ 10. *Ipſe Chriſtus D. SS. Martyres his cogitationibus fuit conſolatus.*

Talia ipſe Chriſtus D. ſuaſit Martyribus, dum torquerentur, & viris ſanctis, dum doloribus vexarentur. S. Ephyſio ægro dixit; *Pax tibi, Ephyſi dulcis amice, confortare ac viriliter age, accipies enim coronam.* S. Joanni Calybitæ qui multis annis, ut alter Alexius in domo paterna latuit ſquallidus & ignotus, & illi apparens Chriſtus dixit; *Salve Ioannes, tua exercitationis tempus, & laborum tuorum certamen completum eſt, poſt tres dies ad me venies, ad illam juſtorum quietem.* S. Georgio M. ſummi hujus templi Patrono, inter graviſſima tormenta aſtans Angelus dixit, *curre Georgi, ut apprehendas, ſic enim curres non in caſſum.* Chriſtus D. vero illi dixit, *Ecce jam dignus factus es, qui mecum regnes:* poſt ſuaviſſimum amplexum illum coronavit, atque ita capite fuit plexus. S. Lutgardi Virgini inter graves dolores dixit angelus, *propediem à Domino, coronaberis, & ipſe Chriſtus D. prope eſt laborum tuorum finis, neque te diutius à me ſeparari patiar.* Moriens, obvios habuit Jeſum & Mariam. Hoc peto Auditores, ut ad talem mortem, ut ad cœlum aſpiciatis. Ut cogitemus, quo vadis? omnia hoc pacto erunt levia, diceremus, O quantulum eſt id, quod agimus vel patimur pro corona gloriæ cœleſtis.

§. 11. *Et B. Virgo.*

Eaſdem cogitationes ſæpius B. Virgo ſuis clientibus ſuggeſſit, S. Euphraſiam viſa fuit coronare corona gloriæ, & inter cœleſtes amplexus illi dixit, *ecce merces tua!* Poſt decem dies veniens fruere

his

Digitized by Google

his ſæculis infinitis. Aliis cœleſtes roſas & paradiſi lilia oſtendens, illos ad agendum & patiendum fortiter fuit exhortata. Scimus fuiſſe clientes, quibus ubera ſugenda dedit, quos lacte virgineo pavit. Nunquid dicere poſſumus? dulciſſimum illud lac, fuit ſymbolum illius dulcedinis, qua in regno cœlorum æternum erimus beati.

Læti & jucundi ſunt, qui etiam inter tribulationes & perſecutiones, affectuoſas de cœleſti gloria fovent cogitationes. Cum admiratione lego apud SS.PP. magnum illum Joſephum, in tot & tam gravibus caſibus ſemper fuiſſe hilarem. Cum fratres in illum irruentes exuerent illum tunica ſua, fuit lætus. Ligatus vinculis, lætus! demiſſus in cavernam, lætus! venditus Ægyptiis mercatoribus, lætus! abductus in ſervitutem, conjectus in carcerem, lætus! variæ fortaſſis vobis occurrunt cauſæ hujus lætitiæ. Joſephum bona ſolabatur conſcientia: fuit innocens, Joſeph per orationem & reſignationem fuit conjunctiſſimus cum Deo ſuo. Ingenioſam hujus lætitiæ cauſam invenio apud S. Cyrillum; qui ait, Joſephum ex illo ſomnio, in quo vidit ſe adorari à ſole, Luna & undecim ſtellis cognoviſſe clariſſime, ſe fore Regem & Dominum fratrum ſuorum. Hac bona ſpe obumbratus Joſeph, hac animatus cogitatione, licet fratres mei me ſpolient veſte; aliam exſpecto purpuram, Ero Rex! Licet conſtringantur manus meæ vinculis, veniet dies, qua portabunt ſceptrum, licet me conjiciant in foveam; ſedebo aliquando in throno; licet nunc cogar ſervire; olim imperabo. Et ita in quocunque caſu fuit lætiſſimus. O ſi talia cogitaremus cum Joſepho! quanta eſſet noſtra in hoc mundo felicitas? Hoc peto Auditores, in ignominia cogitemus de gloria, in inopia de futura meditemur opulentia, in mundo loquamur de cœlo. O cœlum! O patria præclara! patria beata! Patria bonorum omnium theſauris cumulata! O patria! millies atque iterum millies in hoc exilio deſiderata! O patria noſtrorum levamen malorum, noſtrarum portus procellarum! noſtrarum denique ærumnarum omnium unicum poſt Jeſum ſolamen.

§. 12. Cur Ioſeph in omni adverſitate fuerit lætus.

Digitized by Google

CONCIO XXV.
DOMINICA V. POST PASCHA.

Si quid petieritis Patrem, in nomine meo, dabit vobis petite, & accipietis.
Joan. 16. v. 23.

SYNOPSIS CONCIONIS.

FErvens oratio, in nomine Chriſti, eripit nos ex omnibus periculis, tum corporis, tum animæ. Declaratur ejus vis & virtus, ex variis locis S. Scripturæ.

§. 1. *Omnia à Paſchate lecta Evangelia in nobis excitant Paſchale gaudium.*

§. 2. *In rebus deſperatis, orantibus divina bonitas celeriter & mirabiliter ſuccurrit. Id Ezechias Rex fuit expertus.*

§. 3. *Et Moyſes in tranſitu maris rubri.*

§. 4. *Quo medio Abraham ſuam Saram liberaverit ex manibus Pharaonis.*

§. 5. *Iiſdem armis nos debemus reſiſtere diabolo.*

§. 6. *Oratio prævalet armis. Probatur pulchra hiſtoria.*

§. 7. *Alia hiſtoria.*

§. 8. *Quantum Samſoni profuerit oratio.*

§. 9. *Sancti in veteri teſtamento conſtituti, confugerunt ad orationem*

§. 10. *Cur conſilia Achitophelis contra David, à Domino fuerint diſſipata.*

§. 11. *Digreſſio ad ſodales agoniæ.*

§. 12. *Quænam fuerint arma Iudithæ contra Holofernem.*

§. 13. *Oratio diſſipat vires Regum.*

§. 14. *Præſertim illa, quæ fit in nomine Chriſti. Cur oratio vocetur vitta coccinea?*

§. 15. *Cur David primo ſtatim lapide tetigerit frontem Goliathis.*

§. 16. *Oratiuncula Publicani, unde, & cur tam efficax.*

Omnia

Digitized by Google

OMnia, quæ intra Paſcha & Pentecoſten, leguntur in ſacrificio Miſſæ, & prædicantur de cathedris Evangelia, eo tendunt, ut lætemur & exultemus in Chriſto Jeſu glorioſe à mortuis reſurgente. Ad hunc finem nobis Dominica in Albis oſtendit pretioſa vulnera, in glorioſo corpore retenta (ubi ovicula magis lætari poteſt, quam ſub cura boni paſtoris.) Ideo in illis habitare, eſt vivere in paradiſo, etiam in hac valle lachrymarum. Ideo, Dominica ſecunda ſe appellavit bonum Paſtorem, qui oviculas deducit ad læta paſcua. Et ubi ovicula magis lætari poteſt, quam ſub cura boni paſtoris? Dominica tertia, ex meditatione *Modici*, cui omnia bona hujus mundi ſunt ſubjecta, nobis ſuaſit amorem rerum cœleſtium, ibique conatus fuit figere corda noſtra, ubi gaudia ſunt æterna. Ante octiduum, & in feſto S. Philippi licet à longe, & veluti in ſuavi ſomnio nobis oſtendit pulcherrimas manſiones illius regni, quod à conſtitutione hujus mundi nobis eſt paratum. Gloriæ cœleſtis memoria, etiam afflictiſſimos conſolatur, atque, ut lætemur & exultemus in Jeſu noſtro, inducit. Idem ſuaviſſimus Salvator ait in Evangelio hodierno, *Petite, accipietis*, addit cauſam, *ut gaudium veſtrum ſit plenum*. ab oratione ergo gaudium? ita ſentiunt ſancti Patres. *Oratio enim, eſt confirmatio pacis, ſpirituale thymiama exercituum cæleſtium, animarum tranquillitas, amicitiæ conciliatrix, in laboribus requies, triſtibus ſolatium, pulcher animi concentus; O oratio*: exclamat David de Auguſt. in form. Novit. capite trigeſimo ſeptimo. *Beatus qui te amat, beatiſſimus qui te frequentat. Beatus qui te aſtringit, ſed beatior qui in te perſeverat.* Sed opus non eſt, ut ego in exordio integras nectam catenas de orationis encomio ex ſanctis Patribus collectas. Hoc oſtendam hac concione: Oratio nos liberat è periculis, tum corporis tum animi, præſertim ſi oremus in nomine Chriſti.

§. 1. *Omnia à paſchate lecta Evangelia in nobis excitant paſchale gaudium.*

In magnis tum corporis, tum animi periculis, in tribulationibus, in repentino aliquo caſu, utile & neceſſarium nobis eſt, ut confugiamus ad orationem; orantibus cito ſuccurrit divina bonitas. Expertus id fuit Ezechias Rex, Iſaiæ capite 37. verſu 1. & 37. Siquidem in arcto poſitus, & circumdatus ab exercitu.

§. 2. *In rebus deſperatis, divina bonitas cito & mirabiliter ſuccurrit. Id fuit expertus Rex Ezechias.*

Digitized by Google

Sennacheribi, *ſcidit veſtimenta ſua, & ſacco obvolutus eſt, & intravit in domum Domini; & oravit Ezechias ad Dominum, egreſſus eſt autem Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum, &c.* Circa quæ Egeſippus l.1.c.44. *Cum Ezechias ſibi & populo ſupremum vidiſſet imminere exitium, non tantum de armis fuit ſollicitus, ſed exſurgens, cilicio ſe ut ſcuto induit, pro galea caput cinere texit, pro jaculis orationem intorſit, Aſcendit oratio, deſcendit Angelus, caſa per noctem centum octoginta quinq; millia cadavera numeravimus.* Quamprimum ardenter oravit Ezechias, illa quidem aſcendit, at divinum mox deſcendit auxilium, dum hoſtiles contrivit copias. Quam craſſus proinde illorum eſt error politicorum, qui, ut regnum aliquod, vel reſpublica conſervetur, longe magis de pecunia, de milite, de armis, de Regum amicitia, ſunt ſolliciti, quam de oratione, hæc divinum debet auxilium obtinere, ſine qua hoſtium noſtrorum riſui atque ludibrio exponemur. Non deſtituit orantes Numen, ſed ad vincendos hoſtes tam animos quam vires ſubminiſtrat.

§.3. *Et Moyſes in tranſitu maris rubri.*

Quis dubitat in arcto poſitum fuiſſe Moyſen cum toto populo, quando Exod.14.v.23. ante ſe vidit rubrum mare, ad latera inſuperabiles montes, à dorſo inſectantem Pharaonem; unde auxilium? Reſpondet Egeſippus citatus; *Cinxerant Hebræos Ægyptii, ſed orabat Moyſes, clamavit ad Dominum, & non dimicabat. Diviſum eſt mare, & populus intravit: ſequebatur Pharao; Moyſes inter fluctus poſitus orabat, demerſus eſt cum ſuis Pharao.* Quis hæc conſiderans non admiretur, & non intelligat, in oratione nobis eſſe meliora arma, quam in virtute armorum. S. Chryſoſt. hom. 20. ad Rom. *Nihil enim illa potentius, ſed & petra eſt fortior, & adamante ſolidior, & in majorem nos ſecuritatem collocat, quam queant, vel turres, vel urbes vel muri.*

§.4. *Quo medio Abraham ſuam Saram liberaverit è manibus Pharaonis.*

Ad Abrahamum digredior. Et quod in hoc non parum admiror. Cum gen. 14.v.14.15. & 16. intellexiſſet conſobrinum ſuum Loth captivum abductum eſſe à quinque Regibus, nihil expaveſcens illorum potentiam atque arma, collegit trecentos ex ſuis famulis, quibus hoſtes inſecutus & aggreſſus nobilem obtinuit victoriam, reduxitque omnem ſubſtantiam, & Loth fratrem ſuum. Geneſis

Digitized by Google

neſis verò c.12. v.17. cum ingreſſus fuiſſet in Ægyptum unà cum formoſiſſima ſua uxore, Sara, ſublata eſt illi mulier, & deducta in domum Pharaonis. Quid cogitatis Auditores? an hic iterum Abraham armavit ſuos famulos? an pugnavit? hoc fecit pro Lotho fratre, at non pro dilecta conjuge; Duo hic advertite! Formoſiſſimam ſuam Saram Abraham longe amavit ardentius, quam ſuum fratrem Loth, hic amor in Abrahamo magnum in ipſo ſuſcitavit deſiderium. Succurrendi uxori, cum ſumma ſecuritate & certitudine. 2. Abraham advertit & agnovit magnitudinem periculi, in quo verſabatur Sara; ut pudicitiæ fœminæ tam formoſæ à barbaro Rege, non inferretur violentia. Itaque, noluit fidere ſuis viribus, noluit capere arma, noluit pugnare pro libertate uxoris, ſed confugit ad orationem; Quod pulchre rurſum ponderavit Egeſippus l.5.c.16. *Cum abducta conjugis captivam videret pudicitiam Abrahamus, bello tamen abſtinuit, aſſumpſit piæ orationis arma, defenſorem adhibuit, qui ſe dormiente & vinceret, & expugnato hoſte, intaminatam ſibi conjugem repræſentaret.* Redit Sara ſine armis, referens viro triumphalem victoriam. Dormiebat Abraham, (id eſt, per orationem cum magna quiete, fiduciam ſuam collocavit in Domino) & torquebatur Pharao. Vel ut ſacer textus loquitur, *flagellavit autem Dominus Pharaonem.* Et ita, Abrahamum & Saram ex tanto diſcrimine liberavit oratio.

In ſimili periculo Auditores, noſtra Sara, i.e. anima noſtra, verſatur quotidie. Quod eleganter deſcribit S.Paulus ad Epheſios c.6.v.12. *Colluctatio nobis eſt, adverſus carnem & ſanguinem, adverſus Principes & poteſtates, adverſus mundi rectores, tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ;* verbo contra hoſtes multos & potentes, qui dies & noctes nihil aliud moliuntur, quam ut formoſam Saram, id eſt, animam nobis auferant atque proſtituant. Ideo, Apoſtolus ait v.11. *Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias diaboli.* v.13. ait, *accipite armaturam Dei, ut poſſitis reſiſtere in die malo.* Poſtquam Apoſtolus fecit mentionem loricæ, ſcuti, galeæ & gladii, ait v.18. *Per omnem orationem & obſecrationem, orantes omni tempore in Spiritu: & in ipſo vigilantes in omni inſtantia & obſervatione.* quaſi diceret: Mei Epheſii, ſi de tam potenti-

§.5. *Iisdem armis nos debemus reſiſtere diabolo.*

Digitized by Google

tentibus hoſtibus, ſi de infernali Pharaone, ſi de carne & mundo, triumphalem, vultis referre victoriam, ſi in tantis periculis, & occaſionibus, quæ ad peccatum vos ſollicitant, velitis ſtare, conſurgite ad orationem: hujus eſt illa potentia ac virtus, & ex graviſſimis nos liberet periculis.

§.6. *Oratio prævalet armis probatur ex p. hiſtoria.* Refert hiſtoria, fuiſſe in exercitu Licinii Chriſtianam phalangem, quæ circumſepta ingenti barbarorum hoſtium numero, præſentiſſimum vitæ periculum incurrit; (*Sed* ut narrat hiſtoria.) *Tunc præclari & egregii illi milites, omiſſo armorum præſidio conjuncta voce precibus potentes, ut ex deſperatis rebus, in quas incidiſſent, eriperentur.* Atque *illi quidem precabantur, preces vero extemplo in opus convertebantur; cum enim adhuc ipſi in oratione perſeverarent, flatu violento, nubes atra, ſublimis in aere, caſtris hoſtium imminebat, deinde fragoribus ingentibus ſuperintonans & fulgurum in ſubjectos incendia immittens, aquam fluminibus abundantiorem præcipitabat adeo, ut adverſariis quidem extremi exitii cauſa exiſteret, his vero, qui precum aciem oppoſuerant, ad utraque ſufficeret, tam ad vincendos hoſtes quam ad ſitis levamen. Armati quidem fuerunt hi milites, ſed in re deſperata abiecerunt arma, rati quærendum auxilium à Deo, quod, orantibus non defuit.* Nihil citius & certius, nos liberat ex periculis quam oratio.

§.7. *Alia hiſtoria.* Oroſius lib. 7. capite trigeſimo ſexto refert inſignem victoriam, quam Maſcezilis, inſignis dux, contra Gildum truculentiſſimum tyrannum reportavit: ſed modum ſimul atque arma deſcribit, his verbis: *Igitur Maſcezil jam inde à Theodoſio ſciens, quantum in rebus deſperatiſſimis, Oratio hominis, per fidem Chriſti à clementia Dei impetraret, multos viros ſanctos ſecum duxit, & cum illis Orationes & pſalmos, dies & noctes continuans, ſine bello victoriam meruit, & ſine cæde vindictam. Inſtructa acie, ſubito territus de cælo hoſtis, fugit, fugit Gildo, tandem captus, ſtrangulatus interiit.* Utinam Auditores, hoc noſtro tempore, quo toti Europæ graviſſima imminent bella, confugeremus ad orationem. Præſertim hac ſeptimana, quæ ab Eccleſia vocatur, *Septimana Rogationum*, ut conjunctis vocibus oremus. Quid ad hæc vos mei Bamber-

Digitized by Google

bergenſes? Ecquid de vobis hic diſſeram? laudemne ſupplicantium fervorem & frequentiam? an in hoc ipſo veſtram damnem ſocordiam? Laudare profecto non poſſum, patet ad oculum veſtra in frequentandis per hoc triduum ſupplicationibus negligentia! patet, non eſſe vobis curæ aut cordi orandi ſtudium, cum tamen præ aliis urbibus cauſas Dei gratiam favoremque conciliandi habeatis quam plurimas.

Orantes, etiam in graviſſimis periculis, & rebus deſperatis, Deus non deſerit. Samſon in eam inductus eſt calamitatem, ut ſuorum fuerit hoſtium factus ludibrium; ſed Judicum cap. 16. v. 28. *Invocato Domino*, ait, *Domine meus, memento mei, & redde mihi nunc fortitudinem priſtinam, Deus meus.* Quid contigit? Reſpondit jam dudum Theodoretus q. 1. in l. Jud. *Samſonem omnino non reliquit Deus, ſed, cum vidiſſet probris affectum, & contumeliis, & precantem exaudiit, & tantas vires ei ſuppeditavit, ut & labefactaret columnas, quæ ferebant templum idolorum, & templum ſimul cum eis dejiceret, tria millia virorum ſimul obrueret, & longe majorem numerum mulierum.* Expende illas voculas, *Precantem exaudiit.* §. 8. *Quantum Samſoni profuerit oratio.*

Verba, plena ſolatio, reperio apud B. Laur. Juſtin. de triumph. Chriſti agone cap. 6. *Samuelem quid memorem, Ezechiam, Eliam, Eliſæum, Danielem, cæteroſque vates & juſtos omnes Dei milites ſemper in bello, adverſus viſibiles & inviſibiles hoſtes, indeſinenter oraſſe? Diſce igitur & tu, in omni negotio, in tentationibus & preſſuris, in neceſſitatibus, in dubiis, in omni eventu, omni tempore, & ubique orare: Equidem perire non poteris, ſi in his, quæ dicta ſunt, jugiter oraveris.* §. 9. *In V. T. plerique ſancti, conſtituti in periculis orarunt.*

Cum l. 2. Reg. cap. 17. Chuſai Arachites, Abſoloni, vellet demonſtrare, conſilia, quæ dederat Achitophel contra Davidem parentem, non eſſe probanda, neque ſperandum eſſe bonum ſucceſſum, Inter alia ait, v. 9. *Forſitan* (David) *nunc latitat in foveis aut in uno, quo voluerit loco.* Sed quid inde? ideo David conſtitutus eſt extra periculum? an inde certo ſequitur, non capiendum Davidem? non tradendum manibus rebellis filii? quod conſilium Achitophelis intendebat, ut David relinqueretur ſolitarius à ſuis militibus. Hoc eſt myſterium. Chuſai non fuit locutus de quibusq; latibulis: ſed §. 10. *Cur conſilia Achitophelis contra Davidem à Domino fuerint diſſipata.*

ſed

ſed ſciebat David, cum in periculis eſſet conſtitutus, illam eſſe conſuetudinem, ut totis noctibus, in loco aliquo ſolitario vacaret orationi; ita ait Dion. Carthuſ. ibi. *Quod ut creditur, ideo dixit Chuſai, quoniam David, quando fuit cum aliis, temporibus nocturnis in deſerto, aut ruri, conſuevit cauſa orationis, & compunctionis, ſe abſentare ad tempus, atque in ſuis latibulis Deo vacare. Et ita David orans fortior fuit quam pugnans.* Proinde D. Chryſoſtomus dixit, orat. 1. de orat. T. 6. *Admirabilis David Goliathum illum, ut metuendum quendam dæmonem, irruentem, non armis, non gladiis, ſed precatione dejecit.* Ita telum eſt acerrimum Regibus, in præliis deprecatio; & nobis ad dæmonum impetum propulſandum. Hom. 71. ad populum ait, *Orans dæmonibus eſt infeſtus & hoſtis; Nihil enim fortius homine legitime orante.*

§. 11. *Digreſſio ad ſodales agoniæ.* Si hodierna Dominica, ut aliis quibuſdam locis, eſſet feſtum principale Congregationis Agoniæ, ducerem ſine dubio meos ſodales ad illa latibula, non Davidis, ſed Chriſti Salvatoris noſtri, id eſt, in cavernas vulnerum Salvatoris crucifixi, laudaremque eos, quam bene ſibi conſulant, quod in illis frequenter quærant ſolitudinem, in qua orando percurrant Roſarium quinque Vulnerum, pro obtinendo auxilio, quod in hora mortis nobis cumprimis erit neceſſarium ad reſiſtendum inſidiis diaboli. Vos idem agite Audit. quærite cum Davide talia latibula; in illis vacate Deo, vacate affectibus amoris & compunctionis; clamate ad Chriſtum crucifixum, in obſecrationibus, & obteſtationibus, ſic erimus fortes, ſic erimus diabolo terribiles. Infernalis Achitophel nihil nobis poterit nocere. Vincemus.

§. 12. *Quænam fuerint arma Iudith contra Holofernem.* De nobiliſſima Judith ait c. 10. v. 1. Judith, *Cum ceſſaſſet clamare ad Dominum, ſurrexit de loco, in quo jacuerat proſtrata, ad Dominum, vocavit Abram, &c.* Primo orationi vacat, deinde famulam vocat; tum proceſſit ad caſtra Holofernis, tandem caput illi abſtulit, & victrix remeavit in Bethuliam. Unde tanta vis in fœmina ad perdendum talem hoſtem? ait textus, *Iacuerat proſtrata ad Dominum*; proinde non miremur, quod de humili oratione ad tantam exurgat victoriam. D. Auguſt. ſer. 228. de temp. *Cum palmifera caſtitate Iudith ad cives ſollicite feſtinat. Iam recipit attonita*

civitas

Digitized by Google

civitas tanta victricis reditum triumphalem, jam luctus convertuntur in gaudium. Omnis erat in civitate victoria, in hoſtium caſtris, tremor erat & fuga. Ubi enim aſſiduis pulſatur orationibus cœlum, potentia ſemper calcatur armorum, ecce glorioſa fœmina caſtitatem, ſervavit oratio, & hoſtem non potuit ſervare multitudo. Infernalis Holofernes, Auditores, non urbes quærit noſtras, non propugnacula, ſed pectora; non provincias, ſed animas. Quid igitur? ſtandum, pugnandum, præliandum eſt. Arma quæris? En tibi fortia Judithæ arma! ut poſſis triumphare, incipe orare. Orando vincitur hoſtis qui nec gladiis, nec haſtis nec tormentis bellicis poterit ſuperari. Hæc ille arma non metuit; ſolum quod pertimeſcit telum oratio eſt Hanc fugit, hanc horret, huic uni cedit, alias cedere neſcius inimicus. Quin & Regum minas, vireſque diſſipat regias oratio. Exemplum hujus ex l. 3. Reg. c. 3. capeſſite.

Semeias Propheta vir Dei reprehendit Jeroboam regem ſacrificantem idolis, quocirca furore percitus Rex illum voluit apprehendere, ait enim textus, v. 4. *Extendit manum ſuam de altari Rex, dicens apprehendite eum. Et exaruit manus ejus.* Ecce manus Regis extenditur contra virum Dei, munitum ardentibus precibus, quas effudit antequam ad regem ſe conferret, & momento evaneſcit regia poteſtas. D. Chryſoſtomus hom. in pſ. 141. *Extendit manum ſuam, & è veſtigio exaruit.* Ubi diadema? ubi veſtes purpureæ? ubi loricæ? ubi clypei? ubi exercitus? ubi lanceæ? Juſſit Deus, & omnia illa perierunt. Nihili æſtima hoſtes etiam potentiſſimos; ne timeas arma validiſſima. Ora! & ſi Deus vult, momento, omnia peribunt. Intra horæ ſpatium Deus, technas, dolos, fraudes, conſilia multorum annorum poteſt diſſipare. Qui orat, perire non poteſt.

§. 13. Oratio diſſipat vires Regum.

Hoc vero uti indubitatum, ita quam maxime certum atque infallibile eſt, ſi oremus in Nomine Chriſti. Suaviſſimum Jeſu nomen, & ejus paſſio, preces noſtras reddunt efficaces. Cant. 4. v. 3. Sponſus ait ſponſæ; *Vitta coccinea labia tua.* LXX. legunt. *Sicut funiculus coccineus labia tua.* Sed quænam eſt connexio, inter labia & funiculum. Reſpondet D. Nicænus hom. 15. in Cant. *Funiculum, menſuræ nomen eſſe, de libro vaticiniorum Zachariæ didicimus.*

§. 14. Præſertim illa quæ fit in nomine Chriſti.

cimus. Habebat enim in manibus Angelus funiculum, quo terram homines metiri ſolent. Tunc autem oratio menſuram ſuam maxime aſſequitur, cum à rubedine colorata eſt, quæ eſt ænigma ſanguinis illius, à quo redempti ſumus. Itaque oratio ſponſæ, rubra à ſanguine ſponſi, potens eſt, ut liget illi manus ne puniat: potens eſt ut illum trahat, quo vult. Oratione unita nomini Chriſti, vel ejus Paſſioni & ſanguini, gratias quot & quas volumus, obtinere poterimus.

§. 15. *Cur David primo lapide tetigerit frontem Goliathis.* Lib. 1. Reg. cap. 17. verſ. 49. *David tulit unum lapidem, & funda jecit, & circumducens percuſſit Philiſthaum in fronte.* Unde tam certus ictus lapidis? quærunt SS. PP. & reſpondent, Davidem illi lapidi inſcripſiſſe admirabile nomen Jehova, ſive nomen Dei, nomen Jeſu, quo alludit D. Nicænus orat. de 40. MM. *Una vox* (Chriſtus Jeſus) *ad hac omnia* (in equuleis, in rotis, &c.) *audiebatur.* Chriſtus, quem illi ſancti confitebantur. Hoc erat adverſariorum vulnus, hanc cuſpidem adverſariis objiciebant, per hanc vocem, in medio corde vulnus, adverſarius accepit, hic eſt lapis, qui per manum David funda emittebatur, qui à galea adverſarii, quo deſtinatus erat, non aberravit. Oratio, in nomine Jeſu, oblata, eſt potentiſſima. Pulchre D. Cyrillus l. de recta fide ſuper verba illa ſancti Pauli ad Hebr. 5. verſ. 7. *Qui in diebus carnis ſua preces, ſupplicationesque ad eum, qui poſſit illum ſalvum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reverentia.* Super hæc inquam verba ait D. Cyr. *Ut Chriſtus Dominus preces noſtras Deo redderet acceptas, ipſe primus rem exorſus, paternas aures hac ratione humana natura, quodammodo aperiens dilatansque: & illorum votis, qui illius cauſa periclitarentur, faciles promptasque efficiens.* Oratio effuſa in nomine Jeſu perquam potens eſt & efficax.

§. 16. *Oratiuncula publicani, unde & cur tam efficax.* Ingenioſa & ſubtilis eſt ſpeculatio D. Paulini, circa orationem publicani Luc. 18. verſ. 3. *percutiebat pectus ſuum dicens, Deus propitius eſto mihi peccatori. Ut oratio hac penetravit cœlos, ſtatim aperuit divinas aures, mox invenit viam & aditum ad cor Dei,* ut ſancti Patres loqui ſolent. Sed unde tanta vis brevis oratiunculæ, divitis? de quo Salvator ait, Matt. 19. v. 24. *Facilius eſt camelum, per foramen*

Digitized by Google

ramen acus tranſire, quam divitem intrare in regnum cælorum? Quomodo ergo fieri potuit, ut oratio divitis Publicani, tam facile cœleſtia omnia tranſierit? ſic ſcilicet dives ille ſic ſe exinanivit, ut per foramen acus, pertranſiret, hoc eſt, ſic ſe humiliavit, ut ſe inſereret foraminibus crucifixi, qui velut acus, filum ſecum ducit, ut penetret; ſic quos ducit, facit penetrare aures divinas. D. Paulinus ep.10. ad Severum. *Publicanus in corde contrito, ſemetipſum accuſans Deo, & pectus afflictum crebra manu tundens, ita ſe in humilitatem debitam ſtrinxit, ut ſe foramini acus, hoc eſt, via crucis, quæ ante tramite ducit ad vitam, divinarum aurium penetrator aſſereret.* Oportet itaque, ut fila noſtræ orationis, inſeramus foraminibus, ſive vulneribus crucifixi. Hic modus eſt penetrandi cœlos, hic aditus, hæc via. Veſtra eſt hæc praxis quos nunc alloquor ſodales agonizantis in cruce Jeſu, veſtrum eſt hoc ſtudium, fila orationum veſtrarum inſertis foraminibus ſanctorũ Vulnerum! O praxis aurea! praxis cœleſtis! praxis divina! ſic pergite, ſic penetrabitis cum publicano nubes cœlumque ipſum, ſic ad ipſas Dei aures, imo ad ipſum etiam cor pertingitis, ſic optatos ſortientur ſucceſſus veſtra ſtudia atque conſilia, ſic quidquid petitis, deſideratis, rogatis, ex animi veſtri ſententia obtinebitis.

CONCIO XXVI.

DOMINICA VI. POST PASCHA.

Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre. Joan. 15. v.26.

SYNOPSIS CONCIONIS.

QUid ſit Spiritus Veritatis.

§ 1. *Exordium.*
§ 2. *Quare Spiritus S. à Chriſto Domino vocetur ſpiritus veritatis.*
§.3. *Proſecutio cum digreſſione ad aliquam controverſiam.*
§.4. *Proſecutio.*
§.5. *Quomodo Ezechiel deſcribat tales doctores.*
§.6. *Spiritus veritatis in anima hominis, eſt quædam clariſſima lux, quæ pellit tenebras circa præcipua myſteria fidei.*
§.7. *Variæ figuræ illius lucis qua Spiritus S. nos illuminat.*
§.8. *Spiritus S. non tantum illuminat intellectum, ſed movet etiam voluntatem.*
§.9. *Et tranquillat appetitum.*
§.10. *Proſecutio.*
§.11. *Duo requiruntur ad ſalutem,* Intelligere *&* *bene* agere.
§.12. *Triplex præparatio ad feſtum Pentecoſtes. Prima eſt puritas cordis.*
§.13. *Altera, mortificatio ſenſualium affectuum.*
§.14. *Tertia, Oratio.*

§.1. Exordium. VOcula hæc *Paracletus* triplicem ex lingua græca habet ſignificationem. 1. ſignificat Advocatum Interceſſorem, Oratorem. 2. Secundum Euthymium ſignificat Admonitorem, excitatorem, confortatorem, incitatorem, impulſorem. 3. Conſolatorem. Advocatus, interceſſor & Orator Apo-

Apoſtolorum hactenus in terris fuit Chriſtus Salvator noſter; notum id eſt ex hiſtoria Evangelii, ideo cum diſcipulis ſignificaſſet, abeundem ſibi eſſe ex hoc mundo, & redeundum ad Patrem; triſtitia implevit corda eorum, & merito; cur enim ignorantes ſine magiſtro; viatores, ſine duce, oves ſine paſtore, filii ſine patre, afflicti ſine conſolatore, mœrore non obruerentur? tum pro ſolatio illis dixit Chriſtus D. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis:* quaſi diceret, O mei diſcipuli dilectiſſimi; fui hactenus veſter Magiſter, Doctor, Dux, Paſtor, Conſolator; ſed quia vado ad Patrem,&c. eoque quoad corporalem præſentiam cogor vos deſerere, vos invadit triſtitia; ſed erigite animos, nolite timere; cum venero ad Patrem, impetrabo ab eo ſpiritum ſanctum, qui deſcendet & veniet ſuper vos; & per gratiam, alioſque mirabiles effectus, manebit vobiſcum, ut adhuc excellentiori modo, vos inſtruat, erudiat, moneat, dirigat, erigat, conſoletur: & addit Chriſtus D. *quem ego mittam à vobis, ſpiritum veritatis.* Cum priora munia Spiritus S. frequenter vobis expoſuerim; hac concione explicabo; quid ſit ſpiritum ſanctum eſſe ſpiritum veritatis; quibus item mediis ad tanti hoſpitis adventum noſmet diſponere debeamus, ediſſeram. Attendite.

Cap.15. v.21. S. Joannis, queſtus fuit Chriſtus Salvator noſter, ſe non cognoſci à Judæis, ſed odio haberi; *neſciunt eum, qui miſit me.* ſubdit v.24. *Oderunt & me, & Patrem meum,* & ut malitia eorum augeatur, inſinuat illam ignorantiam carere excuſatione; *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent, nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.* Nihilominus, quæ infinita eſt ejus bonitas, ſubdit eodem loco, ſe ad depellendas has ignorantiæ tenebras, odiumque deponendum, miſſurum prius ſpiritum ſanctum, deinde ipſos etiam Apoſtolos, qui Spiritu S. afflati & pleni, ignorantes Judæos eſſent plenius inſtructuri. Habuit ſiquidem Chriſtus D. ante adventum Spiritus S. ſufficientia teſtimonia ſuæ divinitatis; à Patre per vocem de cœlo delapſam, Matt. 3.v.17. *Hic eſt Filius meus dilectus,* habuit ab Angelis in Nativitate qui nato Parvulo lætiſſimis vocibus accinuerunt, *Gloria in excelſis Deo*: Luc.2.v.14. & ab Archangelo Gabriele in annunciatione: *Filius*

§. 2. Quare Spiritus S. à Chriſto D. vocetur ſpiritus veritatis.

Google

lius altiſſimi vocabitur, Luc.1.v.32. à S.Petro, *Tu es Filius Dei vivi*, Matth.16.v.17. Habuit à cæcis, quibus viſum; habuit à claudis, quibus pedum uſum; habuit à ſurdis, quibus auditum; habuit à leproſis, quibus munditiem; habuit à febricitantibus, quibus ſanitatem reſtituit, omnium vox frequenter fuit, Tu es Filius Dei. Quia talia teſtimonia ab ipſis habuit elementis; ab igne & aſtris, quæ ſuos ignes & radios ejus honori dedicarunt; habuit ab aere, qui ſuos ventos ejus obſequiis mancipavit: habuit ab aqua, quæ ſuas procellas & fluctus eo jubente, quaſi ad modeſtiæ regulas, compoſuit. Habuit à terra, quæ mortuum Lazarum illi clamanti, Lazare veni foras, reſtituit, ut taceam alia argumenta, quibus ſuam divinitatem & doctrinam frequenter comprobavit. Nihilominus excæcati & obſtinati Judæi, hanc tantam lucem, quæ illuminat totum terrarum orbem, intueri atque agnoſcere noluerunt. Iiſdem tenebris obvolutus fuit totus fere mundus, donec poſt Chriſti D. glorioſã aſcenſionem, de cœlis deſcendit Sp.S. ſuper Apoſtolos in igneis linguis, quibus illuminati & accenſi, toti Synagogæ, & terrarum orbi Chriſtum prædicarunt, audacter dicentes Act.5.v.32 *Nos ſumus teſtes horum verborum, & Sp.S. quem dedit Deus omnibus obedientibus ſibi. Quem vos interemiſtis, ſuſpendentes in ligno, ſuſcitavit Deus.* Nos & Sp.S. ſumus teſtes. Deus exaltavit eum ad dexteram ſuam; ab ipſo remiſſio peccatorum, ipſe redemit mundum, nos & Sp.S. ſumus teſtes. Quod de Sp.S. prædixerat Chriſtus D. Joan.16.v.14. *Ille me clarificabit*, & c.15.v.26. in hod. Ev. *Ille teſtimonium perhibebit de me.*

§. 3. *Proſecutio, cum digreſſione ad aliquam controverſiam.*

Propter hæc omnia Chriſtus D. Sp.S. appellavit ſpiritum veritatis, hoc eſt, ſpiritum veracem, qui neque falli, neq; fallere poteſt, præſertim in teſtimoniis, quæ de divinitate Chriſti perhibuit. Ob eandem cauſam à S.Cyrillo vocatur ſpiritus Chriſti, qui eſt veritas: juxta illud S.Pauli ad Gal.4.v.4. *Miſit Deus ſpiritum Filii ſui, in corda veſtra.* In quo Sp.S. diſtinguitur ab illo ſpiritu de quo ait c.22. lib.3. Regum v.22. *Ero ſpiritus mendax in ore omnium prophetarum tuorum, qui hic ſunt.* Et à ſpiritu, de quo ait S.Paulus 1.ad Timoth. c.4.v.1. *Diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum.* Hic quæri poteſt, an primi prophetæ Eccleſiæ Romano-Catholicæ, id eſt, S.Patres, tot numero, ut ſint quaſi innumeri, ſancti Patres: quorum doctiſſima & ſanctiſſima ſcr[illegible]a, veluti

veluti radii ſolares illuminarunt Eccleſiam, S. Patres! quorum maxima ſemper apud bonos omnes fuit auctoritas, S. Patres! qui doctrinam ſuam tum præclaris virtutibus, tum editis etiam miraculis confirmarunt, S. Patres! quorum Magiſter fuit eximius ſpiritus ille ſanctus; de his inquam, diſceptatur, an hi, an vero juniores Prophetæ, ſive ſeminatores hæreſum habeant & habuerint ſpiritum veritatis. S. Paulus videtur litem determinare, vel unico verbo, *diſcedent quidam* à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam &c. ex quo textu illud bene conficitur, eos qui in Eccleſia Romano-Catholica ſunt conſtituti, à vera fide nunquam hactenus diſceſſiſſe, ut proinde apud illos credatur eſſe ſpiritus veritatis; Calviniſtæ, Lutherani, aliiq; hæretici, ultro fatentur, ſe ab illa fide diſceſſiſſe, indicate vos, an habeant ſpiritum veritatis; præſertim cum illa cauteriata conſcientia, quam doctrina illorum permittit, cum aſſerant, non eſſe opus pœnitentia; in juſtificatione non tolli peccata, ſed tegi tantum &c.

Advertite præterea, apud quos inveniatur doctrina dæmoniorũ, apud Cathol. an hæreticos. Doctrina Eccleſiæ Romanæ eſt, ſalvari per paucos, per bona opera certam eſſe reddendam vocationẽ noſtram, & prædeſtinationẽ æternam; refrænandas eſſe carnis illecebras, ſpiritu facta carnis mortificãda, arctã eſſe viam ad ſalutem, obſervanda eſſe mandata Dei, & ſexcenta ſimilia, talia meo judicio, non docet ſpiritus erroris, ſpiritus mẽdacii, qui eſt diabolus, ſed qui de his teſtimonium perhibuit, & perhibet eſt ſpiritus veritatis, Sp. S. cujus præſentiam, & peculiarem aſſiſtentiam manifeſte probat, veritas & ſanctitas illius doctrinæ. At quid ſectarii? certe contraria prorſus eſt illorum ſententia. Hi viam ad cœlum non arctam, ſed latiſſimam conſtituunt, hi bona opera nequicquam neceſſaria eſſe, hi jejuniis aliiſq; afflictionibus macerari corpus, refrænari carnem, bellum indici concupiſcentiæ, nec probant, nec æſtimant. Judicate Auditores, utra ex duabus hiſce ſit dæmonii doctrina. Alia docet Spiritus S. alia ſpiritus veritatis. *§. 4. Proſecutio.*

Prophetas, qui prædicãt ſine ſpiritu veritatis, Ezechiel ita deſcribit, c. 13. v. 3. *Væ prophetis inſipientibus, qui ſequuntur ſpiritum ſuum, & nihil vident*, nimirũ in interpretandis ſcripturis, & proinde quia *§. 5. Quomodo Ezechiel deſcribat tales doctores.*

regun-

Digitized by Google

reguntur à ſpiritu ſuperbo, arrogante, ſpiritu Luciferi, nolunt audire Eccleſiam ſicut Ethnici & publicani. Hinc tot apud illos ſectæ quot diverſi diverſorum doctorum ſpiritus, congruitque illis verſus pſal. 34. v. 6. *Fiat via illorum tenebræ & lubricum*, hoc eſt, plerumque ita vivunt, ut viæ illorum ſint tenebroſæ & lubricæ, *& Angelus & Domini perſequens illos*, id eſt, diabolus, qui illis inſidiatur, ut tandem ex tenebris doctrinæ & vitiorum, præcipitet in tenebras inferni. Sed pergo ad alios ſpiritus.

§. 6. *Spiritui veritatis, opponitur ſpiritus vanitatis & deceptionis.*

Veritas ſubinde opponitur vanitati vel deceptioni; hinc alius ſpiritus vocatur ſpiritus vanitatis, quo, qui aguntur, ſunt mendaces, mendacium vero opponitur ſpiritui veritatis. Pſalmus 61. v. 10. de illis ait, *mendaces filii hominum in ſtateris, ut decipiant ipſi de vanitate, in idipſum.* q. d. ſtatera doloſa eſt in manibus eorũ, in qua ponderant bona terræ, cum bonis cœleſtibus, caducum, modicum cum æterno, aurum cum arenulis, & hæ magis placent, quia ducuntur à ſpiritu vanitatis, ſive, inordinato amore & appetitu erga creaturas. Sed quam mendaces! quod ponderoſum eſt, dicunt leve, quod leve ponderoſum; paucos annos ſibi imaginantur veluti quandam æternitatem, ſic ſpiritus vanitatis illis illudit, aliam vero ſtateram habet ſpiritus veritatis: in hac non terrena præponderant, ſed cœleſtia, in hac ſummum tenet locum, non mundus, ſed cœlum, non vanitas, ſed veritas, non caro, ſed ſpiritus; non vitium, ſed virtus, non diabolus, ſed Deus. Dicite Auditores, qualis in manibus veſtris eſt ſtatera, inde concludite, an in vobis ſit ſpiritus veritatis, ſive an ſpiritus ſanctus vos doceat omnem veritatem. vel ut S. Auguſtinus loquitur, *an ille ſpiritus deducat vos in veritate*, an vero ſpiritus aliquis mendax errorum, & deceptionis.

§. 7. *Spiritus veritatis in anima hominis eſt quadam clariſſima lux, qua pellit tenebras circa præcipua*

Primus itaque effectus ſpiritus veritatis, & lux quædam in anima, qua homo Chriſtianus agnoſcit veritatem, ſive Chriſtum D. & ejus doctrinam vel Evangelium. Cum Deus in principio creavit cœlum & terram, Geneſis 1. verſ. 1. *Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*, ſed dixit Deus, *fiat lux*, *& facta eſt lux*. Pari ratione cum Chriſtus D. Filius Dei fundavit Eccleſiam, in principio fuerunt tenebræ peccatorum, præſertim ignorantiæ de divinitate Filii Dei, ſed quamprimum deſcendit de cœlis lux ſpiritus ſancti ſuper Apoſtolos,

Digitized by Google

ſtolos, illis prædicantibus facta eſt lux, hoc eſt, mundus cœpit cre- *myſteria*
dere Chriſti Incarnationem, Paſſionem, Reſurrectionem, ad cœ- *fidei.*
los aſcenſionem, & ejus doctrinam; de quo effectu ait S. Paulus 2. Corinth. 4. v. 6. *Deus qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei, in facie Chriſti Ieſu.* id eſt, Spiritus S. primum illuminavit Apoſtolos, ut ipſi deinde docerent alios, quanta ſit gloria divinitatis, quæ eſt in Chriſto. Hic rurſum notanda eſt differentia inter ſpiritum veritatis, & mendacii, ſive ſpiritum Chriſti, & ſpiritum diaboli: hic enim facit tenebras & excæcat homines, ne veritatis lucem recipiant, S. Paulus 2. Corinth. c. 4. v. 4. *Deus hujus ſæculi,* (ſive princeps hujus mundi, quem mundus in idolis, ut Deum coluit,) *excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Chriſti.* Spiritus vero veritatis, lucem adducit, tenebras pellit, & ex filiis tenebrarum filios lucis conſtituit. Ad Ephef. 5. v. 4. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem eſtis lux in Domino, ut filii lucis ambulate.* Hanc lucem, ſive ſpiritum veritatis petiit David pſal. 42. v. 3. *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ipſa me deduxerunt, & adduxerunt in montem ſanctum tuum, & in tabernacula tua.* Hæc David aſſeruit in ſpiritu, de Spiritu S. de quo poſtmodum in hod. Evang. dixit Chriſtus D. ipſe docebit vos omnem veritatem; ſive, ipſe deducet vos in veritate, in luce admirabili ad æternam beatitudinem.

Dum ſponſus in Canticis vult excurrere in laudem oculorum 5. 8.
ſponſæ, ait c. 1. v. 14. *oculi tui columbarum,* id eſt, lucidi, perſpica- *Varia figura illius lucis qua ſpiritus veritatis nos illuminat.*
ces, attenti, ſolliciti, vigiles, ut videnda videant, quales oculos habet columba, ſemper attentos ad volatum accipitris. Tam lucidos oculos, ſi habeamus, debemus ſpiritui ſancto, veluti ſpiritui veritatis, dum ejus luce & radiis illuminamur. Moyſes jubente Domino, Exodi 30. v. 37. in tabernaculo collocavit candelabrum aureum, in calamos ſeptem diſpertitum, in quibus ſeptem lucernæ fulgebant. Pari ratione & ſuæ Eccleſiæ Chriſtus D. donavit candelabrum aureum, Spiritum S. in ſeptem veluti dona diſpertitum, quibus veluti lucernis tota illuſtratur Eccleſia; teſtante id S. Joanne Evang. in Apocal. c. 4. v. 5. *Et ſeptem lampades ante thronum, quæ*

ſunt ſeptem ſpiritus Dei; ſpiritus ſapientiæ, ſcientiæ, &c. Et hæc de ſpiritu veritatis, quatenus illuminat intellectum.

§. 9. *Spiritus veritatis non tantum illuminat intellectum, ſed movet voluntatem.* Quod tamen non ſufficit, ſed præterea eſt neceſſe, ut moveat, excitet, & impellat voluntatem, quod bene advertit S. Auguſtinus lib. de ſpiritu & litera, cap. 3. ubi oſtendit, non eſſe ſatis hominem à conditore ſuo Deo accepiſſe liberum arbitrium; ſed neceſſarium eſſe Spiritum S. qui hinc veritatem, quam voluntas ſequi debet, oſtendat; hinc vero, ad eandem amplectendam, cœleſti quadam delectatione permoveat. *Nos*, inquit S. Auguſtinus, *dicimus humanam voluntatem ſic divinitus adjuvari ad faciendam juſtitiam, ut præterquam quod creatus eſt homo cum libero arbitrio voluntatis; præterque doctrinam, qua ei præcipitur, quemadmodum vivere debeat, accipiat ſpiritum ſanctum, quo fiat in anima ejus delectatio, dilectioque ſummi illius, atque incommutabilis boni, quod Deus eſt, etiam nunc cum per fidem ambulatur.* Et hoc eſt coram Deo ambulare vel adorare, in ſpiritu & veritate. Pergit S. Aug. *Cum id quod agendum & quo nitendum eſt, cœperit non latere, niſi etiam delectet, & ametur, non agitur, non ſuſcipitur, non bene vivitur. Vt autem diligatur, caritas Dei diffunditur in cordibus noſtris, non per liberum arbitrium, ſed per ſpiritum ſanctum qui datus eſt nobis.*

§ 10. *Tranquillat præterea appetitum.* S. Auguſtino conſentit S. Bernardus, qui ait, ſpiritum ſanctum ſive ſpiritum veritatis, tres mirificos habere effectus; nam intellectum illuminat, voluntatem accendit, ſenſitivum appetitum tranquillat. O beatum hominem: cujus intellectui divinus ſpiritus lucem præfert, voluntati ardorem præbet & ſenſitivo appetitui tranquillitatem. Ob triplicem hunc effectum S. Bernardus ſpiritum ſanctum comparavit api: ſicut enim apicula ceram efficit, qua ignis alitur, & mel cujus dulcedine homo paſcitur; ſic ſpiritus ſanctus in intellectu lucem inflammat; diciturque ſpiritus ſive donum intellectus, in voluntatem vero infundit mel devotionis, & dulcedinem amoris, diciturque ſpiritus ſive donum pietatis; ſpiritus bonus & dulcis. S. Bernardus ſer. 8. in Cant. *Vtrumque munus ſimul affert, & agnitionis lucem, & devotionis pinguedinem. Eſt quippe ſpiritus ſapientiæ & intellectus, qui inſtar apis ceram portantis & mel; habet omnino, & unde accendat lumen ſcientiæ, & unde infundat ſa-*

porem

porem gratiæ: qua delibutus homo, coram Deo ambulat in ſpiritu veritatis.

§. 11. *Proſecutio.*

Eandem veritatem aliis verbis proponit idem S. Bernardus ſer. 2. de Pent. *Paracletus donat pignus ſalutis, ſcientiæ lumen, & robur vitæ, ut quod per naturam eſt impoſſibile, per ejus gratiam fiat poſſibile.* & S. Greg. M. hom. 30. *Niſi ſpiritus ſanctus cordi adſit audientis, otioſus eſt ſermo Doctoris, nemo ergo docenti homini tribuat, quod ex ore audientis intelligat, niſi intus ſit qui doceat, doctoris lingua exterius in vacuum laborabit.*

§. 12. *Duo requiruntur ad ſalutem. Bene intelligere, & bene agere.*

Hoc nunc notiſſimum inculco. Ut ſalutem æternam conſequi poſſimus, duo maxime nobis ſunt neceſſaria; ſcilicet veritatis cognitio, & veritatis operatio; bene intelligere & bene agere. Utrumque eſt donum ſpiritus ſancti, & præcipue ſpiritus veritatis.

§. 13. *Triplex præparatio ad feſtum Pentecoſtes. Prima.* Puritas cordis.

Præparationem, ad feſtum Pentecoſtes quod attinet, cum me clepſydra moneat, ut ad finem contendam, breviter tria vobis revoco in memoriam. 1. Simile S. Baſilii lib. de ſpiritu ſancto. *Sicut in ſpeculo impurgato, rerum imagines recipi, viderique nequeunt: ſic homo illuſtrationem ſpiritus ſancti, recipere non poteſt, niſi peccatum, & carnis affectionem abjiciat.* (fiat brevis adhortatio ad ſeriam confeſſionem.)

§. 14. *Altera. Mortificatio ſenſualium affectuum.*

2. Moneo vos dicti S. Bernardi ſer. 6. de Aſc. *Audeat ergo quis de cætero, phantaſticis quibusdam illecebris deditus, ſectans lenocinia carnis ſuæ, utique peccatricis, genitæ in peccatis, aſſuetæ peccatis, in qua denique bonum non eſt, illum pariter exſpectare Paracletum? Audeat inquam, qui carnem fovet, carnem ſapit, illam nihilominus conſolationem ſupernæ viſitationis exſpectare? Errat omnino, ſi quis cæleſtem illam dulcedinem huic cineri, divinum illud balſamum huic veneno miſceri poſſe arbitratur.* Mortificandus itaque eſt inordinatus amor erga creaturas & voluptates, ſi à ſpiritu ſancto volumus viſitari.

§. 15. *Tertia Oratio.*

3. Adventus Spiritus S. ſuper nos, per hoc octiduum, & deinceps ſollicitandus eſt ferventi oratione & ardentibus ſuſpiriis, exemplo Apoſtolorum, qui cum reliqua diſcipulorum turba, & matre Jeſu erant unanimiter perſeverantes in oratione. Spiritus S. dona, gratias, effectus & operationes Regius Pſaltes pſal. 67. v. 10.

Digitized by Google

vocavit voluntariam pluviam; vel ut alii legunt, pluviam, liberalitatum, chariſmatum, donorum, ſed diſcamus ab Elia ex lib.3. reg. cap.18.v.42. quomodo debeamus à Deo impetrare. Cum per aliquot annos cœli velut obſerati, nullam dediſſent pluviam; Elias *pronus in terra poſuit faciem ſuam, inter genua ſua*; ardentiſſime ſcilicet orans, & puer ejus exclamavit. v. 44. *Ecce nubecula parva, quaſi veſtigium hominis aſcendit de mari, & ecce* (v.45.) *cœli contenebrati ſunt, & nubes, & ventus, & facta eſt pluvia grandis.* Diſcite divinam Orationis vim, atque virtutem. Cœlum aperit, claudit orcum, Angelos reddit faventes, Deum propitium, movet Filium Dei, ut de cœlis mittat Spiritum S. Verbo, nihil non penetrat, nihil non ſuperat, nihil non impetrat Oratio.

FINIS.

PARTIS PRIMÆ.

ALVEI

Digitized by Google

ALVEI SEXTI,

SIVE

CONCIONUM,

IN

Omnes Dominicas à Pentecoſte uſque ad Adventum,

PARS II.

Digitized by Google

Digitized by Google

CONCIO XXVII.

FESTO PENTECOSTES.

Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.

Joan. 14. v. 26.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Pulchritudo animarum noſtrarum, quæ in gratia, charitate, aliiſque virtutibus conſiſtit, attribuitur ſpiritui ſancto; qui mirabiles operatur mutationes; variis illis gratiis & favoribus, quibus nos afficit.

§. 1. *Spiritus S. eſt ſacroſanctæ Trinitatis cor, quod nobis hodie donatur.*

§. 2. *Imploratio gratiæ Spiritus ſancti.*

§. 3. *Ornatus, quo in principio creationis, ornatum fuit univerſum, aſcribitur ſpiritui ſancto ex cap. 1. Gen.*

§. 4. *Et pari modo interior ornatus animarum noſtrarum.*

§. 5. *Quis fuerit ille ventus, vel ſpiritus, qui exſiccavit aquas diluvii, & terram iterum ornavit.*

§. 6. *Putant alii, feciſſe id ſolem.*

§. 7. *Vtrumque verum eſt, ſi per ventum & ſolem intelligamus Spiritum S.*

§. 8. *Idem ſpiritualiter fit in cordibus noſtris.*

§. 9. *Spiritus S. renovando animas noſtras, varias operatur immutationes.*

§. 10. *Teſtimonia SS. Patrum.*

§. 11. *Spiritus S. tribuit cæleſtes conſolationes.*

§. 12. *Spiritus S. in cordibus noſtris eſt fons aquarum viventium.*

§. 13. *Infundit favos & mel cœleſtium conſolationum.* | §. 14. *Eſt pignus futuræ gloriæ.*

§. 1. *Spiritus Sanctus eſt SS. Trinitatis cor, quod nobis hodie donatur.*

CUm S. Catharina Senenſis, devotiſſima Virgo, verſum 12. Pſalmi 50. *Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis*; altius ſecum ipſa perpenderet, flagrare ſe ſenſit, intenſiſſimo cordis mundi & novi deſiderio; proinde ardentiſſimis precibus illud à cœleſti ſponſo expetiit. Huic pia amantis ſponſæ deſideria ita placuerunt, ut in aſpectabili & formoſiſſima ſpecie, non tantum illi apparuerit; ſed mox aperto etiam pectore, extractum diviniſſimum ſuum cor, cum corde Virginis commutarit. O ſuavem Metamorphoſin! O beatam commutationem, quam cum his diebus cum pio animi motu, & dulciſſimis affectibus legerem, menti meæ occurrit, elogium, quod ſancti Patres attribuunt ſpiritui ſancto, cum illum vocant cor divinitatis: Spiritus enim qui in Deo eſt amor & charitas, bene cor appellari poteſt, & præſertim in myſtico corpore Eccleſiæ, in quo ſi caput eſt Chriſtus; ſi collum B. Virgo, ſi oculi Apoſtoli, ſi alia membra, alii ſanctorum ordines & gradus conſtituunt, ob varias cauſas dicere poſſumus, cor hujus corporis eſſe Spiritum S. Cor eſt ſedes amoris, Spiritus S. eſt amor Patris erga Filium, & Filii erga Patrem; cum itaque Pater & Filius in mundum hodierna die miſerint Spiritum S. miſerunt donum omnium precioſiſſimum, nimirum cor ſuum. Cor in humano corpore eſt fons caloris, quo vita conſervatur: Spiritus S. eſt fons & origo gratiæ atque charitatis, in quibus vita ſupernaturalis animæ conſervatur. Per cor vivit corpus, per Spiritum S. anima. Cor in continuo eſt motu; non ſecus Spiritus S. qui continuo ſanctis motibus, & cogitationibus, ad virtutem & omne bonum nos impellit. Verum non cupio in exordio inhærere his analogiis. Memini me ſæpius meis Auditoribus pro diverſitate feſtorum, dono obtuliſſe ſuaviſſimum cor B. Virginis, vel Chriſti Jeſu Salvatoris noſtri, præſertim in concionibus, de ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento, in cujus participatione, caro diviniſſimi illius cordis, cibus noſter eſt, & illius delicatiſſimus ſanguis potus. Hodierno feſto Pentecoſtes

Digitized by Google

coſtes vobis offero precioſiſſimum munus, ſcilicet cor ſacroſanctæ Trinitatis, ſive ſpiritum ſanctum, cujus eximias quaſdam operationes ſive effectus in cordibus noſtris, hac concione latius explicabo.

Jam vero cum non ignorem, dicturo de ſpiritu ſancto neceſſariam eſſe linguam igneam, qualis frequenter viſa fuit, in ore S. Antonii de Padua, dum verba faceret ad populum, cum ſciam dixiſſe Originem, *unde mihi hoc, ut lingua ignis veniat in cor meum? & de lingua* ignea ego quoque proferam ſermonem, ut ex me, vel ſermonibus meis, accendatur ignis in cordibus Auditorum; cum non ignorem illud Ciceronis dictum l. 2. de Oratore; *Ardeat orator, ſi judicem velit accendere.* Et illud; *Ocioſus eſt ſermo doctoris, ſi præbere non valet incendium amoris.* Hæc omnia me movent Auditores, ut vos rogem, ut ardentiſſimo ſuſpirio cordis, prius mecum dicatis, veni ſancte ſpiritus &c. § 2. *Imploratio gratiæ Spiritus S.*

Pulchritudo & ornatus animarum noſtrarum, id eſt, gratia, charitas, chariſmatum dona, & virtutes, in quibus interior animarum noſtrarum ornatus conſiſtit; ſcaturit ex fonte diviniſſimi cordis, ſive à Spiritu S. atque inde in nos diffunditur. Exempla ex ſacris literis, diſcurſum hunc meum illuſtrabunt; & primum quidem ex cap. 1. v. 1. Geneſeos. *In principio creavit Deus cælum & terram,* ſed ſine omni ordine, & ornatu. Terra enim fuit inanis & vacua, & tenebræ fuerunt ſuper faciem abyſſi. Omnia quæ erant, erant veluti confuſum quoddam chaos, aut indiſpoſita maſſa. Quamprimum vero ſpiritus Dei ferebatur ſuper aquas; ſive, ut alii legunt, *aquis incubuit*, veluti columba aliqua ſuis alis incumbere ſolet ovis, & illa circumdare; jubente Deo facta eſt lux, firmamentum ornatum eſt ſole, illuſtratum luna, ſtellis condecoratum, terra germinavit herbam virentem, & lignum pomiferum ferens fructum, germinarunt flores, floruerunt lilia: aqua produxit piſces, aer volucres, terra beſtias, verbo, cœlum & terra, ſive, totum univerſum ab illo ſpiritu operante omnipotentia Creatoris, pulcherrime fuit exornatum. Inter interpretes celeberrima eſt quæſtio, quis fuerit ille ſpiritus, tam fœcundus, tam efficax, & potens, cui totius mundi elegantiſſimus ornatus adſcribitur? Tertullianus putavit § 3. *Ornatus, quo in principio creationis, ornatum fuit univerſum, aſcribitur ſpiritui ſancto ex cap. 1. Geneſis.*

 fuiſſe

Digitized by Google

fuiſſe aerem, vel quendam ventum, productum ex theſauris Dei, illa virtute divina præditum, ut tam mira potuerit operari. Verum quis credat, in aere vel vento fuiſſe potentiam ad producendum ſolem, lunam, ſtellas & alias ejuſmodi creaturas? Mihi magis probantur omnes ferme ſancti Patres Græci, qui per illum ſpiritum Dei, intelligunt Spiritum S. vel ob unicam hanc rationem Theologicam, ut in principio ſtatim creationis mundi, & in capite ſacræ ſcripturæ, innoteſceret Myſterium ſacroſanctæ Trinitatis. Cum enim vocula *Deus* nobis proponat Patrem, veluti creatorem, cui perſonæ in divinis omnipotentia præſertim attribuitur, & vocula Principium ſignificet Filium, qui eſt ſapientia & ſplendor Patris, & ſimul principium perſonæ tertiæ, ſive amoris, qui eſt ſpiritus ſanctus, merito clara hujus fit mentio, illis verbis, *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas,* id eſt divinus, vehemens, fœcundus & dives ille ſpiritus, qui ſicuti amoris & bonitatis; ita lucis & omnis pulchritudinis fons eſt & origo. Et ideo citati interpretes citatum verſum, *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, ita legunt, *ſpiritus, ſeu, ventus miſericordiarum, ſive, gratiæ, flabat ſuper facies aquarum.*

§. 4. *Et pari modo interior ornatus animarum noſtrarum.*

Quod ſacer textus ait de terra, quod in prima creatione fuerit inanis, vacua, informis, tenebroſa, ſterilis, arida, idem in ſenſu morali dicere debemus de hominis anima, in prima ejus creatione, dum corpori humano infunditur, antequam in baptiſmo vi ſacramenti illi gratia ſpiritus ſancti communicetur. Informis eſt, imo deformis coram oculis Domini ob maculam peccati originalis, ſine ſucco gratiæ eſt emortua, arida, ſterilis, veluti tenebroſum quoddam chaos, ob tenebras, quas privatio juſtitiæ debitæ neceſſario inducit; verum momento, quo divinus ille ſpiritus animæ infunditur, quamprimum divina illa columba, chariſmatum alas ſuper illam expandit, mox ut ſuis radiis illi incumbit, fit lux, oritur ſol, communicantur cum gratia Theologicæ virtutes, cum illis dona Spiritus S. & ecce, momento, formoſiſſimam Dei imaginem, venuſtiſſimum ſpeculum, in quo pulcherrimis radiis relucet ſimilitudo cum ſacroſancta Trinitate. Talis anima eſt hortus voluptatis, quem inhabitat cœleſtis Adamus, talis anima eſt aula Dei,

&re-

& regium habitaculum Spiritus S. Cor novum, mundum, elegans creat, cor divinitatis ſive ſpiritus ſanctus.

§. 5. *Quis fuerit ille ventus, vel Spiritus, qui exſiccavit aquas diluvii, & terram iterum ornavit.*

Æque pulchra eſt quam reperio, hiſtoria cap. 7. v. 29. Geneſeos, ut probem, pulchritudinem animæ internam, eſſe operationem ſpiritus ſancti. Ut iratus Deus, diluvio deleret pulchritudinem terræ, & omnes propemodum viventes creaturas extingueret; *multiplicatæ ſunt aquæ, vehementer enim inundaverunt, & omnia repleverunt in ſuperficie terræ, aquæ prævaluerunt nimis, opertique ſunt omnes montes excelſi, ſub univerſo cœlo. Quindecim cubitis altior fuit aqua ſuper montes, quos operuerat.* Ita intra paucos dies periit mundus, in quo, præter arcam, & pauculos in illa viventes, nil aliud erat, quam informe quoddam chaos, & abyſſus aquarum. Poſt centum quinquaginta dies; *adduxit Dominus ſpiritum ſuper terram, & imminutæ ſunt aquæ.* Hebraicus textus ſic habet. *Tranſire fecit ſpiritum ſuper terram.* Quæ mox viruit, & ad priſtinam rediit pulchritudinem: intra paucos dies, facies ejus fuit immutata, floruerunt rurſum arbores, de quibus, columba emiſſa, ad arcam retulit ramum Olivæ virentem. Quis non quærat, quiſnam fuerit ille ſpiritus vel ventus tam fortiter urens, ut ſubito tantam multitudinem aquarum exſiccarit? tam fœcundus, & tantæ operationis, ut brevi temporis ſpatio, terræ, montibus, vallibus, hortis, agris, arboribus, &c. priſtinam reſtituerit venuſtatem & ſimul fœcunditatem?

§. 6. *Putant alii, feciſſe id ſolem.*

Reſpondent nonnulli apud doctiſſimum P. Pererium, revera talem ventum urentem à Deo fuiſſe immiſſum ad exſiccandum aquas. Et dicunt idem contigiſſe Exodi. 14. cap. v. 21. Ubi Deus miſit talem ventum, qui Iſraelitis exſiccaret viam, per mare rubrum; ita & hodie, ventus Aquilonaris, ex ſua natura minuit aquas, inhibet pluvias, exſiccat terram. Sed huic aliam experientiam opponit Theodoretus in Cat. in gen. aquas ventis non imminui, ſed potius turbari atque altius elevari, quin etiam exiſtimat, ſi talis vis ventis ineſſet, jam dudum maria fuiſſe exſiccata. Alii itaque, per illum ſpiritum intelligunt ſolem, qui cum ſit ardentiſſimus, incredibilem habet vim exſiccandi, & conſumendi humores, ob quam cauſam in calidiſſimis regionibus, ſolaribus radiis

expo-

expoſitis ratæ, ſunt pluviæ, rari fontes & rivi, ſed potius ingens inopia aquarum; præſertim ſi aliæ accedant conſtellationes, quæ ſimili virtute ſunt præditæ. Quod immenſa vis aquæ, quæ ex innumeris fluviis redundat in mare, mare non faciat redundantius Ariſtoteles l. 2. Meteor. aſcribat ſoli, quia multum de illis aquis exſiccat & conſumit. Sol ergo exſiccavit aquas diluvii, ſol mox produxit herbas & arbores, ſol rurſum ornavit mundum.

§. 7. *Utrumque verum eſt, ſi per ventum & ſolem intelligamus ſpiritum ſanctum.*

Verum audiendus tandem eſt S. Ambroſius, quem citat P. Pererius, ubi ait, *Non puto hoc ita dictum, ut ſpiritus nomine, ventum accipiamus, quia virtute ſpiritus divini, inviſibili, diluvium repreſſum eſt.* Et Theodoretus: *Spiritum ergo divinum innuit Moyſes, quo ſane omnia fiunt, & agitata quieſcunt.* Favet huic explicationi ratio Theologica, cujus memini ſuperius. Principium diluvii, quia fuit opus divinæ Juſtitiæ, ulciſcentis malitiam hominum, aſcribitur patri: Ceſſatio ejuſdem, tanquam opus clementiæ, Filio; Mundi vero reformatio, & reſtitutio priſtinæ pulchritudinis, veluti opus divinæ bonitatis & miſericordiæ, attribui debet ſpiritui ſancto, qui amor eſt.

§. 8. *Idem ſpiritualiter fit in cordibus noſtris.*

Non probabo, ſed ſuppono, in ſacro codice, hominum iniquitatem & ſcelera comparari aquis, quibus dum corda noſtra inundantur, dum lethali crimini in cor noſtrum patet aditus; ſubmergitur gratia, expellitur Spiritus S. extinguitur charitas; cum gratia, cum Spiritu S. cum charitate, ex anima cedit omnis pulchritudo, perit decus virtutum; ſuccedit deformitas & turpitudo. Et quis aquas ſuperbiæ, luxuriæ, &c. in nobis exſiccabit? quis turpitudinem expellet? quis priſtinam reſtituet pulchritudinem? quis accendet lumen gratiæ? quis vivificabit flores virtutum? Pſal. 103. v. 30. dixit David; *Emitte ſpiritum tuum & creabuntur, & renovabis faciem terræ*, dicamus nos cum Eccleſia, *Veni ſancte Spiritus, & emitte cælitus lucis tuæ radium.* Hic ventus eſt: hic exſiccabit, quidquid eſt humidum in nobis, hoc eſt, quicquid ſapit vel ſpirat concupiſcentiam carnis. Hic ſol eſt: hic formam inducet & pulchritudinem animæ: Hic lux eſt, hic noctem pellet, tenebras fugabit, caliginem removebit. Veni itaque O ventule, veni divine Favoni, veni auſter & gratiæ tuæ flatu perfla hortulos animarum noſtrarum!

Digitized by Google

rum! veni ſol, & gratiæ tuæ radios immitte, in corda te amantium! veni lux mundi & illumina ſedentes in umbris & tenebris peccatorum! ſine gratia Spiritus S. nunquam renovabimur.

De hac renovatione vel immutatione, quam Spiritus S. expellendo aquas peccati in nobis operatur, videtur intelligendum, illud factum Davidis l.1.reg.cap.21.v.13. ubi, & eluderet inſidias à Rege Achis ſibi ſtructas, *Immutavit vultum ſuum coram eis.* D. Hieronymus legit, *Immutavit os ſuum*; Aquila, *guſtum ſuum*; Symmachus, *Mores ſuos*; Chaldæus, *Cogitationem ſuam.* Hebræus textus habet, *conſilium & rationem ſuam.* Si liceret, adderem ego, cor ſuum, ex quo priora fere omnia profluunt. Juxta Interpretes, hæc omnia in Davide fuit operatus, ille ſpiritus qui dicitur illum invaſiſſe: *invaſit illum ſpiritus*, alii legunt, *Arripuit eum ille ſpiritus.* In heſterna epiſtola quæ lecta fuit in miſſa ex cap.19.v.2. Act. legimus, *ſi ſpiritum ſanctum accepiſtis credentes?* ſi eandem quæſtionem mihi velitis proponere, an judicem vos illum ſanctum ſpiritum accepiſſe, ego dico & moneo, ut aſpiciatis vultum animæ, non materialem, ſed internum; ſi ille hactenus fuit niger & turpis inſtar carbonis, & hodie cernitis illum dealbatum, pulchrum, formoſum, illuminatum radiis & luce gratiæ, ne dubitetis, accepiſtis Spiritum S. An ſcire avetis, num acceperitis Spiritum S.? attendite ad veſtras linguas; ſi hactenus illis blaſphematis, ſi imprecati eſtis, ſi proximo famam detraxiſtis, &c. & hodie Spiritus S. illas immutaverit, ut Deum laudent, ut de proximo loquantur bene &c. confidite, accepiſtis ſpiritum. Scire vultis an ſpiritum ſanctum acceperitis? manus veſtras inſpicite, pedes conſiderate, guſtum attendite, cogitationes inſpicite, mores perluſtrate. Si opera manuum veſtrarum ſint ſancta, ſi pedum greſſus ſint ad Dei gloriam directi; ſi linguæ guſtus ſit ex regulis temperantiæ; ſi cogitationum momenta ſint munda, pura, charitatem ſpirantia, non vindictam; denique ſi & mores Chriſtiano nomine ſint digni; ite domum hilares, ite cum bono nuncio. ite & dicite. Spiritum S. hoc eſt, ſpiritum amoris divini, ſpiritum caſtitatis, ſpiritum orationis, ſpiritum temperantiæ, ſpiritum divini fervoris accepimus.

§. 9. *Spiritus S. renovando animas noſtras varias operatur immutationes.*

Hæc omnia Samuel prædixerat Sauli, l.1.reg.cap.10.verſ.6.

§10. *Teſtimonium ſanct. Patrum.* *Inſiliet in te ſpiritus Domini, & mutaberis in virum alium.* Idem hodie contigit Apoſtolis. D. Cyrillus in c. 26. S. Matth. *Vide quales ante fuerint, & quales ſint, poſtquam virtute ex alto ſint induti.* S. Bern. ſer. 1. de Pent. *Conſtantius modo prædicant, quam deliteſcerent ante timidius.* Mutationem illam dexteræ excelſi, manifeſte declarat Principis Apoſtolorum, prius quidem inter ancillæ verba, formido; poſtmodum inter Principum verbera, fortitudo. S. Leo ſer. 2. in nat. Ap. *Qui ſacerdotis expavit ancillam, in Caiphæ domo; mundi Dominam non timuit Romam.* Iterum eleganter S. Bernardus. *Venit Spiritus Sanctus, tranſvehens mentes diſcipulorum, à terrenis ad cæleſtia; à ſe ipſis ad Deum.* Unde ſpiritus vehemens, eſt ſpiritus ſecum vehens mentem; quia diſcipulorum mentes, ab amore proprio eradicavit, & in ſpirituales ac divinos ardores evexit. Quam Spiritus S. in nobis immutationem, peculiares comitantur gratiæ & favores.

§. 11. *Spiritus S. tribuit cæleſtes conſolationes.* Optarem Auditoribus meis, his feriis Pentecoſtes, exhiberi illam gratiam, quæ exhibita fuit B. Angelæ de Fulginio. Nam ubi refert admirabiles delicias, quibus frequenter à cœlo recreata fuit, addit cap. 20 audiviſſe ſe aliquando hanc vocem; *Præparate, quia tota Trinitas veniet in te.* Tum alteram vocem audivit; *Ego ſum Spiritus S. qui veni ad te, ut darem tibi conſolationem, quam alias nunquam guſtaſti. Et veniam intus in te, & non diſcedam à te. Filia mea, templum meum, diligas me, quia tu es multum dilecta à me, multo plus, quam tu diligas me. Colloca te in me, & quieſce in me.* Vos quoque Auditores eſtis *templa Dei viva*, ut Doctor gentium loquitur, 2. Cor. 6. v. 16. Præparate vos, quia tota ſacroſ. Trinitas vult venire & habitare in vobis. Adeſt Spiritus S. ut det nobis conſolationes, quas nunquam ante guſtavimus. Venit ad nos, ut nunquam diſcedat à nobis. Collocate vos in Spiritu S. in illo quieſcite. Sub ejus umbra, ſub alis hujus divinæ columbæ ſuaviſſima eſt quies.

§ 12. *Spiritus S. in cordibus noſtris, eſt fons aqua-* Optarem meos Auditores his feriis eſſe participes illarum deliciarum, quas ſenſit S. Franciſca Romana; quæ poſt ſacram ſynaxim, aliquando viſa ſibi fuit ſubingredi cor aliquod ſplendidiſſimum, veluti pulcherrimum conclave. Ibi reperit fontem aquarum

rum

rum viventium, ſed ita, ut quævis guttula illius putei referret ſpeciem pulcherrimæ gemmæ; & dum unicam guttam libaret Franciſca, adeo inebriata fuit ſuavitate divini amoris, ut cor ſuum illi ferendo par non eſſet. Si ſancti Patres, ut non dubito, Spiritum S. bene vocarunt cor divinitatis, manifeſte quoque ſequitur, ſpiritum ſanctum eſſe illum fontem, in quo animæ piæ reperiunt aquas, ſive balneum, ut habeant, quo cor abluant, & gemmas, quibus illud ornent, & potum, quo inebrientur ſuavitate D. amoris. Dicite Auditores, ingreſſine eſtis diviniſſimum hoc cor? reperiſtiſne hunc fontem? an corda abluiſtis à ſordibus peccatorum? an animas veſtras ornaſtis gemmis pulcherrimarum virtutum? an eſtis pleni muſto, quo Judæi putarunt inebriatos fuiſſe Apoſtolos, cum loquerentur magnalia Dei? ſic ſpero. *rum viventium,*

Optarem Auditoribus meis evenire, quod evenit S. Polychronio Epiſcopo, de quo refertur; vidiſſe virum ſanctum ſpiritum ſanctum regnantem in corde ejus, quod idem ſpiritus ſanctus ſignaverit os ejus, quod aliquando ejus ori & linguæ infuderit favum cœleſtis mellis. Talia deſidero; ut idem ſpiritus ſanctus regnet in cordibus noſtris, ut noſtras linguas ſignet ſignaculo gratiæ, ut loquamur recte, hoc opto, ut nobis infundat mel divinarum conſolationum. Illos effectus ſpiritus ſancti opto meis Auditoribus, de quibus eleganter ait D. Cypr. ep. 2. ad Donatum. *Vt ſponte ſol radiat, dies illuminat: fons irrigat, imber rorat, ita ſe Spiritus S. cœleſtis infundit.* Gaudeo Auditores ſi in veſtris quoque cordibus radiet ſic ſol, ſi cœleſtis illa lux vos illuminet. *§. 13. Infundit favos & mel cœleſtium conſolationum.*

In anno ſuo cœleſti P. Nadaſi hanc proponit quæſtionem, vis moriens, ad cœnam vitæ æternæ vocari? & reſpondet, in cultu SS. Trinitatis perſiſte, & invocatione Spiritus S. Erit ille tecum; neque ſinet eſſe infelicem ſupremum tuum agonem. Male mori non permittit ſuos clientes, ſanctus ille ſpiritus, ille nobis *pignus eſt futuræ gloriæ.* 2. ad Cor. c. 1. v. 22. *Qui & ſignavit nos, & dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris.* Et ad Epheſ. c. 1. v. 14. *Credentes ſignati eſtis ſpiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ* S. Aug. ſer. 176. de temp. *Vt fidelis quisq;, cũ jã tanta perceperit, per ea, quæ cognoſcit præſtita, diſcat ſperare promiſſa, ac Dei ſui præteritam, præſentemq;* *§. 14. Spiritus S. eſt nobis pignus futuræ gloriæ.*

 boni-

Digitized by Google

bonitatem, quaſi futurorum teneat cautionem. Verum hoc moneo; ſi harum deliciarum deſideremus eſſe participes, & favorum, quos Spiritus S. ſolet exhibere, memores nos eſſe oportet, alicujus dicti, S. Nicetæ; qui cum in ſuis regulis fratribus prohibuiſſet, omnes facetias; ſubdit cauſam, *Talia odit Spiritus S.* Auditores! audiuntur fortaſſis inter vos blaſphemiæ? Odit illas Spiritus S. in lingua blaſphema non habitat. Miſcentur inter vos jurgia & contentiones? odit hæc Spiritus S. ſpiritus pacis, ſpiritus amoris; Familiares ſunt vobis ſermones turpes? immunda colloquia? actus tactuſque venerei? odit, odit hæc omnia Spiritus S.! ſpiritus puritatis, ſpiritus caſtimoniæ. Et quid amplius eloquar? non ignoratis quæ ſint illa quæ odio proſequitur ſanctus ille ſpiritus: reliquum eſt, ut ſicut non ignoratis, ſic nec dicatis talia nec faciatis, quæ ejus ſanctiſſimis oculis eſſe vel adverſa vel ingrata cognoſcitis.

CONCIO XXIIX.

FESTO SS. TRINITATIS.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

SYNOPSIS CONCIONIS.

SUppoſito triplici amore, Incomparabili, ſive valde appretiativo, ardenti, & indefatigabili erga ſacroſ. Trinitatem, ex corde puro; ſuadet hæc concio hujus myſterii, cultum internum & externum.

§ 1. *Pia Auctoris deſideria.*
§. 2. *Amor erga ſacroſanctam Trinitatem, debet eſſe, incomparabilis.*
§. 3. *Ardens.*
§. 4. *Indefatigabilis.*
§. 5. *Debet procedere ex corde puro.*

§. 6. *In*

Digitized by Google

§.6. *In quo conſiſtat cultus ille interior, in anima noſtra.*
§.7. *Quam nobis ſit utilis continua Dei, vel ſanctiſſimæ Trinitatis memoria.*
§.8. *Cultus exterior requirit, ut illam laudemus voce, & lingua præſertim illo verſiculo, Gloria Patri, &c. quanta illius ſit excellentia.*
§.9. *Quibus intentionibus poſſit proferri.*
§.10. *Seraphici affectus S. Franciſci, & aliorum ſanctorum.*
§.11. *Devotio P. Joſephi Anchietæ, in Braſilia.*
§.12. *Devotiſſima mors, & glorioſum Martyrium P. Camilli Conſtantii, eximii cultoris ſanctiſſimæ Trinitatis.*
§.13. *Affectuoſus Epilogus.*

S. Gertrudis l.2. Inſin. c. 7. de ſe ipſa ait, *Cum* (fortaſſis id contigit hodierno feſto SS. Trinitatis) *ſumpto vivifico alimento, Deo, & mihi intenderem, recognovi animam meam in ſimilitudinem ceræ, diligenter ad ignem, emollitam eſſe, quaſi ſigillo imprimendo à Dominico pectore, & ſubito, viſa mihi fuit, inſignita charactere fulgidæ, ſemperque tranquillæ Trinitatis:* Ante octiduum in mea concione conatus fui, auditorum meorum corda accendere, & emollire, illo igne charitatis, quam Spiritus S. effudit & diffudit per corda noſtra, nunquid congruum eſt, ut in concione hodierna illis imprimam quandam imaginem ſacroſ. Triados, Patris, & Filii, & Spiritus S. Lib.4. cap.57. inquit, *vidi ineffabilia Myſteria de gloria ſemper veneranda Trinitatis, & qualiter ipſa glorioſa Trinitas, in ſeipſa, ſine Principio, & ſine fine, omni dulcedine & jucunditate, & beatitudine ſupereffluens, omnibus ſanctis gaudium, & gloriam, & beatitudinem adminiſtrat æternam.* Suppono meos Aud. credere illa myſteria, quæ fides nobis credenda proponit. Itaque ſi ſpiritus ſanctus illam mihi largiatur gratiam, ut in hac concione vobis perſuadeam, inſignem erga ſacroſ. Trinitatem amorem, cultum & reverentiam, illa infinita dulcedo, jucunditas & beatitudo ſupereffluet, ut & nobis in hac vita ingens gaudium ſubminiſtret. Antequam vobis proponam, qualem amorem, & quem præcipue cultum erga ſacroſ. Trinitatem à vobis requiram, incidit mihi dictum quoddam S. P. Ignatii, qui cum filios ſuos mitteret in orbem §.1. *Pia Auctoris deſideria.*

Digitized by Google

orbem terrarum ad propagandam Dei gloriam, poſt ſalutaria monita, ardens vultu dicebat ad illos; *Ite, omnia incendite, atque inflammate.* Cum viri ſanctiſſimi ſim indigniſſimus filius, hodie hanc cathedram conſcendi ut omnes præſentes incendam atque inflammem igne amoris erga ſacroſ. Trinitatem. O S. Spiritus accende me primum igne hujus amoris.

§ 2. *Amor erga SS. Trinitatem debet eſſe incomparabilis.*

Amor noſter erga ſacroſ. Trinitatem eſſe debet, imprimis incomparabilis, ſive vehementer appretiativus; quo in tantum illam diligimus, ut nullus amor, cujuſcunque rei infra Deum, non vitæ propriæ, illi amori comparetur; non amicorum, non ſui ipſius, id eſt, nihil amare debemus ſupra Deum. Quis enim Deus eſt? quid ſacroſ. Trinitas? & quid ſunt creaturæ? hoc oportet diſcutere, uter dignior ſit noſtro amore, Deus & ſacroſ. Trinitas, an aliqua creatura? Deum æſtima, deque illo magnum ſenſum concipe, ac tibi perſuadere conare, digniſſimum eſſe omni cultu & honore, omni noſtra eviſceratione, conare inquam, magnam de illo habere ſcientiam, alioquin in rei veritate, *ſi quis erit conſummatus* (Sap. 9. v. 8.) *inter filios hominum, ſi ab illo abſuerit ſapientia tua Domine, in nihilum computabitur.* Sap. 13. v. 1. *Vani ſunt omnes homines, in quibus non eſt ſcientia Dei,* Deum itaque & ſacroſ. Trinitatem, tanti habere debemus, quanti habendus eſt, tanti vero habendus eſt, quantus eſt. Nihil ut illi præferatur, nihil æquetur, nihil pro media, nihil pro tertia, nihil pro quantacunque uſque in infinitum parte comparetur. Primo nimirum loco Deus habendus. Secundo tua ſalus. Tertio demum, in inferiori longe gradu, omnia creata. Ita animo debemus eſſe conſtituti, ut dicamus cum regio Pſalte, *Quid mihi eſt in cælo, Deus, & à te quid volui ſuper terram.* Vel cum S. Ignatio, *quam ſordet mihi terra, dum cælum aſpicio.*

§ 3. *Ardens.*

2. Hic amor erga ſacroſ. Trinitatem, debet eſſe ardens, operando multa & omnia, pro ejus honore; tendendo ſemper ſurſum ad Deum, velut ad centrum, & omnia dirigendo in Deum, comburendo omnes ſenſuales & inordinatos appetitus, & omne, quod creaturam redolet, convertendo ad ignis inſtar omne diſſimile, in Deo ſimile, nihil medium ſe inter ac Deum relinquendo, nullam aliam imaginem in cor, quam ſolius Dei admittendo. Ardentis hu-

Digitized by Google

tis hujus amoris effectus eſt, ut non tantummodo cuſtodiamus corda noſtra, ab iis, quæ ſunt contra dilectionem, ſed ut amorem omnem, qui Deus non eſt, à nobis abjiciamus, atque in Deum transferamus, omnemque aliam affectionem, ad ejus dilectionem. Ut iterum cum S. aliquo Ignatio vel S. Franciſco dicamus, *Quid ego Domine extra te volo, aut quid velim.*

3. Amor erga ſacroſ. Trinitatem debet eſſe inceſſabilis, & indefatigabilis; talis ſcilicet, qui non ceſſet ſe augmentare, qui ſicut ignis nullum modum ponit in ſua actione, ſed ſemper ad augmentum tēdit, quamdiu materiam invenit, in qua valeat ſeſe diffundere, ita & amor operari debet, ut indies fiat major, ut nec modum nec finem nanciſcatur. Ex quo amore naſcitur, ardens quoque deſiderium Majoris Dei gloriæ ubique propagandæ; ut nec venulam, nec guttulam ſanguinis eſſe vel fluere velimus in corpore noſtro, quæ non ad ſinceriſſimam Dei gloriam, & ejus amorem ſe impendant; & hoc, ut S. Paulus loquitur *ſemper & omni tempore.* § 4. *Indefatigabilis.*

Poſito hoc triplici amore, veluti fundamento, in cordibus noſtris, antequam ad particularia in quibus potiſſimum amor noſter SS. Trinitatem colere debet atque laudare, deſcendā, moneo meos Audit. ut illud infallibile ſupponant, noſtrā laudem, vel amorē nec momentum gloriæ additurum, ſi à corde peccaminoſo, à fœda & ſaucia conſcientia prodierit. Dicetur alioquin nobis illud pſ. 49. 16. *Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?* vel illud Eccleſiaſtici c. 15. v. 9. *Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris.* Per peccatores, diaboli tripudium, per juſtos gloria SS. Trinitatis cultus promovetur. Atque ita illam non poteritis melius laudare, quam ut bene vivatis. Sequere Davidem, & dic cum illo ex pſ. 145. v. 2. *Laudabo Dominum in vita mea.* Laudant illum cœli & terra, laudant illum angeli, laudant illum ſol, luna & ſtellæ, laudant illum omnes creaturæ; omnium cupio eſſe ſocius, ut & ego meas illorū laudibus, laudes accumulem, ſed hoc præcipue modo, ut laudem in vita, bene vivendo accumulem juxta ipſius SS. voluntatem; juxta rationis ab illo inditæ, regulam ac dictamen, juxta præcepta, juxta conſilia & inſpirationes. Verbo ita vivam, ut Deum graviter non offendam. Ad hujuſmodi laudem exhortatur ſuos S. Aug. § 5. *Debet procedere ex corde puro.*

præf.

præf. in pſ.147. *Nunc fratres, exhortamur, ut laudetur Deus* (ut laudetur ſanctiſſima Trinitas) *ſed laudetur totis vobis; hoc eſt, ut non ſolum lingua veſtra, atque vox veſtra laudet Deum, ſed & conſcientia veſtra, & vita veſtra, Qui non ceſſat bene vivere ſemper laudat Deum.* S. Auguſt. in pſ.37. *Quidquid egeris, bene age, & laudaſti Deum tota die.*

§.6. *In quo conſiſtat cultus ille interior in anima noſtra.*

His ſuppoſitis, dico. 1. In particulari ſacroſ. Trinitatem coli & laudari ab illis juſtis, qui frequenter dies & noctes de illa, & de Deo cogitant. Quæ cogitationes, ab Aſceticis vocari ſolent, mentis in Deum elevationes; auream illarum praxin nos docuit Ludovicus Bloſius vir piiſſimus. In Abbatia ſua Lætienſi amœnum conſtruxit hortum, in quem ingreſſuris, hanc Epigraphen legendam ſupra parietem inſcripſit; *Pulchritudo cæterarumque creaturarum, rapiat cor in admirationem & amorem Dei conditoris; Amœnitas horti in memoriam reducat decorem paradiſi.* Faceſſant hinc, quæ Deo diſplicent, quærantur cœleſtia; Domine Deus, quam admirabilis es! Delectaſti me in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo. Laudent volucres cœli Dominum, ut homo eum ex animo laudet. S. Auguſtinus in hunc modum ſolitus fuit ſuſpirare ad ſacroſ. Trinitatem; *Meminerim tui Domine. Intelligam te. Diligam te!* Ita ille ſua memoria, ſuo intellectu, ſua voluntate ſacroſ. Trinitatem coluit. A viris piis, auro dignum judicatur illud præceptum S. Dorothei, ad aliquem novitium. *Nunquam cordi tuo Deus excidat.* (Ego hodie illud aſſero de ſacroſ. Trinitate, nunquam cordi tuo excidat ſacroſ. Trinitas, &c.) *Semper cogita præſentem, & te coram illo ſtare.* De P. Didaco Martinio, è Soc. Jeſu, viro ignearum orationum, ut ait Petrus Nierembergius, idem refert, quod ita vixerit, ita oraverit, ita laboraverit, perinde ac ſi videret, circumfuſum, quadam luce ſplendidiſſima Trinitatis, aut alicujus è tribus perſonis. O ſi & talis eſſet vita noſtra! O ſi & nos eſſemus viri ignitarum orationum! Erimus Auditores, erimus, mihi credite, tales, ſi ad ipſum, ex quo omnes erumpunt ſcintillæ, incendium appropinquemus. Incendium cœleſtium flammarum eſt ſacroſancta Trinitas! hic igneſcunt noſtræ preces, hic igneſcunt ſancta ſuſpiria, hic igneſcit Deo ſerviendi fervor; hic igneſcunt intentiones in

Digitized by Google

nes in cœlum directæ, hic igneſcit vita noſtra vel omnino frigida vel certe ſat tepida, ſi nimirum ſacroſ. Triados amorem, cultum, debitumque latriæ obſequium in dies impendamus.

S. Antonius, referente id Anaſtaſio in ejus vita, dicere fuit ſolitus, *Vna eſt ratio vincendi diabolum, lætitia ſpiritualis, & animæ ſemper Deum cogitantis jugis recordatio, quæ dæmonum ludos, quaſi fumum repellit.* Inſinuavi antea primum & maxime neceſſarium cultum ſacroſ. Trinitatis eſſe, non peccare; Atqui *ſi Dominum omnia videntem & judicantem, ſemper cogitaremus,* inquit ep. 13. S. Ignatius Ep. M. *aut vix, aut nunquam peccaremus.* Si v.g. in occaſione peccandi, memores eſſemus divinæ omnipotentiæ Patris, qui eodem momento peccantes poteſt in æternas tartari flammas deturbare, ſi ſapientiæ Filii, qui Judex eſt, rectiſſimus & omnia cernens. Si Spiritus S. cujus ſanctitati, bonitati & amori, peccatum directe opponitur; quis auderet peccare? Occurrit mihi hic elegans dictum S. Auguſt. ſ. 46. de verbis Dom. *Lucerna ardet? videt te: lucerna extincta eſt? videt te, ipſum time, & vel timendo caſtus eſto. Aut ſi peccare vis, quære, ubi non te videat Deus, fac quod vis.* Audite hoc mortales, Innocui vivite, Numen adeſt. Immenſus eſt Pater, immenſus eſt Filius, immenſus Spiritus S. An ſacroſ. Trinitatem colere deſideratis? Immenſum, memoria cogitate; immenſum intellectu intelligite; immenſum voluntate diligite. In his conſiſtit cultus interior, & amor erga ſacroſ. Trinitatem.

§. 7. *Quam nobis ſit utilis, continua Dei vel ſacroſ. Trinitatis memoria.*

Exterior cultus in eo potiſſimum conſiſtit, ut ore & lingua illam laudemus. Cum vero illam laudare nil aliud ſit, quam bonum de ipſa dicere, eo conniti debemus, ut cum Seraphinis dicamus frequentiſſime, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c.* & vel maxime, cum tota Eccleſia, triumphante & militante, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.* Hæc oratiuncula plerisque eſt nota, eſt brevis, ſciunt illam pueri, & ſenes, neque tamen eſt alia, quæ nobis poſſit eſſe utilior, & aptior, ut laudemus ſacroſ. Trinitatem. Suadet hanc doxologiam P. Cornelius à Lapide in c. 6. Iſ. in v. 3. ob varias cauſas. *Quia,* inquit, 1. *eſt Profeſſio fidei circa articulum præcipuum, contra paganos, Turcas, Iudæos, Arianos veteres & novos,* ait v.g. Arianus aliquis, Spiritum S. eſſe minorem Patre & Filio, ſed

§. 8. *Cultus exterior, requirit ut illam laudemus ore & lingua præſertim illo verſiculo. Gloria Patri &c. Quanta hujus orationis ſit excellentia.*

reclamamus voce clara & alta, *Gloria Spiritui S.* 2. *Eſt exercitium religionis, ſpei & charitatis; aliarumque virtutum.* 3. *eſt excitamentum devotionis & lætitiæ ſpiritualis, qua omnia ardua, ad majorem ejus gloriam deſideramus perferre.* 4. *facit ut vita noſtra ſit angelica*; ut nimirum ſanctitatis & puritatis Angelicæ æmuli, ipſorum officium hic uſurpemus, & inchoemus, quod brevi cum illis ipſis in cœlis conſummabimus in omnem æternitatem. Ut tota vita noſtra, omne tempus noſtrum, tota æternitas noſtra, non ſit aliud, quam aſſidua Dei laus, gratiarum actio, & glorificatio; ſive, ut Christus D. in oratione Dominica ait, *ut ſanctificemus nomen ejus.*

§. 9. *Quibus intentionibus poſſit proferri.* Accedunt intentiones puriſſimæ, quæ hanc oratiunculam, *Gloria Patri, &c.* ad ſummam elevant perfectionem, & ita orantis merita multum augent. Si v. g. ideo dicamus, *Gloria Patri, &c.* ut ſacroſ. Trinitatem laudemus. Patrem, qui nos creavit, Filium, qui nos redemit, Spiritum S. qui nos juſtificavit. Vel ideo, ut pro innumeris beneficiis agamus gratias. Vel ideo, ut aliquid à ſacroſ. Trinitate petamus. Valde me afficit elogium magni illius viri, P. Nicolai Serarii, quod ita habet. *Incredibile dictu eſt, quanto pietatis ſenſu illam divinæ laudationis formulam, qua pſalmos omnes Eccleſia concludit, uſurpare ſolitus ſit; hac illi privatim, publiceque operum omnium principium & finis, hanc nunquam ſine præcipuo aliquo ardore, qui in vultu quoque emicaret, pronuntiabat.* Hanc ſi quando à ſymphoniacis tubis & organis, fiſtulis & cymbalis, *Gloria Patri, &c.* cani audiret ornatius, geſtire ſcilicet gaudio, ac triumphare videbatur. Quam vero uberes illi ex ea, cœleſteſque deliciæ affluerent, quamque inde inflammatum indies divinæ gloriæ ſtudium in pectore gliſceret, ardentiſſimi ejus de ſacroſ. Trinitate ſermones, declararunt; De quibus dici potuit illud Eccleſiaſtæ cap. 12. verſ. 11. *Verba ſapientium, ſicut ſtimuli, & quaſi clavi in altum defixi.* Sive, ut alii codices habent, *quaſi clavi ardentes & igniti.* Ita nimirum verba ſpiritualia de ſacroſancta Trinitatate, clavorum inſtar penetrant in animam, fixe inhærent, & ardorem amoris Dei, in corde audientis igniunt & accendunt.

Sera-

Digitized by Google

Seraphici S. Franciſci hæc erant ardentiſſima ſuſpiria; *ſanctus eſt Pater, ſanctus Filius, ſanctus Spiritus S. Gloria Patri, &c. Laudemus & ſuperexaltemus eum in ſæcula, &c. Omnipotens eſt Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus S. Laudemus & ſuperexaltemus eum in ſæcula. Iuſtus eſt Pater, juſtus Filius, juſtus Spiritus S. Laudemus & ſuperexaltemus eum in ſæcula. Sapientiſſimus eſt Pater, ſapientiſſimus Filius, ſapientiſſimus Spiritus S. Laudemus & ſuperexaltemus eum in ſæcula. Æternus eſt Pater, æternus Filius, æternus Spiritus S. Laudemus & ſuperexaltemus eum in ſæcula.* Sunt animæ piæ, quæ ſanctis cogitationibus diſcurrunt per angelorum choros & ſanctorum; Inter Seraphinos, Seraphico affectu exclamant, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, &c.* Quantum hæc deſideria placeant Deo, ipſe Chriſtus D. declaravit S. Gertrudi l. 3. cum illi dixit, *Ego cuilibet donavi, auream fiſtulam, id eſt, bonam voluntatem, talis virtutis, ut ea quilibet ſibi attrahere poſſit de intimis cordis mei, quæcunque deſiderat:* Ut ſi quis deſideraret, tantum poſſe laudare Deum & ſacroſ. Trinitatem, quantum unquam laudarunt Seraphini, hanc voluntatem Deus quaſi perfectam acceptet, &c. Quam felices igitur ſumus, ſi deſideria noſtra laxemus; cum iiſdem tanta bona lucrari, tantum gloriam Dei promovere, poſſimus! Paſſis ergo & laxatis ardentium affectuum deſideriis totos nos in Majeſtatem ſacroſanctæ Trinitatis conjiciamus, & fibris omnibus loquamur cum ſancto Auguſt. l. medit. cap. 35. *Dico, quod valeo, ſed non dico, quod debeo.* Utinam poſſem talia dicere, qualia hymnidici pronunciant angelorum chori. Clamant illi; *Gloria Patri, &c.* Clamabo & ego *Gloria Patri, &c.* Clamant illi, *Benedicta ſit ſancta & individua Trinitas*; clamabo & ego *Benedicta ſit, &c.* ingeminant illi divinum illud triſagion, *ſanctus, ſanctus, ſanctus*; ingeminabo illud & ego: *ſanctus, ſanctus, ſanctus*, amorem illi ſuum teſtantur continuis amoris honoriſq; divini elogiis, teſtabor & ego; totos illi ſeſe mancipant obſequio diviniſſimæ Trinitatis, mancipabo & ego me totum.

§. 10. *Seraphici affectus S. Franciſci & aliorum ſanctorum.*

Affectuoſiſſimam praxin colendi ſacroſ. Trinitatem reperio in vita P. Joſephi Anchietæ è Soc. Jeſu, admirabilis Apoſtoli in Braſilia, Is tenera erga SS. hoc myſterium, & Jeſum, &

§. 11. *Devotio P. Ioſephi Anchieta.*

Digitized by Google

Mariam devotione, ut Braſilos ſuos imbueret, id à tenera inchoandum, & in adulta perficiendum ætate ratus, diviſis in choros Braſilis, hinc pueris, inde puellis, ut chorus uterque alter ad alterum canendo clamans ſacroſ. Trinitatem, Jeſum & Mariam cantaret lætus, edocuit. Cantabant parvuli, *Benedictum ſit dulciſſimum nomen Ieſus.* Reſpondebant parvulæ, *Et Glorioſum ſit ſanctiſſimum nomen Mariæ, Virginis.* Tum voce ad devotam pietatem compoſita, roſarium recitabant, ſedita, ut ad ſingularum decadum finem omnes accinerent, *Gloria Patri &c.* Audi Europa! diſce à Braſilia, à parvulis Braſilis! laudare Mariam, Jeſum, & ſacroſ. Trinitatem. Exultant, jubilant, cum viri ſancti talia proferunt, talia proferri audiunt. Tale os, talis lingua, Organum eſt divinum quod à præclaro artifice, hoc eſt à ſpiritu ſancto ad cœleſtem harmoniam accommodatur, atque pulſatur. S. Paulinus ep. ad S. Aug. *Os tuum fiſtulam aquæ vivæ & venam fontis æterni, merito dixerim.*

§. 12. *Devotiſſima mors & glorioſum Martyrium P. Camilli Conſtantii, eximii cultoris ſacroſ. Trinit.*

Tales nobis, Auditores, opto linguas; quæ piiſſimo hoc verſiculo ſemper laudent ſacroſ. Trinitatem, ſic fiet, ut aliquando morituri idem faciamus; Generoſiſſimus Martyr in Japonia fuit P. Camillus Conſtantius. Inter ſtridores ardentis flammæ, cum pectus ejus alio majori igne ſimul æſtuaret auditus fuit concionari. Cum diſceſſiſſent nonnihil flammæ, inter eas ſpectatus fuit Camillus precibus intentus. Subito ſublata voce ſuaviſſime cœpit decantare. Pſ. 116. v. 1. *Laudate Dominum omnes gentes,* & finiit conſueta clauſula, *Gloria Patri, &c.* Videbatur mox ſuccubiturus ſupplicio, ut æternæ gloriæ initium faceret. Verum generoſiſſimus Athleta, quaſi novas de integro vires hauſiſſet, cœpit denuo ſermonem habere, utraque lingua, latina & Japonica. Et cum diſſerit, ſive ſpe erectus mox affuturi præmii, ſive ex copia cœleſtium voluptatum, tertium ingeminat Japonice, *O quam bene mihi eſt, &c.* Interea gliſcente incendio, & horribili crepitu perſtrepente, conſumptis veſtibus, apparuit ejus corpus nivis inſtar candidum, at mox ignium vi decoloratum. Tum vero exiſtimabant circumſtantes fortunatam illam animam ad æternæ vitæ requiem migraſſe, quando omnibus admirantibus exauditus eſt valida & canora voce, *invictus Sacerdos, qui ſe in illis flammis Deo ſacrificium offerebat,* canere quin-

Digitized by Google

re quinquies hanc vocem Triſagii, *ſanctus, ſanctus, &c.* Ut ſatis appareret fortiſſimum pectus affluere cœleſti gaudio. Atque ita finem vivendi fecit, ut idem ſanctum carmen exorditetur, una cum angelis concinere, ſed æternum in cœlis. Quisquis ſic mori deſiderat, ut in agone fidem circa hoc myſterium ſacroſ. Trinit. profiteatur, ut exerceat nobiliſſimarum virtutum actus, ſpei, charitatis, &c. dum ſanus eſt, hunc verſiculum, *Gloria Patri, &c.* ſibi reddat familiarem.

Radicem lætitiæ, voluptatis & honoris habet in corde ſuo, ait ille, *quisquis in corde habet amorem ſacroſ. Trinitatis.* Experta id fuit S. Gertrudis; cum enim cum jubilo cordis, diceret, *Gloria tibi, Imperialis, excellentiſſima, nobiliſſima, dulciſſima, benigniſſima, ineffabilis unitas & Trinitas, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum.* Ita orans vidit Chriſtum in ſplendore admirabili, toto corpore, amœniſſimis à ſe ornatum floribus. O animæ piæ! deſideratis roſas, ut illas offeratis ſacroſ. Trinitati, dicite, *Gloria Patri, &c.* deſideratis lilia? gemmas expetitis? dicite ſine fine, *Gloria Patri, &c.* Finio denique cum S. Joanne Chryſoſtomo hom. 26. in ep. 1. ad Corinthios. *Dum in hac vita ſumus, ut terra nobis cœlum ſit, facit hoc myſterium.* Cum S. Bern. ſ. 1. in Pent. *Perfecta Trinitatis cognitio, vita æterna eſt.* Optatis Auditores, ut in hac lachrymarum valle ſitis participes jucunditatis, qua Seraphini jubilant in cœlis; dicite cum illis in terris, *Gloria Patri &c.* P. Balthaſar Alvarez, devotiſſimus cultor ſacroſ. Trinit. cum in honorem illius ſe ſignaret ſigno S. Crucis, & diceret, *In nomine Patris, &c.* ſenſit ſibi omnes tres perſonas impartiri benedictionem. Ite Auditores, dicite hodie, ſemper tota vita, præſertim in morte, *Gloria Patri, &c.* hodie, ſemper, & in morte nobis quoque benedicet, Pater, Filius & ſpiritus ſanctus. Amen.

§ 13. *Affectuoſus Epilogus.*

CONCIO XXIX.

DOMINICA I. POST SS. TRINITATEM.

Epulabatur quotidie ſplendide.
Luc.16.v.19.

SYNOPSIS CONCIONIS.

AGit, 1. de fide neceſſaria circa myſterium ſacramenti Eucharistiæ. 2. Quantam fides illa exigat reverentiam & devotionem. 3. Terret irreverentes erga ſanctiſſ. Euchariſtiam.

§ 1. *Amœnus Apologus de reperto amore inter roſas, in vino, ſubmerſo & epoto.*

§ 2. *Applicatur amori Chriſti in ſacroſancta Euchariſtia.*

§.3. *Fides agnoſcit, ſub ſpeciebus hoſtia latere Deum & Chriſtum Ieſum.*

§.4. *Sola fides habet oculos, quibus Deum intuetur.*

§ 5. *Sacramentum Euchariſtia eſt myſterium obſcuriſſimum.*

§.6. *Habet umbras.*

§.7. *Ne in hoc mari ſubmergamur, fides facit.*

§.8. *Quanta ſit excellentia hujus ſacramenti.*

§.9. *Fides Euchariſtica in nobis excitare debet varios actus virtutum.*

§.10. *In tentationibus contra fidem, circa hoc myſterium confugere oportet ad fidem.*

§.11. *Cur Chriſtus D. nobis voluerit adeſſe in SS. Euchariſtia.*

§.12. *Elogium fidei.*

§.13. *Quid cogitare debeant ingreſſuri templum.*

§.14. *Graviter à Deo caſtigatur irreverentia in templis.*

§.1. Amœnus Apologus de amore reperto in.

QUis non libenter audit dulces de amore ſermones? quis illos non libenter profert? proferam ego hac concione diſcurſus de amore Chriſti in Euchariſtia ſuaviſſimos, ſpero

ſpero vos eadem, cum eadem ſuavitate audituros. Amœniſſimi floros, ſerta, & corollæ, quibus in præterito feſto Corporis Chriſti, & per totam Octavam in Proceſſionibus videmus ornari altaria, imagines, ſtatuas, vexilla, cruces, cereos, ſacerdotum capita; enſes, gladios, haſtas; memorem me reddunt, illius, quod legi, apud Julianum Ægyptium l. 7. Antholog. qui de ſe refert, ſe diu, multumque per colles & valles, per prata & campos, per ſylvas & agros; in terra, in aquis, in aere, in igne quæſiviſſe amorem, ſed reperire non potuiſſe. Veniſſe ſe tandem ad amœniſſimum Roſetum, in quo dum decerpſit pulcherrimas roſas, ex quibus floridam necteret corollam, inter folia unius roſæ, repertum amorem, & ſubito ala prehenſum, (modus loquendi innuit, amorem aſſumpſiſſe formam apis) itaq; poculo vini, quod ad manum erat, immerſum ebibiſſe; qui mox in Juliani medullis, mirum quantum deſævïit, dulcibus flammis vitalia depaſcens. Quo alludere videtur illud Theocriti in Epigrammatis. *Multum amorem ebibi.*

Amor inter roſas, in vino ſubmerſo & epoto.

Agite Auditores; ſi ſplendide cupitis epulari, ſi ad ſuaviſſimum anhelatis potum; amorem quærite, non in montibus, vel vallibus, &c. Sed inter roſas. Amœniſſima roſeta nobis aperiunt quinque portæ ſanctiſſimorum vulnerum Jeſu Crucifixi, latentis ſub ſpeciebus ſacroſanctæ Euchariſtiæ. Ingredimini in roſetum omnium amœniſſimum, Paradiſum voluptatis, dulciſſimum cor Jeſu; ibi quoque latet amor, aureis pennis amoris inſtructus. Oritur ibidem fons pretioſiſſimi ſanguinis; eja amorem ibi repertum, totum inquam Jeſum immergite huic poculo; bibite, ebibite; comedite, hoc eſt corpus Jeſu; bibite hic eſt ſanguis ejuſdem. Sugite, bibite, inebriamini cum aviditate; O quam mire nos afficiet divinus amor? quam ſuavibus corda noſtra uret flammis! Sentiemus, nos multum ebibiſſe amorem. Satis credo advertitis, me cum bona veſtra licentia relicturum in hac concione, divitem epulonem ſepultum ardentemque in flammis; ut hodierna Dominica infra Octavam Corporis Chriſti agere mihi liceat, de ſacroſancto ſacramento altaris, in quo dulciſſimus amor noſter Jeſus ſe abſcondit. Quocirca tria

§. 2. Applicatur amori Chriſti in SS. Euchariſtia.

pro-

proponam, 1. ob obſcuritatem tanti myſterii, neceſſariam eſſe Fidem. 2. ſuppoſita fide, quanta à nobis requiratur devotio. 3. pars erit ſeria admonitio ad illos, qui erga ſanctiſſ. Sacramentum ſunt irreverentes.

§. 3. *Fides agnoſcit ſub ſpeciebus Hoſtia latere Deum, & Chriſtum Ieſum.*

Cum S. Joannes Chryſoſtomus in pſ. 47. conſideraſſet excellentiam & dignitatem epuli ſive cœnæ Euchariſticæ, his verbis Deum vel Chriſtum D. alloquitur. *Tua miſericordia ſunt hæc opera! tua gloria! tua benignitatis!* Attributa hæc perfectiſſima, id eſt, ſuam miſericordiam, gloriam, benignitatem magis mundo declarare nō potuit, quam quod diſcedens ex hoc mundo inſtituerit SS. Sacram. Euchcriſtiæ, in quo nobiſcum eſt, & erit uſque ad conſummationem ſæculi: ſed illo mirabili modo quem prædixit Iſaias cap. 45. v. 15. *Tantum in te eſt Deus, & non eſt abſque te Deus. Vere tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael Salvator.* Textus hebraicus ſic legit, *Tu es Deus abſcondens ſe:* tam ſtupenda adinventione, ut locum hic habeat illud Dei emblema, quod olim templis Ægyptiorum parieti ad aram inſcribebatur. *Ego ſum, quod fuit, quod eſt, quodque futurum eſt: velum meum nemo unquam revelavit.* Idem dicendum de ſacramento Euchariſtiæ; tam eximia, tam ſtupenda, ſub illo velo latent myſteria, ut nemo revelare poſſit, præter ſolam fidem, per quam homo, captivans intellectum ſuum, illis quæ credenda ſunt, aſſentitur & agnoſcit, eſſe hæc opera miſericordiæ, opera gloriæ, opera benignitatis divinæ; & Chriſti Jeſu Salvatoris noſtri.

§. 4. *Sola fides habet oculos, quibus Deum intuetur.*

Cum enim hoc opus, quod Deus in eſcam & potum, in altari ſe proponat, quod Chriſtus Deus in eo ſumatur, quod dies & noctes velit eſſe nobiſcum in templis, tam opulente auguſtum & glorioſum eſt, adeoque excellit humanæ mentis faſtigium; ut bene dixerit, Euthymius, *Oportet non ſimpliciter eo intueri* (id enim eſt carnaliter intelligere ſive hoc eſt ſecundum ſenſus velle judicare, qui decipiuntur) *ſed aliud quidpiam imaginari, & interioribus oculis ea aſpicere, tanquam myſteria.* His oculis ſola fides inſtructa eſt.

§. 5. *Sacramen-*

Jam vero inter omnia fidei myſteria vix ullum eſt obſcurius, quam ſacramentum ſanctiſſ. Euchariſtiæ. Non ſine acumine advertit

Digitized by Google

vertit ſubtiliſſimus Celada, quod cum Prov. 31. v. 15. à Salomone commendatur prudens matrona, facta quaſi navis inſtitoris de longe portans panem ſuum, confeſtim addatur, quod de nocte ſurrexerit dederitque cibaria ancillis ſuis; Nam ſi dulci pane, quem attulit, voluit recreare familiam ſuam, cur nocte id facit & non de die? nunquid potuiſſet exſpectare auroram? ne forte invitati in tenebris offendant & impingant. Antequam dicam latere in hoc pulcerrimam figuram ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, præmoneo Evangeliſtas, quoad circumſtantiam temporis, quo Chriſtus D. in ultima cœna illam inſtituit, expreſſe addere, fuiſſe jam noctem; *Erat autem nox*, quo poſito quæri poteſt, quid lateat myſterii, quod Chriſtus D. nocte Euchariſtiam inſtituerit! Utrique quæſtioni de Matrona & Chriſto D. reſpondet & ſatisfacit S. Auguſtinus ſer. 45. de diverſis, dum panem illum, figuram SS. Sacramenti, & ipſum panem de quo Chriſtus ait, Joan. 6. verſ. 52. *Panis, quem ego dabo, eſt mundi vita. Et qui mandacaverit hunc panem, vivet in æternum, &c.* Vocat *alimenta nocturna.* Quia hic cibus cœleſtis, in quo carnem Chriſti manducamus; hic calix, in quo bibimus ejus ſanguinem, cum carne & ſanguine ipſum Deum, non porrigitur nobis in luce, ut v. g. oculi perſpiciant, & intueantur Deum clarè, ſed ſub obſcura fidei & prophetiæ lucerna, qua nocturno tempore, & in tenebris uti ſolemus, ut eo magis glorioſe, quo arcane magis ſub auguſto accidentium velo credimus abſconditum eſſe, vel abſcondentem ſe Deum noſtrum. Qui ſcrutator eſt Majeſtatis, opprimetur à gloria; proinde dum alimenta illa nocturna manducare volumus, neceſſe eſt, ut non ſequamur cum hæreticis, humanæ rationis argutam ſubtilitatem, quæ mille erroribus in hoc Labyrintho eſt ſubjecta, ſed ut apprehendamus manibus lucernam fidei, & ita, licet in tenebris, manducemus corpus, & bibamus ſanguinem Chriſti. *Hæc nocturna alimenta,* ut S. Aug. loquitur, *& tam obſcura myſteria, fide æſtimanda ſunt, non ſenſu.* Latente & abſcondita divinitate, non ſpecie aliqua oculis apparente.

tum Eucharistiæ, eſt myſterium obſcuriſſimum.

Simile quid innuere videtur ſponſa Cant. 2. v. 3. dum ait, *ſub umbra illius, quem deſideraveram, ſedi: & fructus ejus dulcis gutturi meo.* LXX. legunt, *In umbra ejus concupivi, & ſedi.* Arabicus, 58.

Habet umbras.

Concupivi obumbrari umbra ejus. Juxta mentem SS. PP. præſertim S. Bernardi ſer. 48. in Cant. his verbis Euchariſticum adumbratur myſterium; ſedere, hic idem eſt, quod diſcumbere, quæ eſt vox convivalis, ſi concupiſcere, indicat appetentiam edulii, ſapor fructuum, ſignificat illius cibi dulcedinem. Credo vos advertere omnia convenire SS. Euchariſtiæ; umbra vero nihil aliud denotat, quam ejuſdem ſacramenti obſcuritatem. Origenes ibi: *Fac igitur cum umbra dignus fueris, ut poſſis capere umbram ejus, & effectus, veniet ad te corpus ejus, ex quo umbra naſcitur.* Præclare tu quidem Origenes! ſub umbra vivimus Euchariſtica, quam ſol fidei ſolus & unicus diſpellet. Videmus accidentia panis! Quid hæc accidentia niſi umbra? Panem certe non videmus niſi angelicum. Oculos noſtros incurrit figuræ rotunditas! umbra eſt, falluntur lumina. Guſtum noſtrum ſapor panis videtur afficere: & hic guſtus non niſi prægustus vel potius non niſi umbra eſt. Idem affirmo de aliis. Sede nihilominus, diſcumbe, deſidera, concupiſce; tuncque ſenties fructus ejus dulcedinem, diceſque: *Et fructus ejus dulcis gutturi meo.* In his tenebris, ſub hac umbra, oportet nihilominus credere. S. Cyrillus Alex. l. 4. in Joan. c. 17. Euchariſtia *res ardua eſt; & fide magis quam alio modo recipitur.*

§. 7. *Ne in hoc mari ſubmergamur, fides facit.*

In cogitationibus & ſermonibus de hoc ſacramento, præſertim cum hæreticis, agendum eſt, quoad fieri poteſt cautiſſime. cap. 14. v. 29. ait S. Matthæus. *Deſcendens Petrus de navicula, ambulabat ſuper aquam, ut veniret ad Ieſum.* Sed unde illa in aquis ſoliditas & firmitas, ut firmo greſſu potuerit ambulare ſuper aquas? Reſpondet S. Petrus Chryſol. ſer. 47. *Ambulabat in mari Petrus, magis, dilectione, quam pedibus. Suſtentat fides, quem unda mergebat. Non enim videbat, ubi pedum veſtigium poneret, videbat autem ubi veſtigium poneret charitatis.* Non cogitat labentes aquas, non fluenta currentia. Credit fide, etiam inter undas ſolidum invenire veſtigium, jactetur licet fluctibus mare, ventis pelagus conturbetur; non tamen turbatur Petri ſemita, quæ ducit ad Dominum. Uſitatiſſimus modus loquendi apud SS. PP. eſt, ut ob admiranda myſteria hujus ſacramenti, & ob pericula, quibus expoſiti ſunt, ſcrutatores divinæ Majeſtatis, illud vocant *Euripum*, ſive

locum

Digitized by Google

locum in mari, ob ſyrtes & ſcopulos plane periculoſum. Et qua ratione hunc Euripum tranſibimus, ne cum multis hæreſiarchis ſubmergamur? ut ambulemus greſſu ſolido & firmo? Duplici pede opus eſt; fidei & amoris. Fides nos debet ſuſtentare, ne ſubmergamur in obſcuris iſtis undis, in illis fluctibus tentationium, quibus frequenter malus Satan, circa ea, quæ credenda ſunt in hoc myſterio, nos exagitat; & fidei noſtræ cymbam conturbat. Non ſimus ſolliciti, ubi ponamus veſtigia noſtrorum diſcurſuum, ſed ubi fide ſolidati ponamus veſtigia charitatis. Non horreamus illas aquas tumentes, &c. ſed fide firma credamus etiam per undas nos pervenire poſſe ad Jeſum in Euchariſtia.

Poſtquam S. Auguſtinus egiſſet de excellentia hujus ſacramenti, ait; *Deus cum ſit omnipotens, plus dare non potuit; cum ſit ſapientiſſimus, plus dare neſcivit, cum ſit ditiſſimus, plus dare non habuit.* Produxit ejus omnipotentia ſolem, ſed pulchriorem, & iterum pulchriorem producere poteſt, produxit Lunam, at minime perfectiſſimam, produxit ſtellas, at alias ſexcentis partibus clariores illuſtrioresque potuiſſet exhibere: produxit in terra arbores fœcundas, potuiſſet fœcundiores: produxit in aere volucres & multas & jucundas; potuiſſet & jucundiores & plures: produxit in mundo animalia mira, magna, ſtupenda, potuiſſet & magis mira & majora in lucem dare, ſi voluiſſet. Et quid demum non potuiſſet vel pulchrius creare vel perfectius ſi ita placuiſſet? ſed poſtquam ſacramentum Euchariſtiæ inſtituit, excellentius inſtituere non poteſt. Produceret aliquid nobilius ſe, quod eſt impoſſibile. In tam exili autem bolo, in parvo hauſtu, ſe totum nobis manducandum & bibendum dedit. Quid mirabilius excogitari poteſt! quis hoc comprehendet? Nemo; ſolius eſt hæc fidei prærogativa. Age ſapientia humana, prome ſi quid in mundo ſimile poteris perſcrutari. Hic jubet divinus Plato quieſcere, non plus ultra. Hic reconditæ ſunt (quarum inæſtimabile eſt pretium,) divitiæ, in hac arca omnium quieſcit theſaurorum maximus, nobiliſſimus, pulcherrimus: Ideo David dixit pſ. 110. v. 4. *Memoriam fecit mirabilium ſuorum, eſcam dedit timentibus ſe.* Et breviter ille interpres. *Hæc ſunt portenta, ſed producta ab amore.*

§. 8. *Quanta ſit excellentia hujus ſacramenti.*

S. Bernardus. *Poteſne æſtimare, quale vel quantum ſit hoc ſanctum ſanctorum, ſacramentum ſacramentorum, amor amorum, dulcedo omnium dulcedinum?* ſola fides id poteſt.

§. 9. *Fides Eucharistica in nobis excitare debet varios actus virtutum.*

B. Maria de Victoria (in vita cap. 10.) interrogata à conſcientiæ ſuæ Præfecto, ecquid in ipſa cœleſtis hujus eſcæ ſumptione ſenſuum interiorum experiretur? modeſtiſſima ingenuitate reſpondit, ſentire ſe, quaſi intima animi adyta ſubeat Jeſus, & ſuaviſſime cordi ſuo dicat, *Non es amplius Maria de Victoria, ſed es alter ego.* Auditores, dum feſto corporis Chriſti & per Octavam, videmus in proceſſionibus circumferri SS. ſacramentum, ſi viva fides hanc nobis ſuggereret cogitationem; *Ieſus Chriſtus Deus Homo, Rex Regum in regio throno ſui amoris circumfertur.* Ecquid exiſtimatis? nunquid fides ſat potens eſt, ut nos moveat ad actus nobiliſſimarum virtutum, reverentiæ, religionis, amoris, laudis, gratiarum actionis, &c. ad hos fines, hæ proceſſiones ab Eccleſia ſunt inſtitutæ. Poſtquam manducavimus carnem Chriſti, poſtquam bibimus ejus ſanctiſſ. ſanguinem, ſi fides nobis diceret; jam tua caro & ſanguis unita ſunt cum carne & ſanguine Chriſti, jam es conſanguineus Chriſti; ecquid obſecro cogitatis? an non æquum eſt, ut in communione coneris eſſe homo cœleſtis? Imo angelum in carne eſſe te oporteret qui pane veſceris angelorum. O ſacramentum mirabile; è quo tam mira Deum inter & hominem conjunctio exſurgit! Et quid amabilius unione illa Euchariſtica? Nunquid, una cum Chriſto caro unumque corpus efficimur? adesdum ſponſæ cœleſtes, adesdum amantes Deum animæ; tantum in vos Dei amorem ſpectate, conſiderate, amate, & novis amoris mutui vinculis compenſate. Hæc fides nobiliſſimos in nobis operatur effectus.

§. 10. *In tentationibus contra fidem circa hoc myſterium confugere oportet ad fidem.*

Proceſſionum magnus ornatus conſiſtit in multitudine facum & ardentium cereorum; ut ſatisfiat illi præcepto Chriſti D. Luc. 12. v. 35. *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris. In quibus*, ut ille ait, *fides ſincera, & ardens charitas ardent.* Experientia docet, fidem noſtram circa tam tremenda myſteria facillime vacillare. Contigit viro piiſſimo, ut ſub ipſo miſſæ ſacrificio ambigeret; quomodo demum ſanguis poſſet eſſe ſub

Digitized by

ſub Hoſtia. In qua cogitatione poſt conſecrationem, ſubito à nube adeo fuit involutus, ut nihil videret, nec hoſtiam, nec calicem. Poſt fuſas ad Deum preces & lachrymas, vidit hoſtiam cum calice, in ſublimi & coruſco aere pendentem, & poſtquam in calicem vacuum, de Hoſtia pretioſus ſanguis defluxiſſet; & Hoſtia, & calix, repoſita fuerunt in altari, ad aures vero illius cœlica vox delapſa eſt quæ dixit, *perfice officium tuum.* Et momento evanuere omnes dubiæ cogitationes. Non dubito illum exclamaſſe in corde, credo Domine, credo, Fide Catholica adeo firmata per totum terrarum orbem, non opus eſt ſimilibus miraculis, interim fide firma tenendum eſt in auguſtiſſimo ſacramento Altaris vere, realiter, ſubſtantialiter nobis adeſſe, corpus & ſanguinem Chriſti.

Lib. 1. revel. c. 4. S. Mechtildis in communione, audivit ſibi Chriſtum dicentem; *Tu in me, & ego in te; æternum te non derelinquam.* Ad hunc ſcilicet finem, Chriſtus D. ſacramentaliter nobiſcum manere voluit, ut in terris haberemus ducem atque protectorem; ideo privatim & publice ad Chriſtum D. in Euchariſtia clamamus, *Defenſor noſter aſpice, inſidiantes reprime, guberna tuos famulos, quos ſanguine mercatus es.* Item *O ſalutaris Hoſtia, &c.* Verum ſi talia, fide Catholica credimus, unde illa inter Catholicos irreverentia? unde erubeſcimus flexis genibus SS. Sacramentum adorare? unde fabulæ, riſus & cachinni? in templis, in proceſſionibus, in Chriſti D. conſpectu? ut dicere poſſim, cum S. Chryſoſtomo; hom. 7. ad Antioch. *Si nos Chriſtus attenderet* (cum communicamus, cum proceſſiones comitamur, cum in templis coram venerabili ſacramento preces noſtras perſolvimus) *& non infinitam ſuam bonitatem, jam à nobis abſtuliſſet divina ſacramenta, dignos enim nos hac pœna facimus, & indignos ipſis ſacramentis.* Ut nihil dicam de blaſphemiis contra hoc myſterium, ut ſilentio involvam communiones illas ſacrilegas, ut alia quæ à Satanæ mancipiis adhuc terribiliora circa hoc tremendum myſterium contingunt, non memorem. O Auditores! vereor ego, vereor! ne quæ ſuo ſcripſit ævo calamus Chryſoſtomi noſtris quoque temporibus moribusque conveniant. Non impenditur qui debetur Numini cultus in ſacroſancta hoſtia, non exhibetur quæ debetur reverentia;

§. 11. *Cur Chriſtus D. nobis voluerit adeſſe in SS. Euchariſtia.*

 non

non oſtenditur qui nos deberet ſollicitos, imo & attonitos reddere, timor Dei, qui cum in SS. Euchariſtia perſonam patris amantiſſimi cogitat ſuſtinere, eam cum perſona ſeveriſſimi Judicis commutare cogetur. Hoc noſtri mores, hoc irreverentia, hoc impietas, hoc blaſphemiæ extorquent. Radix tot malorum, eſt defectus vivacis & efficacis fidei.

§. 12. *Elogium fidei.* Eleganter profecto in laudem hujus fidei dixit S. Auguſtinus & S. Cyrillus Alexandrinus l. 3. in Joan. c. 34. *Gloria & honore plenus eſt, qui Chriſtum in ſeipſo recondit, qui Ieſum in corde, per virtutem & fidem rectam, fixum, firmiter gerit*; audis Exod. 18. v. 12. quomodo vas aureum, per Aaron impletur manna: pia enim ſanctaque anima, quæ Chriſti fidem concepit, quæ totum in ſeipſa cœleſtem theſaurum recondit, & condidit, pretioſum atque aureum vas eſt.

§. 13. *Quid cogitare debeant ingreſſuri templum.* Hac fide inſtructos oportet nos intrare Eccleſias, in quibus ſanctiſſimum Altaris ſacramentum aſſervatur. Apud Ægyptios & Cretenſes, ad portam templi ſacerdotes ingreſſuris dicere ſolebant, *Scitis quis hic habitet?* Reſpondebant, *Templum Dei eſt.* Et illi: *Scitis quid acturi venitis.* Reſpondebant. *Vt ſacrificium Deo, & gratias pro beneficiis offeramus.* Sic David templum ingreſſurus dixit, *Tibi dixit cor meum, vultum tuum requiram.* S. Joannes Chryſoſt. dixit, hom. 15. in ep. ad Hebr. *Angeli præſentes ſunt, & omnia plena ſunt illis incorporeis virtutibus.* Hom. 36. in ep. 1. ad Cor. *Eſt locus Angelorum, regia cæli, ipſum cælum.* S. Baſilius in pſal. 28. *Aſſiſtunt verba deſcribentes angeli, adeſt & Dominus affectus intrantium conſiderans.* Levitici 9. v. 30. *Sanctuarium meum metuite; ego Dominus.*

§. 14. *Graviter à Deo caſtigatur irreverentia in templis.* Hæc vellem conſiderare illos, qui templa, in quibus SS. Sacramentum aſſervatur, vel dum miſſa celebratur, intrant cum magna irreverentia; qui diviniſſimis myſteriis aſſiſtunt ridentes, fabulantes. State! ſcitis quis hic habitet? Deus! Chriſtus Jeſus! & ubi debita reverentia? ubi pietas, ubi devotio? ſcitis quid acturi veniatis? ut horas recitetis, ut precibus vacetis. Si hoc verum, dicite cur templa convertitis in forum? in ſtabula equorum? imo in lupanaria? Timeant, contremiſcant, qui etiam gravia peccata in templis, coram ſanctiſſimo ſacramento, committere non verentur. Tragicum eſt, quod

Digitized by Google

quod narrat Baſilius de Seleuc. l. 2. c. 16. Orentium adoleſcentem eo quod in templo in feſto quodam non ad divina, ſed ad fœminam, ut putabat, re autem ipſa ad latentem ſub illa ſpecie larvatum dæmonem, fœdis plenus cogitationibus attentus fuiſſet, ab eodem dæmone laceratum, excoriatum, fœtore ac vermibus plenum, animam exhalaſſe. Metuite ſceleſti, Chriſtus Jeſus habitat in templis. Petrus Pipernus (nolo hic palam edicere, in qua dignitate Eccleſiaſtica, fuerit conſtitutus) quia impurus, & nullius in templo reverentiæ erga Deum, in omnium oculis palam à diabolo fuit ſtrangulatus. Judæis expreſſe objicit Jeremias, *ducemini in captivitatem, &c. ob peccata quæ peccaſtis ante Deum*, ergone eſt aliquis locus, in quo impius peccare poſſit, & non ante Deum, ſic eſt, ubique eſt Deus; ſed conqueritur Propheta, eo audaciæ proceſſiſſe illorum improbitatem, ut non dubitaverint in ipſo templo, cui Deus ſingulariter aderat, & quibus diviniſſimi ejus oculi velut incumbebant, diis alienis ſacrificare, multaque obſcæna perpetrare. Quod plane omnium impiiſſimum fuit facinus. De quo Iſaias dixit, c. 65. v. 3. *Populus, qui ad iracundiam provocat me, ante faciem meam ſemper*. D. Hier. *Illi ſtudio delinquendi, quaſi irritarent, & provocarent Deum, non ſolum fecerunt, quod non licebat, ſed jugiter, & ſemper fecerunt peccantes in conſpectu Domini, vel in templo ejus, idolis hoſtias immolantes.* Hæc eſt impietas hominum deploratorum, qui jam ſunt hoſtium furori tradendi, quod non vereantur in domo Dei peccare. Ita de Manaſſe, cum duci deberet in Babyloniam, l. 4. reg. c. 21. v. 7. dicitur: *Poſuit idolum luci in templo Domini.* Gloſſa ibi: *Quodque omnium maxime impium erat, impudicæ Deæ ſimulachrum divino in templo ſtatuit*. Theodoretus in l. 4. reg. q. 22. *Quod eſt, &c. in Dei templo ſtatuit ſimulachrum impuri & impudici dæmonis*. Dicuntur hæc de illis, qui veniunt ad templa, ad proceſſiones, &c. Ut eo inferant turpiloquia, obſcœnos riſus, cachinnos fœdos, ut arrideant & applaudant mulierculis, ut laſcivis ſe dedicent voluptatibus. De his dico cum Iſ. c. 26. v. 10. *Miſereamur impio, in terra ſanctorum iniqua geſſit, & non videbit gloriam Dei.* Quid magis horrendum? Hoc probe vos obſervare velim Auditores; Si Jeſum amamus in gloria; ame-

mus

mus & Jeſum in umbra. Sol ille divinus nunc umbram projicit; ex umbra veniemus ad lucem, cum tenebroſo vitæ hujus mortalis ergaſtulo ſolvemur. Amo te mi Jeſu, amo te in umbra tua; & amo & ſpero & credo: tu me viciſſim in tua gloria ama; amo te in tenebris; Tu me in luce; amo te in nocte, tu me in die. Amo te in nubibus, tu me in ſerenitate, in gaudio, in æterna felicitate.

CONCIO XXX.

DOMINICA II. POST SS. TRINITATEM.

Homo quidam fecit cœnam magnam.

Luc. 14. v. 16.

SYNOPSIS CONCIONIS.

AGit de efficacia, & inefficacia divinæ vocationis, per varias circumſtantias.

§. 1. *Exordium deſumptum ab affectu admirationis.*

§. 2. *Cur tam multi invitati ad cœnam magnam, tamen non veniant.*

§. 3. *Exponitur cauſa per aliquas ſimilitudines.*

§. 4. *Similitudo ſumpta ab oculis intuentibus ſolem.*

§. 5. *Ad efficaciam divinæ vocationis, concurrunt Deus, ſive gratia, & homo.*

§. 6. *Diabolus nihil poteſt ſine noſtro conſenſu.*

§. 7. *Præter primam vocationem requiritur aliud fortius auxilium.*

§. 8. *Quid ſignificent murenulæ aureæ, quas ſponſus promiſit ſponſæ.*

§. 9. *Speculum efficacis vocationis, fuit converſio ſancti Pauli.*

§. 10. *Declaratur ſimili, cui adſcribenda ſit efficacia divinæ vocationis.*

§. 11. *Vocatio divina nullam ſecum*

cum

cum trahit coactionem.

§.12. *Oportet Deo offerre, cor molle, non durum, ut vocatio fiat efficax.*

§.13. *Subinde alio medio Deus ſuam vocationem facit efficacem.*

SAnctus Bernardus miratus petitionem ſponſæ Cant. 1. v. 3. *Trahe me poſt te.* quaſi diceret, pulcher es dilecte mi! nihilominus, trahe me. hæc inquam miratus S. Bernardus dixit ſer. 21. in Cant. *Quid? ſponſane ergo neceſſe habet trahi & ad ſponſum: quam pauci poſt te, O Domine Ieſu, ire volunt, cum tamen ad te pervenire, nemo ſit, qui nolit; hoc ſcientibus cunctis, quia delectationes in dextera tua uſque ad finem.* Hiſtoria Evangelica hodierna nobis refert, quendam hominem præparaſſe magnam cœnam, ſplendidumque imo regium convivium adornaſſe. Ad illud omnes invitavit; ſed tam multi tam varias excuſationum vias inierunt, ut denique juſſerit vocari cæcos, adduci claudos, infirmos congregari, cum acri mandato; *compellite illos intrare.* Quid hoc? Jeſus eſt, qui ait, *Venite ad me omnes, qui laboratis, & ego reficiam vos.* Matt. 11. v. 28. Chriſtus eſt, qui ait, *Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus, manducate, bibite ex eo omnes.* Joan. 6. v. 56. Addit, *qui manducaverit ex hoc pane, vivet & non ſitiet in æternum,* & neceſſe habemus, ut trahamur, ut compellamur ad talem cœnam, ad hoc cœleſte manna, ad gloriam æternam, ad Jeſum? O bone Jeſu: quam multi ſunt, qui tecum cupiunt eſſe in gloria; ſed dum prius in hac vita vocantur ad virtutem, ad ſanctitatem, ad crucem, ad laborem, mille modis ſeſe excuſant, & venire nolunt, cum tamen humaniſſime vocentur atque invitentur. Unde patet, duplicem eſſe hanc vocationem, efficacem & inefficacem, Qua de cauſa, quare, & quo pacto multi vocentur inefficaciter, pauci efficaciter, & ſimiles circumſtantias, hac vobis concione proponam. Attendite. §. 1. *Exordium deſumptum ab effectu admirationis.*

Ut Chriſtus D. Salvator noſter, hanc veritatem exhiberet, ſe ex infinita gratia & bonitate multos, imo omnes homines quos creavit, quoſque redemit ad gloriam cœleſtem vocare; paucos vero illi vocationi obtemperare, hanc nobis parabolam expoſuit; §. 2. *Cur tam multi invitati ad cœnam magnam, tamen non veniant.*

proponam, 1. ob obſcuritatem tanti myſterii, neceſſariam eſſe Fidem. 2. ſuppoſita fide, quanta à nobis requiratur devotio. 3. pars erit ſeria admonitio ad illos, qui erga ſanctiſſ. Sacramentum ſunt irreverentes.

§.3. *Fides agnoſcit ſub ſpeciebus Hoſtia latere Deum, & Chriſtum Ieſum.*

Cum S. Joannes Chryſoſtomus in pſ. 47. conſideraſſet excellentiam & dignitatem epuli ſive cœnæ Euchariſticæ, his verbis Deum vel Chriſtum D. alloquitur. *Tua miſericordiæ ſunt hæc opera! tua gloriæ! tua benignitatis!* Attributa hæc perfectiſſima, id eſt, ſuam miſericordiam, gloriam, benignitatem magis mundo declarare nō potuit, quam quod diſcedens ex hoc mundo inſtituerit SS. Sacram. Euchariſtiæ, in quo nobiſcum eſt, & erit uſque ad conſummationem ſæculi: ſed illo mirabili modo quem prædixit Iſaias cap. 45. v. 15. *Tantum in te eſt Deus, & non eſt abſque te Deus. Vere tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael Salvator.* Textus hebraicus ſic legit, *Tu es Deus abſcondens ſe:* tam ſtupenda adinventione, ut locum hic habeat illud Dei emblema, quod olim templis Ægyptiorum parieti ad aram inſcribebatur. *Ego ſum, quod fuit, quod eſt, quodque futurum eſt: velum meum nemo unquam revelavit.* Idem dicendum de ſacramento Euchariſtiæ; tam eximia, tam ſtupenda, ſub illo velo latent myſteria, ut nemo revelare poſſit, præter ſolam fidem, per quam homo, captivans intellectum ſuum, illis quæ credenda ſunt, aſſentitur & agnoſcit, eſſe hæc opera miſericordiæ, opera gloriæ, opera benignitatis divinæ; & Chriſti Jeſu Salvatoris noſtri.

§.4. *Sola fides habet oculos, quibus Deum intuetur.*

Cum enim hoc opus, quod Deus in eſcam & potum, in altari ſe proponat, quod Chriſtus Deus in eo ſumatur, quod dies & noctes velit eſſe nobiſcum in templis, tam opulente auguſtum & glorioſum eſt, adeoque excellit humanæ mentis faſtigium; ut bene dixerit, Euthymius, *Oportet non ſimpliciter eo intueri* (id enim eſt carnaliter intelligere ſive hoc eſt ſecundum ſenſus velle judicare, qui decipiuntur) *ſed aliud quidpiam imaginari, & interioribus oculis ea aſpicere, tanquam myſteria.* His oculis ſola fides inſtructa eſt.

§.5. *Sacramen-*

Jam vero inter omnia fidei myſteria vix ullum eſt obſcurius, quam ſacramentum ſanctiſſ. Euchariſtiæ. Non ſine acumine advertit

Digitized by Google

vertit ſubtiliſſimus Celada, quod cum Prov. 31. v. 15. à Salomone commendatur prudens matrona, facta quaſi navis inſtitoris de longe portans panem ſuum, confeſtim addatur, quod de nocte ſurrexerit dederitque cibaria ancillis ſuis; Nam ſi dulci pane, quem attulit, voluit recreare familiam ſuam, cur nocte id facit & non de die? nunquid potuiſſet exſpectare auroram? ne forte invitati in tenebris offendant & impingant. Antequam dicam latere in hoc pulcerrimam figuram ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, præmoneo Evangeliſtas, quoad circumſtantiam temporis, quo Chriſtus D. in ultima cœna illam inſtituit, expreſſe addere, fuiſſe jam noctem; *Erat autem nox*, quo poſito quæri poteſt, quid lateat myſterii, quod Chriſtus D. nocte Euchariſtiam inſtituerit! Utrique quæſtioni de Matrona & Chriſto D. reſpondet & ſatisfacit S. Auguſtinus ſer. 45. de diverſis, dum panem illum, figuram SS. Sacramenti, & ipſum panem de quo Chriſtus ait, Joan. 6. verſ. 52. *Panis, quem ego dabo, eſt mundi vita. Et qui manducaverit hunc panem, vivet in æternum, &c.* Vocat *alimenta nocturna.* Quia hic cibus cœleſtis, in quo carnem Chriſti manducamus; hic calix, in quo bibimus ejus ſanguinem, cum carne & ſanguine ipſum Deum, non porrigitur nobis in luce, ut v. g. oculi perſpiciant, & intueantur Deum clarè, ſed ſub obſcura fidei & prophetiæ lucerna, qua nocturno tempore, & in tenebris uti ſolemus, ut eo magis glorioſe, quo arcane magis ſub auguſto accidentium velo credimus abſconditum eſſe, vel abſcondentem ſe Deum noſtrum. Qui ſcrutator eſt Majeſtatis, opprimetur à gloria; proinde dum alimenta illa nocturna manducare volumus, neceſſe eſt, ut non ſequamur cum hæreticis, humanæ rationis argutam ſubtilitatem, quæ mille erroribus in hoc Labyrintho eſt ſubjecta, ſed ut apprehendamus manibus lucernam fidei, & ita, licet in tenebris, manducemus corpus, & bibamus ſanguinem Chriſti. *Hæc nocturna alimenta,* ut S. Aug. loquitur, *& tam obſcura myſteria, fide æſtimanda ſunt, non ſenſu.* Latente & abſcondita divinitate, non ſpecie aliqua oculis apparente.

Euchariſtia, eſt myſterium obſcuriſſimum.

§ 8. Simile quid innuere videtur ſponſa Cant. 2. v. 3. dum ait, *ſub umbra illius, quem deſideraveram, ſedi: & fructus ejus dulcis gutturi meo.* LXX. legunt, *In umbra ejus concupivi, & ſedi.* Arabicus,

Habet umbras.

Concupivi obumbrari umbra ejus. Juxta mentem SS. PP. præſertim S. Bernardi ſer. 48. in Cant. his verbis Euchariſticum adumbratur myſterium; ſedere, hic idem eſt, quod diſcumbere, quæ eſt vox convivalis, li concupiſcere, indicat appetentiam edulii, ſapor fructuum, ſignificat illius cibi dulcedinem. Credo vos advertere omnia convenire SS. Euchariſtiæ; umbra vero nihil aliud denotat, quam ejuſdem ſacramenti obſcuritatem. Origenes ibi: *Fac igitur cum umbra dignus fueris, ut poſſis capere umbram ejus, & effectus, veniet ad te corpus ejus, ex quo umbra naſcitur.* Præclare tu quidem Origenes: ſub umbra vivimus Euchariſtica, quam ſol fidei ſolus & unicus diſpellet. Videmus accidentia panis! Quid hæc accidentia niſi umbra? Panem certe non videmus niſi angelicum. Oculos noſtros incurrit figuræ rotunditas! umbra eſt, falluntur lumina. Guſtum noſtrum ſapor panis videtur afficere: & hic guſtus non niſi prægustus vel potius non niſi umbra eſt. Idem affirmo de aliis. Sede nihilominus, diſcumbe, deſidera, concupiſce; tuncque ſenties fructus ejus dulcedinem, diceſque: *Et fructus ejus dulcis gutturi meo.* In his tenebris, ſub hac umbra, oportet nihilominus credere. S. Cyrillus Alex. l. 4. in Joan. c. 17. Euchariſtia *res ardua eſt; & fide magis quam alio modo recipitur.*

§. 7. *Ne in hoc mari ſubmergamur, fides facit.* In cogitationibus & ſermonibus de hoc ſacramento, præſertim cum hæreticis, agendum eſt, quoad fieri poteſt cautiſſime. cap. 14. v. 29. ait S. Matthæus. *Deſcendens Petrus de navicula, ambulabat ſuper aquam, ut veniret ad Ieſum.* Sed unde illa in aquis ſoliditas & firmitas, ut firmo greſſu potuerit ambulare ſuper aquas? Reſpondet S. Petrus Chryſol. ſer. 47. *Ambulabat in mari Petrus, magis, dilectione, quam pedibus. Suſtentat fides, quem unda mergebat. Non enim videbat, ubi pedum veſtigium poneret, videbat autem ubi veſtigium poneret charitatis.* Non cogitat labentes aquas, non fluenta currentia. Credit fide, etiam inter undas ſolidum invenire veſtigium, jactetur licet fluctibus mare, ventis pelagus conturbetur; non tamen turbatur Petri ſemita, quæ ducit ad Dominum. Uſitatiſſimus modus loquendi apud SS. PP. eſt, ut ob admiranda myſteria hujus ſacramenti, & ob pericula, quibus expoſiti ſunt, ſcrutatores divinæ Majeſtatis, illud vocant *Euripum*, ſive

locum

Digitized by Google

locum in mari, ob ſyrtes & ſcopulos plane periculoſum. Et qua ratione hunc Euripum tranſibimus, ne cum multis hæreſiarchis ſubmergamur? ut ambulemus greſſu ſolido & firmo? Duplici pede opus eſt; fidei & amoris. Fides nos debet ſuſtentare, ne ſubmergamur in obſcuris iſtis undis, in illis fluctibus tentationium, quibus frequenter malus Satan, circa ea, quæ credenda ſunt in hoc myſterio, nos exagitat; & fidei noſtræ cymbam conturbat. Non ſimus ſolliciti, ubi ponamus veſtigia noſtrorum diſcurſuum, ſed ubi fide ſolidati ponamus veſtigia charitatis. Non horreamus illas aquas tumentes, &c. ſed fide firma credamus etiam per undas nos pervenire poſſe ad Jeſum in Euchariſtia.

§. 8. *Quanta ſit excellentia hujus ſacramenti.*

Poſtquam S. Auguſtinus egiſſet de excellentia hujus ſacramenti, ait; *Deus cum ſit omnipotens, plus dare non potuit; cum ſit ſapientiſſimus, plus dare neſcivit, cum ſit ditiſſimus, plus dare non habuit.* Produxit ejus omnipotentia ſolem, ſed pulchriorem, & iterum pulchriorem producere poteſt, produxit Lunam, at minime perfectiſſimam, produxit ſtellas, at alias ſexcentis partibus clariores illuſtrioresque potuiſſet exhibere: produxit in terra arbores fœcundas, potuiſſet fœcundiores: produxit in aere volucres & multas & jucundas; potuiſſet & jucundiores & plures: produxit in mundo animalia mira, magna, ſtupenda, potuiſſet & magis mira & majora in lucem dare, ſi voluiſſet. Et quid demum non potuiſſet vel pulchrius creare vel perfectius ſi ita placuiſſet? ſed poſtquam ſacramentum Euchariſtiæ inſtituit, excellentius inſtituere non poteſt. Produceret aliquid nobilius ſe, quod eſt impoſſibile. In tam exili autem bolo, in parvo hauſtu, ſe totum nobis manducandum & bibendum dedit. Quid mirabilius excogitari poteſt! quis hoc comprehendet? Nemo; ſolius eſt hæc fidei prærogativa. Age ſapientia humana, prome ſi quid in mundo ſimile poteris perſcrutari. Hic jubet divinus Plato quieſcere, non plus ultra. Hic reconditæ ſunt (quarum inæſtimabile eſt pretium.) divitiæ, in hac arca omnium quieſcit theſaurorum maximus, nobiliſſimus, pulcherrimus: Ideo David dixit pſ. 110. v. 4. *Memoriam fecit mirabilium ſuorum, eſcam dedit timentibus ſe.* Et breviter ille interpres. *Hæc ſunt portenta, ſed producta ab amore.*

S. Bernardus. *Poteſne æſtimare, quale vel quantum ſit hoc ſanctum ſanctorum, ſacramentum ſacramentorum, amor amorum, dulcedo omnium dulcedinum?* ſola fides id poteſt.

§. 9. *Fides Eucharistica in nobis excitare debet varios actus virtutum.*

B. Maria de Victoria (in vita cap. 10.) interrogata à conſcientiæ ſuæ Præfecto, ecquid in ipſa cœleſtis hujus eſcæ ſumptione ſenſuum interiorum experiretur? modeſtiſſima ingenuitate reſpondit, ſentire ſe, quaſi intima animi adyta ſubeat Jeſus, & ſuaviſſime cordi ſuo dicat, *Non es amplius Maria de Victoria, ſed es alter ego.* Auditores, dum feſto corporis Chriſti & per Octavam, videmus in proceſſionibus circumferri SS. ſacramentum, ſi viva fides hanc nobis ſuggereret cogitationem; *Ieſus Chriſtus Deus Homo, Rex Regum in regio throno ſui amoris circumfertur.* Ecquid exiſtimatis? nunquid fides ſat potens eſt, ut nos moveat ad actus nobiliſſimarum virtutum, reverentiæ, religionis, amoris, laudis, gratiarum actionis, &c. ad hos fines, hæ proceſſiones ab Eccleſia ſunt inſtitutæ. Poſtquam manducavimus carnem Chriſti, poſtquam bibimus ejus ſanctiſſ. ſanguinem, ſi fides nobis diceret; jam tua caro & ſanguis unita ſunt cum carne & ſanguine Chriſti, jam es conſanguineus Chriſti; ecquid obſecro cogitatis? an non æquum eſt, ut in communione coneris eſſe homo cœleſtis? Imo angelum in carne eſſe te oporteret qui pane veſceris angelorum. O ſacramentum mirabile; è quo tam mira Deum inter & hominem conjunctio exſurgit! Et quid amabilius unione illa Euchariſtica? Nunquid, una cum Chriſto caro unumque corpus efficimur? adesdum ſponſæ cœleſtes, adesdum amantes Deum animæ; tantum in vos Dei amorem ſpectate, conſiderate, amate, & novis amoris mutui vinculis compenſate. Hæc fides nobiliſſimos in nobis operatur effectus.

§. 10. *In tentationibus contra fidem circa hoc myſterium confugere oportet ad fidem.*

Proceſſionum magnus ornatus conſiſtit in multitudine facum & ardentium cereorum; ut ſatisfiat illi præcepto Chriſti D. Luc. 12. v. 35. *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris. In quibus*, ut ille ait, *fides ſincera, & ardens charitas ardent.* Experientia docet, fidem noſtram circa tam tremenda myſteria faciliime vacillare. Contigit viro piiſſimo, ut ſub ipſo miſſæ ſacrificio ambigeret; quomodo demum ſanguis poſſet eſſe ſub

Digitized by Google

ſub Hoſtia. In qua cogitatione poſt conſecrationem, ſubito à nube adeo fuit involutus, ut nihil videret, nec hoſtiam, nec calicem. Poſt fuſas ad Deum preces & lachrymas, vidit hoſtiam cum calice, in ſublimi & coruſco aere pendentem, & poſtquam in calicem vacuum, de Hoſtia pretioſus ſanguis defluxiſſet; & Hoſtia, & calix, repoſita fuerunt in altari, ad aures vero illius cœlica vox delapſa eſt quæ dixit, *perfice officium tuum.* Et momento evanuere omnes dubiæ cogitationes. Non dubito illum exclamaſſe in corde, credo Domine, credo, Fide Catholica adeo firmata per totum terrarum orbem, non opus eſt ſimilibus miraculis, interim fide firma tenendum eſt in auguſtiſſimo ſacramento Altaris vere, realiter, ſubſtantialiter nobis adeſſe, corpus & ſanguinem Chriſti.

Lib. 1. revel. c. 4. S. Mechtildis in communione, audivit ſibi Chriſtum dicentem; *Tu in me, & ego in te; æternum te non derelinquam.* Ad hunc ſcilicet finem, Chriſtus D. ſacramentaliter nobiſcum manere voluit, ut in terris haberemus ducem atque protectorem; ideo privatim & publice ad Chriſtum D. in Euchariſtia clamamus, *Defenſor noſter aſpice, inſidiantes reprime, guberna tuos famulos, quos ſanguine mercatus es.* Item *O ſalutaris Hoſtia, &c.* Verum ſi talia, fide Catholica credimus, unde illa inter Catholicos irreverentia? unde erubeſcimus flexis genibus SS. Sacramentum adorare? unde fabulæ, riſus & cachinni? in templis, in proceſſionibus, in Chriſti D. conſpectu? ut dicere poſſim, cum S. Chryſoſtomo; hom. 7. ad Antioch. *Si nos Chriſtus attenderet* (cum communicamus, cum proceſſiones comitamur, cum in templis coram venerabili ſacramento preces noſtras perſolvimus) *& non infinitam ſuam bonitatem, jam à nobis abſtuliſſet divina ſacramenta, dignos enim nos hac pœna facimus, & indignos ipſis ſacramentis.* Ut nihil dicam de blaſphemiis contra hoc myſterium, ut ſilentio involvam communiones illas ſacrilegas, ut alia quæ à Satanæ mancipiis adhuc terribiliora circa hoc tremendum myſterium contingunt, non memorem. O Auditores! vereor ego, vereor! ne quæ ſuo ſcripſit ævo calamus Chryſoſtomi noſtris quoque temporibus moribusque conveniant. Non impenditur qui debetur Numini cultus in ſacroſancta hoſtia, non exhibetur quæ debetur reverentia;

§. 11. Cur Chriſtus D. nobis voluerit adeſſe in SS. Euchariſtia.

 non

non oſtenditur qui nos deberet ſollicitos, imo & attonitos reddere, timor Dei, qui cum in SS. Euchariſtia perſonam patris amantiſſimi cogitat ſuſtinere, eam cum perſona ſeveriſſimi Judicis commutare cogetur. Hoc noſtri mores, hoc irreverentia, hoc impietas, hoc blaſphemiæ extorquent. Radix tot malorum, eſt defectus vivacis & efficacis fidei.

§.12. *Elogium fidei.* Eleganter profecto in laudem hujus fidei dixit S. Auguſtinus & S. Cyrillus Alexandrinus l.3. in Joan. c.34. *Gloria & honore plenus eſt, qui Chriſtum in ſeipſo recondit, qui Ieſum in corde, per virtutem & fidem rectam, fixum, firmiter gerit*; audis Exod. 18. v. 12. quomodo vas aureum, per Aaron impletur manna: pia enim ſanctaque anima, quæ Chriſti fidem concepit, quæ totum in ſeipſa cœleſtem theſaurum recondit, & condidit, pretioſum atque aureum vas eſt.

§.13. *Quid cogitare debeant ingreſſuri templum.* Hac fide inſtructos oportet nos intrare Eccleſias, in quibus ſanctiſſimum Altaris ſacramentum aſſervatur. Apud Ægyptios & Cretenſes, ad portam templi ſacerdotes ingreſſuris dicere ſolebant, *Scitis quis hic habitet?* Reſpondebant, *Templum Dei eſt*. Et illi: *Scitis quid acturi venitis*. Reſpondebant. *Vt ſacrificium Deo, & gratias pro beneficiis offeramus*. Sic David templum ingreſſurus dixit, *Tibi dixit cor meum, vultum tuum requiram*. S. Joannes Chryſoſt. dixit, hom. 15. in ep. ad Hebr. *Angeli præſentes ſunt, & omnia plena ſunt illis incorporeis virtutibus*. Hom. 36. in ep. 1. ad Cor. *Eſt locus Angelorum, regia cæli, ipſum cælum*. S. Baſilius in pſal. 28. *Aſſiſtunt verba deſcribentes angeli, adeſt & Dominus affectus intrantium conſiderans*. Levitici 9. v. 30. *Sanctuarium meum metuite; ego Dominus*.

§.14. *Graviter à Deo caſtigatur irreverentia in templis.* Hæc vellem conſiderare illos, qui templa, in quibus SS. Sacramentum aſſervatur, vel dum miſſa celebratur, intrant cum magna irreverentia; qui diviniſſimis myſteriis aſſiſtunt ridentes, fabulantes. State! ſcitis quis hic habitet? Deus! Chriſtus Jeſus! & ubi debita reverentia? ubi pietas, ubi devotio? ſcitis quid acturi veniatis? ut horas recitetis, ut precibus vacetis. Si hoc verum, dicite cur templa convertitis in forum? in ſtabula equorum? imo in lupanaria? Timeant, contremiſcant, qui etiam gravia peccata in templis, coram ſanctiſſimo ſacramento, committere non verentur. Tragicum eſt,

quod

Digitized by

quod narrat Baſilius de Seleuc. l. 2. c. 16. Orentium adoleſcentem eo quod in templo in feſto quodam non ad divina, ſed ad fœminam, ut putabat, re autem ipſa ad latentem ſub illa ſpecie larvatum dæmonem, fœdis plenus cogitationibus attentus fuiſſet, ab eodem dæmone laceratum, excoriatum, fœtore ac vermibus plenum, animam exhalaſſe. Metuite ſceleſti, Chriſtus Jeſus habitat in templis. Petrus Pipernus (nolo hic palam edicere, in qua dignitate Eccleſiaſtica, fuerit conſtitutus) quia impurus, & nullius in templo reverentiæ erga Deum, in omnium oculis palam à diabolo fuit ſtrangulatus. Judæis expreſſe objicit Jeremias, *ducemini in captivitatem, &c. ob peccata quæ peccaſtis ante Deum*, ergone eſt aliquis locus, in quo impius peccare poſſit, & non ante Deum, ſic eſt, ubique eſt Deus; ſed conqueritur Propheta, eo audaciæ proceſſiſſe illorum improbitatem, ut non dubitaverint in ipſo templo, cui Deus ſingulariter aderat, & quibus diviniſſimi ejus oculi velut incumbebant, diis alienis ſacrificare, multaque obſcæna perpetrare. Quod plane omnium impiiſſimum fuit facinus. De quo Iſaias dixit, c. 65. v. 3. *Populus, qui ad iracundiam provocat me, ante faciem meam ſemper*. D. Hier. *Illi ſtudio delinquendi, quaſi irritarent, & provocarent Deum, non ſolum fecerunt, quod non licebat, ſed jugiter, & ſemper fecerunt peccantes in conſpectu Domini, vel in templo ejus, idolis hoſtias immolantes.* Hæc eſt impietas hominum deploratorum, qui jam ſunt hoſtium furori tradendi, quod non vereantur in domo Dei peccare. Ita de Manaſſe, cum duci deberet in Babyloniam, l. 4. reg. c. 21. v. 7. dicitur: *Poſuit idolum luci in templo Domini.* Gloſſa ibi: *Quodque omnium maxime impium erat, impudicæ Deæ ſimulachrum divino in templo ſtatuit.* Theodoretus in l. 4. reg. q, 22. *Quod eſt, &c. in Dei templo ſtatuit ſimulachrum impuri & impudici dæmonis.* Dicuntur hæc de illis, qui veniunt ad templa, ad proceſſiones, &c. Ut eo inferant turpiloquia, obſcœnos riſus, cachinnos fœdos, ut arrideant & applaudant mulierculis, ut laſcivis ſe dedicent voluptatibus. De his dico cum Iſ. c. 26. v. 10. *Miſereamur impio, in terra ſanctorum iniqua geſſit, & non videbit gloriam Dei.* Quid magis horrendum? Hoc probe vos obſervare velim Auditores; Si Jeſum amamus in gloria; amemus

mus & Jeſum in umbra. Sol ille divinus nunc umbram projicit; ex umbra veniemus ad lucem, cum tenebroſo vitæ hujus mortalis ergaſtulo ſolvemur. Amo te mi Jeſu, amo te in umbra tua; & amo & ſpero & credo: tu me viciſſim in tua gloria ama; amo te in tenebris; Tu me in luce; amo te in nocte, tu me in die. Amo te in nubibus, tu me in ſerenitate, in gaudio, in æterna felicitate.

CONCIO XXX.

DOMINICA II. POST SS. TRINITATEM.

Homo quidam fecit cœnam magnam.
Luc. 14. v. 16.

SYNOPSIS CONCIONIS.

AGit de efficacia, & inefficacia divinæ vocationis, per varias circumſtantias.

§. 1. *Exordium deſumptum ab affectu admirationis.*

§. 2. *Cur tam multi invitati ad cœnam magnam, tamen non veniant.*

§. 3. *Exponitur cauſa per aliquas ſimilitudines.*

§. 4. *Similitudo ſumpta ab oculis intuentibus ſolem.*

§. 5. *Ad efficaciam divinæ vocationis, concurrunt Deus, ſive gratia, & homo.*

§. 6. *Diabolus nihil poteſt ſine noſtro conſenſu.*

§. 7. *Præter primam vocationem requiritur aliud fortius auxilium.*

§. 8. *Quid ſignificent murenulæ aureæ, quas ſponſus promiſit ſponſæ.*

§. 9. *Speculum efficacis vocationis, fuit converſio ſancti Pauli.*

§. 10. *Declaratur ſimili, cui adſcribenda ſit efficacia divinæ vocationis.*

§. 11. *Vocatio divina nullam ſecum*

cum trahit coactionem.

§.12. *Oportet Deo offerre, cor molle, non durum, ut vocatio fiat efficax.*

§.13. *Subinde alio medio Deus ſuam vocationem facit efficacem.*

SAnctus Bernardus miratus petitionem ſponſæ Cant. 1. v. 3. *Trahe me poſt te.* quaſi diceret, pulcher es dilecte mi! nihilominus, trahe me. hæc inquam miratus S. Bernardus dixit ſer. 21. in Cant. *Quid? ſponſane ergo neceſſe habet trahi & ad ſponſum: quam pauci poſt te, O Domine Ieſu, ire volunt, cum tamen ad te pervenire, nemo ſit, qui nolit; hoc ſcientibus cunctis, quia delectationes in dextera tua uſque ad finem.* Hiſtoria Evangelica hodierna nobis refert, quendam hominem præparaſſe magnam cœnam, ſplendidumque imo regium convivium adornaſſe. Ad illud omnes invitavit; ſed tam multi tam varias excuſationum vias inierunt, ut denique juſſerit vocari cæcos, adduci claudos, infirmos congregari, cum acri mandato; *compellite illos intrare.* Quid hoc? Jeſus eſt, qui ait, *Venite ad me omnes, qui laboratis, & ego reficiam vos.* Matt. 11. v. 28. Chriſtus eſt, qui ait, *Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus, manducate, bibite ex eo omnes.* Joan. 6. v. 56. Addit, *qui manducaverit ex hoc pane, vivet & non ſitiet in æternum,* & neceſſe habemus, ut trahamur, ut compellamur ad talem cœnam, ad hoc cœleſte manna, ad gloriam æternam, ad Jeſum? O bone Jeſu: quam multi ſunt, qui tecum cupiunt eſſe in gloria; ſed dum prius in hac vita vocantur ad virtutem, ad ſanctitatem, ad crucem, ad laborem, mille modis ſeſe excuſant, & venire nolunt, cum tamen humaniſſime vocentur atque invitentur. Unde patet, duplicem eſſe hanc vocationem, efficacem & inefficacem, Qua de cauſa, quare, & quo pacto multi vocentur inefficaciter, pauci efficaciter, & ſimiles circumſtantias, hac vobis concione proponam. Attendite.

§. 1. Exordium deſumptum ab effectu admirationis.

Ut Chriſtus D. Salvator noſter, hanc veritatem exhiberet, ſe ex infinita gratia & bonitate multos, imo omnes homines quos creavit, quoſque redemit ad gloriam cœleſtem vocare; paucos vero illi vocationi obtemperare, hanc nobis parabolam expoſuit;

§. 2. Cur tam multi invitati ad cœnam magnam, tamen non veniant.

Homo quidam fecit cænam magnam, & vocavit multos. Et miſit ſervos ſuos dicere invitatis, ut venirent. Et cæperunt ſimul omnes excuſare, &c. Cauſam advertit S. Hilarius canone 22. in S. Matth. *Vocatio quidem bonos efficere debuerat, quia ſancta eſt, & ex optimo affectu invitantis profecta eſt, ſed per vitium inemendatæ voluntatis diſcrimen eſt vocatorum.* De qua differentia Chriſtus ait Joannis 6. v. 70. *Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis unus diabolus eſt.* S. Chryſoſt. hom. 46. in Joan. *Non enim vi & neceſſitate quadam Deus bonos facere conſuevit; neque electio ejus violenta eſt, ſed ſuaſoria, ut enim intelligas, non cogere vocationem, multos vocatos perire contingit.* Ita S. Joannes c. 1. v. 9 ait, *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Cum tamen de pluribus dicat S. Paulus ad Eph. 4. v. 18. *tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati à via Dei per ignorantiam, quæ eſt in illis. nimirum* (S. Leo ſer. 18. de paſſ.) *veritatis teſtificatio nunquam à ſua luce diſcedit, & quod aliis minus, aliis amplius micat, non varietas facit luminis, ſed infirmitas contemplationis, quæ non eſt ſatis potens, & efficax, ut vocatum à mundo abſtrahat atque ad Chriſtum perducat.*

§ 3. Exponitur cauſa per aliquas ſimilitudines.

Nonnullæ ſimilitudines hunc diſcurſum pulchre declarabunt ſuper v. 4 cap. 4. ep 2. ad Corinth. *In quibus Deus huius ſæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii*, ait Cyrillus Hieroſ. catecheſi 6. *Obcæcat & ſol lippos, & ex oculis laborantes, maleque affectos, propter luminis vim, non quod ſol habeat vim excæcandi, ſed quod corrupta videntium natura, videre per ſe non poſſit.* Sic & infideles, ægrotantes in corde, non poſſunt videre divinitatis radios. Alterum ſimile eſt S. Ambroſii. in pſ. 118. ſer. 12. *Occurre ſoli lucis æternæ, qui illuminat omnem hominem: & illud quidem verum lumen omnibus lucet; Sed ſi quis feneſtras ſuas clauſerit, æterno lumine ſeipſum fraudabit:* excluditur ergo & Chriſtus, ſi tu mentis tuæ januam claudas; etſi poſſit intrare, non vult tamen importunus irruere, non vult invitos cogere.

§ 4. Similitudo ſumpta ab oculis intuentibus ſolem.

Elegantiſſime hoc ſimili uſi ſunt Patres Concilii Colonienſis de ſacram. pœnit. *Oculus ſolem videre non poteſt, niſi ſolis lumen oculum præveniat, ut videat. Interdiu tamen ſole lucente, libera eſt intuitio, hominique liberum eſt, oculos claudere, ne ſolis lumen admit-*

admittat, aut aperire, ut recipiat, haud ſecus impio liberum eſt, prævenientè ſe divinæ illuminationis gratia à peccato reſurgendi, eam accipere vel non accipere; Deo prævenienti, & per bonum cogitatum ad pœnitentiam excitanti dare, vel negare conſenſum, velle & nolle pœnitere. Sic cit. Concilium. Subdit citatus S. Ambroſius. *Pateat advenienti janua tua, aperi januam, expande gremium mentis tuæ, ut videat divitias & theſauros pacis, atque ſuavitatem gratiæ: dilata cor tuum &c.*

Apud Sanct. Auguſtinum ſententias reperio præclariſſimas, quibus exponit eſſentiam vocationis ad cœnam magnam, ſive Evangelium, ſive vitæ ſanctitatem & virtutes, ſive ſanctiſſ. Sacramentum Euchariſtiæ, ſive demum cœleſtem gloriam per illam intelligamus. Lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. ait; *Vt velimus & ſuum eſſe voluit, & noſtrum: ſuum vocando; noſtrum ſequendo.* Lib. de gratia & libero arbitrio capite vigeſimo ſexto. *Certum eſt nos velle cum volumus, ſed ille facit, ut velimus.* Lib. de ſpir. & lit. capite trigeſimo quarto. *Quando DEVS agit cum anima rationali, ut ei credat, neque enim credere poteſt quodlibet liberum arbitrium, ſi nulla ſit ſuaſio vel vocatio, cui credat; profecto & ipſum velle credere, DEVS operatur in homine, & in omnibus miſericordia ejus prævenit nos: Conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, ſicut dixi, propriæ voluntatis eſt.* §. 5. *Ad efficaciam divinæ vocationis concurrunt Deus ſive gratia & homo.*

Pari modo à contrario Tertullianus dixit l. de exhort. ad Cart. cap. 1. *Diaboli eſt tentare, ſed intereſt ut velis; ubi voluiſti ſequitur, ut te tibi ſubigat; non operatus in te voluntatem, ſed nactus eſt poſſeſſionem voluntatis.* Titus Boſtrenſis ſuper verba illa S. Lucæ capite vigeſimo ſecundo verſ. 3. *Intravit autem Satanas in Iudam.* in cat. S. Th. *Satanas intravit, non impellens, ſed patulum inveniens oſtium: nam oblitus omnium, quæ audierat, ad ſolam avaritiam dirigebat intuitum.* Caſſianus in c. 4 ep. 1. Sancti Joannis verſ. 4. *Major eſt, qui in nobis eſt, quam qui in mundo eſt.* Nullus hominum poſſet vitare peccatum, quodcunque maligni ſpiritus cordibus noſtris injicere voluiſſent, ſi eis quemadmodum ad ſuggerendum, ita ad compellendum facultas violenta ſup- §. 6. *Diabolus nihil poteſt ſine noſtro conſenſu.*

ſuppeteret, quamobrem ſicut in illis eſt inveſtigationis copia, ita nobis virtus reſpuendi, ſive acquieſcendi libertas eſt attributa; quorum potentiam & impugnationes ſi pertimeſcimus; etiam protectiones atque adjutoria Dei è contrario conferamus, de quo dicitur, *major enim eſt, &c.* Hæc itaque tria ſunt certiſſima: Deus nos vocat ad ſuam cœnam. Diabolus quoque nos vocat ad ſuam; penes nos eſt libertas, alterutrum ſequi poſſumus. Clare Chriſtus D. & præclare aſſeverat idipſum: *Aut facite arborem bonam, & fructus bonos, aut facite arborem malam, & fructum ejus malum.*

§. 7. *Præter primam vocationem requirit. r aliud fortius auxilium.*

Ex quibus ſequitur certiſſimum eſſe, ſolam vocationem non ſufficere ad ſalutem; Et certe illi, de quibus Evangelium hod. ait *in æternum non guſtabunt cœnam meam*, an non ſatis ſuperque vocati fuerunt? & tamen nunquam illius reddentur participes; Quocirca aliud quidpiam præter vocationem requiritur. Ut, quid illud ſit, intelligatis, lumen accendet illa fortaſſis hiſtoria, quam nobis refert, cap. 19. Geneſis v. 15. *Cumque eſſet mane, cogebant eum angeli dicentes, ſurge, tolle uxorem tuam, & duas filias, quas habes; ne tu pariter pereas in ſcelere civitatis*, nimirum quam Deus mox ultricibus de cœlo flammis exterminabit. Audiit Loth hanc angelorum vocationem, *ſed diſſimulante illo*, ait textus, id eſt, Loth propter hæc verba, non ſtatim voluit è Sodoma excedere, ſed hæſit, nonnihil tergiverſatus, aliquantulum quæſivit moras. Itaque *angeli apprehenderunt manum ejus, & uxoris, & filiarum*, atque ita ſuavi quadam (ſi ſic dicere fas eſt) violentia eduxerunt illos; qui tamen abſolute potuiſſent reluctari. Hic pulchre ait Cyrillus Alexandr. *Indicium autem tibi ſit, valde manifeſtum, dum non ſolis verbis nos ſtimulat, exhortationibus menti immiſſis, ut diſcedamus à peccato, ſed tantam benignitatem nobis exhibet univerſorum Salvator Deus, ut efficaci ſubſidio adjuvet, ſecundum quod ſcriptum, apprehendiſti manum dexteram meam, & in conſilio tuo eduxiſti me.* Et paulo poſt luculentius rem ſic explicat; *Nam quoniam hominis natura non valde generoſa eſt, neque ſatis idonea, ut malum effugere queat, ſimul quodammodo nobiscum certat Deus, & duplex concedere beneficium videtur, perſuadens admonitionibus, ut ſubſidium inveniamus, & fortius illud præſtans, quam ut malum præſens, & violentum præ-*

vale-

valere poſſit. Nunquid enim hodierno in Evangelio nos omnes ſcimus eſſe invitatos ad cœnam? ſcimus utique, nec tamen omnes comparuerunt; qua de cauſa? nimirum uni charior erat villa quam cœna; alium ſua magis trahebat Berta; quam menſa, alius boum juga maluit ſpectare quam fercula atque edulia. Mirum profecto? at quid miror? Manus illa Domini, illa fortis atque robuſta manus, quæ eos apprehenderet, & ad domum convivii pertraheret, defuit: defuit auxilium fortius, non quidem divinæ gratiæ vocationisque defectu, ſed quod ad hoc excellentius beneficium (*gratiam* vocant *efficacem* Theologi) id quidem temporis minus eſſent diſpoſiti cur villa illis fuit charior, quam talis cœna, &c. Manus Domini defuit quæ illos apprehenderet, & deduceret, defuit auxilium fortius, &c. non culpa vocationis; ſed ipſorum, quod ad beneficium hoc non eſſent diſpoſiti. Amor erga villam, erga boves, erga uxores, & nimius fuit, & inordinatus. Ita D. Greg. ait de Cain. l. 11. Mor. c. 8. *Hinc eſt quod Cain, & divina voce admoneri potuit, & mutari tamen non potuit, quia exigente culpa malitiæ, jam intus cor ejus Deus reliquerat, cui foris ad teſtimonium verba faciebat.* Idem hodie contingit, multis peccatoribus: quotusquisque eſt enim, quem divinæ vocis oraculum monet quam frequentiſſime, monet, at non movet: vocari poteſt laſcivus ille juvenis, mutari non poteſt. In promptu cauſa eſt, ideo non poteſt, quia non cupit, ſiquidem continuo peccando gratiæ ponit efficaci obſtaculum. Itaque initio ſtatim oportet audire vocem vocantis Dei.

Inter reliqua ornamenta, quibus ſponſus decoravit dilectam ſuam ſponſam, promittit illi aureas murænulas. Cant. 1. verſ. 10. *Murænulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* Scio inter interpretes quæſtionem eſſe, an ſponſus locutus fuerit, de catenula aliqua aurea injicienda collo, an de quodam aurium ornamento; Hoc placuit S. Bernardo ſer. 41. in Cant. aures vero ſponſæ fuiſſe decoratas & ſplendidas, aurea gemmeaque murænula, quid eſt aliud, quam quod ad divinas cœleſtis gratiæ inſpirationes, & vocationes, & motiones, recipiendas, ſtatim fuerit promptiſſima, dixit v. g. ſponſus, Cant. 2. v. 10. *Surge, propera, amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni.* Surrexit! properavit! venit! volavit

§. 8. Quid ſignificent murænulæ aureæ quas ſponſus promittit ſponſa.

verſ.14. ait ſponſæ, *Oſtende mihi faciem tuam*; Statim oſtendit illi faciem. verſ.13. *Surge amica, veni in foramina petræ!* fecit ſponſa. cap 5. (invitat illam ſponſus, *veni in hortum meum, ſoror mea!*) Venit verſ. 1. *Aperi mihi amica mea.* & ait, *ſurrexi, ut aperirem dilecto meo.* capite ſexto verſu 10. paucis declarat, quam fuerit prompta ad omnem nutum ſponſi; *Ego dilecto meo, ad me converſio ejus Dilectus meus mihi, & ego illi.* O pulchram murænulam! de qua capite vigeſimo quinto verſ.12. Proverb. ait; *Inauris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit ſapientem & aurem obedientem.* Quæ verba ſic exponit S. Hieron. *Recte humilis Auditor inauri comparatur aureæ; quia dum libenter increpanti, ac docenti aurem accommodat, jam ſe ad recipiendum claritatem ſapientiæ cæleſtis præparat.* Ad quem modum D. Gregor. l. 5. mor. cap.12. verba illa Job. cap. 42. verſ 11. *& dederunt ei unusquisque ovem unam, & inaurem unam,* cum illo dicto Chriſti Domini Joan.10. verſu vigeſimo ſeptimo. *Oves meæ vocem meam audiunt,* & addit, quia nimirum innocuis mentibus ornamentum ſemper obedientiæ jungitur. Oviculæ ſcilicet ſunt, quæ Paſtoris vocem quampr mum percipiunt. Petulci vituli inter laſcivientes boves, capræ in ſtabulo ruſticanæ villæ, fœtentes hirci inter luxurioſas uxores, quid mirum eſt, quod noluerunt audire vocem invitantium ad cœnam? Quid mirum, quod alius aliam prætenderit excuſationem? trahit ſua quemque voluptas. Quid mirum, quod hic majores habuerit in villa quam cœna delicias? quid mirum quod ad tam amabilem vocantis Domini vocem etiamnum tot homines obſurdeſcant? ſimiles amant & habent labra lactucas, qualis eſt quiſque, talem & ſequitur ducem. Simile amat ſimile. Hirci adjungunt ſe capris; fœdis immundi, mundi negotiis Coſmophili; hinc eſt quod non audiatur quæ tam ſuaviter ad vitam, ad gratiam, ad cœlum invitat vox Domini.

§. 9. *Speculum efficacis vocationis, fuit converſio S. Pauli.* Tum ſcilicet vocatio Dei fit efficax, *quando hoc agit gratia,* (D. Proſper. ep. 34.) *ut voluntas peccato corrupta, vanitatibus ebria, ſeductionibus circumſepta, difficultatibus impedita, habitans in villa, &c. non remaneat in languoribus ſuis, ſed per ſpem miſerentis medici curata, revaleſcat, & gaudeat, ſe*

non

non interrogantem, edoctam, & non quærentem eſſe quæſitam. Pulcherrimum ſpeculum efficacis vocationis nobis proponit converſio ſancti Pauli, de qua ſanctus Bernardus ait ſer. 1. in converſione ſancti Pauli. Magnifice ſiquidem in hac una converſione, & miſericordiæ magnitudo, & efficacia gratiæ commendatur. Ibat Saulus ut perderet credentes in Chriſtum; *in via, ſubito circumfulſit lux de cælo* Act. 9. 3. S. Bern. *O vere inæſtimabilis divinæ dignatio pietatis! illuſtrat cæleſti fulgore, vel à foris, intus adhuc luminis incapacem; qui necdum infundi poterat, divina ſaltem circumfunditur claritate. Per rimam ſaltem cordis quaſi ingreſſa illa lux, & ecce mox cælo dignam vocem expreſſit Domine quid me vis facere; O vim cæleſtis lucis, ſi in cor admittatur. Saule! Modo ibas* (ſanctus Auguſtinus in pſ. 44.) ad *Chriſtianos alligandos, & perducendos ad pænam, & modo dicis Chriſto, quid me vis facere? O ſagittam acutam potentiſſimam, qua accepta cecidit Saulus, ut eſſet Paulus.* Blaſphemabat Saulus Chriſtum; erectus erat! ſupplicat Chriſto, cecidit! proſtratus eſt, occiſus eſt inimicus Chriſti! De cœlo, emiſſa eſt ſagitta, corde percuſſus eſt Saulus; nondum Paulus! adhuc erectus necdum proſtratus: Accipit ſagittam, cecidit in corde. Ita tamen, ut licet percuſſus fuerit, tamen voluntas ejus fuerit libera, ut reſiſteret ſi vellet. Quia voluit, vocatio ſortita fuit effectum. Ita in hod. Evang. invitati potuiſſent venire, potuiſſent alio quidem tempore inviſere villam, luſtrare boves, nuptiale feſtum adornare. Sed quia venire renuerunt, ſine effectu etiam fuit vocatio. Idem quotidie nobis contingit: ſi volumus, vocatio noſtra habebit effectum; ſi nolumus non habebit. Noſtrum eſt ſerio vel velle vel nolle. Si ſerio volumus, non procraſtinamus pœnitentiam; ſi ſerio volumus, hodie ſi vocem Domini audierimus, non obduramus corda noſtra: ſi ſerio volumus, negotium animæ ſalutisque æternæ omnibus aliis mundi curis anteponendum judicamus; ſi ſerio volumus, ocyus vocanti Domino reſpondemus: Ecce me, Domine quid me vis facere? vale villa mea, valete juga boum, vale uxor, & vos ſocietates perverſæ valete: nam qui me vocat Dominus eſt, Judex eſt, Deus eſt Dixi nunc cœpi. Hoc, hoc demum eſt, ſerio velle Auditores.

Ele-

Digitized by Google

§.10. *Declaratur ſimili, cui adſcribenda ſit efficacia vocationis.*

Elegantiſſima ſimilitudine, noſtræ vocationis negotium ad gloriam æternam exponit Origenes l.3. Periarch. *Cum navis ſuperavit marina diſcrimina, quamvis multo labore nautarum, & omni nauticæ artis opere impenſo, & gubernatoris ſtudio, atque induſtria adhibita res agatur, ventorum quoque aſpirantibus flatibus fatigata ad portum ſalva pervenit, nemo ſani ſenſus, niſi miſericordiæ Dei, ſalutem navis adſcribet. Sed ne ipſe quidem nauta vel gubernator, audet dicere, ego ſalvavi navem; ſed totum ad Dei miſericordiam refert, non quod ſentiat, ſe nihil ad ſalvandum navim vel artis adhibuiſſe, vel laboris, ſed quonam ſentit à ſe quidem laborem, ſalutem verò à Deo præſtitam navi.* Ita etiam in vitæ noſtræ curſu à nobis quidem impendendus eſt labor, & ſtudium atque induſtria adhibenda; laboris vero noſtri fructus à Deo ſperandus.

§ 11. *Vocatio divina nullam ſecum trahit coactionem.*

D. Chryſoſtomus ait hom.19. in gen. *Quia liberam naturam noſtram fecit omnium Dominus, ipſe quidem quæ ſua ſunt, omnia pro ſua miſericordia ſemper exhibet, & ſciens abſcondita in profundo mentis & arcana, hortatur, conſulit, conatusque noſtros malos reprimit, & neceſſitatem utique non imponit, ſed congruis remediis appoſitis, totum jacere in ægrotantis ſententia dimittit.* Videamus nos, an quæ noſtra ſunt faciamus. Sed ne diutius huic veritati inhæream, addam adhuc verba S. Bernardi, quibus adeo appoſite, & enucleate efficacem vocationem explicat, ut velut vivaci penicillo illam nobis ob oculos proponere videatur. l. de gratia & arb. *Ipſa liberum excitat arbitrium, cum ſeminat cogitatum: ſanat cum immutat affectum, roborat ut perducat ad actum, ſervat, ne ſentiat defectum.* (Nimirum ut quis amore Chriſti villam deſerat, ut nuntium remittat ſeu pravæ conſuetudini, ſeu ſocietati perverſæ ipſa ipſa liberum debet excitare arbitrium vocatio divina.) *at dum excitat, nequaquam neceſſitat, dum allicit non cogit, non adhibet violentiam, dum tantam exhibet benevolentiam. Sic autem iſta cum libero arbitrio operatur, ut tantum in primo præveniat, in cæteris comitetur: ad hoc utique præveniens, ut jam ſibi cooperetur, ita tamen quod à ſola gratia cœptum eſt, pariter ab utroque perficitur, ut mixtim non ſigillatim, ſimul, non viciſſim, per ſingulos profectus operentur: non partim gratia, partim liberum arbitrium, ſed totum ſingula opere individuo peragunt. Totum*

Digitized by Google

tum quidem hoc, & totum illud, ſed ut totum in illo; ſic totum ex illa. Hæc S. Bernardus.

Locum proinde habet aureum monitum S. Irenæi l. 4. adv. hæreſ. cap. 76. *Præſta Deo cor tuum molle, atque tractabile, & cuſtodi figuram, qua te figuravit artifex, habens in temetipſo humorem, ne indurans amittas veſtigia digitorum.* Tale cor, eſt terra illa bona, in quam cadens ſemen divinæ vocationis uberes profert fructus. Hanc terram petit Prov. 23. c. v. 26. *Præbe Fili mi cor tuum mihi.* Ut ſcilicet divinæ inſpirationes ſint efficaces. *Corda, quæ non ſunt in cælo* (inquit Orig. h. 1. in Job) *quæ in cælum nunquam aſcendunt, neque fidei integritate, neque mentis deſiderio, neque Domini memoria, neque reſurrectionis exſpectatione, neque judicii timore, neque ſpe æternæ gloriæ, ſed horum omnium, quæ in cælo obliviſcuntur, eadem quoque deſpiciunt, & derelinquunt, &c.* quid in talibus efficiet divina vocatio? Pergit Orig. *Talia ſunt corda omnium ferocium, & pertinacium eorum, qui non agunt pænitentiam* (in quadrageſima vocati ſunt ad cœnam magnam, ſic de paſchate, & præterlapſis ab aliquot menſibus feſtis,) *hujuſcemodi corda circuit diabolus, perſuadens atque infatuans, obtundens, atque obdurans corda eorum, qui ea quæ ſuper cælum ſunt, in corruptione non ſapiunt, ſed ea ſola, quæ ſub cælo ſunt in corruptione, ſuper terram requirunt.* Et hoc eſt quo homines circumvenire ſolet malignus Satanas, ſtratagema, dum proponitur cœna cœleſtis, ille terreſtrem exhibet: Villas, hoc eſt ſexcenta mundi negotia, curas, diſtractioneſque neſcio quas illis ponit ob oculos, divertit intellectum, ut quæ de cœlo proponuntur, non poſſit perpendere. Sic per opes, per voluptates, per venerem, per mundi curas divinæ impedit vocationis effectum.

§. 12. *Oportet & Deo offerre cor molle, non durum, ut vocatio ſit efficax.*

Infinita Dei miſericordia eſt, cum à bono Deo tandem compelluntur, & per extrema media coguntur, ut ſe convertant ad Dominum Deum ſuum. Vix ullus interpretum eſt, qui non miretur illum hominem, qui vocavit multos ad cœnam magnam, tandem dixiſſe famulo, *Exi cito in plateas, & vicos civitatis, & pauperes ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc.* idem miratus fuit Beda, ſed ait; *Cæci & claudi vocantur & veniunt, quia infirmi,*

§. 13. *Subinde alio medio Deus vocationem ſuam facit efficacem.*

atque in hoc mundo deſpecti, plerumque tanto celerius vocem Dei audiunt, quando & in hoc mundo non habent, ubi delectentur. Tales ſunt expeditiores ad Dei ſequelam. Qui villas habent, &c. facile ſe excuſant. Pergit Beda. *Sunt nonnulli, qui bona facienda intelligunt, ſed facere deſiſtunt. His plerumque contingit, ut eos in carnalibus deſideriis ſuis, mundi hujus adverſitas feriat. Sæpe namque aut longa ægritudine tabeſcunt, aut afflicti injuriis concidunt, aut percuſſi gravioribus damnis affliguntur, ſeque ipſi in ſuis deſideriis reprehendentes, ad Dominum corda convertunt.* Qui ergo hujus mundi adverſitatibus fracti ad Dei amorem redeunt, ad quid iſti compelluntur, niſi ut intrent? Habet ſcilicet bonus Deus varia media, quibus vocationem ſuam reddere poteſt efficacem. Væ illis, qui ſua culpa obſtacula ponunt: n æternum non guſtabunt cœnam æternæ gloriæ! væ illis!

CONCIO XXXI.

DOMINICA III. POST SS. TRINITATEM.

Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat.

Luc. 15. v. 6.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EXponit amorem, & proprietates Chriſti Paſtoris, erga perditam oviculam, & quidem illas, quarum mentionem facit hodiernum Evangelium.

§ 1. *Exordium eſt brevis propoſitio concionis.*

§ 2. *Quid ſit paſtorem reliquiſſe nonaginta novem oves.*

§. 3. *An*

§. 3. *An relinquendo fecerit prudenter.*
§. 4. *Cæleſtis paſtor prudenter id fecit, ob infinitum ſuum amorem erga unicam oviculam.*
§. 5. *Declaratur ſimili quanto labore, dolore & amore perditam oviculam quæſiverit.*
§. 6. *Inventam oviculam impoſuit ſuis humeris.*
§. 7. *Benevolentia Regis Aſſveri erga Eſtherem fuit figura amoris Chriſti D. erga ſuam oviculam. Nam Aſſverus 1. deſcendit de ſolio ſuo, idem fecit Chriſtus D.*
§. 8. *2. Aſſverus ſuſtentavit Reginam, Chriſtus D. oviculam impoſuit humeris, cum magna tamen differentia, ille metuens, hic gaudens.*
§. 9. *Cur ſponſa petiverit ſuſtentari læva, & dextera ſponſi.*
§. 10. *Cur tam clara fiat mentio, humerorum paſtoris.*
§. 11. *Aſſverus fuit Regina, abblanditus verbis, idem facit bonus paſtor.*
§. 12. *Apoſtrophe paſtoris alloquentis oviculam.*
§. 13. *Digreſſio ad fiduciam oviculæ erga ſuum paſtorem.*
§. 14. *Paſtor Ieſus fecit hæc omnia gaudens. Gaudii cauſa fuit, reditus oviculæ.*
§. 15. *Declaratur ſimilibus.*
§. 16. *Vnde præterea oriatur illud gaudium in converſione peccatoris.*

IN illa parte parabolæ, in qua hodiernum Evangelium nobis proponit, ſollicitum paſtorem, quærentem perditam & errabundam oviculam, hæc præcipue de illo afferuntur, vel extolluntur. 1. Quod paſtor ille in deſerto reliquerit nonaginta novem oves. 2. Quod illis relictis in aliud quoddam deſertum ſeceſſerit, ad quærendam, quæ perdita fuerat, centeſimam oviculam. 3. quod non ſine magno labore eandem repererit. 4. Quod erga inventam, mitem ſe ſuavemque tam verbis quam opere exhibuerit. 5. quod illam impoſuerit ſuis humeris. 6. quod hæc omnia fecerit gaudens & exultans. Omnia hæc puncta, paucis tamen, in hac concione exponere decrevi; ut intelligamus quam felices ſimus oviculæ ſub hoc tam amabili paſtore. Quocirca quia & vos Aud. mei omnes oviculæ eſtis Chriſti D. cujus vocem libenter auditis de benevola interim attentione veſtra mihi dubitare nō licet. §. 1. *Exordium eſt brevis propoſitio concionis.*

Digitized by Google

§.2. *Quid ſit paſtorem reliquiſſe nonaginta novem oves.* De hodierno Evangelico paſtore ait ſacer textus, 1. quod in deſerto reliquerit nonaginta novem oves; ad quærendum oviculam unicam, quæ ex centum perierat: Elegantiſſime hanc partem hodiernæ parabolæ exponit D. Ambr. In Apol. David c. 5. adducit v. 3. c. 12. l. 2. Regum. *Dives habebat oves plurimas valde.* & ait. *Quis vere dives, niſi Dominus noſter Ieſus. Et vere dives erat majeſtatis ſuæ opibus, & divinitatis propriæ plenitudine, cui Angeli & Archangeli, virtutes & Poteſtates, & Principatus, Throni & Dominationes, Cherubim & Seraphim indefeſſo obſequio ſerviebant. Sed tamen cum dives eſſet reliquit nonaginta novem, in montibus oves, & ovem unam, quæ laſſa remanſerat, requiſivit.* Itaque Chriſtus Salvator noſter fuit ille paſtor, qui habens centũ oves, relictis nonaginta novem, unius perditæ rationem habuit, & pro illa acquirenda laboravit. *Nunquid autem* (quærit D. Cyr. in Cat S. Thomæ) *ſæviens in reliquas motus eſt pietate unius? an illa forſan derelictio quicquam obeſſe potuit vel derogare Angelis atq; Archangelis, &c.* & reſpondet. *Nequaquam: ſunt enim illæ in tuto, circũſepiente illas potẽtiſſima dextera Sed magis oportebat miſereri pereuntis, ne imperfecta videretur reſidua multitudo.*

§.3. *An relinquendo fecerit prudenter.* Ex una quidem parte ita diſcurrere poſſumus, quis paſtor prudenter rebus ſuis conſulere judicandus eſt, qui in deſerto, in aliqua ſylva inter lupos, leones, urſos relinquat nonaginta novem, & celeri curſu hac illac feratur, ut unam requirat? Nonne dum ad unam curritur, reliquæ omnes erunt expoſitæ periculis & luporum incurſibus? qui ergo fieri poteſt, ut ſit prudentia quod pro una errabunda ovicula deſerantur tot aliæ? ſic eſt; verum ex altera parte advertere nos oportet, ab homine hoc prudenter fieri non poſſe, ſed à Deo, cujus ſolius eſt, unam curare, & reliquas tamen ſine omni damno conſervare. D. Chryſol. ſer. 168. *Hæc parabola plus pietatis quam humanæ conſuetudinis loquitur, & exprimit veritatem. Magna relinquere, amare minora, Dei poteſtatis eſt, non humanæ cupiditatis, quia Deus, & quæ non ſunt, facit eſſe: & perdita ſic ſequitur, ut teneat quæ reliquit, & amiſſa ſic invenit, ut quæ ſervata ſunt, non amittat.* Ergo non terrenus paſtor ille eſt, ſed cœleſtis. Docet itaq; nos hæc pars hodiernæ parabolæ, Angelis & cœleſtibus ſpiritibus, nullum inde damnum illatum fuiſſe, quod Filius Dei, de cœlis deſcenderit in

Digitized by Google

hunc mundum,& factus homo,humanum genus, cujus errabunda oviculа eſt imago,redemerit.

Et certe non parum immenſum ſuum in hoc erga genus humanum oſtendit amorem, ex quo in gratiam unius oviculæ, factus eſt homo, & quidem ſervus & paſtor. Quod eleganter advertit Jobius Monachus l. de Incar. Verbi.3 c.14. in Bibl.Photii. *Neq; enim communi illa & uſitata ratione, qua univerſum creavit, verbo quoq; naturam noſtram reformavit, ſed quod pro re nulla alia ſuſtinuit, non pro angelis, nō pro ulla alia natura, hoc ad hominum toleravit ſalutem, ſervus pro Domino factus. Merito igitur reliquiſſe oves nonaginta novem dicitur, &c.* Sed, ut unam reperiat oviculam? quid illa ad nonaginta novem? Reſpondet D. Ambr. jam cit. *Vnam ovē requiſivit bonus paſtor. Sed oviculam quam intenſiſſime amavit, oviculam, quam cariſſimo emit pretio, pretioſo ſuo ſanguine. Oviculam, quam deinde repertam nutrivit pane ſuo, & calice ſuo, oviculam, qua deinde quietem & ſomnum ſuo in ſinu indulſit.* §. 4. *Cœleſtis paſtor prudenter id fecit, ob infinitum ſuum amorem, erga unam oviculam.*

Sed errantem prius oportebat quærere,& magno quidem labore, quod textus tertio loco aſſerit & SS. Patres hoc ſimili declarant. Subinde contingit, ut perdita ovicula in ſylva adeo ſe involvat, & intricet ſpinis, ut undiq; difficillimum videat exitum; ſed bonus paſtor, oviculam quam diligit, quærit etiam inter ſpinas, aperit ſibi viā nec ullam quietis partem ſibi tribuit, quoad illā extrahat, licet neceſſe ſit impungi aculeis, ſpinis indui, ſanguine purpurari. Hoc modo Chriſtus D. quæſivit & reperit ſuam oviculā: quod ipſum in canticis, in perſona cœleſtis ſponſi, qui paſtor fuit, oviculæ ſive ſponſæ, inſinuat, dum illam vocat c. 2. v. 2. *lilium inter ſpinas*: q. diceret, o dilecta mea, quam es pulchra & formoſa! pulchritudo tua eſt lilium; ſed inter ſpinas quæſivi te. Quid inde? *Qui lilium inter ſpinas vult colligere*, ait Hugo Cardinalis, *aculeos ſpinarum neceſſariò patitur.* Et ſubdit de Chriſto D. *Iſtud lilium* (dico ego, iſtam oviculam) *de medio ſpinarum colligens, aculeos ſpinarum paſſus eſt.* Addit hoc ſimile. *Fecit autem ſponſus, vel paſtor, ſicut canis venaticus, qui feram inſequens, caput intra ſpinarum aculeos immittit, non timens exulcerationem, ut feram capiat. Nonne ſic fecit Dominus? Eccleſiam enim quaſi feram,* (quaſi oviculam) *inter ſpinas extraxit, ſed punctiones ſpinarum* §. 5. *Declaratur, ſimili quanto labore & amore perditam oviculam quæſiverit.*

tusque ad ſanguinis effuſionem ſuſtinuit, in cujus ſignum coronam ſpineam geſtat in capite ſuo. Egredimini filiæ Sion; accurrite oviculæ; videte ſponſum, Regem, Paſtorem in diademate, quo coronavit eum amor ejus. Gloriatur, non roſeo, ſed ſpineo ſerto; ut in illo intueamur, ubi? quomodo? & quo amore, quæſiverit oviculam, quæ perierat.

§. 6. *Inventam oviculam impoſuit ſuis humeris.*

Inventam oviculam cœleſtis paſtor, impoſuit humeris ſuis. Hujus circumſtantiæ quarto loco meminit Evangelii hodierni parabola. Hæc circumſtantia nobis exponit affectuoſum amorem cœleſtis paſtoris erga ſuam oviculam. D. Nyſſenus de pœnit. *Errantem invenit! Inventam autem non verberavit, nec urgendo vehementius ad gregem compulit, ſed humeris ſuis impoſitam, & leniter tractans ad gregem geſtavit.* Rupertus l. 9. in Joan. *Si quando oves hædi fuerint, id eſt inobedientes, rebelles, &c. non tamen bonus paſtor, maledico ore, tyrannizando improperat illis. Sed blande ac familiariter appellat.* D. Irenæus l. 5. hanc circumſtantiam ſic deſcribit. *Quæ plaſmavit nos initio, & plaſmat in ventre Matris, manus Dei, hæc in noviſſimis temporibus, perditos exquiſivit nos; ſuam lucrifaciens, & ſuper humeros aſſumens ovem, & cum gratulatione in cohortem reſtituens vitæ.* Paſtor, qui fur eſt, latro, tyrannice tractat oviculas, non paſtor bonus, quia amat illas.

§. 7. *Benevolentia Regis Aſſveri erga Eſtherem fuit figura, amoris Chriſti D. erga ſuam oviculam. Nam 1. Aſſverus deſiliit de ſolio ſuo, & Chriſtus D.*

Figura hujus paſtoris fuit Aſſverus. Eſtheris c. 5. v. 12. cum Regina intuita fuiſſet ardentem vultum Regis, *corruit & in pallorem colore mutato, laſſum ſupra ancillam reclinavit caput. & Rex, deſilivit à ſolio, & ſuſtentans eam ulnis ſuis, donec rediret ad ſe, his verbis blandiebatur. Quid habes Eſther? ego ſum frater tuus.* Hoc in hac pulcherrima & affectuoſiſſima hiſtoria primum ponderate. In gratiam Eſtheris pauperculæ Judeæ, ex intenſiſſimo tamen erga illam amore, deſilit de ſolio ſuo; & oblitus ſuæ Majeſtatis dexteram & humeros ſuppoſuit corruenti Eſtheri. Ubi pene exanimem vidit ſuam Eſtherem, thronum deſeruit, Reginam ſuſtentaturus. Hæc eadem de Rege Regum, de unigenito Filii Dei aſſerit Barius cap. 3. v. 35. *Qui emittit lumen, & vadit, & vocavit illud, & obedit illi in tremore.* (Qualis Rex, cui ſol, luna & ſidera cœli obediunt). Stellæ quoque *dederunt lumen in cuſtodiis ſuis, & lætata ſunt, vocatæ ſunt, & dixe-*

Digitized by Google

dixerunt, adſumus: hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius adverſus eum. Quid deinde? *poſthac in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt.* Id eſt. Deus noſter, ſedens in ſolio divinitatis, luminibus & ſtellis imperabat; hoc eſt lucidiſſimis cœlorum ſpiritibus. Ubi autem hominem dilectum ſuum peccato exanimatum vidit, ubi conſpexit centeſimam oviculam incidiſſe in ſpinas, jacentem inter ungues infernalis lupi, à ſolio proſiliit, deſcendensque à regalibus ſedibus ſplendorem externum infinitæ dignitatis depoſuit, ut homini ſubveniret, ut oviculam à morte liberaret. Ad quæ D. Zeno exclamat l. 3. ſer. 7. *O nova ratio! amore imaginis ſuæ coactus in infantem vagit Deus, patiturq; ſe pannis alligari, qui totius mundi debita venerat ſoluturus.* In ſtabuli præſepe deponitur (per Angelos ad ſuas cunas, vocat paſtores) populorum paſtorem pabulumque ſe eſſe conteſtatus. Subjicit ſe gradibus ætatis (puer, adoleſcens, juvenis, vir) cujus æternitas in ſe non admittit ætatem. Ut homo infirmus patitur, ut homini mortis lege conſumpto immortalitas tribuatur. Verbo, ut perditam oviculam, poſſit quærere, & reperire, reliquit ſolium gloriæ ſuæ, & paſtoris habitum atque officium amplexus eſt.

Neque è ſolio ſolum deſilivit Aſſverus; ſed & ſuſtentavit Estherem ulnis ſuis, donec ſibi ipſa ſenſibusque redderetur. Felicior longe eſt ovicula, quam bonus paſtor Chriſtus D. non ſuſtentat modo ſed & impoſuit ſuper humeros ſuos, ut ad ovile reportet. Magna tamen differentia inter Aſſverum & Chriſtum D. inter Estherem & oviculam intercedit. Aſſverus metuens exilivit de ſolio, & ſuſtentavit illam; non illum inceſſit lætitia ſubita, ſed triſtitia; non ille gaudio exiliit, ſed timore, metuit, ne Regina plane inter regias manus exſpiraret. Chriſtus D. vero gaudens atque exultans oviculam impoſuit humeris; At hoc eſt ipſum quod interrogo. Cur obſecro cur de ejus languore, de vulneribus ab infernali lupo acceptis, non doluit? cur non timuit? cur compaſſus non fuit, ſed gaviſus eſt. An ergo Jeſus minus ſuam amavit oviculam, quam Aſſverus ſuam Estherem? abſit. Aſſverus ſuſtentans reginam, languorem tollere non potuit; ideo timuit, donec ad ſe rediret; Jeſus vero, paſtor bonus, eo ipſo, quod ovem humeris ſuis imponat, ægram ſanat, languentem confortat,

§. 8.
2. Aſſverus ſuſtentavit Reginam: Chriſtus D. oviculam imponit humeris: cum magna tamen differentia. Ille metuens, hic gaudens

Digitized by Google

fortat, famelicam cibat, ſitibundam potat; triſtem recreat & conſolatur. O felicem oviculam, quæ tali nititur fulcro, quæ languens imo deficiens ſuſtentatur à Chriſto; per ſolum contactum divinarum manuum languor diſcedit, reſtituitur ſanitas, vita confirmatur.

§ 9. *Cur ſponſa petiverit ſuſtentari læva & dextera ſponſi.* Hac ipſa de cauſa ſponſam in deliquio ſuo clamaſſe exiſtimo Cant. 2. v. 5. *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo. Læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* De læva & dextera ait c. 3. Prov. v. 16. *Longitudo dierum in dextera ejus, in ſiniſtra illius divitiæ & gloria.* Non perit, qui ſuſtentaculum habet Chriſtum D. qui portatur in humeris ejus: quamprimum ejus ſiniſtra languentem amplectitur, ut imponat in humeros, ſtatim & dexteram admovet cum amplexu, cum prolongatione vitæ, cum liberali elargitione cœleſtium divitiarum. Orig. hom. 2. in Cant. *Habe ſponſi lævam ſub capite tuo, quam cum habueris, omnia quæ ſunt in læva, tibi tribuuntur, divitiæ, vita, gratia, gloria, & inſuper dexteræ ſua amplexabitur te.* Ideo mirabundi in c. 8. v. 5. Cant. dixerunt Angeli, *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum deliciis affluens innixa ſuper dilectum ſuum.* Itaque quod textus Evangelii dicat, perditam oviculam impoſitam eſſe humeris paſtoris, vel portari in manibus ſuis; idem eſt ac ſi diceret, bene eſt oviculæ! jacuit inter ſpinas, paſcitur modo inter lilia. Jacuit in faucibus mortis, quieſcit modo in ſinu, & corde ſui paſtoris. Fuit famelica, & ſitibunda; ſatiatur & potatur carne & ſanguine Chriſti. Fuit languida, modo eſt fortis. Ita agit bonus paſtor cum ſuis oviculis; errabundas quærit, inventas fovet ſuaviter, ut etiam humeris imponat, & ad ovile reportet.

§. 10. *Cur tam clara fiat mentio humerorum paſtoris.* Non ſine acumine advertit D. Ambroſius ſer. 22. in pſ. 118. in hodierno Evangelio, non fieri mentionem, quod bonus paſtor, inventæ oviculæ obtulerit herbas, vel duxerit ad fontem, ſed tantũ quod humeris ſuis impoſuerit, quærit proinde, ob quam cauſam tam claris verbis hujus circumſtantiæ fiat mentio, quod à paſtore ovicula humeris fuerit impoſita; & reſpondet. *Inventam paſtor ovem humeris impoſuit ſuis; Agnoſcis utiq; myſterium, quomodo ovis laſſa reficiatur, quia non potuit aliter humana conditio laſſa recreari, niſi ſacramento Dominicæ Paſſionis, & ſanguinis Ieſu Chriſti, cujus principatus ſuper humerum ejus.* Alludit S. Ambr. ad v. 6. c. 9. Iſaiæ. *Parvulus cum*

natus

Digitized by Google

natus eſt nobis, filius datus eſt nobis & principatus ejus factus eſt ſuper humerum ejus. Ecce iterum Aſſverum de regio ſolio humiliatum; ecce Regem Salomonem, factum paſtorem, coronatum ſpinis, cujus principatus, id eſt, cujus regium ſceptrum & aurea virga, id eſt, ſanctiſſima Crux, ſuper humeros ejus, cum illam in montem Calvariæ bajularet. Huic ſceptro, his ſpinis adjungit oviculam ſuper humeros, ut agnoſcamus myſterium, perditam oviculam reperiri, humanum genus reparari non potuiſſe, niſi per Chriſtum D. & ejus crucem. Eia ovicula! inter has ſpinas, in hoc lectulo, cum ſancta Cruce, in humeris Jeſu; in roſeis vulneribus vulneratæ manus ſiniſtræ, & ſauciæ dexteræ, quieſce ſuaviter, non eſt quod timeas. Creſcunt in illis hortis, roſæ & lilia; ſunt ibi divitiæ, quieſcis in paradiſo deliciarum.

Dicitur præterea, de Aſſvero citato loco, quod verbis ad amorem compoſitis fuerit blanditus Eſtheri. Hæc eſt benignitas Chriſti Salvatoris noſtri ut de homine, quem diligit, ſermones miſceat, vel ut pater, vel ut mater de filio, vel ut amicus de amico, frater de fratre; vel ut ſponſus de ſponſa; de perdita ovicula loquitur ut bonus paſtor; imo ipſum ſuaviſſime alloquitur, etiam dum vagabunda errat, dum deviat à via, dum ſequitur veſtigia hœdorum. Nunquid ad illam ait per Jeremiam c. 3. v. 1. *Vulgo dicitur, ſi vir dimiſerit uxorem ſuam, & recedens ab eo duxerit virum alterum, nunquid revertetur ad eam ultra? nunquid non polluta & contaminata erit mulier illa.* Pari modo diſcurrere poſſumus, ſi ovicula aliqua potius audire velit vocem lupi, quam paſtoris; ſi deſerere velit paſcua bona, & quærere ſpinas, ſi ovicula jam ſit languida, ægra ſemidiſcerpta à lupo, nunquid paſtor inſequetur illam? paſtor bonus ait, *fornicata es, cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, dicit Dominus,* & ego ſuſcipiam. ego porrigam dexteram, ego offeram ſinum, ego gaudens humeris imponam; quid ſuavius? Eodem c. v. 6. ait; *Nunquid vidiſti, quæ fecerit averſatrix Iſrael? abiit ſuper omnem montem excelſum, & ſub omni ligno frondoſo fornicata eſt* (O perditam oviculam) *& dixi, cum feciſſet hæc omnia, ad me revertere.* an non melle ſtillat, mellea lingua hujus cœleſtis paſtoris; nunquid hoc eſt blandiri oviculæ? exemplo ſponſi, dum ſponſæ Cant. 6. verſ. 12. quater hanc

§ 12. *3. Aſſverus fuit Reginæ abblanditus verbis. Idem facit bonus paſtor.*

voculam repetit, *Revertere, revertere, revertere, revertere, ut intuear te.*

§. 12. *Apoſtrophe paſtoris alloquentis oviculam.* S. Juſtus Orgelitanus. *Idcirco tam crebro, revertere ei dicitur, ut etiamſi averſa deliquerit, in deſperationem non incidat, ſed à peccandi conſuetudine ſpei indulgentia reſipiſcat.* Ad Eſtherem dixit Aſſverus, *quid habes Eſther? Ego ſum frater tuus, noli metuere, non morieris: accede, tange ſceptrum meum.* Fare, loquere ovicula; an non ſæpius intus in corde tuo audis has voces dulciſſimi tui paſtoris; Quid agis ovicula? quid paſcua quæris hujus mundi? cur vagabunda inquiris caducas roſas in pratis hujus mundi, &c. cur poſt alios abis paſtores! Ovicula mea, ego ſum frater, ego ſum pater tuus; noli metuere, me ſequere, non moveris. Accede, tange vulnera mea, tange cor meum; accede, imponam te humeris meis.

§. 13. *Digreſſio ad fiduciam oviculæ, erga ſuum paſtorem.* Hæc affabilitas, ſuavitas, benignitas noſtri paſtoris an non commovere nos debet, ut nos totos tradamus curæ illius & providentiæ paſtorali? ſi in ejus humeris conquieſcamus, quid pertimeſcimus? ſolo ſuo intuitu ille nobis certum ſubminiſtrat auxilium. Quod David agnovit, pſ. 32. v. 16. *Non ſalvatur Rex per multam virtutem & gigas non ſalvabitur in multitudine fortitudinis ſuæ. Fallax equus ad ſalutem in abundantia autem virtutis ſuæ non ſalvabitur. Ecce oculi Domini ſuper metuentes eum, & in eis, qui ſperant ſuper miſericordia ejus. Ut eruat à morte animas eorum.* Euſebius in Cat. Græca. *Sine oculis & inſpectione Dei, non eſt, quod aliunde ſperes ſalutem* (idem dicat ovicula de ſuo paſtore) *neque enim Regi militum copiis ſtipato, neque giganti de virium ſuarum magnitudine glorianti, neque equi celeritati, ſe committendi ſalus eſt; omnia enim hæc fallunt;* ſed vos qui Dominum invocatis (vos oviculæ, quæ jacetis in humeris veſtri paſtoris) confidite: nec inimicorum conſilia, quæ Dominus diſſipat timete: neque Principum conſilia, quæ Dominus invertit, formidate. In Deo tantum ſperate, & in miſericordia ejus, ut eruat à morte animas veſtras. Feliciſſimam aio eſſe illam oviculam, quæ ita fidit duci ſuo, ita amat paſtorem ſuum, hoc eſt quieſcere in humeris ejus

§ 14. *Paſtor Ieſus fecit hæc omnia gau-* Quæſivit hactenus ovem ſuam, invenit, inventam fovit, allocutus fuit ſuaviter, impoſuit humeris ſuis; addit ſacer textus, quod talia fecerit, & gratulatus ſibi fuerit, volueritque alios gaudere, ſibiq;

con-

Digitized by Google

congratulari. Memini me alias juſta concione tractare hanc materiam, paucula quæ ibi forſan omiſi, hic addam. S.Greg. hom. 34. in Evangelium ait, *Notandum, quod non dixit; congratulamini inventæ ovi, ſed mihi, quia videlicet ejus gaudium, eſt vita noſtra, & cum nos cælis reducimur, ſolennitatem lætitiæ ejus implemus.* Pergit S.Greg. *conſiderandum nobis eſt, cur majus atque amplius de converſis peccatoribus, quam de ſtantibus in cælo juſtis gaudium eſſe fateatur.* unde hoc, niſi quod ipſi, quia nullis peccatorum molibus ſe oppreſſos ſciunt, ſtant quidem in via Juſtitiæ, nulla illicita perpetrant, ſed tamen ad cœleſtem patriam anxie non anhelant, &c. At contra nonnunquam hi, qui ſe illicita quædam egiſſe meminerunt, ex ipſo ſuo dolore compuncti, inardeſcunt in amorem Dei; ſeſeq; in magnis virtutibus exercent, cuncta difficilia ſancti certaminis expetunt; omnia mundi blandimenta derelinquunt, honores fugiunt, illecebras aſpernantur, acceptis contumeliis lætantur, cœleſtium flagrant deſiderio, ad ſupernam patriam anhelant, & quia ſe erraſſe à Deo conſiderant, damna præcedentia lucris ſubſequentibus compenſant. Sic faciunt bonæ boni paſtoris oviculæ. Anhelant ad bona paſcua ardenter, & tanto anhelant ardentius, quanto ſe longius ab eadem diſtare comperiunt. Anhelant ad paſtorem; hinc & paſtor anhelat ad illas, damna præcedentia lucris compenſant ſubſequentibus, propterea quod ſeſe erraſſe à Deo comperiũt, per errores properãt ad amores, per ſpinas ad bona paſcua, per pericula ad gaudia.

dens. Reditus oviculæ eſt cauſa gaudii.

Juvat hæc nonnullis ſimilibus illuſtrare. Majus ergo de peccatore converſo, quam de ſtante juſto fit gaudium in cœlo; quia & dux in prælio, plus illum militem diligit, qui poſt fugam reverſus hoſtem fortiter premit, quam illum, qui nunquam terga præbuit, & nunquam aliquid fortiter geſſit. Sic agricola illam amplius terram amat, quæ poſt ſpinas, uberes fruges profert quam eam, quæ nunquam ſpinas habuit, & nunquam fertilem meſſem producit. En gaudii cauſam majoris! quid mirum! fructus amplior amplioris eſt cauſa lætitiæ in agricola; & non ſit pariter in agricola, qui meliorem poſt reditum, prudentiorem, cautioremque ſuam obſervat oviculam, quam fuerat ante. O mi Jeſu quidni gauderes inventa ovicula? habes profecto habes gaudendi cauſam quam maximam. Jam amor

§. 15. *Declaratur ſimilibus.*

oviculæ in te & major eſt & melior? jam quæ evaſit tot & tanta pericula, hoc ipſo tibi charior eſt ovicula! jam anima peccatrix quia & te diligit ardentius & de peccatis dolet vehementius, ardentius quoque à te & vehementius diligitur.

§.16. *Vnde præterea oriatur illud gaudium, in converſione peccatoris.*

Finio denique verbis Hugonis in S. Luc. *Per nonaginta novem juſtos, qui non indigent pœnitentia, intelliguntur S. Angeli, qui nunquam peccaverunt, ſuper quibus gaudium eſt in cœlo. Sed majus, ſuper unius peccatoris converſione, quia majus eſt, impium juſtificare, quam juſtum creare.* Utrumque tamen æqualis potentiæ; ſed illud majoris miſericordiæ, & majoris gaudii, id eſt, applauſus & exultationis. Dico proinde cum Tertulliano lib. adv. Marc. *Is oviculam requiſivit, qui perdidit, is invenit, qui quæſivit: qui invenit, is exultavit.* Noſtrum eſt jam Auditores, diſpicere quæ & quales ſimus oviculæ, quænam item & qualia gaudia afferamus paſtori. Amemus obſecro amemus quærentem nos paſtorem tam bonum, tam blandum, tam amabilem, amemus & occurramus ultro, ut nonnihil ejus in quærendo laborem curasque levemus: ſic fiet ut (quod Tertullianus jam dixit) is qui oviculam perdidit quærat, qui quæſivit inveniat, qui invenit, exultet.

CONCIO XXXII.

DOMINICA IV. POST SS. TRINITATEM.

Date, & dabitur vobis.

Luc. 6. v. 38.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponit ex ſacris literis, & SS. Patribus per varia elogia ingentem utilitatem, & commoda nobiliſſimæ virtutis, quæ dicitur *Miſericordia*, ſive *munifica liberalitas* erga egenos.

§.1. *Breve exordium.*

§.2. *Beneficentia eſt virtus utilis, & glorioſa.*

§.3. *Semina ſparſa proferunt fruges, coacta in unum pereunt.*

§.4. *Apud divitem liberalem ſunt bene-*

benedictiones, & divitiæ.
§. 5. *Tanta eſt proſperitas alicujus divitis, quanta ejus liberalitas: cujus rei ſymbolum, eſt oleum & lux in lucerna.*
§. 6. *Liberalitas, facit divites; avaritia pauperes.*
§. 7. *Quod oſtenditur in duobus Regibus: Davide, & Salomone.*
§. 8. *Probatur ex c. 11. Eccleſiaſtici.*
§. 9. *Sine liberalitate ſubſtantia divitum non eſt ſtabilis.*
§. 10. *Firmat illam miſericordia: differentia inter divitem liberalem, & avarum.*
§. 11. *Quomodo Chriſtus D. illos juſſerit parare ſacculos.*
§. 12. *Theſauri inter pauperes expoſiti conſervantur in horreis cœleſtibus.*
§. 13. *Teſtimonium duplex S. Chryſoſtomi, & S. Damiani.*
§. 14. *Divites liberales in ſupremo agone, contra tentationes diaboli, erunt fortes, & robuſti.*
§. 15. *Oleum miſericordiæ illos corroborat, & lubricos ſimul reddit, ne teneantur ab infernali ſerpente.*
§. 16. *Eadem virtus illos liberat ab igne inferni.*

PHraſis Chriſti D. tam variis verbis in hod. Evangelio repetita: *Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt. Date, & dabitur vobis; menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum. Eadem quippe menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis*: hæ, inquam, phraſes & aurea Chriſti Salvatoris noſtri monita, nobis proponunt ingentem utilitatem, fructusq; longe maximos, qui proficiſcuntur à miſericordia, & munifica liberalitate erga egenos: id, quod per Dei gratiam in hac concione ex ſacris potiſſimum literis, SS. Patribus per eximia utiliſſimæ, & nobiliſſimæ hujus virtutis elogia exponam: de benevola interim attentione veſtra nullus dubito. §. 1. *Breve exordium.*

Potentibus, & divitibus, beneficentia erga ſubditos, & pauperes tam eſt utilis, atq; glorioſa, ut SS. Patres, etiam diſertiſſimi quique, & aureæ viri eloquentiæ, id ſatis commendare, & deprædicare non poſſint. Certum hoc apud illos eſt axioma, atq; in ſacris literis fundatum, experientia roboratum, opes, & divitias dando, elargiendo, diſpertiendo non minui, ſed augeri: Creſcunt bona in benefico divite, & largitore Principe. *Proinde* (ut eleganter ait Pacatus in Paneg. Theodoſii.) *Imperatori propriam majeſtatem æſtimanti non* §. 2. *Beneficentia eſt virtus utilis, & glorioſa.*

evanuit ejus gloria, eorum divitias abſtulerunt hoſtes, urbes fuerunt exciſæ, provinciæ direptæ, donec tandem iratus Deus omnem ab eis abſtulit benedictionem, & mille ſubjecit maledictionibus. Ita Origenes hom. 13. in Levit. *Dum ergo populus ille habebat oleum, quod conferret ad lumen, lucerna non fuit extincta, ubi vero defecit in eis oleum miſericordiæ, neceſſario extincta lucerna eſt*, quemadmodum lucerna de adjuncto oleo vivit, & quodammodo nutritur, ita ut illo deficiente prorſus & ipſa deficiat, ſic & ſplendor reipublicæ tamdiu fulget, quamdiu oleum miſericordiæ reficiendis egenis perdurat, idem dicamus de quavis familia, in qua cum regnat avaritia, cum lucris diu, noctuque inhiatur, certum hoc nobis ſit ſignum, non duraturas illas opes. Nimirum id quotidiana probant exempla. Nimius diteſcendi ardor ſecuturæ nuncius eſt inopiæ. Avari, dum nimium congregare ſtudent, diſſipant; dum capiunt, perdunt: Extinguitur illorum lucerna ſubito fortunæ novercantis flatu commota, oleum miſericordiæ deficit; hinc deficit & Dei benedictio, deficit gratia, deficit ſenſim ſine ſenſu, & velut evaneſcit omnis, quem tanto ſtudio, labore, defatigatione, corraſerunt, theſaurus.

§. 6. *Liberalitas facit divites, avaritia pauperes.*

Elegantiſſimum locum reperio apud Plinium in Panegyr. ſui Trajani. *Mihi cogitanti* (inquit) *eundem te collationes remiſiſſe, donativum reddidiſſe, congiarium obtuliſſe, delatores abegiſſe, vectigalia temperaſſe, interrogandus videris, ſatiſne computaveris imperii reditus, an tantas vires habeat frugalitas* (& liberalitas) *Principis, ut tot impendiis, tot erogationibus ſola ſufficiat? nam, quid eſt cauſa, cur aliis quidem, cum omnia raperent, & rapta detinerent, ut ſi nihil rapuiſſent, defuerint omnia: tibi cum tam multa largiaris, & nihil auferas, ſuperſint?* Quid pulchrius? conferuntur inter ſe duo Reges, vel Principes: alter nihil dans, omnia repetens, imo aufferens omnia, & ſemper indigus; alter liberalis omnia dans, nihil aufferens, & ſemper abundans! & unde hoc miraculum, vel myſterium, & ſacramentum, niſi à liberalitate erga indigos, cui divina mox reſpondet munificentia.

§. 7. *Quod oſtenditur in*

Duos ejuſmodi Reges ſacer codex nobis proponit. De David ait lib. 1. Paral. c. 29. v. 28. *Mortuus eſt in ſenectute bona plenus dierum*

dierum & divitiis, & gloria. Qui paſtor venit ad regnum, in tot praeliorum ſumptibus ſic abundavit, ut filio Salomoni tantas reliquerit divitias, ut Joſephus dicat lib. 2. de antiq. cap. Nullum Regum nec Hebræorum, nec aliorum, tantas hæreditaſſe divitias, quas Salomon in diurna pace in immenſum auxit tributis, acceptis donativis, exhauſtis auri fodinis in Ophir. l. 2. Par. c. 9. v. 22. ait: *Magnificatus eſt igitur Salomon ſuper omnes Reges terræ præ divitiis, & gloria.* De quarum divitiarum pene incredibili copia multis agit Pineda in Eccleſ. c. 2. Ubi vero ad mortem deventum fuit, ait l. 2. Par. c. 9. v. 31. *Dormivit cum Patribus ſuis, ſepelierunt eum in civitate David,* & nec verbulo fit mentio, quam, & quam locupletem ſucceſſori reliquerit hæreditatem, imo aſſerunt multi Hebræi ad tantam redactum illum eſſe pauperratem, ut emendicare panem fuerit coactus. Hoc certum videtur, quod ut ſapientiæ, & famæ, ſic & divitiarum fecerit jacturam. Componite modo hos duos Reges, Patrem, & Filium, Davidem, & Salomonem; David pauper regium conſcendit thronum, Salomon regnum obtinuit dilatatum, & ditiſſimum, ille ob continua bella ingentes debuit impendere ſumtus, hic continua pace florens aut nullos fecit, aut plane exiguos, David non oneravit populum tributis, Salomon fere oppreſſit; ad illum nulla claſſis venit, ad hunc pervenit tertio quoque anno ex Ophir auro, argentoque inſtructiſſima. Nihilominus David dicitur mortuus dives, Salomon pauper. Advertite tandem cauſam, David fuit Rex mitiſſimus, Rex liberalis, ſollicitus congregandi opes, pro templo Domini, & pro neceſſitate ſubditorum; Salomon poſtquam templum ædificavit, poſtquam infatuatum fuit cor ejus, divitias effudit in luxum, in voluptates, in concubinas, immiſericors erga egenos, atque ita exhauſit divitiarum fontes, factus denique pauper, & egenus; Munificentia, liberalitas, beneficentia Davidem reddidit divitem, avaritia Salomonem ad extremam deduxit inopiam.

de duobus Regibus Davide, & Salomone.

Hunc diſcurſum de Regibus, & principibus ad homines privatos deprimit Eccleſ. cap. 11. v. 11. *Eſt homo laborans & feſtinans, & dolens impius, & tanto magis non abundat: eſt homo marcidus, egens recuperatione, & abundans paupertate, & oculus Dei reſpexit illum in*

§. 8. *Probatur ex c. 11. Eccleſiaſtici.*

Digitized by Google

uſque ad ſanguinis effuſionem ſuſtinuit, in cujus ſignum coronam ſpineam geſtat in capite ſuo. Egredimini filiæ Sion; accurrite oviculæ; videte ſponſum, Regem, Paſtorem in diademate, quo coronavit eum amor ejus. Gloriatur, non roſeo, ſed ſpineo ſerto; ut in illo intueamur, ubi? quomodo? & quo amore, quæſiverit oviculam, quæ perierat.

§. 6. *Inventam oviculam impoſuit ſuis humeris.*

Inventam oviculam cœleſtis paſtor, impoſuit humeris ſuis. Hujus circumſtantiæ quarto loco meminit Evangelii hodierni parabola. Hæc circumſtantia nobis exponit affectuoſum amorem cœleſtis paſtoris erga ſuam oviculam. D. Nyſſenus de pœnit. *Errantem invenit! Inventam autem non verberavit, nec urgendo vehementius ad gregem compulit, ſed humeris ſuis impoſitam, & leniter tractans ad gregem geſtavit.* Rupertus l. 9. in Joan. *Si quando oves hædi fuerint, id eſt inobedientes, rebelles, &c. non tamen bonus paſtor, maledico ore, tyrannizando improperat illis. Sed blande ac familiariter appellat.* D. Irenæus l. 5. hanc circumſtantiam ſic deſcribit. *Quæ plaſmavit nos initio, & plaſmat in ventre Matris, manus Dei, hæc in noviſſimis temporibus, perditos exquiſivit nos; ſuam lucrifaciens, & ſuper humeros aſſumens ovem, & cum gratulatione in cohortem reſtituens vitæ.* Paſtor, qui fur eſt, latro, tyrannice tractat oviculas, non paſtor bonus, quia amat illas.

§. 7. *Benevolentia Regis Aſſveri erga Eſtherem fuit figura, amoris Christi D. erga ſuam oviculam. Nam 1. Aſſverus deſiliit de ſolio ſuo, & Chriſtus D.*

Figura hujus paſtoris fuit Aſſverus. Eſtheris c. 5. v. 12. cum Regina intuita fuiſſet ardentem vultum Regis, *corruit & in pallorem colore mutato, laſſum ſupra ancillam reclinavit caput. & Rex, deſilivit à ſolio, & ſuſtentans eam ulnis ſuis, donec rediret ad ſe, his verbis blandiebatur. Quid habes Eſther? ego ſum frater tuus.* Hoc in hac pulcherrima & affectuoſiſſima hiſtoria primum ponderate. In gratiam Eſtheris pauperculæ Judeæ, ex intenſiſſimo tamen erga illam amore, deſilit de ſolio ſuo; & oblitus ſuæ Majeſtatis dexteram & humeros ſuppoſuit corruenti Eſtheri. Ubi pene exanimem vidit ſuam Eſtherem, thronum deſeruit, Reginam ſuſtentaturus. Hæc eadem de Rege Regum, de unigenito Filii Dei aſſerit Barius cap. 3. v. 35. *Qui emittit lumen, & vadit, & vocavit illud, & obedit illi in tremore.* (Qualis Rex, cui ſol, luna & ſidera cœli obediunt). Stellæ quoque *dederunt lumen in cuſtodiis ſuis, & lætatæ ſunt, vocatæ ſunt, & dixe-*

Digitized by Google

dixerunt, adſumus: hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius adverſus eum. Quid deinde? *poſthac in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt.* Id eſt. Deus noſter, ſedens in ſolio divinitatis, luminibus & ſtellis imperabat; hoc eſt lucidiſſimis cœlorum ſpiritibus. Ubi autem hominem dilectum ſuum peccato exanimatum vidit, ubi conſpexit centeſimam oviculam incidiſſe in ſpinas, jacentem inter ungues infernalis lupi, à ſolio proſiliit, deſcendensque à regalibus ſedibus ſplendorem externum infinitæ dignitatis depoſuit, ut homini ſubveniret, ut oviculam à morte liberaret. Ad quæ D. Zeno exclamat l. 3. ſer. 7. *O nova ratio! amore imaginis ſuæ coactus in infantem vagit Deus, patiturq́; ſe pannis alligari, qui totius mundi debita venerat ſoluturus.* In ſtabuli præſepe deponitur (per Angelos ad ſuas cunas, vocat paſtores) populorum paſtorem pabulumque ſe eſſe conteſtatus. Subjicit ſe gradibus ætatis (puer, adoleſcens, juvenis, vir) cujus æternitas in ſe non admittit ætatem. Ut homo infirmus patitur, ut homini mortis lege conſumpto immortalitas tribuatur. Verbo, ut perditam oviculam, poſſit quærere, & reperire, reliquit ſolium gloriæ ſuæ, & paſtoris habitum atque officium amplexus eſt.

Neque è ſolio ſolum deſilivit Aſſverus; ſed & ſuſtentavit Eſtherem ulnis ſuis, donec ſibi ipſa ſenſibusque redderetur. Felicior longe eſt ovicula, quam bonus paſtor Chriſtus D. non ſuſtentat modo ſed & impoſuit ſuper humeros ſuos, ut ad ovile reportet. Magna tamen differentia inter Aſſverum & Chriſtum D. inter Eſtherem & oviculam intercedit. Aſſverus metuens exilivit de ſolio, & ſuſtentavit illam; non illum inceſſit lætitia ſubita, ſed triſtitia: non ille gaudio exiliit, ſed timore, metuit, ne Regina plane inter regias manus exſpiraret. Chriſtus D. vero gaudens atque exultans oviculam impoſuit humeris; At hoc eſt ipſum quod interrogo. Cur obſecro cur de ejus languore, de vulneribus ab infernali lupo acceptis, non doluit? cur non timuit? cur compaſſus non fuit, ſed gaviſus eſt An ergo Jeſus minus ſuam amavit oviculam, quam Aſſverus ſuam Eſtherem? abſit. Aſſverus ſuſtentans reginam, languorem tollere non potuit; ideo timuit, donec ad ſe rediret; Jeſus vero, paſtor bonus, eo ipſo, quod ovem humeris ſuis imponat, ægram ſanat, languentem confortat,

§. 8.
2. Aſſverus ſuſtentavit Reginam: Chriſtus D. oviculam imponit humeris: cum magna tamen differentia. Ille metuens, hic gaudens

fortat, famelicam cibat, ſitibundam potat; triſtem recreat & conſolatur. O felicem oviculam, quæ tali nititur fulcro, quæ languens imo deficiens ſuſtentatur à Chriſto; per ſolum contactum divinarum manuum languor diſcedit, reſtituitur ſanitas, vita confirmatur.

§. 9. *Cur ſponſa petiverit ſuſtentari læva & dextera ſponſi.*

Hac ipſa de cauſa ſponſam in deliquio ſuo clamaſſe exiſtimo Cant. 2. v. 5. *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo. Læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* De læva & dextera ait c. 3. Prov. v. 16. *Longitudo dierum in dextera ejus, in ſiniſtra illius divitiæ & gloria.* Non perit, qui ſuſtentaculum habet Chriſtum D. qui portatur in humeris ejus: quamprimum ejus ſiniſtra languentem amplectitur, ut imponat in humeros, ſtatim & dexteram admovet cum amplexu, cum prolongatione vitæ, cum liberali elargitione cœleſtium divitiarum. Orig. hom. 2. in Cant. *Habe ſponſi lævam ſub capite tuo, quam cum habueris, omnia quæ ſunt in læva, tibi tribuuntur, divitiæ, vita, gratia, gloria, & inſuper dextera ſua amplexabitur te.* Ideo mirabundi in c. 8. v. 5. Cant. dixerunt Angeli, *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum deliciis affluens innixa ſuper dilectum ſuum.* Itaque quod textus Evangelii dicat, perditam oviculam impoſitam eſſe humeris paſtoris, vel portari in manibus ſuis; idem eſt ac ſi diceret, bene eſt oviculæ! jacuit inter ſpinas, paſcitur modo inter lilia. Jacuit in faucibus mortis, quieſcit modo in ſinu, & corde ſui paſtoris. Fuit famelica, & ſitibunda; ſatiatur & potatur carne & ſanguine Chriſti. Fuit languida, modo eſt fortis. Ita agit bonus paſtor cum ſuis oviculis; errabundas quærit, inventas fovet ſuaviter, ut etiam humeris imponat, & ad ovile reportet.

§. 10. *Cur tam clara fiat mentio humerorum paſtoris.*

Non ſine acumine advertit D. Ambroſius ſer. 22. in pſ. 118. In hodierno Evangelio, non fieri mentionem, quod bonus paſtor, inventæ oviculæ obtulerit herbas, vel duxerit ad fontem, ſed tantũ quod humeris ſuis impoſuerit, quærit proinde, ob quam cauſam tam claris verbis hujus circumſtantiæ fiat mentio, quod à paſtore ovicula humeris fuerit impoſita; & reſpondet. *Inventam paſtor ovem humeris impoſuit ſuis; Agnoſcis utiq; myſterium, quomodo ovis laſſa reficiatur, quia non potuit aliter humana conditio laſſa recreari, niſi ſacramento Dominicæ Paſſionis, & ſanguinis Ieſu Chriſti, cujus principatus ſuper humerum ejus.* Alludit S. Ambr. ad v. 6. c. 9. Iſaiæ. *Parvulus cum*

Digitized by Google

natus eſt nobis, filius datus eſt nobis & principatus ejus factus eſt ſuper humerum ejus. Ecce iterum Aſſverum de regio ſolio humiliatum; ecce Regem Salomonem, factum paſtorem, coronatum ſpinis, cujus principatus, id eſt, cujus regium ſceptrum & aurea virga, id eſt, ſanctiſſima Crux, ſuper humeros ejus, cum illam in montem Calvariæ bajularet. Huic ſceptro, his ſpinis adjungit oviculam ſuper humeros, ut agnoſcamus myſterium, perditam oviculam reperiri, humanum genus reparari non potuiſſe, niſi per Chriſtum D. & ejus crucem. Eia ovicula! inter has ſpinas, in hoc lectulo, cum ſancta Cruce, in humeris Jeſu; in roſeis vulneribus vulneratæ manus ſiniſtræ, & ſauciæ dexteræ, quieſce ſuaviter, non eſt quod timeas. Creſcunt in illis hortis, roſæ & lilia; ſunt ibi divitiæ, quieſcis in paradiſo deliciarum.

Dicitur præterea, de Aſſvero citato loco, quod verbis ad amorem compoſitis fuerit blanditus Estheri. Hæc eſt benignitas Chriſti Salvatoris noſtri ut de homine, quem diligit, ſermones miſceat, vel ut pater, vel ut mater de filio, vel ut amicus de amico, frater de fratre; vel ut ſponſus de ſponſa; de perdita ovicula loquitur ut bonus paſtor; imo ipſum ſuaviſſime alloquitur, etiam dum vagabunda errat, dum deviat à via, dum ſequitur veſtigia hœdorum. Nunquid ad illam ait per Jeremiam c. 3. v. 1. *Vulgo dicitur, ſi vir dimiſerit uxorem ſuam, & recedens ab eo duxerit virum alterum, nunquid revertetur ad eam ultra? nunquid non polluta & contaminata erit mulier illa.* Pari modo diſcurrere poſſumus, ſi ovicula aliqua potius audire velit vocem lupi, quam paſtoris; ſi deſerere velit paſcua bona, & quærere ſpinas, ſi ovicula jam ſit languida, ægra ſemidiſcerpta à lupo, nunquid paſtor inſequetur illam? paſtor bonus ait, *fornicata es, cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, dicit Dominus,* & ego ſuſcipiam. ego porrigam dexteram, ego offeram ſinum, ego gaudens humeris imponam; quid ſuavius? Eodem c. v. 6. ait; *Nunquid vidiſti, quæ fecerit averſatrix Iſrael? abiit ſuper omnem montem excelſum, & ſub omni ligno frondoſo fornicata eſt* (O perditam oviculam) *& dixi, cum feciſſet hæc omnia, ad me revertere.* an non melle ſtillat, mellea lingua hujus cœleſtis paſtoris; nunquid hoc eſt blandiri oviculæ? exemplo ſponſi, dum ſponſæ Cant. 6. verſ. 12. quater hanc

§ 11. *3. Aſſverus fuit Reginæ abblanditus verbis. Idem facit bonus paſtor.*

voculam repetit, *Revertere, revertere, revertere, revertere, ut intuear te.*

§. 12. *Apoſtrophe paſtoris alloquentis oviculam:* S. Juſtus Orgelitanus. *Idcirco tam crebro, revertere ei dicitur, ut etiamſi averſa deliquerit, in deſperationem non incidat, ſed à peccandi conſuetudine ſpei indulgentia reſipiſcat.* Ad Eſtherem dixit Aſſverus, *quid habes Eſther? Ego ſum frater tuus, noli metuere, non morieris; accede, tange ſceptrum meum.* Fare, loquere ovicula; an non ſæpius intus in corde tuo audis has voces dulciſſimi tui paſtoris; Quid agis ovicula? quid paſcua quæris hujus mundi? cur vagabunda inquiris caducas roſas in pratis hujus mundi, &c. cur poſt alios abis paſtores! Ovicula mea, ego ſum frater, ego ſum pater tuus; noli metuere, me ſequere, non moveris. Accede, tange vulnera mea, tange cor meum; accede, imponam te humeris meis.

§. 13. *Digreſſio ad fiduciam oviculæ, erga ſuum paſtorem.* Hæc affabilitas, ſuavitas, benignitas noſtri paſtoris an non commovere nos debet, ut nos totos tradamus curæ illius & providentiæ paſtorali? ſi in ejus humeris conquieſcamus, quid pertimeſcimus? ſolo ſuo intuitu ille nobis certum ſubminiſtrat auxilium. Quod David agnovit, pſ. 32. v. 16. *Non ſalvatur Rex per multam virtutem & gigas non ſalvabitur in multitudine fortitudinis ſuæ. Fallax equus ad ſalutem in abundantia autem virtutis ſuæ non ſalvabitur. Ecce oculi Domini ſuper metuentes eum, & in eis, qui ſperant ſuper miſericordia ejus. Vt eruat à morte animas eorum.* Euſebius in Cat. Græca. *Sine oculis & inſpectione Dei, non eſt, quod aliunde ſperes ſalutem* (idem dicat ovicula de ſuo paſtore) *neque enim Regi militum copiis ſtipato, neque giganti de virium ſuarum magnitudine glorianti, neque equi celeritati, ſe committendi ſalus eſt; omnia enim hæc fallunt;* ſed vos qui Dominum invocatis (vos oviculæ, quæ jacetis in humeris veſtri paſtoris) confidite; nec inimicorum conſilia, quæ Dominus diſſipat timete: neque Principum conſilia, quæ Dominus invertit, formidate. In Deo tantum ſperate, & in miſericordia ejus, ut eruat à morte animas veſtras. Feliciſſimam aio eſſe illam oviculam, quæ ita fidit duci ſuo, ita amat paſtorem ſuum, hoc eſt quieſcere in humeris ejus

§ 14. *Paſtor Ieſus fecit hæc omnia gau-* Quæſivit hactenus ovem ſuam, invenit, inventam fovit, allocutus fuit ſuaviter, impoſuit humeris ſuis; addit ſacer textus, quod talia fecerit, & gratulatus ſibi fuerit, volueritque alios gaudere, ſibiq;

con-

Digitized by Google

congratulari. Memini me alias juſta concione tractare hanc materiam, paucula quæ ibi forſan omiſi, hic addam. S. Greg. hom. 34. in Evangelium ait, *Notandum, quod non dixit; congratulamini inventæ ovi, ſed mihi, quia videlicet ejus gaudium, eſt vita noſtra, & cum nos cælis reducimur, ſolennitatem lætitiæ ejus implemus.* Pergit S. Greg. *conſiderandum nobis eſt, cur majus atque amplius de converſis peccatoribus, quam de ſtantibus in cælo juſtis gaudium eſſe fateatur.* unde hoc, niſi quod ipſi, quia nullis peccatorum molibus ſe oppreſſos ſciunt, ſtant quidem in via Juſtitiæ, nulla illicita perpetrant, ſed tamen ad cœleſtem patriam anxie non anhelant, &c. At contra nonnunquam hi, qui ſe illicita quædam egiſſe meminerunt, ex ipſo ſuo dolore compuncti, inardeſcunt in amorem Dei; ſeſeq; in magnis virtutibus exercent, cuncta difficilia ſancti certaminis expetunt; omnia mundi blandimenta derelinquunt, honores fugiunt, illecebras aſpernantur, acceptis contumeliis lætantur, cœleſtium flagrant deſiderio, ad ſupernam patriam anhelant, & quia ſe erraſſe à Deo conſiderant, damna præcedentia lucris ſubſequentibus compenſant. Sic faciunt bonæ boni paſtoris oviculæ. Anhelant ad bona paſcua ardenter, & tanto anhelant ardentius, quanto ſe longius ab eadem diſtare comperiunt. Anhelant ad paſtorem; hinc & paſtor anhelat ad illas, damna præcedentia lucris compenſant ſubſequentibus, propterea quod ſeſe erraſſe à Deo comperiũt, per errores properãt ad amores, per ſpinas ad bona paſcua, per pericula ad gaudia.

dens. Reditus oviculæ eſt cauſa gaudii.

Juvat hæc nonnullis ſimilibus illuſtrare. Majus ergo de peccatore converſo, quam de ſtante juſto fit gaudium in cœlo; quia & dux in prælio, plus illum militem diligit, qui poſt fugam reverſus hoſtem fortiter premit, quam illum, qui nunquam terga præbuit, & nunquam aliquid fortiter geſſit. Sic agricola illam amplius terram amat, quæ poſt ſpinas, uberes fruges profert quam eam, quæ nunquam ſpinas habuit, & nunquam fertilem meſſem producit. En gaudii cauſam majoris! quid mirum! fructus amplior amplioris eſt cauſa lætitiæ in agricola; & non ſit pariter in agricola, qui meliorem poſt reditum, prudentiorem, cautioremque ſuam obſervat oviculam, quam fuerat ante. O mi Jeſu, quidni gauderes inventa oviculaꝰ habes profecto habes gaudendi cauſam quam maximam. Jam amor

§. 15. Declaratur ſimilibus.

Digitized by Google

oviculæ in te & major eſt & melior? jam quæ evaſit tot & tanta pericula, hoc ipſo tibi charior eſt ovicula! jam anima peccatrix quia & te diligit ardentius & de peccatis dolet vehementius, ardentius quoque à te & vehementius diligitur.

§.16. *Vnde præterea oriatur illud gaudium, in converſione peccatoris.*

Finio denique verbis Hugonis in S. Luc. *Per nonaginta novem juſtos, qui non indigent pœnitentia, intelliguntur S. Angeli, qui nunquam peccaverunt, ſuper quibus gaudium eſt in cœlo. Sed majus, ſuper unius peccatoris converſione, quia majus eſt, impium juſtificare, quam juſtum creare.* Utrumque tamen æqualis potentiæ; ſed illud majoris miſericordiæ, & majoris gaudii, id eſt, applauſus & exultationis. Dico proinde cum Tertulliano lib. adv. Marc. *Is oviculam requiſivit, qui perdidit, is invenit, qui quæſivit: qui invenit, is exultavit.* Noſtrum eſt jam Auditores, diſpicere quæ & quales ſimus oviculæ, quænam item & qualia gaudia afferamus paſtori. Amemus obſecro amemus quærentem nos paſtorem tam bonum, tam blandum, tam amabilem, amemus & occurramus ultro, ut nonnihil ejus in quærendo laborem curasque levemus: ſic fiet ut (quod Tertullianus jam dixit) is qui oviculam perdidit quærat, qui quæſivit inveniat, qui invenit, exultet.

CONCIO XXXII.

DOMINICA IV. POST SS. TRINITATEM.

Date, & dabitur vobis.

Luc. 6. v. 38.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponit ex ſacris literis, & SS. Patribus per varia elogia ingentem utilitatem, & commoda nobiliſſimæ virtutis, quæ dicitur *Miſericordia*, ſive *munifica liberalitas* erga egenos.

§.1. *Breve exordium.*

§.2. *Beneficentia eſt virtus utilis, & glorioſa.*

§.3. *Semina ſparſa proferunt fruges, coacta in unum pereunt.*

§.4. *Apud divitem liberalem ſunt bene-*

benedictiones, & divitiæ.

§.5. *Tanta eſt proſperitas alicujus divitis, quanta ejus liberalitas: cujus rei ſymbolum, eſt oleum & lux in lucerna.*

§.6. *Liberalitas, facit divites, avaritia pauperes.*

§.7. *Quod oſtenditur in duobus Regibus: Davide, & Salomone.*

§.8. *Probatur ex c.11. Eccleſiaſtici.*

§.9. *Sine liberalitate ſubſtantia divitum non eſt ſtabilis.*

§.10. *Firmat illam miſericordia: differentia inter divitem liberalem, & avarum.*

§.11. *Quomodo Chriſtus D. illos juſſerit parare ſacculos.*

§.12. *Theſauri inter pauperes expoſiti conſervantur in horreis cœleſtibus.*

§.13. *Teſtimonium duplex S. Chryſoſtomi, & S. Damiani.*

§.14. *Divites liberales in ſupremo agone, contra tentationes diaboli, erunt fortes, & robuſti.*

§.15. *Oleum miſericordiæ illos corroborat, & lubricos ſimul reddit, ne teneantur ab infernali ſerpente.*

§.16. *Eadem virtus illos liberat ab igne inferni.*

§.1. *Breve exordium.*

PHraſis Chriſti D. tam variis verbis in hod. Evangelio repetita: *Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt. Date, & dabitur vobis; menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum. Eadem quippe menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis*: hæ, inquam, phraſes & aurea Chriſti Salvatoris noſtri monita, nobis proponunt ingentem utilitatem, fructusq; longe maximos, qui proficiſcuntur à miſericordia, & munifica liberalitate erga egenos: id, quod per Dei gratiam in hac concione ex ſacris potiſſimum literis, SS. Patribus per eximia utiliſſimæ, & nobiliſſimæ hujus virtutis elogia exponam de benevola interim attentione veſtra nullus dubito.

§.2. *Beneficentia eſt virtus utilis, & glorioſa.*

Potentibus, & divitibus, beneficentia erga ſubditos, & pauperes tam eſt utilis, atq; glorioſa, ut SS. Patres, etiam diſertiſſimi quique, & aureæ viri eloquentiæ, id ſatis commendare, & deprædicare non poſſint. Certum hoc apud illos eſt axioma, atq; in ſacris literis fundatum, experientia roboratum, opes, & divitias dando, elargiendo, diſpertiendo non minui, ſed augeri: Creſcunt bona in benefico divite, & largitore Principe. *Proinde* (ut eleganter ait Pacatus in Paneg. Theodoſii.) *Imperatori propriam majeſtatem æſtimanti non*

tam id ſuum videri debet, quod abſtulit, quam quod dedit. Nam cum intra ipſum volvantur omnia, & ut ille, qui cuncta ambit Oceanus, quas ſuggerit aquas terris, recipit à terris, ita quidquid in cives manat à Principe (à divite in manus pauperum) *redundat in Principem, & rei, & famæ bene conſulit munificus Imperator: lucratur enim gloriam, cum det pecuniam reverſuram.* Hanc veritatem, quam liberalis Oceanus nobis proponit, ſi alte animis ſuis infigerent divites, fallor, niſi plurimum creſcerent illorum opes, & gloria, ſiquidem ſuam in pauperes munificentiam exhiberet. Illi, illorum ſunt tuti, & ſtabiles theſauri, non quos in recondito auro defixos habent, ſed quos ſæpius munificè evacuant, & in manibus pauperum abſcondunt. Hoc principibus, & divitibus utiliſſimum eſt conſilium, ut ſint liberales ex hod. Evangelio: *Date, & dabitur vobis.*

§. 3. *Semina ſparſa proferunt fructus, coacta in unum pereunt: ita & divitiæ.*

Caſſiodorus 3. variar. 20. eandem veritatem hoc explicat ſimili. *Quis noſtrum neſciat illud bonis Principibus* (dicamus idem de quibuscunque divitibus) *creſcere, quod benigna poſſunt largitate præſtare; Hæc enim ſunt regia dona, quod ſemina ſparſa in ſegetem coaleſcunt, in unum coacta depereunt.* Nemo unquam fecit experientiam hujus virtutis; nemo fuit munificus vel liberalis, in pauperes, qui non ditior evaſerit, neque ſemina tam uberem proferunt meſſem, neq; flumina tam præcipiti curſu in mare devolvuntur, ut illa, quæ Princeps confert in ſubditos, vel dives in egenos beneficia, majori abundantia, & abundantiore fœnore ad benefactorem recurrunt. Iſ. 32. v. 8. audite: *Princeps ea, quæ ſunt digna Principe, cogitat, & ipſe ſuper duces ſtabit.* Quæ verba in rem meam accommodatius ſic legit Vatablus: *Liberalis autem liberalia conſultat; perque liberalia facta clarus exurgit.* Munificentiæ, & liberalitatis opera non deprimunt, vel depauperant Principem, ſed maxime elevant, communemque gloriam, opes, divitias, & theſauros augent. De munificentia divina dixit S. Ambroſius in c. 1. S. Lucæ. *Plena ſemper, & redundantia ſunt beneficia divina, non exiguo conſtricta numero, ſed uberi bonorum coacervata congeſtu.* Idem prorſus ego aſſero, de beneficiis Principum, & divitum, in ſubditos, & pauperes. Plena ſunt, & redundantia, vel ſi redundantia non ſunt, jam nec ſunt beneficia. At, quo pacto, inquies, redundantia eſſe oportebit divitum bona? audi.

Digitized by Google

audi. In miſeros, in pauperes, in afflictos, in hos eſſe debent redundantia, non exiguo conſtricta numero, non ciſtarum domeſticarum anguſtiis, velut ergaſtulis incluſa, ſed uberi bonorum coacervata congeſtu.

De cœleſti ſponſo, ait D. Bernardus ſer 57. in Cant. *Benedictiones & divitiæ cum eo, & univerſa, quæ de ipſo ſunt, affluunt deliciis, redundantia certe jucundis, & ſalutaribus ſacramentis.* Eadem licet in inferiore longe gradu, aſſero ego de divite liberali, & munifico erga egenos: Benedictiones Dei ſunt cum illis; divitiæ augentur, affluunt bonis, cum arcano quodam, & abſcondito myſterio, ſive *ſacramento*, ut loquitur S. Bernardus: quod in hoc puto conſiſtere: Dici v. g. ſolet, qui in pauperem erogat Imperialem, recipiet duos, &c. hæc axiomata exploduntur à divitibus avaris, & tamen exploratum habemus hoc fieri, ſiquidem, qui falli non poteſt, hoc ipſum aſſeveravit Salvator. Modi vero illi admirabiles, quibus munifici divites, licet non advertant, locupletantur, in vineis, in agris, in mercatura, in ſuis laboribus, illi ſcilicet ſunt jucunda, ac ſalutaria ſacramenta virtutis miſericordiæ. Date, & ea menſura, qua dabitis, benedictiones vobis affluent, & divitiæ *Date, & dabitur.* Repeto quod dixi: eſt enim hoc axioma longe certiſſimum. §. 4. *Apud divitem liberalem ſunt benedictiones, & divitiæ.*

In tantum in republica, regno, vel quavis divitis cujuſdam familia creſcunt opes, augetur gloria, potentia confirmatur, in quantum floret largitas donorum, & miſericordia in juvandis egenis. Levit. 24. c. v. 2. ait Dominus ad Moyſen: *Præcipe filiis Iſrael, ut afferant tibi oleum de olivis puriſſimum, ac lucidum ad concinnandas lucernas iugiter extra velum teſtimonii in tabernaculo fœderis.* Ait Doctiſſimus P. Baeza, per radiātem lucem harum lucernarum fuiſſe expreſſam gloriam, & felicitatem populi Iſraelitici, per oleum vero, ejuſdem populi ingentem caritatem, & munificentiam erga egenos. Et quamdiu in populo floruit illa liberalitas olei, ſive eorum miſericordia, & beneficentia radians inſtar lucis, fuit ejuſdem felicitas, & gloria, de cœlo benedixit illi Dominus in pinguedine terræ in vino, frumento, oleo, &c. quamprimum non amplius contulerunt oleum, quamprimum defecit charitas, quamprimum miſericordiam expulit avaritia, inſtar lucernæ extinctus fuit populus, eva- §. 5. *Tanta eſt proſperitas alicujus divitis, quanta eſt ejus liberalitas, cujus rei ſymbolum eſt oleum & lux in lucerna.*

evanuit ejus gloria, eorum divitias abſtulerunt hoſtes, urbes fuerunt exciſæ, provinciæ direptæ, donec tandem iratus Deus omnem ab eis abſtulit benedictionem, & mille ſubjecit maledictionibus. Ita Origenes hom. 13. in Levit. *Dum ergo populus ille habebat oleum, quod conferret ad lumen, lucerna non fuit extincta, ubi vero defecit in eis oleum miſericordiæ, neceſſario extincta lucerna eſt*, quemadmodum lucerna de adjuncto oleo vivit, & quodammodo nutritur, ita ut illo deficiente prorſus & ipſa deficiat, ſic & ſplendor reipublicæ tamdiu fulget, quamdiu oleum miſericordiæ reficiendis egenis perdurat, idem dicamus de quavis familia, in qua cum regnat avaritia, cum lucris diu, noctuque inhiatur, certum hoc nobis ſit ſignum, non duraturas illas opes. Nimirum id quotidiana probant exempla. Nimius diteſcendi ardor ſecuturæ nuncius eſt inopiæ. Avari, dum nimium congregare ſtudent, diſſipant; dum capiunt, perdunt: Extinguitur illorum lucerna ſubito fortunæ novercantis flatu commota, oleum miſericordiæ deficit; hinc deficit & Dei benedictio, deficit gratia, deficit ſenſim ſine ſenſu, & velut evaneſcit omnis, quem tanto ſtudio, labore, defatigatione, corraſerunt, theſaurus.

§. 6. *Liberalitas facit divites, avaritia pauperes.*

Elegantiſſimum locum reperio apud Plinium in Panegyr. ſui Trajani. *Mihi cogitanti* (inquit) *eundem te collationes remiſiſſe, donativum reddidiſſe, congiarium obtuliſſe, delatores abegiſſe, vectigalia temperaſſe, interrogandus videris, ſatiſne computaveris imperii reditus, an tantas vires habeat frugalitas* (& liberalitas) *Principis, ut tot impendiis, tot erogationibus ſola ſufficiat? nam, quid eſt cauſa, cur aliis quidem, cum omnia raperent, & rapta detinerent, ut ſi nihil rapuiſſent, defuerint omnia: tibi cum tam multa largiaris, & nihil auferas, ſuperſint?* Quid pulchrius? conferuntur inter ſe duo Reges, vel Principes: alter nihil dans, omnia repetens, imo aufferens omnia, & ſemper indigus; alter liberalis omnia dans, nihil aufferens, & ſemper abundans! & unde hoc miraculum, vel myſterium, & ſacramentum, niſi à liberalitate erga indigos, cui divina mox reſpondet munificentia.

§. 7. *Quod oſtenditur in*

Duos ejuſmodi Reges ſacer codex nobis proponit. De David ait lib. 1. Paral. c. 29. v. 28. *Mortuus eſt in ſenectute bona plenus*

dierum

dierum & divitiis, & gloria. Qui paſtor venit ad regnum, in tot prœliorum ſumptibus ſic abundavit, ut filio Salomoni tantas reliquerit divitias, ut Joſephus dicat lib. 2. de antiq. cap. Nullum Regum nec Hebræorum, nec aliorum, tantas hæreditaſſe divitias, quas Salomon in diutna pace in immenſum auxit tributis, acceptis donativis, exhauſtis auri fodinis in Ophir. l. 2. Par. c. 9. v. 22. ait: *Magnificatus eſt igitur Salomon ſuper omnes Reges terræ præ divitiis, & gloria.* De quarum divitiarum pene incredibili copia multis agit Pineda in Eccleſ. c. 2. Ubi vero ad mortem deventum fuit, ait l. 2. Par. c. 9. v. 31. *Dormivit cum Patribus ſuis, ſepelierunt eum in civitate David,* & nec verbulo fit mentio, quam, & quam locupletem ſucceſſori reliquerit hæreditatem, imo aſſerunt multi Hebræi ad tantam redactum illum eſſe pauperratem, ut emendicare panem fuerit coactus. Hoc certum videtur, quod ut ſapientiæ, & famæ, ſic & divitiarum fecerit jacturam. Componite modo hos duos Reges, Patrem, & Filium, Davidem, & Salomonem; David pauper regium conſcendit thronum, Salomon regnum obtinuit dilatatum, & ditiſſimum, ille ob continua bella ingentes debuit impendere ſumtus, hic continua pace florens aut nullos fecit, aut plane exiguos, David non oneravit populum tributis, Salomon fere oppreſſit; ad illum nulla claſſis venit, ad hunc pervenit tertio quoque anno ex Ophir auro, argentoque inſtructiſſima. Nihilominus David dicitur mortuus dives, Salomon pauper. Advertite tandem cauſam, David fuit Rex mitiſſimus, Rex liberalis, ſollicitus congregandi opes, pro templo Domini, & pro neceſſitate ſubditorum; Salomon poſtquam templum ædificavit, poſtquam infatuatum fuit cor ejus, divitias effudit in luxum, in voluptates, in concubinas, immiſericors erga egenos, atque ita exhauſit divitiarum fontes, factus denique pauper, & egenus; Munificentia, liberalitas, beneficentia Davidem reddidit divitem, avaritia Salomonem ad extremam deduxit inopiam.

duobus Regibus Davide, & Salomone.

Hunc diſcurſum de Regibus, & principibus ad homines privatos deprimit Eccleſ. cap. 11. v. 11. *Eſt homo laborans & feſtinans, & dolens impius, & tanto magis non abundat: eſt homo marcidus, egens recuperatione, & abundans paupertate, & oculus Dei reſpexit illum in* bono,

§. 8. *Probatur ex c. 11. Eccleſiaſtici.*

bono. Duo homines hic proponuntur, alter qui in paupertate degens reſpicitur à Deo in bono, ut multis abundet bonis: alter qui laborat, feſtinat, ut fiat dives, & nihilominus non abundat, ſed eget. Quærunt interpretes, quænam illa ſit paupertas, quæ ſic ex Deo abundat? & reſpondent eſſe illam voluntatem, qua homo liberalis, & munificus erga pauperes ſuas opes, illis elargitur, & hæc munificentia, hæc ſpontanea exſpoliato, movet Deum, ut illa dona cum fœnore reddat, & illa quæ retinuit, ſupra modum amplificet; hinc abundantia ex Deo. At quis eſt ille, qui laborans, qui inter opes, non abundat? Ait Carth. *Quidam laborant acquirere opes, & feſtinant ad eas, & dolent, quod nequeant tam copioſe & celeriter acquirere illas* (parci, tenaces, immiſericordes erga egenos) *& tanto magis non abundant*. A liberalitate pendet, ut in quorundam ſinu ſit abundantia in bonis ex Deo. Avaritia benedictionem illam de cœlo, in maledictionem commutat.

§. 9. *Sine liberalitate ſubſtantia divitum non eſt ſtabilis.*

Addit S. Chryſoſtomus hom. 38. in S. Matth. *Nec ſtabilis eſt ſubſtantia eorum, talium enim ſubſtantia, aut ipſis viventibus eſt peritura, aut à malis hæredibus diſſipanda, aut ad extraneos ventura. Non poteſt ad bonum proficere*. Quod Chriſtus D. inſigni facto oſtendit, cum in templo, poſtquam vendentes, & ementes flagello ejeciſſet, numulariorum menſas evertit. Ad trutinam experientiæ hanc rem examinate, an non frequentiſſime oculis noſtris, tales familiarum everſiones videamus? an non cernamus ab hæredibus diſſipari ingentes divitias? unde hoc? qui illas collegerunt, fuerunt parci, tenaces, ſordidi, avari, &c. Tales ſubſtantia non ſunt ſtabiles, evertuntur facillime.

§. 10. *Firmat illam miſericordia. Differentia inter divitem liberalem, & tenacem.*

Subſtantias divitum firmat miſericordia. Non ſine cauſa c. 31. v. 18. Gen. de Jacobo dicitur, quod abiturus ex domo Laban ſecum tulerit omnem ſubſtantiam ſuam, & greges, & quidquid in Meſopotamia acquiſiverat; ut nobis inſinuetur illos in mundo eſſe beatos divites, qui, dum ex hoc mundo, in alterum commigrare coguntur, divitias ſuas ſecum ferunt, vel certe jam ante ad tutum locum præmiſerunt, ideo D. Ambroſius ait in cit. locum. *Conſideret dives ut talia poſſideat, quæ ſecum aufferre poſſit*. De tali divite videtur loqui Eccleſ. c. 5. v. 18. *Et omni homini, cui dedit Deus divitias, atque ſub-*

Digitized by Google

ſubſtantiam, poteſtatemq; & tribuit, ut comedat ex eis, & fruatur parte ſua, & lætetur de labore ſuo. Hoc eſt donum Dei. Ille ſcilicet eſt felix dives, qui ſuis divitiis, & hic, & in altero mundo fruitur. Quod expreſſius ponit verſio Chaldaica prioris verſus. *Omnis quoque homo, cui dedit Deus divitias, & ſubſtantiam, & poteſtatem, dedit ei Deus, ut comedat ex eo, in hoc ſæculo, & ut faciat ex eo eleemoſynam, & ut recipiat mercedem perfectam in ſæculo venturo, & gaudeat in labore ſuo cum juſtis, ecce hoc donum eſt, quod datum eſt ei fidere bono ſuo, à facie Domini.* Adverto aliquos divites natos eſſe felici hora, ſub fauſto ſidere, alios ſub infauſto, & hos rejici à facie Domini; alios ab eadem reſpici. Infeliciſſimi ſunt illi divites, qui hic omnibus bonis abundant, ſed quia nullas erogarunt eleemoſynas, vix induſium ſecum aufferunt, & in omnem æternitatem erunt pauperrimi. Aurum, & argentum nihil illis proſunt, nihil palatia, nihil vineæ, & agri, nihil theſauri. In morte, in hoc mundo reliquerunt omnia. Alia eſt ſors illorum divitum, qui abundant bonis, & fruuntur illis, & gaudent in illis, & non tantùm in hoc mundo, ſed quia partem diſtribuerunt inter pauperes, eandem, magna abundantia auctam reperiunt in cœlis, ubi ſe in hoc mundo exſtitiſſe liberales gaudebunt æternum.

§. 11. *Quomodo Chriſtus D. juſſerit illos parare ſacculos, &c.*

Hinc puto dixiſſe Chriſtum D. Lucæ 12. v. 33. *Vendite, quæ poſſidetis, & date eleemoſynam, facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt.* Quid hoc? Jubet omnia vendi, & ſimul mandat parari novos ſacculos? pulchre D. Chryſol. ſer. 22. *Homo! tali monito Chriſtus te ditare voluit, non nudare, manere tibi tua voluit, non perire, perpetuari, non vacuari ſacculos imperavit, juſſit te transferre, non perdere* & D. Chryſoſt. hom. 30. in Gen. *Pecuniarum diſperſa divitiæ expendentem non relinquunt.* Quidquid dives hic inter pauperes diſperſerit, cum lucro reperiet alibi.

§. 12. *Theſauri expoſiti conſervantur in horreis cœleſtibus.*

S. Ambroſius acriter pungit illum divitem, qui Luc. 12. c. v. 18. dixit: *deſtruam horrea mea, & majora faciam*, & illa deinde rurſum volet deſtruere; ipſe fatetur his verbis, ſua horrea non eſſe firma, & ſtabilia, ſed facile poſſe deſtrui; *Et quis finis* (ait ſerm. 81.) *ſtulti hujus laboris, & vani? & inſtanter ædificare, & inſtantius inſtruere? ſi vis, ego oſtendam tibi horrea, jam parata, eſurientium pauperum ven-*

tres, in ipſis tuos conclude theſauros. Tales enim theſauri tibi ſervabuntur in cœlis.

§.13. *Teſtimonium duplex S.Chryſoſtomi, & S. Damiani.* Eadem divitibus ſuadet S.Chryſoſt. hom. 21. in Gen. *Fruere omni proſperitate, & cum ſatisfeceris tuo uſui, quæ ſupervacua tibi, & otioſa jacent, neceſſariaque ſunt aliis, diſtribue fame laborantibus, & per illorum manus in tuam patriam tranſmitte, in quam propediem tibi pergendum, ut omnia accipias. Iſti enim plurimum prodeſſe tibi poterunt ad tranſvehendas illuc opes, ut quando abieris, omnia illic invenias bene diſpoſita, maiorique illic fungaris abundantia, videns ea à tranſvehentibus, imo à Dei miſericordia ita multiplicata.* Et D. Damianus l. 8 c. 14. ad ſuas ſorores. *Vos itaque, quæ ad cæleſtes nuptias firma ſpei gradibus feſtinatis, non parvam partem veſtræ ſubſtantiæ in tuto loco reponite, ut ad immortalem ſponſum ſine ulla poſſitis tranſire confuſione. Marſupium autem, ubi hæc tutiſſime reponatur, ſinus eſt pauperis, ſuſtentatio miſerorum. Hoc nimirum fidele eſt depoſitorium ſine ullo prorſus detrimento, quod ſuſceperit, redditurum* Sed de hoc puncto ſatis.

§. 14. *Divites liberales in ſupremo agone contra tentationes diaboli erunt fortes, & robuſti.* Fidem hujus concionis cupio eſſe aliud elogium miſericordiæ, ſive liberalitatis, divitibus utiliſſimum, & glorioſum, quod ex SS. Patribus hoc modo vobis proponam. Contra tentationes diaboli in ſuprema lucta, hæc virtus divites tuetur, eoſque liberat à periculo æternæ damnationis. Probo ex ſacris literis, Joſue cap. 1. v. 6. ait ad illum Dominus: *Confortare, & eſto robuſtus, tu enim ſorte divides populo huic terram.* h. e. qui bona ſua dividit cum pauperibus, & egenis, neceſſario fit fortis, & robuſtus. Sed quando? & in quo prælio? contra quos hoſtes? Equidem exiſtimo has circumſtantias explicari à regio Pſalte pſ. 40. v. 1. *Beatus vir, qui intelligit ſuper egenum, & pauperem, in die mala liberabit eũ Dominus. Dominus conſervet eum, & vivificet eum & beatum eum faciat in terra, & non tradat eum in animam inimicorum eius.* Hæc ultima ita exponit Apollinaris. *Cuſtodem habeat Regem vitæ, & ſimul curatorem. Neque eum hoſtibus prædam manibus permittat.* Id eſt: Qui miſericors, munificus, & liberalis eſt in pauperes, dum vivit in hoc mundo, cum moriendum ipſi erit, in illo agone tentabitur quidem à diabolis, ſed aderit ipſi Chriſtus D. qui contra omnes inſidias, & inſultus infer-

nalis

nalis hoſtis illum proteget, atque defendet. Per merita, mortem, & ſanguinem Chriſti talis confortabitur, & erit robuſtus. Aderunt quoque cum Chriſto Rege alii milites, aliæque auxiliatrices manus. Et horum ego militum dum jam memini, non dubito, quin vobis ſuccurrat cogitatio de angelis veſtris cuſtodibus, ſanctiſque Patronis, qui ſuis clientibus in ſuprema lucta conſtitutis, adeſſe ſolent, ut illis in tantis anguſtiis patrocinentur; verum addit S. Chryſoſtomus hom. 33. ad populum. *Sunt & hic caſtra pauperum: eſt bellum, in quo pro te pauperes pugnant. Cum enim ſtipendium acceperint* (id eſt, tuas eleemoſynas) *orantes tibi Deum faciunt propitium, & ita dæmonum inſidias repellunt, neque ſinunt, vehementer infeſtum eſſe malignum, neq; fortiter irruere, ſed ipſius ſolvunt potentiam.*

Notiſſima eſt parabola ex c. 25. S. Matthæi de decem Virginibus, ex quibus quinque admiſſæ fuerunt ad nuptias, aliæ quinque in omnem æternitatem fuerunt excluſa; cauſam addit ſacer textus, v. 3. *Non ſumpſerunt oleum ſecum.* Iterum advertite arcanum ſacramentum virtutis miſericordiæ. Strenui luctatores in aliquo circo, ſolent ante corpora inungere oleo, quo membra roborantur, & fiunt lubrica, ne ab hoſtili manu facile teneantur. Ideo infernali hoſti, quinque virgines, ſine oleo, factæ ſunt præda, aliæ cum oleo contra venenatum ſerpentem triumpharunt. Sed quale hoc oleum? Reſpondeo cum D. Chryſoſtomo hom. 65. in Matt. *Non ſic oleum corpus hominis roborat, ut animam miſericordia ſtabilit, adeoq; confirmat, ut ſuperari à diabolo nequeat, lubricum enim miſericordia oleum corpus hominis conſtituit, ita ut diaboli manus, facile propter lubricitatem effugiat.* O divites! nemine excepto, & vobis aliquando colluctandum erit contra hos ſerpentes, ne ullo excepto in arenam erit vobis prodeundum, & confligendum cum hoſtibus tartareis. Et quomodo confligetis? nudi non veſtibus modo, ſed & fortunis univerſis; nudi confligetis in palæſtra, ſpectante, & judicante ſummo illo agonotheta Deo; nudi confligetis; quocirca gymnicos bene peritos imitamini; oleo probe inuncti comparete, oleo nimirum, miſericordiæ in pauperes ſymbolo; oleo, hoc eſt, amore, ſuavitate, clementia.

§. 15. *Oleum miſericordiæ illos roborat & facit lubricos, ne teneantur ab infernali ſerpente.*

Hæc ab inferni flammis vos poterit liberare. Pulchram diffe-

§. 16. *Eadem vir-*

cus illos liberat ab igne Inferni.

rentiam arborum adducit S. Chryſoſtomus hom. 21. In acta. *Non videtis arbores ſteriles, quod ſint validæ, pulchræ, proceræ, ac ſublimes. At ſi hortum haberemus, vellemus malogranata, & olivas habere fructiferas, & multo magis quam illas, illa enim ad voluptatem magis ſunt quam ad utilitatem.* Tales ſunt, qui ſolum conſiderant, quæ ſua ſunt, tales ſunt qui ſibi ſolis, non aliis vivunt: tales ſunt qui ut fructibus miſericordiæ ſint inſtructi, nunquam allaborant; tales ſunt tenaces illi, ſordideque avari divites, quos nulla tangit pauperis, miſeræque turbæ commiſeratio (nihil cogitando de liberalitate fructuum erga pauperes) & ideo parati ad incendium. Steriles arbores non ſolent plantari in ſatis Regum, ſed fæcundæ, illæ potius paratæ ſunt ad incendium: neque avari divites plantabuntur in domo Domini, ſed projicientur in ignem, & ardebunt. Fructiferæ Olivæ plantabuntur in domo Domini. *Tales fuerunt quinque inſipientes virgines, caſtæ quidem, & ornatæ, & modeſtæ, ſed nulli utiles, ideo exuruntur.* Si rem ſerio ponderare velitis, hanc eandem differentiam reperietis, inter divites hujus mundi, divites illi quidem ſunt, at non utiles, onerati fructibus, at non ornati, multa poſſidentes, at non benefacientes. Quid juvat divitem eſſe ſi ſis inutilis? *hinc exuruntur.* Unde præclaram poterant gloriæ meſſem colligere, inde colligunt damnationis Zizania. *Nulli utiles, ideo exuruntur.* Obſervate O divites, obſervate hanc obſecro connexionem, & clauſulam! *Nulli utiles, ideo exuruntur.* An non præſtaret ſumme pauperem eſſe, quam tali ratione locupletem? an non Irus eſſe malim, quam Crœſus? *Nulli utiles, ideo exuruntur.* Inter cauſas, ob quas Sodoma cœleſtibus flammis fuit everſa, ait Ezechiel c. 16. v. 49. *Manum egeno, & pauperi non porrigebant.* Porrigite itaque ne æternum ardeatis. Eucherius ad c. 19: Gen. *Clauſas domos hoſpitibus, ignis ingreſſus eſt, ad perdendos peccatores.* Loth vero, quia illis domum ſuam aperuit, quia blandis verbis illos ad menſam ſuam invitavit, quia liberalis erga illos, ab iiſdem è periculo illius incendii fuit vindicatus. Hodie divites, ab incendio inferni liberare poteſt miſericordia, hanc itaque miſericordiam colite ut matrem O divites, hanc ut ſoſpitatricem, hanc ut patronam, hanc ut Advocatam, hanc ut Reginam veſtram amate, obſervate, honorate.

CON-

Digitized by Google

CONCIO XXXIII.

DOMINICA V. POST SS. TRINITATEM.

In verbo tuo laxabo rete.

Luc. 5. v. 5.

SYNOPSIS CONCIONIS.

AGit de perfectione, proprietatibus, fructibus & excellentia bonæ Intentionis in noſtris operibus & actionibus.

§ 1. *Exordium, & Propoſitio.*

§ 2. *Exemplo Dei & Chriſti Domini, oportet nos eſſe excellentes & perfectos in noſtris actionibus. Quod fit per bonam Intentionem.*

§. 3. *Bona Intentio eſt trochlea vel rota architectonica.*

§. 4. *Eſt regula, ſive funiculus.*

§ 5. *Gubernaculum navis, & ſtella polaris.*

§. 6. *Oculus.*

§. 7. *Aurea ſagitta. Pulchra viſio.*

§. 8. *Inſignes ſagittarii.*

§. 9. *Rara hiſtoria de Elephante.*

§. 10. *Differentia inter ſacrificium Abelis & Caini.*

§. 11. *Offerre opera ſua in nomine Chriſti, eſt illa unire cum infinitis ejus meritis.*

§. 12. *Affectuoſus modus uniendi ſuas actiones cum ſanguine Chriſti.*

§. 13. *Aliud ſimile.*

§. 14. *Aureum documentum Ludovici Bloſii.*

PIſcari in mari hujus mundi, navigare, remigare, laborare, projicere rete; apud S. Patres, & in ſacris literis, ſenſu morali, nihil aliud eſt, quam ut homo, ad illum finem, ad quem à Deo creatus eſt; illi offerat omnes cogitationes, omnia verba, omnia opera, modo quo poteſt perfectiſſimo; quod fit, per rectam intentionem, ut loquuntur Aſcetici, quam omnibus noſtris actionibus præmittere debemus. Cum hæc ſit materia practica & utilis; in prima parte hujus concionis vobis proponam aliqua ſimilia ex quibus intelligere poteritis, Quid ſit bona intentio; quinam illius fines, ad quos collimare debemus. In altera parte exponam, quid ſit, laxare rete, vel operari in nomine Chriſti. *§. 1. Breve exordium & Propoſitio.*

Cap. 33.

Digitized by Google

§. 2. *Exemplo Dei, & Chriſti D. oportet nos eſſe in operibus noſtris excellentes & perfectos. Quod fit per bonam intentionem,*

Capite 33. v. 23. ſuadet Eccleſiaſticus. *In omnibus operibus tuis, præcellens eſto.* Quod deinde, Chriſtus Salvator noſter, his verbis nobis propoſuit, Matt. 5. v. 48. *Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* De qua perfectione ſit ſermo, advertit Angelicus Doctor S. Thomas; *Deus autem,* ait, *omnia opera ſua in ſummo bene fecit; opus quippe cœli & terræ, angelorum & hominum, & aliarum creaturarum adeo bene fecit, ut melius excogitari nihil poſſit,* & quidem ob nobiliſſimos hos fines. 1. Ut Deus in omnibus ſuis operibus ab omnibus creaturis glorificetur. 2. Ut ab Angelis & hominibus ametur. 3. Ut in omnibus etiam minutiſſimis adimpleatur ejus ſanctiſſima voluntas. De his dixit Chriſtus D. apud S. Joan. c. 8. 50. 1. *Ego non quæro gloriam meam; ſed, honorifico Patrem meum.* 2. *Ut cognoſcat mundus, quia diligo Patrem.* 3. *Non quæro voluntatem meam, ſed ejus qui miſit me.* Exemplo Chriſti D. & vos in omnibus quærite gloriam & honorem Dei, ita in omnibus agite, ut cognoſcat mundus, quia diligitis DEUM; ita vivite ut in omnibus adimpleatis ſanctiſſimum ejus beneplacitum; ita in operibus veſtris eritis præcellentes & perfecti; ita laxabitis retia veſtra in nomine DOMINI, ita rectam habebitis intentionem; cujus ut eſſentiam, proprietates, fructus & effectus intelligatis, hæc ſimilia conſiderate.

§ 3. *Bona intentio, eſt trochlea architectoria.*

Architecti habent machinam ſive inſtrumentum, quod vocant *trochleam.* Ingentia ſaxa, ligna ponderoſiſſima, prægrandes ſtatuas, leonum, aliorumque animalium, ſublimes columnas; verbo qualecunque pondus, hoc inſtrumento pauci homines exiguo labore, elevant in altum. Omnes noſtræ actiones, ob corruptam noſtram naturam, jacent quaſi humi, ſunt graves, terreæ, plumbeæ; ſenſuales hominis inclinationis & affectus natura ſua tēdunt deorſum; ſi vero quis hanc machinam illis applicat, ſi huc rotæ imponat, ut elevantur in altum, hoc eſt, ſi ideo laboremus, ſi v. g. oremus, ſi ſtudeamus, ut DEUS glorificetur, ad majorem DEI gloriam; ad majorem ejus cultum & honorem. Si accedat, trochlea vel rota divini amoris, ut in iiſdem operibus DEUM amemus; ſi deniq; accedat rota illius deſiderii, ut adimpleamus ſanctiſſimā ejus voluntatē ecce machinas & inſtrumenta, quibus actiones noſtras elevare poſſumus ad ſublimem perfectionem; & ut in operibus noſtris ſi-

mus

Digitized by Google

mus præcellentes, ut laxemus retia noſtra in nomine Domini. Quo puto reſpexiſſe Senecam, cum dixit lib. 1. de benef. c. 6. *Animus eſt qui parva attollit.* dico ego, bona intentio, etiam minimas actiones hominis, attollit ad altiſſimam perfectionem.

2. Quod architecto, præſertim murario, dum altum erigit murum, eſt regula vel funiculus; quem applicat ſæpiſſime, ut ædificium debita proportione & æqualitate ſurgat in altum, hoc in actionibus noſtris eſt bona intentio. Omnes ſumus architecti (S. Paulus uſus fuit hoc ſimili,) in hoc mundo, ut erigamus Deo templum vivum, in quo habitat in nobis, per ſuam gratiam, proinde neceſſe eſt, ut certas regulas & funiculos applicemus frequentiſſime. Conſideramus ne ſubinde per diem, an illa quæ agimus, tendant ad Dei gloriam, an intendamus Dei amorem, & ut fiat ejus ſancta voluntas? hæ conſiderationes, hæ piæ cogitationes, ſunt bonæ intentiones, & regulæ, quas ſi ſequamur, elegantiſſime exſtruemus palatium perfectionis. Si utamur his regulis, non errabimus. *§. 4. Eſt regula ſive funiculus.*

3. Quod nautis eſt gubernaculum navis, & ſtella polaris; hoc nobis eſt bona intentio. Cum navis fluctuat in alto; cum abripitur à ventis, cum navicula elevatur in altum, cum deprimitur in profundum, cum impellitur ad dexteram, cum ad ſiniſtram; præſertim ſi atra nox & denſæ tenebræ incumbant Oceano, peritus navarchus, in his duobus eſt ſollicitus, ut bene dirigatur navis gubernaculum; & ut ad ductum magnetis ſemper præ oculis habeat ſtellam polarem. Hoc ſidus nautis oſtendit optatam ſemitam, etiam per immanes fluctus. Quales in hac vita ſumus piſcatores, quales architecti, tales ſumus nautæ; per tempeſtuoſum mare hujus mundi navigamus, & tendimus ad optatum portum æternæ gloriæ. In hoc deſudare debemus; ut gubernaculum navis noſtræ ſit bona intentio. Sollicitis oculis in omnibus reſpicere debemus ſtellam polarem. Lucidiſſima ſtella eſt divina gloria; lucidiſſima ſtella ejus amor, ſidus lucidiſſimum ſancta ejus voluntas; ſi in actionibus noſtris, in cogitationibus, in verbis, in factis has ſtellas reſpiciamus, errare non poſſumus. Hæ intentiones, talia deſideria glorificandi & amandi Deum, recta nos ducunt ad portum æternæ gloriæ. Cor hominis repletum vel flagrans his deſideriis & affectibus, S. Gregorius *§. 5. Gubernaculum navis, & ſtella polaris.*

gorius hom. 5. in Evang. eleganter vocavit, *auream arcam* (dicam ego Navim, ut maneam in metaphora) *repleta bona voluntate*. Hæc bona voluntas eſt recta intentio.

§. 6. *Oculus.* 4. Quod ſagittario, qui collimat in ſcopum, eſt oculus; hoc nobis eſt bona intentio. Sine oculo ſagittarius nunquam attinget ſcopum; neque nos ſine bona intentione attingemus optatos fines. Neque ſine fundamento, intentio comparatur oculis. Inter membra hominis, oculis, præſertim in facie, quæ omnibus patet; oculis nihil eſt elegantius; nec quidquam pulchrius eſt in noſtris actionibus, quam bona intentio. S. Bonaventura & Balduinus inquiunt, *In corde ſic eſt puritas intentionis, ut in decoro vultu oculorum pulcritudo*. Quæ ſponſo in ſponſa adeò placuit, ut dixerit Cant. 1. v. 14. *Ecce tu pulcra es amica mea, ecce tu pulcra es; oculi tui columbarum*. Ex verſione hebraica alii hunc verſum ſic legant, *Oculi tui rapientes, deprædantes, vim inferentes.* adeo ut ſponſus alias dixerit ſponſæ, *Averte oculos à me, quia ipſi me avolare fecerunt*. Sed de his alias; has modo puto eſſe cauſas comparationis inter oculum & bonam intentionem. 1. Oculi ſunt noſtri ductores, ut in via aliqua, recta tendamus ad præfixum terminum; pari ratione ad propoſitam metam æternæ gloriæ bonæ intentiones nos recta dirigunt, per viam mandatorum Dei. 2. Sicut ſagittarius, ſi ſcopum tangat, id aſcribere debet oculo; ita ſi & nos obtineamus finem noſtrum, aſcribere debemus intentioni, quæ inſtar lucidiſſimi oculi ſolummodo reſpicit Dei gloriam, ejus amorem, & ſanctiſſimam voluntatem. 3. Oculi in humano corpore, ſunt pulcherrimum ejus ornamentum; noſtras actiones, nihil magis ornat & perficit, quam intentio. Juxta Hippocratem à ſanitate, & ex ſignis oculi, medicus poteſt ferre judicium, de interiori diſpoſitione corporis; ſacerdotes olim Ægyptii, cum pro victimis offerebantur columbæ, inſpiciebant oculos; an eſſent puri, lucidi & pulchri; pulchritudo oculorũ fecit illas dignas ut offerrentur diis, eadem dicenda ſunt de bona intentione, ex illa judicium ferre poſſumus, qualia ſint opera noſtra, in conſpectu altiſſimi, & an non digna ſint, ut offerantur Deo in odorem ſuavitatis.

§. 7. *Aureæ ſa-* Cum fecerim ante mentionem ſagittarii; occurrunt mihi SS. Patres qui ſanctas intentiones vocant aureas ſagittas, quibus, in actionibus

nibus

nibus noſtris veluti cœleſtes ſagittarii collimamus in propoſitum ſcopum, ad Dei gloriam, amorem, & ſanctiſſimum ejus beneplacitum. Affectuoſa refertur viſio, in qua perſona quædam ſancta, vidit Chriſtum D. dextera geſtantem aureum circulum, in medio circulo pulcherrimum cor, aureis catenulis illi alligatum. Hunc circulum, hoc cor, Chriſtus D. poſuit veluti ſcopum, pro electis ſagittis. Et vidit peritos ſagittarios iiſdem ad hunc ſcopum collimantes, cum hac differentia: Aliquorum tela fuerunt plane languida, vix emiſſa in altum, rediere ad terram. Alii tetigerunt lineam aurei circuli, & exiliere veluti ex ſilice, ardentes ſcintillæ. Pauculi ſuis ſagittis ipſum cor vulnerarunt, ex quibus vulneribus, roſei ſanguinis defluxerunt guttæ, intermicantibus lucidiſſimis radiis. Admirabundæ Virgini dixit vox de cœlo. *Aureus circulus eſt divina miſericordia, circumdata iride veluti aurea corona, & miſericordiarum ejus non eſt finis, durabit in ſæcula ſæculorum.* Aureæ catenulæ ſunt infinita Chriſti D. merita, & gratiæ, quarum theſaurus eſt infinitus. Centrum hujus circuli, eſt benedictum & ſuaviſſimum cor Jeſu Salvatoris. Sagittarii ſunt illi qui in ſuis actionibus deſiderant placere Deo. Sed ſunt aliqui in illis tam tepidi, & languidi, tam parum ſolliciti, ut in operibus ſuis ſint præcellentes ut ſancta eorum deſideria non valde ſurgant in altum; ſed potius repant humi, quales ſunt qui terram & ſenſualitatem ſapiunt. Altius tendunt aliorum ſagittæ; qui deſiderant Dei gloriam, &c. ſed ſuo commodo, ut evadant infernum, ut obtineant cœlum; hi tangunt circulum divinæ miſericordiæ, cum ſcintillis, ſive ardentibus affectibus, & aſſequuntur optatum finem, gratiam in hoc, gloriam in futuro ſæculo. Pauculi, qui ſepoſito omni commodo, ſine reſpectu ad infernum vel cœleſtem gloriam, vel ut ille ait, *etſi infernus eſſet extinctus, etſi cœlum eſſet combuſtum, nihilominus in ſuis actionibus, nihil aliud intendunt, quam Dei gloriam, ejus amorem & adimpletionem ſanctiſſimæ voluntatis*; hi aureis ſuis ſagittis tangunt cor Jeſu, ut dicat cum ſponſo, vulneraſti cor meum, ſoror mea ſponſa, in uno oculorum tuorum. Unus oculus eſt, unius Dei quærere gloriam, nihil aliud. Unus oculus eſt, nihil, nihil velle amare niſi Deum! unus oculus eſt, hoc velle, ut in omnibus unius Dei voluntas. Ex his vulneribus vul-

gitta. Pulcra viſio.

bus vulnerati cordis Jeſu defluunt ſuper tales precioſæ guttæ ſanguinis Jeſu, cum imbre gratiarum, & lucidiſſimis radiis illius amoris, quo viciſſim Chriſtus Salvator noſter, nos proſequitur.

§.8. *Inſignes ſagittarii,* Talis ſagittarius fuit David, cum dixit pſ. 56. v.8. *Paratum cor meum Deus.* Talis ſagittarius fuit S.Paulus, cum dixit 2.Cor.5.v.14. *Caritas Chriſti urget nos.* S. Ignatius dicere ſolitus, *omnia ad majorem Dei gloriam.* Talibus ſagittis uſa fuit Seraphica S. Thereſia, cum ardentiſſimis deſideriis vovit, ſe ſemper id facturum, de quo ſibi conſtaret, id præcipue fore ad Dei gloriam. Aurea ſagitta fuit hoc deſiderium ſponſæ, Cant. 2.v.17. *Dilectus meus mihi & ego illi.* Inſignis ſagittarius fuit ille coquus, qui interrogatus à Climaco, quo medio magnam fuiſſet aſſecutus perfectionem, reſpondit, *Ego nunquam exiſtimavi, me hominibus ſervire, ſed uni Deo.* Angelicus denique ſagittarius, fuit Angelicus Doctor S. Thomas de Aquino; ex quo cum quæreret Chriſtus D. quam mercedem pro ſuis laboribus exigeret; reſpondit breviter, & ad guſtum ſponſi, *Nihil præter te mi Ieſu,* Hæc eſt aurea intentio, in omnibus quærere ſolum Deum, & ad illius gloriam operari omnia.

§.9. *Rara Hiſtoria de Elephante.* Chriſtophorus à Coſta in hiſtoria ſua Indica refert. In urbe Colchin, elephanti nolenti ex aquis extrahere navim, à magiſtro fuiſſe dictum, faceret hoc in gratiam Regis Luſitaniæ; & ſtatim murmure quodam elephas formavit hanc voculam, *Hoo, Hoo*; id eſt, malabarice, *Volo! Volo!* & ſubito extraxit navim. Experientia docet multa quotidie nobis occurrere valde dura & aſpera; & à quibus corrupta natura noſtra, ſive ſenſualitas valde abhorret, v.g. mortificare membra ſua, affigere illa cruci, ignoſcere inimicis, & ſexcenta talia. Sed mi homo, quæſo, ignoſce inimico tuo, in gratiam Jeſu Salvatoris tui. Quiſquis in operibus ſuis vult eſſe præcellens, reſpondebit, *Volo! Volo!* (hoc modo facile poterit hæc inductio fuſius amplificari.) & hæc eſt eſſentia bonæ intentionis, velle in omnibus placere Deo, & ejus voluntatem adimplere.

§.10. *Ingens differentia inter ſacrificium Caini, & Abelis.* Cap. 4. Gen. v.3. ait. *Factum eſt, ut offerret Cain de fructibus terræ munera Deo; Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum, & reſpexit Dominus ad Abel, & munera ejus. Ad Cain vero & munera ejus non reſpexit.* Referunt Rabini, hoc ex

ipſo

Digitized by Google

ipſo fumo ignis ſacrificii fuiſſe demonſtratum. Fumus ſacrificii Caini, & flamma ejus non aſcenderunt ſurſum, ſed ad latera circumquaque ſe dilatarunt, hærentes ſuper terram. Flamma & fumus ſacrificii Abelis, aſcendit recta ſurſum per modum coni, uſque ad altitudinem nubium. Cain refert illos, qui in ſuis actionibus, nil niſi terram quærunt; magis ſuum commodum, quam Deum. Abel vero illos, quorum intentiones, veluti ſcintillæ, & odorati odores de virgula fumi, de corde bono, recta aſcendunt ſurſum, & nihil quærunt niſi gloriam Dei. Finiam primam concionis partem, dicto S. Gregorii M. & S. Auguſtini in præf. in pſalmos. *Bonum opus intentio facit: non valde attendas, quid homo faciat, ſed quid, cum facit aſpiciat* Lib. 1. Reg. c. 16. v. 7. *Ne reſpicias vultum ejus, neque altitudinem ſtaturæ ejus, quoniam abieci eum, nec juxta intuitum hominis ego judico: homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* Idem veriſſimum eſt in præſenti materia, corda noſtra, ſive, bonas noſtras intentiones Deus intuetur.

§. 11. *Offerre opera ſua in nomine Chriſti, eſt illa unire, cum infinitis ejus meritis.*

Reliquum eſt, ut breviter vobis proponam alteram partem hujus concionis; quid ſit, laxare retia; vel offerre Deo opera, & actiones ſuas in nomine Chriſti. Varie id exponunt SS. Patres; placet mihi modo eorum opinio, qui nos monent, ut noſtras actiones uniamus cum operibus & infinitis meritis Chriſti D. juxta illud S. Pauli ad Coloſſ. cap. 3. v. 17. *Omne, quodcunque facitis, aut in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Quod fit, dum deſideramus, ut opera noſtra placeant Deo, non ob noſtram perfectionem vel ſanctitatem, ſed propter infinita merita Chriſti Salvatoris noſtri; præſertim ob ejus mortem & pretioſum ſanguinem, quem in ara crucis pro nobis effudit. Ite, accipite guttulam aquæ, & infundite dolio præſtantiſſimi vini; ite, miſcete guttulam plumbi, cum copioſo liquefacto auro; guttula aquæ, ſi in vinum non convertitur, ſaltem ſapit, olet ut vinum, & guttula plumbi mixta auro videtur tota aurea. Guttulæ aquæ, vel plumbi ex ſe ſunt actiones noſtræ; ſed ſi projiciantur in infinitum mare, & abyſſum meritorum Chriſti Domini & ipſæ convertuntur in aurum.

§. 12.

Purpureus pannus, etiam nobiliſſimus, prius candidus eſt ex

 lana, *Aff[illegible]*

modus uniendi ſuas actiones, cum ſanguine Ieſu. lana, neque rubet, antequam intingatur cocco. Neque noſtræ actiones valde erunt pretioſæ, antequam uniatur cum pretioſa purpura ſanguinis Jeſu Crucifixi. S. Gertrudi olim apparuit Chriſtus D. cum S. Joanne Evangeliſta, à quo veluti amanuenſi, deſcripta quædam fuerunt, atramento, alia aliis pulchris coloribus; elegantiſſime fuerunt deſcripta illa, quæ notavit calamo, quem ante immerſerat, vulnerato pectori, & pretioſo ſanguini diviniſſimi cordis. Hoc facite animæ piæ! v.g. vis orare; quæſo ſume calamum tuæ intentionis, immerge prius cordi Chriſti D. tinge ejus ſanguine, & dic; Mi Jeſu, hanc orationem tibi offero; ſed unitam pretioſo ſanguine, dilecti filii tui Jeſu, &c. (ſic de aliis actionibus.)

§. 13. *Aliud ſimile.* Iſaaco, Jacob, indutus à Rebecca odoratis veſtimentis fratris ſui Eſau, adeo placuit, ut dixerit Iſaac. *Ecce odor filii mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* q. d. olfacio roſas & lilia! olfacio odores florum campi; & hic eſt odor veſtimentorum filii mei! benedicat tibi Deus, &c. Hoc agite Auditores cum per ardentes v.g. orationes cœleſtes deſideratis obtinere benedictiones; cum actionum veſtrarum munera, veluti victimas imponitis ſuper altaria cordium veſtrorum, induite prius odorata veſtimenta, fratris noſtri, dilecti Filii D. N. Jeſu Chriſti; induite v.g. veſtem humilitatis; hoc eſt, demiſſiſſimos actus hujus virtutis, offerte, & unite cum meritis Jeſu, &c. & ſentiet cœleſtis Pater odorem horum veſtimentorum, & benedicet nobis.

§. 14. *Aureum documentum Ludovici Bloſii.* S. Gertrudis frequenter hæc verba volvebat in corde, & ore proferebat. *O Deus hoc opus tibi offero, per Chriſtum Filium tuum, ad tuam laudem.* Et cœleſti lumine de cœlo irradiata agnovit hunc cordis & oris affectum valde placere Deo. Addit Ludovicus Bloſius in ſpec. ſpirit. cap. 5. *Si bona opera, & exercitia tua copulaveris, unierisque actibus & exercitiis Chriſti, atque ita obtuleris illa Deo in laudem æternam, erit ſane illa oblatio, Deo longe gratiſſima; & opera tua claritatem dignitatemque ineffabilem accipient, ex actibus Chriſti quibus uniuntur;* Plumbum tuum, ut ita dicam, mutabitur in aurum optimum, & aqua tua in vinum excellentiſſimum. Iſta omnia Dominus, familiariſſimis ſuis revelare dignatus eſt, ut nos hac ratione opera noſtra reddamus nobiliſſima; hac ratione inopiam noſtram

Digitized by Google

noſtram, ex inexhauſto meritorum Chriſti theſauro ſublevemus, & animas noſtras ejuſdem meritis exornemus, hac denique ratione pro peccatis noſtris faciliime ſatisfaciamus. (ex his fiat devotus epilogus, cum conglobata & brevi repetitione totius concionis.)

CONCIO XXXIV.

DOMINICA VI. POST SS. TRINITATEM.

Ego autem dico vobis diligite inimicos veſtros.
Matt.5.v.44.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Continet tres diſcurſus, de tribus efficacibus motivis, ut diligamus inimicos. 1. Chriſtus juſſit. 2. Sine illa dilectione opera noſtra non ſunt grata Deo. 3. Si volumus, ut noſtra peccata nobis dimittantur, debemus & nos dimittere.

§.1. *Longanimitas Samuelis erga ingratum populum, fuit figura caritatis, quam deinde prædicavit Chriſtus D.*

§.2. *Ingens Deo, & Chriſto D. eſt lætitia, ſi ob dilectionem erga inimicos ſimus filii Dei.*

§.3. *Quanta ſit difficultas præcepti de diligendis inimicis.*

§.4. *Sed redditur nobis ſuave, ob auctoritatem legislatoris, qui eſt cæleſtis ſponſus, dilectus Ieſus.*

§.5. *In quo conſiſtat latitudo caritatis in Chriſto, quam nobis commendat S. Paulus ad Epheſ.3*

§.6. *Cur Chriſtus D. in cruce voluerit pendere inter duos latrones.*

§.7. *Voculis his*, Pater præcepit, fratres Joſephi *ab illo obtinuerunt perfectam injuriæ condonationem.*

§.8. *Applicatio, & apoſtrophe ad Auditores.*

§.9. *David præcepit, ne quis manum*

num mitteret in Abſolonem: Ieſus vult, ut nos non noceamus ulli inimico.

§.10. Pulchrum eſt, poſſe! & tamen nolle nocere! exemplo Davidis.

§.11. Cur ſponſus pſ. 44. dicatur præcinctus gladio, non armatus.

§.12. Qui hoſti parcit, illum Deus peculiariter protegit, & tuetur.

§.13. Sine inimici dilectione, opera noſtra non ſunt grata Deo.

§.14. Si vis tibi peccata tua dimitti, dimitte.

§.15. Proſecutio.

§.16. Quomodo publicanus tam celeriter, obtinuerit Iuſtificationem.

§.17. Epilogus.

§.1. Longanimitas Samuelis erga ingratum populum, fuit figura caritatis quam deinde prædicavit Chriſtus D.

SAnctus Gregorius M. lib. 5. cap. 2. In l. 1. reg. dum agit de longanimitate & benevolentia Samuelis erga populum; id temporis ſibi valde infenſum, & cujus erat odio atque execrationi expoſitus, ſic eleganter diſcurrit, *Lex Moyſis præcepit, & ait, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum, & nunquid, qui ex Iudæis illum oderant, abjiciebant, calumniabantur; nunquid tales erant inimici Samuelis? cur nihilominus ait, abſit à me hoc peccatum in Dominum, ut ceſſem orare pro vobis? niſi quia vir ſanctus, ad caritatis verticem ſublimatus, non ſolum diligebat amicos, ſed ipſos etiam complectebatur inimicos; legis quidem veteris mandato inſtructus, ſed nova gratiæ fulgoribus illuſtratus, licentiam vetuſtatis, Evangelica perfectione reprehendit.* Hæc Samuelis benevolentia erga ſuos hoſtes, fuit figura illius caritatis, quem deinde Samuel cœleſtis, Chriſtus Dominus erga ſuos inimicos in ſe expreſſit, eandemque omnibus gravi præcepto commendavit, dicens: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros, benedicite his qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, ut ſitis filii Patris veſtri, qui in cœlis eſt.*

§.2. Ingens Deo & Chriſto D. eſt lætitia ſi ob dilectionem

Super quæ ultima verba ita ait S. Cyprianus. *Si hominibus lætum eſt & glorioſum, filios habere conſimiles, & tunc magis generaſſe delectat, ſi ad patrem lineamentis paribus, ſoboles ſubſciſiva reſpondeat; quanto magis in Deo Patre lætitia eſt, cum quis ſic ſpiritualiter naſcitur, ut in actibus ejus, & laudibus, divina generoſitas prædicetur.*

Ap-

Digitized by Google

Applicemus hæc Chriſto Salvatori noſtro; ille pater noſter eſt, ille nos genuit in monte Calvariæ ſub arbore crucis, cum in illa exſpirans ſua morte & ſanguine nos redemit, & mortuos ad vitam ſpiritualem ſuſcitavit. *erga inimicos, ſimus filii Dei.* Nunquid cernitis Patris noſtri lineamenta? in capite ſpineam coronam? in manibus & pedibus profunda Vulnera? in toto corpore livorem? Pulchriora fuerunt lineamenta animæ, divinæ & heroicæ virtutes, humilitas profundiſſima, paupertas extrema, obedientia perfectiſſima, caritas erga Deum & homines, & quod maxime admirandum eſt, erga hoſtes, ardentiſſima, Jam vero ſi parenti naturali lætum & glorioſum eſt, videre filios ſibi ſimiles, quæ lætitia, qualis gloria, eſt Jeſu meo dulciſſimo, ſi contingat nos, qui filii ejus ſumus ſecundum gratiam, in his virtutibus, in humilitate, in paupertate, in obedientia, in caritate, eſſe quam ſimillimos? ſic generaſſe, hoc eſt, mortuum eſſe in cruce, effudiſſe ſanguinem, ſuſtinuiſſe tormenta; delectat. gaudet ſe in cruce oraſſe pro inimicis; ſi illum imitemur. Hanc virtutem S. Cyprianus auſus fuit appellare, *divinam generoſitatem.* Tertullianus in apolog. cap. 50. ait, inimicos diligere, illis benefacere, eſſe *æmulationem rei divinæ*: Heſychius ait: retribuere bona inimicis, hoc: Divinitati convenit. Proponam itaque hac concione diſcurſus aliquot ex ſanctis Patribus, ſuper hodiernum Evangelium, qui movere nos poterunt, ut & nos, exemplo Chriſti D. non odio, ſed amore, inimicos noſtros proſequamur.

§. 3. Quanta ſit difficultas præcepti de diligendis inimicis.

S. Hieronymus l. 2. adverſ. Pelag. Evangelici hujus præcepti, *Diligite inimicos veſtros,* difficultatem mire exaggerat, *Mea eſt poteſtatis*, inquit, *ut non habeam aliquid contra fratrem meum, ut autem ille adverſus me non habeat, in illius voluntate conſiſtit; quid ergo faciam, ſi ille reconciliari noluerit? obſecrem? flectam genua? ſed audire contemnet. An obtorto collo nolentem, in jus amicitiæ traham? & quæ eſt major inimicitia, quam amicitias neceſſitate ſociare! quid homini ingenuo, & animo nobili atque generoſo poteſt ſuggeri difficilius?* Ideoque ſubdit S. Hieron. *Non quod impoſſibilia Deus præceperit, ſed in tantum patientiæ culmen aſcendit, ut prope impoſſibilia, pro difficultate nimia præcepiſſe videatur.* Sic eſt, ſed ob eandem cau-

cauſam, divina eſt generoſitas, eſt æmulatio rei divinæ convenit divinitati, huic præcepto ſatisfacere.

§. 4. *Sed redditur nobis ſuave, ob auctoritatem legislatoris, qui eſt cœleſtis ſponſus dilectus Ieſus.*

Ut vero illud nobis reddatur ſuave & facile, inprimis, oculos in illum conjicere debemus, qui illud nobis impoſuit Chriſtum Jeſum Salvatorem noſtrum; & quidem cum hac circumſtantia, quod divinus legislator, non tantum verbis nobis præceperit, diligere inimicos, ſed ipſe ſanctiſſimo ſuo exemplo illud confirmarit. Conſiderationem hanc mihi ſuggerit ſponſa illis verbis Cant. cap. 2. v. 4. *Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me caritatem.* Suppono modo, vinum præcipue generoſum, quale fuit in cella Regis Salomonis, hoc loco & alibi in ſacra ſcriptura, eſſe ſymbolum amoris; quo vino inebriata fuit ſponſa, cum ſponſum ſuum, ardentiſſime ad deliquium & languorem uſque amare, cum inebriata dormiret, ſed corde interim vigilaret. His modo non inhæreo, ſed adverto pulcerrimam doctrinam ſuper hodiernum Evangelium latere, in verbo, *Ordinavit.* de quo Guilhelmus Abbas apud Delrium, *Hoc vino potatam ſponſus adhuc alio accumulavit beneficio, ne non, ut oportet, amaret; docuit eam, quomodo inprimis Deum debeat diligere, proximum, ut ſe ipſum, denique, & hoſtem eatenus, ut malum malo non rependatur, ſed cum injuria beneficium commutetur.* Hic eſt pulcerrimus ordo caritatis. 1. diligere Deum ſuper omnia. 2. Proximum ſicut ſe ipſum. 3. Propter Deum, propter Chriſtum D. qui illud mandat, & præcipit, etiam hoſtem diligere. Ut ſponſa Chriſti ad hoc culmen perfectionis pertingat, neceſſe eſt, ut prius à ſponſo ducatur in cellam caritatis, & inebrietur generoſo vino ardentiſſimæ dilectionis erga Deum.

§. 5. *In quo conſiſtat latitudo caritatis in Chriſto, quam nobis commendat S. Paulus ad Eph. 3.*

De hoc ordine ait S. Paulus ad Epheſios cap. 3. v. 16. *Vt det vobis ſecundum divitias gloriæ ſuæ, virtute corroborari per ſpiritum ejus in interiorem hominem, Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris, in caritate radicati, & fundati, ut poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo, ſublimitas, & profundum,* quærit Arnoldus Carnotenſis, quænam ſit illa latitudo caritatis in Chriſto, quam S. Paulus nobis proponit imitandam, ut in nobis quoque ſint divitiæ gloriæ ejus, ut &c. & reſpondet ſuper verba illa à Chriſto D. in cruce prolata, *Pater ignoſce illis*: *Latitudo caritatis*

Digitized by Google

ritatis in Chriſto, zeli amplitudine univerſa complectitur; cum ægris infirmatur, cum iis, quibus eſt ſcandalum uritur; extendit ſe, & ſuperfertur afflictis affectu nutritio, expanſiſque alis pullos implumes aggregat, & fovet, & protegit, & ſe ipſum, in tutelam parvulorum exponens, negligit, neque alios ut defendat, formidat. Iuſtum & impium ſimul complectitur. Chriſti caritas tam eſt lata, ut nulli ſe neget, non amico, non inimico. Facile vobis erit, ex his cognoſcere, an & in vobis ſit hæc latitudo caritatis.

§. 6. *Cur Chriſtus D. in cruce voluerit pendere inter duos latrones.*

Matt. 27. v. 38. *Crucifixi ſunt cum eo duo latrones, unus à dexteris, & unus à ſiniſtris.* Et cur admiſit in conſortium hos latrones, per quos Judæi famam illius & gloriam voluerunt obſcurare? ſic illuſtrarunt latitudinem & pulcherrimum ordinem divinæ caritatis. Arnoldus Carnot. *Hujus latitudinis myſteria Chriſtus etiam inter ſupplicia commendans, in eo, quod expanſis manibus, elevataque læva & dextera, inter latrones ſe medium exhibebat, volebat intelligi commune eſſe illud beneficium*, (Id eſt, ſuam mortem, ſanguinem, vulnera) *& non ſolum bonis, ſed & impiis, quod agebatur proficere, & ſe potius medicamina illa ægris propoſuiſſe, quam ſanis & gratia illa, pari libertate donaſſe eos, qui de libera, & eos, qui nati fuerant de ancilla.* Tam ampla fuit latitudo caritatis in Jeſu, ut multorum flagitiorum reos ad mortem damnatos, à quibus blaſphematur, à ſuis brachiis, noluerit excludere. Impiis quoque obtulit divitias ſuæ gloriæ, ſuum ſanguinem, mortem, omnia. His itaque verbis in hod. Evang. *Ego dico vobis, &c.* vult in nobis ordinare caritatem, vult ut illam ad inimicos etiam extendamus,

§. 7. *Voculis his, Pater præcepit, fratres Ioſephi ab illo obtinuerunt perfectam injuriæ condonationem*

Qui illud vult, ut antea inſinuavi, eſt Chriſtus D. Salvator noſter. Gen. 50. ait v. 14. *Reverſus eſt Ioſeph in Aegyptum cum fratribus ſuis ſepulto Patre. Quo mortuo timentes fratres ejus, & mutuo colloquentes, ne forte memor ſit injuriæ, quam paſſus eſt, & reddat nobis omne malum, quod fecimus, mandaverunt ei dicentes, Pater tuus præcepit nobis, antequam moreretur, ut hæc tibi verbis illius diceremus, obſecro ut obliviſcaris ſceleris fratrum.* Opinio fratrum fuit hinc, vix fore poſſibile, Joſephum ex corde poſſe obliviſci illatam injuriam, & poſt mortem Patris non cogitaturum de vindicta; aliunde putarunt, non extorturos ſe efficaciori argumento perfectam condonatio-

nationem, quam revocando Joſepho in memoriam, auctoritatem defuncti patris, quaſi dicerent, Joſeph! frater amantiſſime! agnoſcimus nos reos; agnoſcimus eſſe tibi poteſtatem & occaſionem te ulciſcendi, de tam atroci à nobis illata injuria; hoc unicum nos ſolatur, hoc in ſpem nos erigit; quod Jacob Pater tuus, in ſuo agone præceperit ſe velle, ut nobis ignoſcas. Jacob, amantiſſimus tuus Pater hoc vult! *Quibus auditis flevit Ioſeph.* ait verſus 17. Et cur non fuit locutus? Reſpondet Venantius Fortunatus 4. Poëm. *Voce intercepta, tam viſcerum mærore, quam luminum flumine, dum loqui non permittitur, ipſo ſilentio patrem* (ego hic dico fratrem) *lacrymæ fatebantur.* Cajetanus. *Commotus affectus fraternus oſtenditur: uſque adeo ut ſe ipſum non potuerit continere, & præ fraterna teneritudine, motus ad lacrymas fuerit.* Joſeph, memor voluntatis & præcepti demortui ſui parentis, atrocem injuriam fratribus ex animo condonavit, & condonationis teſtes, voluit eſſe lacrymas, imo oſcula, quibus illos fuit amplexatus.

§. 8. *Apoſtrophe ad Auditores.*

Quis ſcit, an non ex præſentibus meis Auditoribus, non ſint aliqui, qui ab æmulis graviter ſint offenſi? timeo proinde, ne forte memores injuriæ, reddatis illis malum, quod fecerunt; timeo, ne non amoris, ſed furoris cogitationes voſmetipſos ſollicitent, timeo, ne vindictam ſpiretis. Equidem negare nolim, habere vos juſtas doloris cauſas. Eſt qui veſtram famam, bonumque nomen, quo nihil carius, nihil antiquius, ſtudet denigrare; an non dolori ſit vobis? eſt qui invidet gloriæ veſtræ; eſt qui fortunis veſtris ſtruit inſidias, eſt qui peſſima quæque contra vos machinatur, & non feratis acerbe? ut ut ſit, vindictam excludite, parcite, ignoſcite, hoc ego vobis ſum auctor, imo non ego, ſed Chriſtus ipſe, qui ordinatam in vobis exigit caritatem eo uſque illam extendite, ut etiam inimicos complectatur. Obſecro vos, amantiſſimi ut obliviſcamini, injuriarum; Pater noſter! Jeſus noſter! hoc imprimis præcepit; deinde idem ſuo id docuit exemplo; ideo lacrymas effudit in cruce, quibus voluit demonſtrare, commota eſſe viſcera ſua, nullamque ſe de vindicta cogitationem admittere, omnibus membris, brachiis, manibus, ore, corde ſpirat dilectionem. Fili, cogitas fortaſſis te pro alapa, velle alapam reponere? Obſecro! ne facias, Jeſus prohibet.

Digitized by Google

hibet. Cogitas? te quoque detracturum inimico, obſecro ne facias: dixit Jeſus moriens, ut injuriæ obliviſcaris, imo gratiſſimum illi erit, ſi injuriam commutes in beneficium.

Lib. 2. Reg. c. 18. v. 10. Vidit autem hoc quiſpiam, & nuntiavit Joab dicens, vidi *Abſolom pendere de quercu*, cum enim mulus ejus fuiſſet ingreſſus ſubter condenſam quercum, & magnam, adhæſit caput ejus quercui, & illo ſuſpenſo inter cœlum & terram, mulus, cui inſiderat, pertranſivit. Et ait Joab viro, qui nuntiaverat, *Si vidiſti, quare non confodiſti? Qui dixit ad Ioab. Si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in filium Regis, audientibus enim nobis, præcepit Rex, dicens; cuſtodite mihi puerum Abſolom.* Hæ ſunt hodie voces politicorum, hæ quæſtiones audiuntur in aulis Regiis; alapam accepiſti, & de vindicta non cogitas? ille te aſſerit fallacem, doloſum &c. & toleras? En eſt ad manum occaſio! an ultro incidit in caſſes meos fera! en habeo, quem diu quæſivi modum memet ulciſcendi! ecquis vetabit? pergam, ſtringam gladium, vibrabo ictum, fodiam, confodiam. Hic terminus eſto! At heus, ſiſte obſecro, quo miſer ruis? quo te præceps agit nocendi libido? Parcere! dum potes nocere! regium eſt: imo divinum eſt: audi porro: Rex Regum Chriſtus Jeſus, illum, quem tu odiſſe poſſes, diligit! Tui hoſtes, ſunt filii regii, filii Patris cœleſtis, fratres Chriſti! idem Rex, vult illos ſalvari; vult ut non noceas, vult ut diligas, vult ut benefacias. Ego ait dico vobis! ego creator veſter, qui vos eduxi ex nihilo, ego Redemptor veſter &c. ego benefactor veſter ſummus ac maximus. Ego Pater veſter amantiſſimus! ego qui vos olim cœlo, & cœli gaudiis cumulabo, &c. Ego inquam, aſpicite me, conſiderate me, dico vobis, diligite inimicos. An non æquum eſt, ut obſequamur. Sequar verba Davidis pſal. 103. v. 9. *Terminum poſuiſti* (ſcilicet fluctibus maris) *quem non tranſgredientur.* ait D. Baſil. Seleuc. orat 1. *Manet mare, præcepti memor, arena vinctum, nec præ vinctoris reverentia, vincula violat: vocemq; Prophetæ ratam facit; Terminum poſuiſti, &c.* Quanto magis nos docet eſſe memores præcepti divini, ut caritatis vinculis vincti, præ vinctoris reverentia in gratiam præcipientis Jeſu, non rumpamus vincula, neque Terminum hunc, i. e. ad vindictam unquam progrediamur, *Hæc eſt divina generoſitas, &c.*

§. 9. *David præcepit, ne quis manum mitteret in Abſolonem. Ieſus vult ut nos non noceamus ulli inimico.*

Digitized by Google

§.10. *Pulcrum eſt, poſſe & tamen non ulciſci: exemplo Davidis.*

Poſſe ſe ulciſci, & propter præceptum ſummi Regis, propter ultimam voluntatem, morientis Jeſu, qui id non vult, vincula dilectionis non rumpere, dilatare & ordinare ſuam caritatem, ad inimicos etiam, hoc pulchrum eſt, hæc divina eſt virtus. Lib. 2. Reg. cap. 16. v. 5. *Venit David uſque Bahurim: & ecce egrediebatur inde vir, de cognatione domus Saul nomine Semei, filius Gera, procedebatq; egrediens, & maledicebat. Mittebatque lapides contra David, & contra univerſos ſervos Regis David; omnis autem populus, & univerſi bellatores à dextero & ſiniſtro latere Regis incedebant.* Ecce! Rex cinctus militibus, in medio validiſſimi exercitus, injurium homuncionem, patienter audit, nec vel verbo ſpirat vindictam; nunquid præcipere potuiſſet, I miles: injice compedes, adduc ad me hominem nequiſſimum. Quid hoc mei milites? hoc mei duces? ut audiant me Regem vocari canem, & hoc diſſimulant? tolerant? ubi tela? ubi gladii? ergone neceſſe erit, ut ego vadam & regio enſe ſceleſtum confodiam? Abſint talia à manſuetiſſimo Davide. Aliter de illo loquitur D. Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum cap. 66. *Ibi memorabilis* (dico, pulcra) *humilitas ſub flagello Dei, & cervix regia Dominico jugo ita ſubdita, ut armatus, & comitatus armatis, amara ex inimici ore convitia patientiſſime ſuſtineret.* Quot verba, quot voculæ, tot emphaſes. Memorabilis humilitas, hoſtes noſtri, plerumque ſunt flagella Dei! Illis ita ſubdi, ut armati, non cogitemus de vindicta, ut ex ore inimici, audiamus tam amara, & tamen illa patientiſſime feramus hoc regium, hoc pulchrum, hoc glorioſum eſt. Quis niſi fortiſſimus Deus, niſi potentiſſimus Jeſus, niſi dilatata caritas, ſub tali jugo, humanas cervices poterit continere, ut non recalcitrent?

§. 11. *Cur ſponſus pſ. 44. dicatur* præcinctus gladio; *non armatus.*

Quo ſpectare videtur v. 4. pſ. 44. *Accingere gladio tuo, ſuper femur tuum potentiſſime. Specie tua & pulcritudine tua, intende proſpere, procede & regna. Propter veritatem & manſuetudinem, & juſtitiam, deducet te mirabiliter dextera tua.* O! Quoties legi vel oravi hunc verſum, & nunquam obſervavi pulcherrimam cogitationem doctiſſimi Patris Baeza, quod cœleſtis ſponſus, non vocetur pulcer, ob gladium, quem vibratum torquet in ſuos hoſtes; ſed quod in vagina illum contineat, id eſt, quod potentiſſimus ille

Rex,

Rex, quovis quidem momento, punire poſſit impios, inſtar fulguris vibrando gladium ſuum; longanimiter exſpectet, & parcendo, fortitudinem juxta, ac pulchritudinem ſuam oſtendat. Quod inſinuaſſe videtur Valerius Maximus, cum dixit; *Specioſius injuriæ vincuntur beneficiis, quam odii mutui pertinacia.* S. Athanaſius hom. in Evang. de paſſ. *Cæterum, ubi injuriam, ſicuti Dominus fecit toleramus, & convitiatoribus patientiam opponimus, & minantibus impavidum pectus, & morti ſpem immortalitatis, prorſus iſtiuſmodi rebus diſcruciamus inimicum, ſub iſtiuſmodi panoplia ſuccumbentem; quo genere armorum Paulus nos communiens inquit, Induite armaturam Dei, ut poſſitis reſiſtere diaboli inſidiis.*

Armatum clypeo patientiæ erga ſuos hoſtes protegit & tuetur Deus. Quis non miretur? l. 1. Reg. c. 26. v. 12. illo armatus David ingreditur ipſum tentorium, infenſiſſimi ſui hoſtis Saulis, & quia dormientem invenit. *Tulit David haſtam & ſcyphum aquæ, qui erat ad caput Saul, & abierunt, & non erat, quiſquam qui videret.* Quomodo hoc fieri potuit, ut ſine damno ingrederetur & egrederetur caſtra hoſtium? Reſpondet Cajetanus ibi. *Vide aſſiſtentiam divinam, benignitati David.* Quia David, cum poſſet, ultus non fuit, Deus fuit ejus protector. Inter hæc duo, generoſitatem divinam in homine, & divinam aſſiſtentiam ex parte Dei, ingens eſt connexio. Quia David in hoſtes fuit benignus, nullum ab iis, illi damnum inferri potuit; licet inferre vel maxime deſiderarent.

§. 12. Qui hoſti parcit, illum peculiariter tuetur & protegit Deus.

Sed tempus eſt, ut properem ad alios diſcurſus. Verba illa Chriſti D. *Si offers munus tuum, &c.* inſinuant, nullum noſtrum opus, fore Deo gratum, niſi reconciliemur inimicis noſtris. Verba hæc Chriſti D. in memoriam mihi revocant v. 48. Num. 31. *Cumque acceſſiſſent Principes exercitus ad Moyſen, & tribuni, centurioneſq́, dixerunt, nos ſervi tui recenſuimus numerum pugnatorum, quos habuimus ſub manu noſtra, & ne unus quidem defuit.* Sic habet litera. Orig. legit. *Et non diſſenſit ex nobis quiſquam. Et, ob hanc cauſam, offerimus in donariis Domini; vel obtulimus munus Domino.* Hoc eſt, cum milites ſacrificia voluerunt offerre Domino, voluerunt oſtendere, ſe eſſe liberos ab omni diſſenſione & diſcordia, & proinde ſperarunt munus ſuum fore gratum Domino. Orig. h. 26. in Num.

§. 13. Sine inimici dilectione, opera noſtra non ſunt grata Deo.

Digitized by Google

Num. *Neq; enim poſſet munera offerre Deo, poſiti in diſſenſione.* Rejicit & abjicit Dominus animos diſcordes, & ideo in hod. Ev. dicit Dominus; *Si obtuleris munus tuum, &c.* Euthymius hic. *Conſidera, amoris divini erga hominem, magnitudinem. Deſpicit honorem, qui ſibi exhibetur præ amore erga fratrem, tantum non dicens, Auferatur ſervitus mea, ut tu fratri reconcilieris.* Nam ſacrificium etiam eſt, fratrum reconciliatio, neque illam abſque hac ſuſcipit Pſ. 150. id eſt, in pſalmorum epilogo ait David. *Laudate Deum in chordis & organo.* Cur in chordis & organo? Reſpondet Orig. ſupra. *Diſcenda igitur nobis eſt, magnopere conſonantia disciplinæ, quia tanquam in muſicis, ſi harmonia chordarum fuerit conſonanter aptata, ſonum ſuavem modulati carminis reddit, ſi vero ſit aliqua in fidibus diſſonantia, ingratiſſimus ſonus additur, & carminis dulcedo corrumpitur, ita & ii qui Deo militant, ſi diſſenſiones & diſcordias inter ſe habeant, ingrata erunt omnia, & nihil acceptum Deo videbitur. Sed dicetur, ſi obtuleris, &c.* Cum Deum laudare volumus, &c. oportet dicere, quia non diſceſſit ex nobis quiſquam. Sacrificium eſt gratiarum actio; non erit Deo grata, niſi in chordis & organo. Sacrificium eſt ardens oratio, non tamen erit beneplacens, niſi in chordis & organo. Sacrificium eſt, quod in miſſa quotidie offertur Deo; ut aſcendat in odorem ſuavitatis, adhibeas thymiama caritatis. Conjuncta ſint hæc duo, caritas & pietas, Unio & devotio, Gratia & Concordia.

§. 14. *Si vis, peccata tua tibi dimitti, dimitte.*

Tertius diſcurſus hujus concionis, hic eſſe debuit, quem ſæpius audiviſtis, & quotidie oratis in oratione Dominica; *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus.* Dimitte, ſi tibi vis dimitti. Lib. 3. Reg. c. 17. v. 20. Elias effuſus in lacrymas ob mortem filii afflictæ viduæ ait ad Dominum. *Etiamne viduam afflixiſti, ut interficeres filium ejus?* Quod contigit illo tempore, quo Elias ob populi ſcelera iratus, illum in magna habebat afflictione, quia precibus ſuis clauſerat cœlos, ne pluerent, & erat fames magna. In gratiam viduæ Elias clamavit ad Dominum; ſed mox in illius perſona ait Baſil. Seleuc. orat. 11. *Video, quo me machinamento petas: ſentio, quibus à te artibus circumretitus ſim. Humanitate me reſpondere poſtulas: ut cum pro vidua filio ſupplicavero, Libera, O conditor, à morte filium viduæ, occurras & ipſe mihi hac concluſione, Libera igitur & tu filium*

meum

meum Iſraelem à ſiccitatis decreto. Sic neceſſum eſt, ut nos præſtemus aliis, quod præſtari nobis à Deo volumus. Præmittere nos debemus in proximos, quæcunque volumus ex Deo veniant nobis. D. Nicænus. *Iudicium de proximo, quod in tua poteſtate eſt, qualecunque fuerit, ſententia par erit, & reſpondebit: Quæ enim apud te ſtatueris, hæc tibi per Deum in divino Iudicio confirmabuntur.* Noſtra affectio, Deo erit pro exemplo, &c.

Clare Ecclеſ. c. 28. v. 1. & 2. *Qui vindicari vult à Domino inveniet vindictam, & peccata illius ſervans ſervabit.* Pulcre hic S. Aug. ſer. 181. de temp. *Forte peccavit in te aliquis; dimitte illi veniam à te petenti, ne dum fratri negas miſericordiam, tibi claudas Patris indulgentiam. Qui vindicari vult &c.* S. Auguſtino conſentit S. Chryſoſt. hom. 4. in gen. *Aut forte de inimico ulciſci, & eum qui malis te affecit, paribus vel majoribus plecti vis? & quid inde commodi? neq; tu aliquid utilitatis inde habiturus es; ſed propter hoc judicaberis, apud horrendum illud tribunal, ceu qui leges tanti Iudicis obliteraveris, & infregeris.* Lex Jeſu Chriſti ſanguine ſcripta eſt, *Diligite &c.* quisquis non facit, illam obliterat, & infringit; & horrendum illi erit judicium. Piiſſime idem S. Chryſoſtomus. *Hoc enim nobis potiſſimum in die illo terribili patrocinabitur, & redemptio maxima erit peccatorum noſtrorum, ſi ſic affecti fuerimus adverſus inimicos noſtros.* & addit in pſ. 5. v. *Tu ſis Iudex.* §. 15. *Profecutio.*

Finem imponat pulcherrimum exemplum ex c. 18. v. 11. S. Lucæ ubi Phariſæus ita oravit, Deus *ago tibi gratias, &c. velut etiam hic Publicanus. At hic* (S. Chryſoſt. hom. 2. de Dav. & Saule,) *procul ſtans, non regeſſit contumeliam, neque viciſsim dicit convitium. Non protulit iſta vulgaria verba, tune audes mea facta reprehendere? an tu me melior? referam & ego peccata tua, faxoq; ne unquam, in hæc ſacra conſcendas atria. Sed accepit probrum, & abluit probrum, agnovit peccata, & depoſuit peccata. Criminum accuſatio, facta eſt illi criminum remiſſio; & hoſtis inſciens, factus eſt beneficus. Quot labores erant publicano ſubeundi, ut jejunando, orando &c. tam multa peccata poſſet deponere? at nunc, cum nihil tale fecerit, ſimplici verbo omnia depoſuit; iniquitatem ac probra, convitiaq; Phariſæi, qui videbatur illum contumelia afficere, illi pepererunt juſtitiæ coronam, idque ſine ſudoribus, ſine laboribus, atque longa temporis mora,* non vindicando ſe. §. 16. *Quomodo publicanus tam celeriter obtinuerit juſtificationem.*

Egregie Chriſtiana illa Virgo, apud Taulerum, moriens interrogata, quomodo ad tantam ſanctitatem perveniſſet, reſpondit: *Iis, à quibus læſa fui, beneficium ſingulare rependi: quod non feciſſem, niſi læſa ab illis fuiſſem.* Mi Jeſu! fac quæſo te, fac idem ſentiat, idem ſapiat, idem ſpiret, idem loquatur & anima mea. O nos felices, auditores! ſi iis à quibus læſi fuimus, ſingularia ſtudeamus beneficia rependere! hæc eſt filiorum Dei indoles genuina; hæc eſt adipiſcendæ ſanctitatis methodus certiſſima; ſic beate vivitur! ſic generoſe dimicatur, ſic triumphatur glorioſe.

CONCIO XXXV.

DOMINICA VII. POST SS. TRINITATEM.

Miſereor ſuper turbam.

Matt 8. v.2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

QUibus funiculis Chriſtus D. poſt ſe in deſertum traxerit multitudinem plebis. 1. Suavitate ſermonis. 2. Manſuetudine morum, & dulci converſatione. 3. Munifica miſericordia.

§ 1. *Quanta Chriſtus D. in eremo, paucis panibus cibaverit multitudinem hominum.*

§ 2. *Quanta, ſuavitati verborum, in homine pulchro, inſit vis, ad trahendum ad ſe corda hominum: quod patuit in Juditha.*

§ 3. *Verba ſuavia, in ore pulchro, ſunt fortis gladius.*

§ 4. *Ex quo diſcurſu patet, cur plebis multitudo Chriſtum D. ſecuta fuerit in deſertum.*

§ 5. *Efficaciam ſuorum verborum Chriſtus D. immenſum auxit, admirabili quadam manſuetudine.*

§ 6. *Chriſtus D. fuit auceps, & venator.*

§ 7. *Conglobatio cauſarum, ob quas populus adhæſit Ieſu.*

§ 8. *Titulus tertius, quo Chriſtus D. poſt ſe traxit homines, fuit ejus miſericordia.*

§ 9. *Si Chriſtum D. velimus imitari, oportet nos imprimis eſſe pulchros in anima.*

§ 10. *Et mites, dulces, ſuaves in verbis ſanctis.*

§ 11. Et

Digitized by Google

§. 11. *Et manſuetos in opere.*
§. 12. *Denique miſericordes.*
§. 13. *Divites per miſericordiam debent mereri cælum.*

§. 1. Quare Chriſtus D. in eremo paucis panibus cibaverit tot millia hominum.

COmpertum habemus ex S. literis, quod Deus electum ſuum populum ex Ægypto modo mirabili, duxerit ad terram fluentẽ lac, & mel. Inter alias circumſtantias hanc admirantur interpretes S. Scripturæ, quod per annos 40. Iſraelitas Deus circumduxerit per deſertum, cum deducere potuiſſet via longe breviori. Admirationi huic eleganter ſatisfacit D. Chryſoſtomus. *Ne putarent, providentiam ſuam inter terminos alicujus loci, concludi, etiam ſuam virtutem demonſtravit in Eremo, cum enim deeſſent cibi, pluit illis manna de cælo, & ita oſtendit quovis loco ſe ſuis adeſſe.* In meditatione Ev. hod. mirari hoc poſſumus, quod ſuos Aud. integro tribuo deduxit in deſertum, cum magnis laboribus, & difficultatibus; puto ego cum D. Baſil. Seleuc. orat. 3. feciſſe hoc Chriſtum, *in potentiæ defenſionem*, arbitror cum aliis SS. Patribus, illum id feciſſe, *in defenſionem ſuæ providentiæ*, dico, hoc contigiſſe, *in defenſionem liberaliſſimæ ſuæ bonitatis*. Subdit D. Gaudentius tract. 11. de Patal. *Iam quinque panibus & duobus piſcibus ſatiaverat ingentem plebis multitudinem, & majore miraculo, convivium ſolvit. Amplior enim cibi appoſiti quantitate reliquiarum cumulus invenitur, tot plebis famelicis cohortibus ſatiatis.* Subdimus nos, ad ampliorem defenſionem ſuæ omnipotentiæ. Subdamus, ad ampliorem defenſionem ſuæ providentiæ, &c. addo denique, ad oſtenſionem ſuæ ſuavitatis, &c, quæ tot hominum millia poſt ſe traxit in deſertum. Quibus vero traxerit funiculis, hac vobis proponam concione. Attendite.

§. 2. Quanta ſuavitatis verborum in homine pulchro inſit vis, ad trahendum ad ſe corda hominum: quod patuit in Juditha.

1. Traxit Chriſtus D. poſt ſe integras populi turmas, ſuavitate ſui ſermonis, & dulcedine verborum, quibus doctrinam ſuam non tantum prædicabat, ſed omnes triſtes, & afflictos ſuaviſſime alloquebatur, verba enim ab ore pulchro profecta ſunt efficaciſſima. Admirabilis illis ineſt vis, & virtus, ut hominum corda, atq. affectus ad ſe rapiant. S. Script. pulchra mihi ſuggerit exempla. Judith. c. 11. egreditur ex urbe Bethulia; pulcherrima Juditha, in caſtra barbari Holofernis; Hæc dum à militibus in conſpectum illius adducta, multa illi de obſeſſa civitate referret, multa de obſeſſorum miſeriis,

& anguſtiis, de via & aditu, quem monſtratura eſſet in urbem, ait textus v. 18. *Placuerant autem omnia verba hac coram Holoferne, & coram pueris ejus, & mirabantur ad ſapientiam ejus, & dicebant alter ad alterum, Non eſt talis mulier ſuper terram in aſpectu, in pulchritudine, & in ſenſu verborum. Et dixit ad illam Holofernes, bona eſt promiſſio tua, ſi fecerit mihi hoc Deus tuus, erit & Deus meus.* Adeo ferus homo ſuavibus Judithæ verbis fuit emollitus, adeo fuit captus, illius ſermonibus, ut vero, & uni Deo promiſerit adorationem, qui plurimos falſos Deos, & Idola venerabatur. S. Aug. ſer. 228. de temp. *Judith enim, tam barbaros animos inſidioſi vultus ſui fraude confuderat, ut eos ligaret multarum arte fabularum, ut redderet inter exercitus vinctum, & inter arma captivum.* Expende ordinem. Juditha imprimis tenuit eos pulchritudine ſui vultus; deinde multus fuit ejus ſermo, ſed non niſi ſuavis, & gratioſus, iiſdem denique verbis ligavit Holofernem, & proceres, quaſi ferreis catenis captivos attineret. Tanta eſt verborum vis, quæ ex ore pulchro procedunt. Ideo ipſa Ita oravit ad Deum c. 9. v. 2. *Domine Deus patris mei Simeonis, qui dediſti gladium in defenſionem alienigenarum capiatur laqueo oculorum ſuorum in me, & percuties eum ex labiis caritatis meæ.* Mirabilem in hoc verſu adverto connexionem, ſciebat Juditha, Simeoni fortiſſimo duci à Deo fuiſſe datum fortem gladium adverſus gentes, in defenſionem Iſraelis, ipſa vero pugnatura contra hoſtem potentiſſimum, loco gladii, petiit decorem in facie, & verba caritatis in labiis ad perdendum tyrannum. Cur hoc? noverat ſcilicet, prudentiſſima heroina, fortius quid omni gladio ad captivandos homines eſſe, ſi hæc duo copulentur, nimirum lingua, & decor.

§. 3. *Verba ſuavia in ore pulchro ſunt fortis gladius.*

Hinc ait pſ. 44. v. 4. *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime. Specie tua, & pulcritudine tua intende, proſperare, procede, & regna.* Quæ verba ponderans Tertull. l. 3. in Marc. ait. *Rideo; ſi quem enſe ad bellum cingebat, ei de tempeſtivitate decoris, & labiorum gratia blandiatur.* Et cur regius Pſaltes ducem; quem ſuo gladio, hoſtibus vult eſſe terribilem, eundem commendat à ſpecie, & pulchritudine? quid pulchritudo confert gladio? Quis eſt iſte gladius, qui convenit pulcherrimo Regi. Fallor, ſi ob eandem cauſam non dicatur Apoc. 1. v. 16. de filio hominis, *de ore ejus gladius ex utraq; parte acutus exibat.* Symbolum, ſuaviſſimi ſermonis, ſive verborum, quæ ab

ore

Digitized by Google

ore pulchro prolata, omni gladio efficaciora ſunt ad captivandas gentes. Tertull. ſupra. *Licuit ergo Chriſto, enſe ſermonis præcingi, cui ſupra dicta tempeſtivitas congruat, & gratia labiorum, quo tunc jam cingebatur ſuper femur, apud Davidem.* Hoc eſt enim quod ait; extende, proſperare, & regna: extendens ſermonem in omnem terram, proſperaturus ſucceſſu fidei.

Colligamus ex hoc diſcurſu pulcherrimas cauſas, ob quas ingens turba populi Chriſtum D. fuerit ſecuta, non per unam aut alteram horam, ſed toto triduo, in deſertum, per valles, & montes. 1. Quia ſpecioſus fuit forma præ filiis hominum, verba ejus communi plebi ſupra modum grata fuerunt, & gratioſa. 2. Mirati fuerunt ſapientiam ejus. 3. dixerunt alter ad alterum, *non eſt talis ſuper terram, in aſpectu, in pulchritudine*, in ſenſu verborum. 4. ſuaviſſimo ſermone pulcherrimi hominis à Chriſto D. illæ turbæ, populique fuerunt ligati, quemadmodum captivi ſolent conſtringi catenis. 5. ſermo Chriſti fuit aureus laqueus, quo aliquot millia hominum poſt ſe traxit, in labiis charitatis. 6. Idem ſermo fuit potentiſſimus, & acutiſſimus ille gladius, quo Rex Regum rebellium vicit corda. 7. devicta, ſpecie, & pulchritudine, labiorumque ſuavitate, facile poſt ſe traxit, verbo Chriſtus Jeſus ſponſus præ filiis hominũ fuit ſuaviſſimus in ſermone, ideo turbæ populi ipſum libenter fuerunt ſecutæ.

§. 4. *Ex quo diſcurſu patet cur turba plebis fuerit ſecuta Chriſtum D. in deſertum.*

Verbis Chriſti D. efficaciam ad trahendum poſt ſe homines, addidit admirabilis quædam in moribus, & converſatione, manſuetudo; qua (ſicut de Moyſe dixit D. Ambroſ. l. 2. offic. c. 7.) *ſic ſibi totius plebis mentes devinxerat, ut plus eũ pro manſuetudine diligerent, quam pro factis admirarentur.* Idem S. Ambroſ ad c. 2. Lucæ. *Nihil in Chriſto erat terribile, nihil immite, nihil triſte.* Sed Matt. 15. v. 23. putarunt diſcipuli, ſuum magiſtrum nonnihil ſeveriorem, cum rejeciſſet preces Cananææ: *& accedentes diſcipuli ejus rogabant eum dicentes, dimitte eam,* & quid illos movit ad hanc interceſſionem, cum à muliere ipſi rogati non fuerint? cauſam ad rem meam peculiarem advertit Sanctus Paſchaſius l. 7. in Matth. *Diſcipuli pro hac Dominum interpellant, pro amore piiſſimi Magiſtri, ne quaſi cuipiam durus videretur, imo, ut miſericors fieret, exorabant.* Item. Durum *eis viſum eſt, quod ad tam deprecatorias voces, longe jã diu nullum reſponſum daret.* De Davide ait S. Ambr. l. 2. off. c. 7. *David*

§. 5. *Efficaciam ſuorum verborum Chriſtus D. immenſum auxit admirabili quadam manſuetudine.*

vid Rex cum omnibus æquabat ſuā militiam, partiebatur laborem, fortis in prælio, manſuetus in imperio, ferre magis promptus, quam referre injurias; ideo tam charus erat omnibus, &c. Talis in converſatione ſua cum omnibus fuit cœleſtis David, cum viveret in terris. Loquebatur jam cum cæcis, modo cum paralyticis, jam verba faciebat ad leproſos, modo ad febricitantes; ſic tamen loquebatur, ut quot verba depromeret, totidem impertiret ſolatio. Mel & lac ſub lingua dilecti animarum ſponſi. Benedicere idem illi erat, quod benefacere; hinc eſt quod hominum animos ſibi adeo demeruerit; Unum hoc erat conciliandi mortalium favores artificium.

Luc. 19. v. 3. Zachæus publicanorum Princeps, *quærebat videre Ieſum, quis eſſet, & non poterat præ turba, quia ſtatura puſillus erat. Et*

§. 6. Chriſtus D. fuit auceps, & venator.

præcurrens aſcēdit arborem ſycomorum, ut videret eum, quia inde erat tranſiturus. Et cum veniſſet ad locum, ſuſpiciens Ieſus vidit illum, & dixit ad eum, Zachæe feſtinans deſcende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Et fecit Zachæus. Sed quid illum tam ſubito movit? Reſpondet D. Chryſoſt. in cat. græca D. Lucæ. *Egregius utiq; auceps Ieſus ab arbore animam deducit calamo ſermonis. Protendit vocem, omnia potentem allicere, attraxitq; Zachæum inſtar pulli alicujus, per alas mentis illum apprehendens, & publicanorum Princeps, non ſecus ac viſco quodam agglutinatus fuit. Dominus itaq; Zachæum venabatur, & ex arbore deducens dixit, Hodie in domo tua oportet me manere.* Solent equidem aucupes aviculas in arboribus quieſcētes fiſtulæ cantu attrahere, ut evolet ad ramum, quo agglutinentur viſco, & capiantur. Talis auceps erga plebem univerſam fuit ſuaviſſimus Jeſus; unde non mirum eſt, quod capti reti dulcis converſationis, & ligati laqueis melleorum verborum, magno numero, tria, quatuor, quinque millia hominum, ipſum ſecuta ſint in deſertum. De Oſiridis beneficentia locutus D. Syneſius ait l. 1. de Provid. *Id magno ſtudio efficere nitebatur, ut morum humanitate, & beneficiis, etiam impudentiſſimos homines evinceret, ac ſibi demereretur.* Idem fecit Chriſtus D. ut plebem ad ſe traheret, fuit humaniſſimus, *& ita* (D. Proſper. l. 2. de voc. g. c. 15.) *ut mirabilior eſſet gratia, & potentia Dei, de tam duris animis, tam tenebroſis mentibus, tam inimicis cordibus, fecit populum ſibi fidelem, ſubditum, ſanctum, &c.* Integro triduo libenter illum

Digitized by Google

illum ſuſtinuerunt, *ea erat* (Victor Antioch.) *invicta plebis, quæ eum ſequebatur, perſeverantia.*

Nec mirum! ut amaretur, quas non induit formas. *Agni* per manſuetudinem: *gallinæ* per ſollicitudinem, qua ſub alis ſuæ providentiæ omnes regebat: *Paſtoris* per vigilantiam, qua ſuos defendebat: *Nutritii*, per affectionem; *Patris*, per providentiam, *Sponſi*, per amorem. Quomodo fieri potuit, ut non amaretur? *Fons divinarum ſuavitatum*, in eos, cum quibus converſabatur, emanantium (Tertullianus) cur non amaretur, *Deus totius conſolationis* (S. Anſelmus) *cur non amaretur, effuſio divinitatis, & ſummi amoris incendium* (S. Bernardus) cur non amaretur, *Paradiſus terreſtris Dei* (Petrus Damiani) *Cogitare debemus tot millia hominum, qui Chriſtum fuerunt ſecuti, ambulaſſe in deſerto, quaſi in Paradiſo.* Quomodo fieri potuit, ut non amaretur, *qui non modo amans, ſed amor erat* (S. Bern. ſer. 83. in Cant.) Cur non amaretur, de quo S. Lucas ait c. 4. v. 22. illam fuiſſe ejus ſermonem, *ut omnes mirarentur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ejus.* Ut requirerent eum, ut detinerent eum, ne diſcederet ab eis, ut irruerent in eum, ut ſequerentur in ſolitudines; *Tanta* [exclamat Orig. l. 2. contra Celſum] *vis attrahendi, inerat Ieſu ſermonibus.* addo ego, tanta vis fuit in oculis, tanta vis in fronte, tanta vis in genis S. Joan. 12. v. 19. *Vt totus mundus poſt illum curreret.* Si uſpiam locum habeat illud Libanii ſer. 2. *Pulchritudo ſermonibus inſita, Magnetis vim habet*, id de Chriſto D. dici potuit, pulchritudo ejus fuit magnes, oculi, magnetes, magnes cordium eſt pulchritudo, quis pulchrior Jeſu meo? caput ejus aurum optimum, hoc aurum fuit magnes. Comæ ejus ſicut elata palmarum, en magnes in capillis! oculi ejus ſicut columba ſuper rivulos aquarum: en magnes in oculis! Genæ illius ſicut areolæ aromatum, en magnes in genis! Labia ejus lilia diſtillantia myrrham primam, en magnes in labiis! manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis. An non magnetes habuit pulchritudo Jeſu mei tam eximiæ, tam illuſtris, tam amabilis.

§ 7. *Conglobatio cauſarum, ob quas populus adhæſit Ieſu.*

3. Traxit populos ad Chriſtum D. ingens ejus miſericordia, & compaſſio erga miſeros. In v. 12. c. 3. ad Coloſſ. *Induite vos ergo ſicut electi Dei, ſancti, & dilecti, viſcera miſericordiæ*: ait S. Anſelmus, *Internum affectum miſericordiæ circumdate vobis in opere, ut internus affectus*

§ 8. *Funiculus tertius, quo Chriſtus D. poſt ſe traxit plebem.*

IV. in miſericordia. Sed dum pulchritudinem nomino, non velim vos cogitare de externa corporis elegantia, quæ fragile, & labile naturæ bonum eſt, ſed venuſtate interiori animæ, quæ in Divina gratia, in amore Dei, in virtutibus & bonis operibus conſiſtit, & coram Deo nos pulchros reddit, ejusque oculis reddit acceptos & gratioſos. Gaudeo, ſi cum pulcherrimo Jeſu ſitis pulchri.

II. Qualis eſt loquela veſtra? qualis ſermo? verbane veſtra talia ſunt, ut Deo & cœleſti Judici probentur? Certè perplacent illi gratiarum actiones, laudes, benedictiones, hymni, orationes, obſecrationes, quibus vel in Dei laudes effundimur, vel aliquid ab illo petimus aut deprecamur. Diſplicent ſummoperè blaſphemiæ, maledictiones, imprecationes, &c. Qualis eſt veſtra loquela? num ex ore veſtro procedunt verba caſta, ſancta, pudica, &c. Hæc placent Deo & SS. Angelis ejus. Diſplicent illi verba impudica, impura, turpia, ſcandaloſa, præſertim coram juventute. Qualis eſt veſtra loquela? loquiminine de proximo veſtro benè, illum laudando, facta excuſando, &c. an verò eſtis ex illorum numero, quorum lingua eſt gladius acutus; ex quorum ore non fluit, niſi virus detractionis, &c. ut Deo, ſic coram hominibus tales ſint odibiles & deteſtabiles. Denique, qualis eſt veſtra loquelá? verba veſtra ſuntne ſuavia, dulcia, mellea? an verò aſpera, aculeata, immitia, &c. Diſplicent hæc Deo & hominibus. §. 10. *Et mites, dulces, ſuaves in verbis ſanctis.*

III. Si Chriſto D. velimus eſſe ſimiles, conſideremus, qualis ſit noſtra manſuetudo. De illo dixit S. Bernardus: *Dulcis eſt Jeſus in voce! dulcis in facie! dulcis in nomine! & dulcis in opere!* Hæc ſuavitas ſive manſuetudo Regina eſt animorum, & præcipua earum virtutum, quæ cordibus Dei, Angelorum & hominum, potenti cum imperio dominantur. Facilè vos ipſi judicare poteritis, quinam ex vobis dici poſſent dulces in voce; Certè non illi, quorum ora quoties aperiuntur, non niſi terribilia fulgura, tonitrua & ſexcentos diabolos eructant, &c. Suaves in voce cum Jeſu ſunt, qui proximum in verbo non offendunt, ſuaves in facie cum Jeſu ſunt, qui non ad faſtum elatis ſuperciliis, fronte non caperata, oculis non ſublimibus, ſed humilibus, modeſtis, §. 11. *Et manſuetos in opere.*

blandis afflictam pauperem turbam aſpiciunt. Denique ſuaves in opere, qui nulli miſero negant, quam facilè præſtare poſſunt, opem atque ſubſidium.

§. 12. *Denique miſericordes & beneficos.*

IV. Qualis & quam perfecta eſt veſtra erga miſeros miſericordia, compaſſio & beneficentia? eſtisne dilecti Dei, ſancti & electi? id eſt, an induti eſtis viſcera miſericordiæ? clarius: cum cernitis pauperis alicujus miſerias, an affliguntur corda veſtra? an conteruntur? an ſumus cum Jeſu noſtro dulces in facie, dulces in voce, dulces in nomine, dulces in opere? ibi major noſtra regnet charitas, ubi major afflictum premit neceſſitas. Videre pauperem, & non condolere; calamitoſum ſpectaculum, & non ſuſpirare, nec manſuetum eſt, nec Chriſtianum.

Hic nodus eſt ô divites, ex quo pendet ſalutis veſtræ negotium, ut cœleſtis gloriæ fiatis participes. Geneſ. 41. v. 42. Pharao - *tulit annulum de manu ſua, & dedit eum in manu ejus,* [Joſeph,] *veſtivitque eum ſtola byſſina, & collo torquem aureum impoſuit.* Pulchrè D. Chryſologus ſer. 174. *Joſeph, dum panem præparat temporalem, ex auro meruit torquem & honorem.* Hoc perpendant divites, quales & quantas pauperibus præparent eleemoſynas; quàm liberales habeant manus, talem nimirum & tantam merentur gloriam in cœlis. Idem D. Chryſologus ſer. 14. miratus in cap. 25. in die judicii, fieri tantùm mentionem, negatam, vel erogatam eleemoſynam ſic ait: *In cœlo prima eſt eſurientis annona, prima ſtipendia pauperis tractantur in cœlo: erogatio pauperis prima Divinis ſcribitur in diurnis.* Adde verſum 3. Pſal. 111. *Gloria & divitiæ in domo ejus.* Unde divitiæ verò, ait: *Diſperſit, dedit pauperibus*, cur non magis inde paupertas? D. Clemens l. 3. pæd. c. 6. *Quia non, qui habet ut ſervet, ſed qui impertit, eſt dives. Communicatio, non autem poſſeſſio, beatum reddit.* Pſ. 11. v. 5. *Jucundus homo, qui miſeretur & commodat.* S. Cæſarius: *Quare lætus, quare jucundus?* q. d. Cur is, qui largitur, dicitur lætus, & non potius, qui parcus eſt, cum reſervet ſibi bona in annos plurimos? & reſpondet: *Quia parum dat, & accipit multum: perdit nummum, & comparat regnum.* O felix jactura, ubi lucrum tam eſt abundans & multiplex! *Erogatio pauperis prima divinis ſcribitur in diurnis* ait [ut jam

Digitized by Google

jam memini] S. Chryſologus. Obſervate hanc Auditores ſententiam, & diſcite miſericordiam. Nummum perdite, ut comparetis regnum, vitrum perdite, ut conſequamini margaritam; terrena perdite, ut acquiratis cœleſtia.

CONCIO XXXVI.

DOMINICA VIII. POST SS. TRINITATEM.

Attendite vobis à falſis Prophetis,

Matth. 7. v. 15.

SYNOPSIS CONCIONIS.

DUo agit hæc concio; I. Deſcribit homines politicos, falſos, mendaces, occultos hujus ſæculi. II. Monet, ne mendacia talium hoſtium timeamus, ſed habeamus fiduciam in Domino, qui illos confundit ac punit. Nihil poteſt malitia contra innocentiam, falſitas contra veritatem.

§. 1. *Breve exordium.*

§. 2. *SS. Patres per falſos Prophetas intelligunt illos, qui ſub larva virtutis tegunt malitiam.*

§. 3. *Larvatus lupus ſub pelle ovina fuit Conſtantius Imperator.*

§. 4. *Tales hypocritæ fuerunt Phariſæi erga Chriſtum D. tempore paſſionis.*

§. 5. *Quid cenſet iras & odia talium luporum.*

§. 6. *Hypocrita fuit Adonias.*

§. 7. *Iterum Conſtantius Auguſtus Imperator.*

§ 8. *Proſecutio.*

§. 9. *Hoſtes occulti ſunt periculoſi. Comparantur ſcorpiis.*

Digitized by Google

§. 10. *Talis ſcorpius fuit Judas.*
§. 11. *Hypocriſis eſt larva immundi ſpiritus, quâ pleraque teguntur vitia.*
§. 12. *Hypocriſis eſt ſumma malitia, & quare.*
§. 13. *Caiphas, cur dicatur impietatis inventor.*
§. 14. *Quo ſenſu tales hypocritæ & inimici occulti non ſint timendi. Tandem illorum iniqua conſilia deteguntur.*
§. 15. *Cur malorum conſilia contra juſtos comparentur telis araneæ.*
§. 16. *Juſto Dei judicio tales tandem puniuntur.*

§. 1. *Breve exordium.*

CUm in ſacris literis, Patribus, doctiſſimorumque Interpretum ac Concionatorum diſcurſibus ſuper initium hodierni Evangelii, ut nobis attendamus à falſis Prophetis, id eſt, juxta multorum interpretationem, à politicis, occultis & fictis hoſtibus, qui ſub larva virtutis, vitiorum contegunt turpitudinem, & ſub ovinâ pelle amicitiæ, venenata diſſimulant odia; ampliſſimum nactus ſim dicendi campum, aliud non præfabor, quàm ut benevolam à vobis petam attentionem, atque ita in nomine Jeſu fauſtis avibus progrediar.

§. 2. *SS. PP. per falſos Prophetas intelligunt illos, qui ſub larvâ virtutis tegunt malitiam.*

Cum SS. Patribus dico, I. illos eſſe falſos Prophetas, qui, ut crudelius alios perſequantur, aſſumunt fictitium virtutis prætextum, ſive induunt ſe larvâ, quæ mentitur hominem bonum, cùm ſit peſſimus. Hâc larvâ fuit uſa uxor Putipharis, Gen. c. 39. v. 13. *Deluſa* à caſtiſſimo Joſepho, iraſcitur in deluſorem, &; *cùm vidiſſet mulier veſtem in manibus ſuis, & ſe eſſe contemptam, vocavit ad ſe homines domus ſuæ, & ait ad eos: En introduxit virum Hebræum, ut illuderet nobis. Ingreſſus eſt ad me, &c. cumque ego ſuc clamaſſem, &c.* Ita nequam fœmina ad perdendum crudelius Joſephum, conſtituit ſe à parte virtutis, quaſi ipſa pudica perſequatur adulterum. *Crudele nefas!* Sanctus Chryſoſtomus hic: *Hoc modo ſe habet malitia, adoleſcentem quaſi intemperantem criminans, ſe continentiæ larvâ induit.* Ad virtutis confugit ſpeciem, ut crudeliter perderet Joſeph, prout adulter à viro zelotypo perdi ſolet. Hanc larvam in hodierno Evangelio Chriſtus D. vocat veſtimentum ovis mitiſſimi animalis, quod nemini

vel

vel minimâ in parte nocere ſolet, horrendum verò nocet rapax lupus, ſub tali larvâ delitеſcens.

§. 4. *Larvatus lupus ſub pelle ovina fuit Conſtantius Imperator.*

Tempore S. Hilar. larvatus lupus, falſus Propheta fuit Conſtantius Auguſt. quem l. 1. ita alloquitur: *At tu! omnium crudelium crudeliſſime, damno majore in nos, & venia minore deſævis; ſubrepis nomine blandientis; occidis ſpecie religionis; -- ſed hæc ille pater tuus te docuit artifex humanarum artium; perſequi ſine infamia, odiſſe ſine ſuſpicione, mentiri ſine intelligentia, profiteri ſine fide, blandiri ſine bonitate, agere quod velis, nec manifeſtare, quæ velis. Aliud me Dominus ad intelligendum te dictum docuit, dicens; Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intus autem ſunt lupi rapaces.* Quæſo vos Aud. ingredimini mecum aulas Principum, curias Senatorum, officinas mercatorum, conclavia Judicum & Conſiliariorum, diſpicite tribunalia, inſpicite Principum miniſtros, Senatores, mercatores, conſiliarios & judices; examinate veſtes & larvas, an non ſint crudeliſſimi, præſertim erga hoſtes ſuos, quorum ſe ſimulant amicos, Deum immortalem! verba eorum quam ſunt modeſta, quam ſpecioſa, quam ſuavia! aureos promittunt montes, offerunt obſequia, deferunt ſervitia, pollicentur ſplendida quæque & pretioſa! præclara veſtis, larva belliſſima: larvam detrahe, videbis adverſa omnia, cum ſuppetet nocendi occaſio, nocent, cum poſſunt reipſa exhibere, quod ore jactitant, omittunt. *Filii hominum uſquequo diligitis falſitatem, & quæritis mendacium?* Et hic eſt ſpiritus ille noſtri temporis politicus, hoc eſt, mendax, falſus, doloſus, infidelis.

§. 5. *Tales hypocritæ fuerunt Pharisæi erga Christum D. tempore paſſionis,*

Tales rapaces lupi & hypocritæ fuerunt tempore paſſionis erga Chriſtum D. Scribæ & Phariſæi: qui dum maximè ſæviunt, ſic ait de illis S. Joannes cap. 18. v. 28. *Adducunt ergo Deum à Caipha in prætorium, erat autem mane: & ipſi non introierunt prætorium, ut non contaminarentur.* Virtutem & larvam legalem præ ſe ferunt, dum crudelisſimum aggrediuntur nefas, innocentem tradentem Pilato, ut crucifigatur. Rupertus hic: *Phariſæi cæci nimis! accuratè mundaſtis illud, quod deforis: calices introrſus turpes & cruenti: verè ſepulchra dealbata, intus plena oſſibus mortuorum. Quid enim!*

Digitized by Google

Contaminari exterius cavetis introeundo in prætorium, & intus horribiliter pollui non timetis, tractando crudele homicidium, quid hac impuritate impurius? quid hac ſanctitate ſceleſtius? prætenderunt nefarii homines ſcrupuloſæ virtutis ſpeciem, ſub qua omnium crudeliſſimum facinus contra Chriſtum perpetrarunt, O virtutum prætextus & larvas! zeli, pietatis, juſtitiæ! ſub quibus larvati lupi horrendùm ſæviunt. Neſcio; vos cogitate & accuratius ſi lubet, perpēdite, an non hodiedum talia monſtra, cum ingenti multorum ſtrage in republica Chriſtianâ, in aulis, in curiis, in tribunalibus verſentur: præſertim, dum imponendæ & exigendæ ſunt mulctæ pecuniariæ; utinam tales lupi non ſævirent in viduas, pupillos, pauperes, cives, &c.

§. 5. *Quid cauſæ iræ & odia talium luporum.*

Verùm! quænam ſolent eſſe radices illius odii, iræ, rancoris & invidiæ, quâ tales lupi perſequuntur innocentes? ut rapiantur in carceres, ut vinculis mancipentur? Iterum mihi occurrit innocentia Joſephi, dejecta in carceres, cujus quidem injuriæ auctorem habemus mulierem, *Et quæ cauſa crudelitatis* [quærit S. Ambroſ. l. de Joſeph. c. 5.] *niſi quod cupiditatibus ſuis obſiſti videbat, & deſideria ſua vetita aſſenſione fraudari; En propter quod aperiatur carcer, ut ſuſcipiat innocentes; ſolvantur catenæ reis, ut imponantur fidelibus, dimittantur veritatis adulteri, ut includatur, qui fidei adulterium recuſavit.* Hoc modo S. Baſilius ſolerter or. 18. inducit loquentem Herodiadem: *Divellit nos à cubili regio? ipſe proprio divellatur à capite. Abſtrahit me à meis amoribus? quod mihi volupe eſt, oppugnat? quem ira gladium acuerit, recipiat.* Si ita neceſſe eſt, mucro infigatur cum oſculo ſub larva amicitiæ. Non puto eſſe neceſſe, me hæc SS PP. dicta noſtris moribus applicare, facit id quotidiana experientia. Iterum aulas ſubite, ingredimini palatia, magnatum ædes frequentate, quid hic videbitis? blanda oſcula, amores, favores, honores, quid videbitis? pulchra omnia, nitentia, decora, formoſa. At noli fidere, latet anguis in herba, latet fucus in roſa, latet venenum in melle, latet fœdum in pulchro, latet furor in amore, latet in ſerenitate frontis, cordis crudelitas. Hic mundi luſus eſt; ludit ut illudat; blanditur ut noceat; adulatur ut perimat.

Politicus

Digitized by

Politicus ſive hypocrita talis fuit Adonias l. 3. Reg. c. 2. pacificus & blandus venit ad Bethſabee, matrem Salomonis, ideo, ut citius & ſecuriùs perderet fratrem, atque in fraudem errorem-que induceret Reginam, hæc ſollicita quærit, v. 13. *Pacificusne eſt ingreſſus tuus? qui reſpondit, pacificus, additque ſermo mihi eſt ad te. Cui ait; loquere, & ille: Tu, inquit, noſti, quia meum erat regnum, & me præpoſuerat omnis Iſrael ſibi in Regem, ſed translatum eſt regnum, & factum eſt fratris mei; à Domino enim conſtitutum eſt.* Ecce! quot blanditiæ? quot larvæ? quàm mellea verba? ſub quibus dirum ſuæ ambitionis venenum abſcondit, at cur non bellum potius inclamat, quàm pacem? cur pacificus, non armatus ingreditur ad Reginam? aſtutus homo, illis prius voluit uti armis, quæ ſciebat, ad perdendam incautam Reginam cum filio eſſe validiſſima, ſimulationibus, deceptionibus, mendaciis, larvâ amicitiæ, non odii; nimirum his artibus utendum exiſtimavit, ut ad regium thronum neutiquam elevaretur Salomon. §. 6. *Hypocrita fuit Adonias.*

Non aliter Conſtantius Imperator Arrianus, quem paulò ante nominavi, ut regnum perderet Chriſti, à bello & tormentis abſtinuit, nihil non blandum exhibuit, ut magis noceret; de quo S. Hilarius: *Pugnamus contra perſecutorem faventem, contra hoſtem blandientem, contra Conſtantium Antichriſtum, qui non dorſa cædit, ſed ventrem palpat, non tradit in carceres ad libertatem, ſed intra palatium honorat ad ſervitutem; non latera vexat, ſed cor occupat; non caput gladio deſecat, ſed animam auro occidit; non contendit, ne vincatur, ſed adulatur, ut dominetur.* Notate hæc verba: Perſecutor favens, hoſtis blandiens, honorans ad inferendum majus opprobrium Occupans cor, ut occidat; & perpendite, num tales inveniantur. *Attendite!* §. 7. *Iterum Conſtantius Auguſtus Imperator.*

Paulò poſt utens textu hodierni Evangelii D. Hilarius: *Attendite, &c.* ait, *veſtem ovis tuæ, lupe rapax cernimus! auro reipublicæ ſanctum Dei oneras, & vel detracta templis, vel publicata edictis, vel exacta pœnis* [ô mores noſtrorum temporum!] *Deo ingeris. Oſculo ſacerdotes excipis, quo & Chriſtus eſt proditus; convivio dignaris, ex quo Judas ad proditionem eſt egreſſus.* Si fortaſſis hodie in uſu ſint talia oſcula, talia convivia, &c. Meritò §. 8. *Proſecutio.*

dico

dico cum Chriſto D. *Attendite*, tales ſunt homines periculoſi, ſunt lupi rapaces ſub veſtimentis ovium, ſub larva falſæ virtutis. Ah oſcula! ah convivia! ah favores! ah honores & blanditias hypocrytarum! politicorum! fallacium Prophetarum, luporum; qui lanâ tegunt corpus, ut dentibus lacerent.

§. 9. *Tales occulti ſunt periculoſi. Comparantur ſcorpiis.*

Attendite, inquam, tutius multò publico hoſti, quam ſecreto ſimulatori, occurrere poſſumus. Quod David ſe expertum fatetur Pſ. 54. v. 13. *Si is, qui oderat me, ſuper me magna locutus fuiſſet, abſcondiſſem me forſitan ab eo; tu vero, homo unanimis, dux meus & notus meus, &c.* ac ſi diceret, manifeſti hoſtis ictum fortaſſis potuiſſem effugere, vel certè vi atque armis repellere, occulti inſidiatoris laqueos evitare non potui. *Etenim* [Pſ. 40. v. 10.] *homo pacis meæ, in quo ſperavi, magnificavit ſuper me ſupplantationem.* Philo Hebræus l. de creat. pr. *Qui per dolum inferunt injuriam, pejores ſunt apertis hoſtibus: ſiquidem hi propulſantur facilè, detecto infenſo animo, at illos ſua malitia deprehendi non ſinit, tanquam in theatro perſonatos, ſub alieno habitu tegentes veram faciem.* Novit orbis, quales comœdias & tragœdias ubique ludant tales actores. Eleganter illos depingit Tertullianus in Scorpiaco c. 1. *Tot venena, quot ingenia: tot pernicies, quot & ſpecies: tot dolores, quot & colores: & tamen unus omnium violentia geſtus, de cauda nocere.* Ubi innuitur, quod rerum naturalium periti tradidêre, ſcorpium, non ante dirum, & omnium inſanabilius venenum infundere, quam lingere ore tentet, carnem ſuaviter leniens, ut incautum, *obliquo & inflexo ictu* [ut Plinius ait] *ſubdolè feriat.* Dicite mihi Domini Aulici, noſtisne inter vos tales ſcorpios? quid me aſpicitis Domini Conſiliarii? occaſionem cauſamque mihi movetis cogitandi, id quod vos forſan jam mente concipitis: O Pater! ego novi talem ſcorpium, mihi conſtant obliqui, & inflexi ejus ictus, exploratas illius habeo verſutias; novi modum illius nocendi quam tectum, & ſubdolum, tam periculoſum, & noxium. Bene habet, ſi noſti, cave: Tela præviſa minus feriunt. Piſcator ictus ſapiat, Ne bis ad eundem. Habere cognitas mundi fraudes, ſtrophas & fallacias; & tamen iis adhuc fidem habere, non eſt prudentis. Quæ nocent, doceant.

Talis

Talis ſcorpius fuit Judas, cui Lucæ 22. v. 48. ait Chriſtus D. *Oſculo filium hominis tradis?* q. d. inquit Paſchaſius l. 11. in Matth. *Non qualitercunque, ſed oſculo me tradis, quod eſt ſignum amoris, & judicium veræ dilectionis. Pignus offers veræ pacis, ſed vulnus infigis, & venenum ſerpentis.* Preme illud, *qualitercunque*, id eſt, acerbior præ omnibus hic tradendi modus, & odio majori dignus. S. Ambroſ. l. 10. in c. 22. Lucæ: *Quaſi amantis affectu corripiat proditorem, Juda, oſculo filium hominis prodis, hoc eſt, amoris pignore vulnus infligis! & charitatis officio ſanguinem fundis! & pacis inſtrumento mortem irrogas.* Et eodem modo in Pſ. 39. ait: *Venenum infundis oſculo, quo gratia charitatis infunditur, oſculo, quod ſacræ pacis inſigne eſt: oſculo, quo amicitia fida firmatur: oſculo tradis periculo, quem propter oſculi commercium venerari deberes.* Iterum Auditores dejicite veſtros oculos, ne ſuſpicer vos cogitare, ne audiam vos murmurare, Pater, novimus Judæ fratres; ego, ego expertus ſum talia oſcula. Ah Pater! veriſſimus eſt verſus 1. c. 4. Oſeæ: *Non eſt veritas. Apud omnes enim hoc tempore* [S. Cyrillus Alexandrin. hic] *multum eſt calumniarum, perjurii, fallaciæ ac doli - inundaverunt alia.* Aliud non ſupereſt, quàm ut orem ardentiſſimè cum Pſalte Pſ. 11. v. 1. *Salvum me fac Domine, quoniam defecit ſanctus, quoniam diminutæ ſunt veritates à filiis hominum: vana locuta ſunt unusquisque ad proximum ſuum, labia doloſa in corde, & corde locuti ſunt.* Lectio Tigurina ſic habet: *Labio blando; at corde duplici, & diverſo loquuntur.* Vatablus: *In corde, & corde loqui, eſt duplici animo loqui; aliud dicere, aliud ſentire.* S. Chryſoſtomus: *In corde alio, & alio, id eſt, duplici corde, uno foris apparente, & verbis oſtentato; altero, eoque diverſo, interius latente;* & ſubjicit, *hi - cum aliam perſonam præ ſe ferant, quam ſint ab iis, quibus intentant inſidias, non facilè deprehenduntur.* Quid miramur, inter hos fraudum ſcopulos à ſuave canentibus ſirenibus plurimos ſubmergi? proinde ait Chriſtus D. attendite! — *§. 10. Talis ſcorpius fuit Judas.*

Pari ratione alia vitia ſub ſpecie virtutis exercentur. Lucæ c. 11. v. 23. ait Chriſtus D. *Cum immundus ſpiritus exierit de homine - vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum, nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi.* Sed quinam ſunt illi ſpiritus, qui dici poſſunt — *§. 11. Hypocriſis eſt larva immundi ſpiritus, quâ pleraq;*

teguntur vitia. turpiores, & nequiores ſpiritu immunditiæ atque obſcœnitatis? Reſpondet S. Proſper. de promiſſ. & bened. p.2.c.39. *Spiritus malus eſt ſpiritus ſuperbiæ; nequior illo ſimulatio humilitatis: ſpiritus malus, ſpiritus invidiæ, nequior illo ſimulatio charitatis: ſpiritus malus, ſpiritus mendacii, nequior illo ſimulatio veritatis: ſpiritus malus, ſpiritus luxuriæ, nequior illo ſimulatio caſtitatis: ſpiritus malus, ſpiritus avaritiæ, nequior illo ſimulatio miſericordiæ:* Inter hos periculoſiſſimi ſunt ſimulatores caſtitatis; cum ſint hirci, induunt ſe lanâ mundiſſimi & immaculati agni. Teneram juventutem, utriusque ſexus, juvenes & virgines moneo cum Chriſto D. ut attendant. Plerumque initio converſationis ſpiritus immundus, venenatus ſerpens latere conatur. Quod eſt venenatum, abſcondit principio, proinde attendite.

§. 12. Hypocriſis eſt ſumma malitia, & quare? De his queritur Oſeas c.7.v.1. *Revelata eſt iniquitas Ephraim, & malitia Samariæ, quia operati ſunt mendacium.* Hoc eſt; ſunt aliqui ſuperbi, &c. alii oderunt ſuum proximum [hoc præſertim urgeo hac Concione] ſed adhibent machinamenta, novas excogitationes, & artificio plenos modos & mendacia, quibus malitiam & deſiderium nocendi tegunt, diſſimulant, involvunt, & hæc propriè vocatur malitia Rupertus ibid. *Veraciter malitia dici poteſt, quia cuncta malitioſarum machinamenta cogitationum parit, maximè verò tunc iniquitas, quæcunque ſit, malitia meretur dici, quando ſic ſe exercet cum ſapientia.* Philo: *Quod faciunt, qui non contenti iis, per quæ miſera natura ultrò incedit, ſed cumulant ea malis artibus & exercitiis. Impenſo ſtudio* [Ruffinus l.2. in Oſ.] *mendacia funeſta conſtruunt & fabricant.* Dion. C. *Vocant mendacia callidiſſimè colorata.*

§. 13. Caiphas, cur dicatur impietatis inventor. Joan. 11. v. 47. coactum fuit concilium adverſus Jeſum, in quo dicebant Judæi: *Quid facimus? quia hic homo multa ſigna facit: unus autem ex ipſis Caiphas nomine, cùm eſſet Pontifex anni illius, dixit eis, vos neſcitis quidquam; nec cogitatis, quod expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, ne tota gens pereat.* En artificioſam rationem, quam Caiphas invenit, ut perderet Chriſtum. Quo ſpectans D. Cyrill. Alexandr. l.5.c.4. in Iſ. ait: *Invenimus in collegiis eorum teterrimum illos cæpiſſe conſilium, quid facimus, &c. Unus autem*

ex

Digitized by Google

ex illis Caiphas, impietatis contra Chriſtum inventor, &c. Ecce Caiphas non impius tantùm dicitur, ſed impietatis inventor; neque enim Jeſu interfectionem tantùm decrevit, ſed illam artificioſam addidit rationem de utilitate communi, quod populo univerſo expediret Chriſtum perdi. Examinate iterum conſilia Principum, Magiſtratuum & potentum adverſus infirmiores, videte, an non pallio virtutis vitii deformitas involvatur? jam dicitur neceſſitas, quod reipſa eſt crudelitas; jam appellatur prudentia politica, & eſt injuſtitia; jam ratio ſtatus dicitur, & eſt ſine ratione; jam bonum publicum nuncupatur, & eſt privati commodi quæſtusque obſervatio.

Quæret fortaſſis nonnemo, quid agendum nobis ſit, cum incidimus in tales lupos, in tales hypocritas. Dan. 13, 35. *Suſanna flens reſpexit ad cœlum: erat enim cor ejus fiduciam habens in Domino.* Hoc agamus; ſolantes nos dicto Chriſti D. Matth. 10. v 26. *Ne ergo timueritis eos; nihil enim eſt opertum, quod non revelabitur, nec occultum, quod non ſcietur.* Juſti & innocentes ſint certi, nec dubitent, quin univerſa ementita facinora adverſus illos, à Deo ſunt aperienda. Rupert. l. 8. de gloria & hon. filii hom. *Ne timueritis eos, ne timueritis eorum judicium malè de vobis judicantium Quid autem eſſet timere judicium eorum, niſi deſperare de providentia Dei, quod non curet, aut non dignetur reſpondere pro ſuis, & bonæ illorum conſcientiæ verum perhibere teſtimonium? timore hujusmodi ne timueritis eos: nihil enim opertum, quod non ſciatur.* O quanta in præſenti quoq; vita revelavit, & ſciri fecit Deus circa ſuos electos. Imperfectus hom. 25. in Matth. *Joſeph celatus eſt in Ægypto, quaſi adulter accuſatus eſt. Nunquid non manifeſtata eſt innocentia ejus? nunquid non multipliciter eſt coronata ejus caſtitas?* Sic adulterium affictum Joſeph revelatum eſt, & Joſeph inde glorioſior proceſſit. Itaque & tu, reſpice cœlum, & fiduciam habe in Deo.

§. 14. *Quo ſenſu tales hypocritæ & inimici occulti non ſunt timendi. Tandem illorum iniqua conſilia deteguntur.*

De impiis Judæis perſequentibus Jeſum dixit Iſ. 59, 5. *Ova aſpidū ruperunt, & telas araneæ texuerunt.* Quippe ſerpens ille antiquus animis Judæor. inſeminavit ova aſpidū, id eſt, venenatiſſima cōſilia, quorū venenū fuit inevitabile. Hæc ora ruperunt & excluſerunt, quādo cōtra Jeſū protulerūt falſa teſtimonia corā Pilato; quid fortius & letalius? ſed totū illud venenū aſpidū versū eſt in telas araneaarum.

§. 15. *Cur malorum conſilia contra juſtos comparentur telis araneæ*

-rum. *Et ideo* [D. Cyrillus Alexandriuus l. 5. t. 4. in Iſ.] *malitioſa hac contra Chriſtum machinatio, illis prorſus inutilis fuit. Telas enim aranea texuerunt. Araneus, hoc puſillum & viliſſimum animal, telas artificiosè ſubtilibus ſtaminibus contextas, connectit, quæ nihil illi proſunt; ſed ſectiles ac dividuæ ſunt; ſic Judæorum inventa, quæ contra Chriſtum ſtructa ſunt.* Itaque ne timueritis araneos, ſubtiliſſimas telas, Deus, cum vult, momento rumpere & diſſipare poteſt.

§.16. *Juſto Dei judicio tales tandem puniuntur.*

Neque vindicta tarda eſſe ſolet, id damno ſuo didicit Semei, l. 2. Reg. c. 16. v. 7. Maledixit Regi, dicens: *Egredere, egredere vir ſanguinum, & vir Belial. Reddidit tibi Dominus univerſum ſanguinem domus Saul.* Sic mentitus fuit ſceleſtus, attribuens illi mortem Saul, quem toties defenderat, cui toties pepercerat, ne violentas illi manus, cùm poſſet, inferret. Neque de Semei Rex manſuetiſſimus vindictam ſumere voluit. Verùm an ideò ſupplicium effugit? nullo modo, ſed juſto Dei judicio, lib. 3. Reg. c. 2. v. 46. morti traditus fuit per Regem Salomonem. Non ſolent pœnam effugere, qui funeſta mendacia meditantur adverſus proximum. D. Euphrem oratione de linguæ malo: *Semei conviitiis innocentem Regem affecit, illum ut Saulis interfectorem accuſans, qui frequentius Saulem à morte liberaverat. Et quia falſo crimine eum incuſabat, meritò à juſto judice damnatus eſt. Ita per mendacium calumniæ nota juſto inuſta fuerat, ut dignas facti ſui pœnas meritò calumniator lueret, ut qui linguam in hominem innoxium exacuerat, quâ velut gladio illum occideret, acutum quoque gladium contra in ſe ſit expertus.* O ſi multi teſtimonium perhibere vellent veritati, quid dicerent? Ita! ſic eſt, multos innocentes convitiis affeci, multorum famæ ac nomini inuſſi maculam, multorum loculos artibus meis doloſis emunxi, multorum fortunas everti clanculum, multorum mores fictis criminibus traduxi, multorum innocentiam ſeu ſolem obductis calumniarum ac mendaciorum nebulis obſcuravi!

Impletur in his v. 2. c. 8. Oſeæ: *Circumdederunt eos adinventiones ſuæ, quæ coram facie mea factæ ſunt*; Et ideo Ruffinus illos his verbis alloquitur: *Veſtris igitur criminibus eſtis illigati, veſtrarum adinventionum pondera ſuſtinetis. Fabricati eſtis mendacia deorum,*

Digitized by Google

rum, ſed in veritate dolorum. Confunduntur tamen à Deo. Exodi 8. malefici voluerunt imitari miracula Moyſis, tandem fatentur, in aliquibus eſſe digitum Dei. Lippoman in cat. *Vide autem hic ſummam Dei omnipotentiam, cùm malefici ingenuè fatentur, miracula Moyſis eſſe vera, & Divina miracula. Et hoc eſt Divinæ Majeſtatis proprium, extorquere veritatis teſtimonium, etiam ab adverſariis & invitis.* Finem dicendi facio, & vobis animum addo innocentes animæ, quas aliena invidia fucatis politicæ modernæ blanditiis circumvenit. Cœlum, cœlum reſpicite, fiduciam habete in Domino; tandem ſol ille Divinus illas fraudium nebulas diſſipabit; tandem ſuus dabitur locus & honor veritati. Tandem in theatrum prodit victrix innocentia, tandem ubi luſum ſatis, atque illuſum, in ſolatium veſtrum, bona cauſa triumphat.

CONCIO XXXVII.

DOMINICA IX. POST SS. TRINITATEM.

Redde rationem villicationis tuæ,

Lucæ 16. verſ. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

IN quo conſiſtat villicatio noſtra ſpiritualis, ſive, de quibus in agone ſupremo Judici ſimus daturi rationes. De cogitationibus, verbis, operibus, &c. & præſertim de conceſſo nobis tempore ad acquirendam æternam ſalutem.

§. 1 Timor extremi Judicii impedit peccata.

§. 2. Propoſitio Concionis.

§. 3. Judex CHRISTUS ſcrutabitur

bitur corda & renes in lucernis.
§. 4. *Deus & Chriſtus judex omnia intuentur.*
§. 5. *Villicatio noſtra conſiſtit inprimis in cogitationibus, de quibus ratio à nobis exigetur.*
§. 6. *II. Villicatio conſiſtit in verbis, de quibus quoq; dabimus rationem.*
§. 7. *III. In operibus.*
§. 4. *IV. Multi alii tituli rationum.*
§. 9. *De tempore præſertim erit danda ratio.*
§. 11. *Tempus depingi ſolet in ſpecie formoſi juvenis.*
§. 12. *Quantum ſit pretium temporis.*
§. 13. *Minimum ſufficit ad acquirendam ſalutem.*
§. 14. *Miſeri ſunt, qui à tempore decipiuntur.*
§. 15. *Efficacia aliquot motiva, ut tempus benè impendamus.*
§. 16. *Animalia tempus ſuum agnoſcunt, non homines.*
§. 17. *Damnati lugent, ſe perdidiſſe tempus.*
§. 18. *Epilogus.*

§. 1. Timor extremi judicii impedit peccata.

AD verba illa Salomonis Eccleſiaſtici 7. cap. 40. *Memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.* Eleganter ait S. Chryſoſtomus orat. 2. in 2. ad Theſſal: *Fieri non poteſt, ut anima, quæ timet de reddendis rationibus, ad delicta non ſit tarda: metus enim vigens in cogitatione, in ea nihil admittit mundanum;* multò minus grave peccatum. S. Ambroſius in apolog. David. *Deum arbitrum omnium eſſe ſcimus, & adhuc eo teſte peccamus?* S. Chryſoſtomus hom. 77. in Matth. *Cum hæc veniunt in mentem, amariſſimè flens, & ex profundo corde ingemiſco, quia quæ ad virgines & ad ſervum, qui abſcondit talentum* [& ad villicum iniquitatis, in hodierno Evangelio dixit: *Redde rationem &c.*] *vehementer me perturbant.* Hæc perturbatio non admittit peccatum. Teſte Sen. l. 2. nat. c. 31. *Serpentum, quibus mortifera vis ineſt, cum fulmine icti ſunt, venenum omne conſumitur.* Talia fulmina in Evangeliis frequenter vibrat Chriſtus D. *Securis ad radicem arboris eſt poſita; omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur; redde rationem; ligatis manibus & pedibus projicite in tenebras exteriores; diſcedite maledicti in ign. ætern. &c.* ad hoc, ut in ſerpentibus, in bufonibus, in peccatoribus conſumat venenũ peccatorum.

Digitized by Google

catorum. *Si hinc inde fulgurum jacula* [S. Hieronym. in epiſt. ad Amicum] *palpebris terribiliter objecta, corruſcant, quanquam in conſuetudine iſta contingat, pavemus, & contremiſcimus, & proni ad terram depoſitâ ſuperbia, cervices ſubmittimus; quid faciemus in illa die miſeri? propter quod* [ut loquar cum S. Petro ep. 2. c. 3. v. 14.] *hæc expectantes, ſatagite immaculati inveniri, & Domini longanimitatem ſalutẽ arbitramini.* Magna emphaſis latet in his duabus voculis, *hæc expectans*, quã S. Paul. videtur expoſuiſſe, cum ait ad Hebr. 9. v. 27. *Statutum eſt omnibus hominibus mori, & poſt hoc judicium.*

Hujus ut hodierno in Evangelio memores nos reddat Salvator, utitur parabolâ de villico iniquitatis, qui à patrefamilias ad reddendam rationem urgetur. Nos omnes tales ſumus villici; paterfamilias eſt Chriſtus D. à patre conſtitutus Judex vivorum & mortuorum: illi in articulo mortis ab omnibus & ſingulis reddenda eſt ratio de noſtra villicatione. In quo autem hæc conſiſtat, ſive de quibus rationem ſimus daturi, hac vobis concione proponam, Hoc certum præcipuos acceptorum, expoſitorumque titulos futuros ſequentes: cogitationes, verba, opera, omiſſiones, beneficia, officia, talenta naturæ & gratiæ, & præſertim nobile tempus, quod durante villicatione noſtra nobis conceditur. De his omnibus à nobis accuratiſſima exigetur ratio, ut jam jam audietis, ſi tamen benevola attentione dicentem proſecuti fueritis.

§. 2. **Propoſitio Concionis.**

Per Sophoniam c. 1. v. 12. ait Dominus: *Et erit in tempore illo, ſcrutabor Jeruſalem in lucernis.* S. Hieron. ait, Chriſtum judicem hoc facturum, cum aliquando petet à nobis rationem villicationis noſtræ; per Jeruſalem autem intelligit homines timoratæ conſcientiæ, in quo illi conſentit S. Bern. *Exiſtimo Prophetam nomine Jeruſalem illos deſignaſſe, qui in hoc ſeculo vitam ducunt religioſam-ſanctã mores illius ſupernæ Jeruſalẽ converſatione honeſta & ordinata pro viribus imitantes & non velut hi, qui in Babylonia ſunt, vitã in perturbatione vitiorũ ſcelerumq; confuſione vaſtantes*, pergit S. Bern *acuto viſu nihil inſcrutatum relinquet oculus Chriſti, ſcrutabitur renes & corda, ipſa quoq; hominis cogitatio confitebitur illi. Quid tutum in Babylone, ſi Jeruſalem manet ſcrutinium.* O dictum aureum, ſed

§. 3. *Judex Chriſtus ſcrutabitur corda & renes in lucernis.*

Digitized by Google

ſed oppidò triſte & extimeſcendum! Væ tibi væ Babylon, ubi ſic examinatur Jeruſalem! væ tibi væ impie, ubi ſic pietas diſcutitur! væ tibi væ ſuperbe, ubi ſic humilitas in lance veritatis expenditur! væ tibi væ luxurioſe, ubi ſic virginalis caſtitas & caſta virginitas diſpicitur! verbo: *Quid tutum in Babylone, ſi Jeruſalem manet ſcrutinium.* Verùm oculus Chriſti indigetne lucernis & candelis? nunquid oculi ejus lucidiores ſole; Eccleſ. 21. v. 10. Nunquid oculi ejus tanquam flamma ignis? Apoc. c. 1. v. 14. Loquitur Propheta de modo, quem nos ſervamus, cum enim in tenebris rem aliquam maximè minutam quærimus, duas vel tres candelas accendimus, ut quod abſconditum eſt, exactiſſimè quæramus; hoc itaque vult inſinuare Propheta, nimirum Chriſtum Judicem, etiam in minutiſſima exactiſſimè inquiſiturum; ait quidem Jeremias c. 17. v. 9. *Pravum eſt cor hominis, quis cognoſcit illud?* ſed reſpondet Deus per Davidem Pſ. 7. v. 10. *Scrutans corda & renes Deus;* id eſt, in ipſis interioribus hominum nihil tam eſt occultum, quod me lateat. Pſ. 138. v. 3. ait de illo David: *Intellixiſti cogitationes meas de longè.* Cogitationes, non hanc, vel illam, ſed omnes, ita ut nulla quamvis ſecreta, quantumvis occulta in penetralibus cordis illum lateat. A longè, id eſt, vix in corde hominis cogitatio exſurgit, & Deus illam intelligit, ſi bona eſt, remunerabitur, ſi mala eſt, caſtigabit. Pſ. 98. v. 6. *Vlciſcens in omnes adinventiones eorum.* Sap. 1. v. 6 *Renum illius teſtis eſt Deus, & cordis illius ſcrutator eſt verus, & lingua ejus auditor*, id eſt, quidquid homo cogitet, quidquid deſideret, quidquid loquatur, ſive interna, ſive externa locutio ſit, Deo perſpectum eſt.

§. 4. *Deus & Chriſtus Iudex omnia intuentur.*

De Diis dixit gentilis Cicero, ſed Chriſtianè l. 2. de legibus: *Si hoc à principio hominibus perſuaſum, Deos eſſe Dominos & moderatores omnium rerum, & ea quæ geruntur, eorum geri dominatione, & qualis quiſque ſit, quid agat, quid in ſe admittat, qua mente, qua pietate colat religionem, intueri, piorumque ac impiorum habere rationem.* Dixit hæc Ethnicus orator de Diis ſuis, quidni & ego orator Chriſtianus de Deo meo pronuntiem? multo profectò potiori jure, atque utinam hoc omnibus eſſet perſuaſum hominibus: Deum ac Dominum noſtrum non moderatorem tantum eſſe re-

rum

Digitized by Google

rum omnium,ſed & inſpectorem & cenſorem,& arbitrum, & judicem & vindicem! ſic eſt. Qualis quisque ſit,quid in ſe admittat,qua mente,qua pietate colat ſuperos,virtutem amet,vitia deteſtetur,Deus clariſſimè intuetur. Lib.3.de natura Deorum ait: *Obſcurum Deo nihil poteſt eſſe.* S. Auguſt.in ſoliloq c.14. *Magna nobis eſt indita neceſſitas juſtè recteque vivendi, qui cuncta facimus ante oculos judicis cuncta cernentis.*

His ergò poſitis æquus judex à quovis in judicio particulari exiget rationem de omnibus cogitationibus, quas unquam habuimus. Villicatio ſunt cogitationes hominis, de illis reddenda eſt ratio. Dixit quidem Ulpianus: *Cogitationis pœnam nemo patitur*; in forenſibus judiciis hoc verum eſt, non ita erit coram tribunali Chriſti;cogitationes malas,vanas,ſuperbas,impuras,amaras erga proximum, ſi conſenſus acceſſerit, puniet; *Bonas* verò de Deo,de Jeſu,de paſſione, *bonas*, id eſt, DEUM amandi, laudandi,*bonas*,id eſt,omnes actus internos virtutum, æternâ gloriâ remunerabit; tunc v.g. innoteſcet, quid cogitarit S. Ignatius in Manreſæ latebris, quid S. Franciſcus in ſuis exceſſibus, cum per 40. dies confixus fuit crucifixo; quid S. Thereſia in ſeraphico raptu: quid tot eremitæ in antris Ægypti, &c. O juſtum Deum! unicam cogitationem lethalem, in qua homo ſine pœnitentia mortuus eſt,æternis ignibus æternùm puniet. O bonum Deum! cogitationem bonam minimam, v.g. hanc, *O mi Jeſu, &c.* æterno præmio æternùm remunerabitur. Eja Auditores, hac hora, hoc momento deteſtamini omnes cogitationes,quibus unquam Deum offendiſtis; hoc eſt dare rationem tempore opportuno: hac hora, hoc momento incipite fovere in cordibus veſtris per diem mille cogitationes ſanctas,ſic illa hora coram Chriſto judice ſubſiſtemus.Nemo cogitet,quomodo hoc erit poſſibile? qua ratione uno momento mihi occurrent omnes totius vitæ cogitationes: ne ſis propterea ſolicitus; Chriſto judici illas eſſe notas & perſpectas,non eſt dubium; tu illo momento in conſcientia tua ad lucernas Chriſti adeò illuminaberis, ut ſit illa futura quaſi ſpeculum, in quo omnes poſſis nævos perſpicere; hoc innuunt illa verba S. Pauli: *Manifeſtari nos oportet*; Pſ. 89. v. 8. *Poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo.* S. Bern. in manuali: *Quadam vi di-*

§. 5. Villicatio noſtra conſiſtit inprimis in cogitationibus, de quibus ratio à nobis exigetur.

Contaminari exterius cavetis introeundo in prætorium, & intus horribiliter pollui non timetis, tractando crudele homicidium, quid hac impuritate impurius? quid hac ſanctitate ſceleſtius? prætenderunt nefarii homines ſcrupuloſæ virtutis ſpeciem, ſub qua omnium crudeliſſimum facinus contra Chriſtum perpetrarunt, O virtutum prætextus & larvas! zeli, pietatis, juſtitiæ! ſub quibus larvati lupi horrendùm ſæviunt. Neſcio; vos cogitate & accuratius ſi lubet, perpēdite, an non hodiedum talia monſtra, cum ingenti multorum ſtrage in republica Chriſtianâ, in aulis, in curiis, in tribunalibus verſentur: præſertim, dum imponendæ & exigendæ ſunt mulctæ pecuniariæ; utinam tales lupi non ſævirent in viduas, pupillos, pauperes, cives, &c.

§.5. Quid cauſet iras & odia talium luporum.

Verùm! quænam ſolent eſſe radices illius odii, iræ, rancoris & invidiæ, quâ tales lupi perſequuntur innocentes? ut rapiantur in carceres, ut vinculis mancipentur? Iterum mihi occurrit innocentia Joſephi, dejecta in carceres, cujus quidem injuriæ auctorem habemus mulierem, *Et quæ cauſa crudelitatis* [quærit S. Ambroſ. l. de Joſeph. c. 5.] *niſi quod cupiditatibus ſuis obſiſti videbat, & deſideria ſua vetita aſſenſione fraudari; En propter quod aperiatur carcer, ut ſuſcipiat innocentes; ſolvantur catenæ reis, ut imponantur fidelibus, dimittantur veritatis adulteri, ut includatur, qui fidei adulterium recuſavit.* Hoc modo S. Baſilius ſolerter or. 18. inducit loquentem Herodiadem: *Divellit nos à cubili regio? ipſe proprio divellatur à capite. Abſtrahit me à meis amoribus? quod mihi volupe eſt, oppugnat? quem ira gladium acuerit, recipiat.* Si ita neceſſe eſt, mucro infigatur cum oſculo ſub larva amicitiæ. Non puto eſſe neceſſe, me hæc SS PP. dicta noſtris moribus applicare, facit id quotidiana experientia. Iterum aulas ſubite, ingredimini palatia, magnatum ædes frequentate, quid hic videbitis? blanda oſcula, amores, favores, honores, quid videbitis? pulchra omnia, nitentia, decora, formoſa. At noli fidere, latet anguis in herba, latet fucus in roſa, latet venenum in melle, latet fœdum in pulchro, latet furor in amore, latet in ſerenitate frontis, cordis crudelitas. Hic mundi luſus eſt; ludit ut illudat; blanditur ut noceat; adulatur ut perimat.

Politicus

Digitized by Google

Politicus ſive hypocrita talis fuit Adonias l. 3. Reg. c. 2. pacificus & blandus venit ad Bethſabee, matrem Salomonis, ideo, ut citius & ſecuriùs perderet fratrem, atque in fraudem erroremque induceret Reginam, hæc ſollicita quærit, v. 13. *Pacificusne eſt ingreſſus tuus? qui reſpondit, pacificus, additque ſermo mihi eſt ad te. Cui ait; loquere, & ille: Tu, inquit, noſti, quia meum erat regnum, & me præpoſuerat omnis Iſrael ſibi in Regem, ſed translatum eſt regnum, & factum eſt fratris mei; à Domino enim conſtitutum eſt.* Ecce! quot blanditiæ? quot larvæ? quàm mellea verba? ſub quibus dirum ſuæ ambitionis venenum abſcondit, at cur non bellum potius inclamat, quàm pacem? cur pacificus, non armatus ingreditur ad Reginam? aſtutus homo, illis prius voluit uti armis, quæ ſciebat, ad perdendam incautam Reginam cum filio eſſe validiſſima, ſimulationibus, deceptionibus, mendaciis, larvâ amicitiæ, non odii; nimirum his artibus utendum exiſtimavit, ut ad regium thronum neutiquam elevaretur Salomon. §. 6. *Hypocrita fuit Adonias.*

Non aliter Conſtantius Imperator Arrianus, quem paulò ante nominavi, ut regnum perderet Chriſti, à bello & tormentis abſtinuit, nihil non blandum exhibuit, ut magis noceret; de quo S. Hilarius: *Pugnamus contra perſecutorem faventem, contra hoſtem blandientem, contra Conſtantium Antichriſtum, qui non dorſa cædit, ſed ventrem palpat, non tradit in carceres ad libertatem, ſed intra palatium honorat ad ſervitutem; non latera vexat, ſed cor occupat; non caput gladio deſecat, ſed animam auro occidit; non contendit, ne vincatur, ſed adulatur, ut dominetur.* Notate hæc verba: Perſecutor favens, hoſtis blandiens, honorans ad inferendum majus opprobrium. Occupans cor, ut occidat; & perpendite, num tales inveniantur. *Attendite!* §. 7. *Iterum Conſtantius Auguſtus imperator.*

Paulò poſt utens textu hodierni Evangelii D. Hilarius: *Attendite, &c.* ait, *veſtem ovis tuæ, lupe rapax cernimus! auro reipublicæ ſanctum Dei oneras, & vel detracta templis, vel publicata edictis, vel exacta pœnis* [ô mores noſtrorum temporum!] *Deo ingeris. Oſculo ſacerdotes excipis, quo & Chriſtus eſt proditus; convivio dignaris, ex quo Judas ad proditionem eſt egreſſus.* Si fortaſſis hodie in uſu ſint talia oſcula, talia convivia, &c. Meritò §. 8. *Proſecutio.*

dico

Digitized by Google

dico cum Chriſto D. *Attendite*, tales ſunt homines periculoſi, ſunt lupi rapaces ſub veſtimentis ovium, ſub larva falſæ virtutis. Ah oſcula! ah convivia! ah favores! ah honores & blanditias hypocrytarum! politicorum! fallacium Prophetarum, luporum, qui lanâ tegunt corpus, ut dentibus lacerent.

§. 9. *Tales occulti ſunt periculoſi. Comparantur ſcorpiis.*

Attendite, inquam, tutius multò publico hoſti, quam ſecreto ſimulatori, occurrere poſſumus. Quod David ſe expertum fatetur Pſ. 54. v. 13. *Si is, qui oderat me, ſuper me magna locutus fuiſſet, abſcondiſſem me forſitan ab eo; tu vero, homo unanimis, dux meus & notus meus, &c.* ac ſi diceret, manifeſti hoſtis ictum fortaſſis potuiſſem effugere, vel certè vi atque armis repellere, occulti inſidiatoris laqueos evitare non potui. *Etenim* [Pſ. 40. v. 10.] *homo pacis meæ, in quo ſperavi, magnificavit ſuper me ſupplantationem.* Philo Hebræus l. de creat. pr. *Qui per dolum inferunt injuriam, pejores ſunt apertis hoſtibus: ſiquidem hi propulſantur facilè, detecto infenſo animo, at illos ſua malitia deprehendi non ſinit, tanquam in theatro perſonatos, ſub alieno habitu tegentes veram faciem.* Novit orbis, quales comœdias & tragœdias ubique ludant tales actores. Eleganter illos depingit Tertullianus in Scorpiaco c. 1. *Tot venena, quot ingenia: tot pernicies, quot & ſpecies: tot dolores, quot & colores: & tamen unus omnium violentiæ geſtus, de cauda nocere.* Ubi innuitur, quod rerum naturalium periti tradidêre, ſcorpium, non ante dirum, & omnium inſanabilius venenum infundere, quam lingere ore tentet, carnem ſuaviter leniens, ut incautum, *obliquo & inflexo ictu* [ut Plinius ait] *ſubdolè feriat.* Dicite mihi Domini Aulici, noſtisne inter vos tales ſcorpios? quid me aſpicitis Domini Conſiliarii? occaſionem cauſamque mihi movetis cogitandi, id quod vos forſan jam mente concipitis: O Pater! ego novi talem ſcorpium, mihi conſtant obliqui, & inflexi ejus ictus, exploratas illius habeo verſutias; novi modum illius nocendi quam tectum, & ſubdolum, tam periculoſum, & noxium. Bene habet, ſi noſti, cave: Tela prævila minus feriunt. Piſcator ictus ſapiat. Ne bis ad eundem. Habere cognitas mundi fraudes, ſtrophas & fallacias; & tamen iis adhuc fidem habere, non eſt prudentis. Quæ nocent, doceant.

Digitized by Google

Talis ſcorpius fuit Judas, cui Lucæ 22. v. 48. ait Chriſtus D. *Oſculo filium hominis tradis?* q. d. inquit Paſchaſius l. 11. in Matth. *Non qualitercunque, ſed oſculo me tradis, quod eſt ſignum amoris, & judicium veræ dilectionis. Pignus offers veræ pacis, ſed vulnus infigis, & venenum ſerpentis.* Preme illud, *qualitercunque,* id eſt, acerbior præ omnibus hic tradendi modus, & odio majori dignus. S. Ambroſ. l. 10. in c. 22. Lucæ: *Quaſi amantis affectu corripiat proditorem, Juda, oſculo filium hominis prodis, hoc eſt, amoris pignore vulnus infligis! & charitatis officio ſanguinem fundis! & pacis inſtrumento mortem irrogas.* Et eodem modo in Pſ. 39. ait: *Venenum infundis oſculo, quo gratia charitatis infunditur, oſculo, quod ſacræ pacis inſigne eſt: oſculo, quo amicitia fida firmatur: oſculo tradis periculo, quem propter oſculi commercium venerari deberes.* Iterum Auditores dejicite veſtros oculos, ne ſuſpicer vos cogitare, ne audiam vos murmurare, Pater, novimus Judæ fratres; ego, ego expertus ſum talia oſcula. Ah Pater! veriſſimus eſt verſus 1. c. 4. Oſeæ: *Non eſt veritas. Apud omnes enim hoc tempore* [S. Cyrillus Alexandrin. hic] *multum eſt calumniarum, perjurii, fallaciæ ac doli. inundaverunt alia.* Aliud non ſupereſt, quàm ut orem ardentiſſimè cum Pſalte Pſ. 11. v. 1. *Salvum me fac Domine, quoniam defecit ſanctus, quoniam diminutæ ſunt veritates à filiis hominum: vana locuta ſunt unusquisque ad proximum ſuum, labia doloſa in corde, & corde locuti ſunt.* Lectio Tigurina ſic habet: *Labio blando; at corde duplici, & diverſo loquuntur.* Vatablus: *In corde, & corde loqui, eſt duplici animo loqui; aliud dicere, aliud ſentire.* S. Chryſoſtomus: *In corde alio, & alio, id eſt, duplici corde, uno foris apparente, & verbis oſtentato; altero, eoque diverſo, interius latente;* & ſubjicit, *hi cum aliam perſonam præ ſe ferant, quam ſint ab iis, quibus intentant inſidias, non facilè deprehenduntur.* Quid miramur, inter hos fraudum ſcopulos à ſuave canentibus ſirenibus plurimos ſubmergi? proinde ait Chriſtus D. attendite! §. 10. *Talis ſcorpius fuit Judas.*

Pari ratione alia vitia ſub ſpecie virtutis exercentur. Lucæ c. 11. v. 23. ait Chriſtus D. *Cum immundus ſpiritus exierit de homine, vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum, nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi.* Sed quinam ſunt illi ſpiritus, qui dici poſſunt §. 11. *Hypocriſis eſt larva immundi ſpiritus, quâ pleraq;*

ſeguntur vitia. turpiores, & nequiores ſpiritu immunditiæ atque obſcœnitatis? Reſpondet S. Proſper. de promiſſ. & bened. p.2.c.39. *Spiritus malus eſt ſpiritus ſuperbiæ; nequior illo ſimulatio humilitatis: ſpiritus malus, ſpiritus invidiæ, nequior illo ſimulatio charitatis: ſpiritus malus, ſpiritus mendacii, nequor illo ſimulatio veritatis: ſpiritus malus, ſpiritus luxuriæ, nequior illo ſimulatio caſtitatis: ſpiritus malus, ſpiritus avaritiæ, nequior illo ſimulatio miſericordiæ:* Inter hos periculoſiſſimi ſunt ſimulatores caſtitatis; cum ſint hirci, induunt ſe lanâ mundiſſimi & immaculati agni. Teneram juventutem, utriusque ſexus, juvenes & virgines moneo cum Chriſto D. ut attendant. Plerumque initio converſationis ſpiritus immundus, venenatus ſerpens latere conatur. Quod eſt venenatum, abſcondit principio, proinde attendite.

§. 12. Hypocriſis eſt ſumma malitia, & quare? De his queritur Oſeas c.7.v.1. *Revelata eſt iniquitas Ephraim, & malitia Samariæ, quia operati ſunt mendacium.* Hoc eſt; ſunt aliqui ſuperbi, &c. alii oderunt ſuum proximum [hoc præſertim urgeo hac Concione] ſed adhibent machinamenta, novas excogitationes, & artificio plenos modos & mendacia, quibus malitiam & deſiderium nocendi tegunt, diſſimulant, involvunt, & hæc propriè vocatur malitia Rupertus ibid. *Veraciter malitia dici poteſt, quia cuncta malitioſarum machinamenta cogitationum parit, maximè verò tunc iniquitas, quacunque ſit, malitia meretur dici, quando ſic ſe exercet cum ſapientia.* Philo: *Quod faciunt, qui non contenti iis, per quæ miſera natura ultrò incedit, ſed cumulant ea malis artibus & exercitiis. Impenſo ſtudio* [Ruffinus l.2. in Oſ.] *mendacia funeſta conſtruunt & fabricant.* Dion. C. *Vocant mendacia calidiſſimè colorata.*

§. 13. Caiphas, cur dicatur impietatis inventor. Joan. 11. v. 47. coactum fuit concilium adverſus Jeſum, in quo dicebant Judæi: *Quid facimus? quia hic homo multa ſigna facit: unus autem ex ipſis Caiphas nomine, cùm eſſet Pontifex anni illius, dixit eis, vos neſcitis quidquam; nec cogitatis, quod expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, ne tota gens pereat.* En artificioſam rationem, quam Caiphas invenit, ut perderet Chriſtum. Quo ſpectans D. Cyrill. Alexandr. l.5. t.4. in Iſ. ait: *Invenimus in collegiis eorum teterrimum illos cæpiſſe conſilium, quid facimus, &c. Unus autem*

ex

Digitized by Google

ex illis Caiphas, impietatis contra Chriſtum inventor, &c. Ecce Caiphas non impius tantùm dicitur, ſed impietatis inventor; neque enim Jeſu interfectionem tantùm decrevit, ſed illam artificioſam addidit rationem de utilitate communi, quod populo univerſo expediret Chriſtum perdi. Examinate iterum conſilia Principum, Magiſtratuum & potentum adverſus infirmiores, videte, an non pallio virtutis vitii deformitas involvatur? jam dicitur neceſſitas, quod reipſa eſt crudelitas; jam appellatur prudentia politica, & eſt injuſtitia; jam ratio ſtatus dicitur, & eſt ſine ratione; jam bonum publicum nuncupatur, & eſt privati commodi quæſtusque obſervatio.

Quæret fortaſſis nonnemo, quid agendum nobis ſit, cum incidimus in tales lupos, in tales hypocritas. Dan. 13, 35. *Suſanna flens reſpexit ad cœlum: erat enim cor ejus fiduciam habens in Domino.* Hoc agamus; ſolantes nos dicto Chriſti D. Matth. 10. v 26. *Ne ergo timueritis eos; nihil enim eſt opertum, quod non revelabitur, nec occultum, quod non ſcietur.* Juſti & innocentes ſint certi, nec dubitent, quin univerſa ementita facinora adverſus illos, à Deo ſunt aperienda. Rupert. l. 8. de gloria & hon. filii hom. *Ne timueritis eos, ne timueritis eorum judicium malè de vobis judicantium. Quid autem eſſet timere judicium eorum, niſi deſperare de providentia Dei, quod non curet, aut non dignetur reſpondere pro ſuis, & bonæ illorum conſcientiæ verum perhibere teſtimonium? timore hujusmodi ne timueritis eos: nihil enim opertum, quod non ſciatur.* O quanta in præſenti quoq; vita revelavit, & ſciri fecit Deus circa ſuos electos. Imperfectus hom. 25. in Matth. *Joſeph celatus eſt in Ægypto, quaſi adulter accuſatus eſt. Nunquid non manifeſtata eſt innocentia ejus? nunquid non multipliciter eſt coronata ejus caſtitas?* Sic adulterium affictum Joſeph revelatum eſt, & Joſeph inde glorioſior proceſſit. Itaque & tu, reſpice cœlum, & fiduciam habe in Deo.

§. 14. *Quo ſenſu tales hypocritæ & inimici occulti non ſunt timendi. Tandem illorum iniqua conſilia deteguntur.*

De impiis Judæis perſequentibus Jeſum dixit Iſ. 59, 5. *Ova aſpidū ruperunt, & telas araneæ texuerunt.* Quippe ſerpens ille antiquus animis Judæor. inſeminavit ova aſpidū, id eſt, venenatiſſima cōſilia, quorū venenū fuit inevitabile. Hæc ova ruperunt & excluſerunt, quādo cōtra Jeſū protulerūt falſa teſtimonia corā Pilato: quid fortius & letalius? ſed totū illud venenū aſpidū verſū eſt in telas aranearum.

§. 15. *Cur malorum conſilia contra juſtos comparentur telis araneæ*

rum. *Et ideo* [D. Cyrillus Alexandriuus l. 5. t. 4. in Iſ.] *malitioſa hac contra Chriſtum machinatio, illis prorſus inutilis fuit. Telas enim aranea texuerunt. Araneus, hoc puſillum & viliſſimum animal, telas artificioſè ſubtilibus ſtaminibus contextas, connectit, quæ nihil illi proſunt; ſed ſectiles ac dividuæ ſunt: ſic Judæorum inventa, quæ contra Chriſtum ſtructa ſunt.* Itaque ne timueritis araneos, ſubtiliſſimas telas, Deus, cum vult, momento rumpere & diſſipare poteſt.

§. 16. *Iuſto Dei judicio tales tandem puniuntur.*

Neque vindicta tarda eſſe ſolet, id damno ſuo didicit Semei, l. 2. Reg. c. 16. v. 7. Maledixit Regi, dicens: *Egredere, egredere vir ſanguinum, & vir Belial. Reddidit tibi Dominus univerſum ſanguinem domus Saul.* Sic mentitus fuit ſceleſtus, attribuens illi mortem Saul, quem toties defenderat, cui toties pepercerat, ne violentas illi manus, cùm poſſet, inferret. Neque de Semei Rex manſuetiſſimus vindictam ſumere voluit. Verùm an ideò ſupplicium effugit? nullo modo, ſed juſto Dei judicio, lib. 3. Reg. c. 2. v. 46. morti traditus fuit per Regem Salomonem. Non ſolent pœnam effugere, qui funeſta mendacia meditantur adverſus proximum. D. Euphrem oratione de linguæ malo: *Semei convitiis innocentem Regem affecit, illum ut Saulis interfectorem accuſans, qui frequentius Saulem à morte liberaverat. Et quia falſo crimine eum incuſabat, meritò à juſto judice damnatus eſt. Ita per mendacium calumniæ nota juſto inuſta fuerat, ut dignas facti ſui pœnas meritò calumniator lueret, ut qui linguam in hominem innoxium exacuerat, quâ velut gladio illum occideret, acutum quoque gladium contra in ſe ſit expertus.* O ſi multi teſtimonium perhibere vellent veritati, quid dicerent? Ita! ſic eſt, multos innocentes convitiis affeci, multorum famæ ac nomini inuſſi maculam, multorum loculos artibus meis doloſis emunxi, multorum fortunas everti clanculum, multorum mores fictis criminibus traduxi, multorum innocentiam ſeu ſolem obductis calumniarum ac mendaciorum nebulis obſcuravi!

Impletur in his v. 2. c. 8. Oſeæ: *Circumdederunt eos adinventiones ſuæ, quæ coram facie mea factæ ſunt*; Et ideo Ruffinus illos his verbis alloquitur: *Veſtris igitur criminibus eſtis illigati, veſtrarum adinventionum pondera ſuſtinetis. Fabricati eſtis mendacia deorum,*

Digitized by Google

rum, ſed in veritate dolorum. Confunduntur tamen à Deo. Exodi 8. malefici voluerunt imitari miracula Moyſis, tandem fatentur, in aliquibus eſſe digitum Dei. Lippoman in cat. *Vide autem hic ſummam Dei omnipotentiam, cùm malefici ingenuè fatentur, miracula Moyſis eſſe vera, & Divina miracula. Et hoc eſt Divinæ Majeſtatis proprium, extorquere veritatis teſtimonium, etiam ab adverſariis & invitis.* Finem dicendi facio, & vobis animum addo innocentes animæ, quas aliena invidia fucatis politicæ modernæ blanditiis circumvenit. Cœlum, cœlum reſpicite, fiduciam habete in Domino; tandem ſol ille Divinus illas fraudium nebulas diſſipabit; tandem ſuus dabitur locus & honor veritati. Tandem in theatrum prodit victrix innocentia, tandem ubi luſum ſatis, atque illuſum, in ſolatium veſtrum, bona cauſa triumphat.

CONCIO XXXVII.

DOMINICA IX. POST SS. TRINITATEM.

Redde rationem villicationis tuæ,

Lucæ 16. verſ. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

IN quo conſiſtat villicatio noſtra ſpiritualis, ſive, de quibus in agone ſupremo Judici ſimus daturi rationes. De cogitationibus, verbis, operibus, &c. & præſertim de conceſſo nobis tempore ad acquirendam æternam ſalutem.

§. 1 *Timor extremi Judicii impedit peccata.*

§. 2. *Propoſitio Concionis.*

§. 3. *Judex CHRISTVS ſcrutabitur*

bitur corda & renes in lucernis.
§.4. *Deus & Chriſtus judex omnia intuentur.*
§.5. *Villicatio noſtra conſiſtit inprimis in cogitationibus, de quibus ratio à nobis exigetur.*
§.6. *II. Villicatio conſiſtit in verbis, de quibus quoq; dabimus rationem.*
§.7. *III. In operibus.*
§.4. *IV. Multi alii tituli rationum.*
§.9. *De tempore præſertim erit danda ratio.*
§.11. *Tempus depingi ſolet in ſpecie formoſi juvenis.*
§.12. *Quantum ſit pretium temporis.*
§.13. *Minimum ſufficit ad acquirendam ſalutem.*
§.14. *Miſeri ſunt, qui à tempore decipiuntur.*
§.15. *Efficacia aliquot motiva, ut tempus benè impendamus.*
§.16. *Animalia tempus ſuum agnoſcunt, non homines.*
§.17. *Damnati lugent, ſe perdidiſſe tempus.*
§.18. *Epilogus.*

§.1. *Timor extremi judicii impedit peccata.*

AD verba illa Salomonis Eccleſiaſtici 7. cap. 40. *Memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.* Eleganter ait S. Chryſoſtomus orat. 2. in 2. ad Theſſal: *Fieri non poteſt, ut anima, quæ timet de reddendis rationibus, ad delicta non ſit tarda: metus enim vigens in cogitatione, in ea nihil admittit mundanum;* multò minus grave peccatum. S. Ambroſius in apolog. David. *Deum arbitrum omnium eſſe ſcimus, & adhuc eo teſte peccamus?* S. Chryſoſtomus hom. 77. in Matth. *Cum hæc veniunt in mentem, amariſſimè flens, & ex profundo corde ingemiſco, quia quæ ad virgines & ad ſervum, qui abſcondit talentum* [& ad villicum iniquitatis, in hodierno Evangelio dixit: *Redde rationem &c.*] *vehementer me perturbant.* Hæc perturbatio non admittit peccatum. Teſte Sen. l. 2. nat. c. 31. *Serpentum, quibus mortifera vis ineſt, cum fulmine icti ſunt, venenum omne conſumitur.* Talia fulmina in Evangeliis frequenter vibrat Chriſtus D. *Securis ad radicem arboris eſt poſita; omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur; redde rationem; ligatis manibus & pedibus projicite in tenebras exteriores; diſcedite maledicti in ign. ætern. &c.* ad hoc, ut in ſerpentibus, in bufonibus, in peccatoribus conſumat venenũ peccatorum.

catorum. *Si hinc inde fulgurum jacula* [S. Hieronym. in epiſt. ad Amicum] *palpebris terribiliter objecta, corruſcant, quanquam in conſuetudine iſta contingat, pavemus, & contremiſcimus, & proni ad terram depoſitâ ſuperbia, cervices ſubmittimus; quid faciemus in illa die miſeri? propter quod* [ut loquar cum S. Petro ep. 2. c. 3. v. 14.] *hæc expectantes, ſatagite immaculati inveniri, & Domini longanimitatem ſalutē arbitramini.* Magna emphaſis latet in his duabus voculis, *hæc expectans*, quā S. Paul. videtur expoſuiſſe, cum ait ad Hebr. 9. v. 27. *Statutum eſt omnibus hominibus mori, & poſt hoc judicium.*

Hujus ut hodierno in Evangelio memores nos reddat Salvator, utitur parabolâ de villico iniquitatis, qui à patrefamilias ad reddendam rationem urgetur. Nos omnes tales ſumus villici; paterfamilias eſt Chriſtus D. à patre conſtitutus Judex vivorum & mortuorum: illi in articulo mortis ab omnibus & ſingulis reddenda eſt ratio de noſtra villicatione. In quo autem hæc conſiſtat, ſive de quibus rationem ſimus daturi, hac vobis concione proponam, Hoc certum præcipuos acceptorum, expoſitorumque titulos futuros ſequentes: cogitationes, verba, opera, omiſſiones, beneficia, officia, talenta naturæ & gratiæ, & præſertim nobile tempus, quod durante villicatione noſtra nobis conceditur. De his omnibus à nobis accuratiſſima exigetur ratio, ut jam jam audietis, ſi tamen benevola attentione dicentem proſecuti fueritis. §. 2. *Propoſitio Concionis.*

Per Sophoniam c. 1. v. 12. ait Dominus: *Et erit in tempore illo, ſcrutabor Jeruſalem in lucernis.* S. Hieron. ait, Chriſtum judicem hoc facturum, cum aliquando petet à nobis rationem villicationis noſtræ; per Jeruſalem autem intelligit homines timoratæ conſcientiæ, in quo illi conſentit S. Bern. *Exiſtimo Prophetam nomine Jeruſalem illos deſignaſſe, qui in hoc ſeculo vitam ducunt religioſam-ſanctā mores illius ſupernæ Jeruſalē converſatione honeſta & ordinata pro viribus imitantes & non velut hi, qui in Babylonia ſunt, vitā in perturbatione vitiorū ſcelerumq́; confuſione vaſtantes*, pergit S. Bern *acuto viſu nihil inſcrutatum relinquet oculus Chriſti; ſcrutabitur renes & corda, ipſa quoq; hominis cogitatio confitebitur illi. Quid tutum in Babylone, ſi Jeruſalem manet ſcrutinium.* O dictum aureum, §. 3. *Judex Chriſtus ſcrutabitur corda & renes in lucernis.*

ſed

Digitized by Google

rum omnium,ſed & inſpectorem & cenſorem,& arbitrum, & judicem & vindicem! ſic eſt. Qualis quisque ſit,quid in ſe admittat,qua mente,qua pietate colat ſuperos,virtutem amet,vitia deteſtetur,Deus clariſſimè intuetur. Lib.3.de natura Deorum ait: *Obſcurum Deo nihil poteſt eſſe.* S. Auguſt.in ſoliloq c.14. *Magna nobis eſt indita neceſſitas juſtè recteque vivendi, qui cuncta facimus ante oculos judicis cuncta cernentis.*

§. 5. Villicatio noſtra conſiſtit inprimis in cogitationibus, de quibus ratio à nobis exigetur.

His ergò poſitis æquus judex à quovis in judicio particulari exiget rationem de omnibus cogitationibus, quas unquam habuimus. Villicatio ſunt cogitationes hominis, de illis reddenda eſt ratio. Dixit quidem Ulpianus: *Cogitationis pœnam nemo patitur*; in forenſibus judiciis hoc verum eſt, non ita erit coram tribunali Chriſti;cogitationes malas,vanas,ſuperbas,impuras,amaras erga proximum, ſi conſenſus acceſſerit, puniet; *Bonas* verò de Deo,de Jeſu,de paſſione, *bonas*, id eſt, DEUM amandi, laudandi,*bonas*,id eſt,omnes actus internos virtutum, æternâ gloriâ remunerabit; tunc v.g. innoteſcet, quid cogitarit S. Ignatius in Manreſæ latebris, quid S. Franciſcus in ſuis exceſſibus, cum per 40. dies confixus fuit crucifixo; quid S. Thereſia in ſeraphico raptu: quid tot eremitæ in antris Ægypti, &c. O juſtum Deum! unicam cogitationem lethalem, in qua homo ſine pœnitentia mortuus eſt,æternis ignibus æternùm puniet. O bonum Deum! cogitationem bonam minimam, v.g. hanc, *O mi Jeſu, &c.* æterno præmio æternùm remunerabitur. Eja Auditores, hac hora, hoc momento deteſtamini omnes cogitationes,quibus unquam Deum offendiſtis; hoc eſt dare rationem tempore opportuno; hac hora, hoc momento incipite fovere in cordibus veſtris per diem mille cogitationes ſanctas,ſic illa hora coram Chriſto judice ſubſiſtemus.Nemo cogitet,quomodo hoc erit poſſibile? qua ratione uno momento mihi occurrent omnes totius vitæ cogitationes: ne ſis propterea ſolicitus; Chriſto judici illas eſſe notas & perſpectas,non eſt dubium; tu illo momento in conſcientia tua ad lucernas Chriſti adeò illuminaberis, ut ſit illa futura quaſi ſpeculum, in quo omnes poſſis nævos perſpicere; hoc innuunt illa verba S. Pauli: *Manifeſtari nos oportet*; Pſ. 89. v. 8. *Poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo.* S. Bern.in manuali: *Quadam vi di-*

vina fiet, ut cuiq; ſua opera bona, vel mala in memoriam revocentur, & mentis intuitu mira celeritate cernantur.

§. 6. *Villicatio conſiſtit in verbis de quibus quoque dabimus rationem.*

Accedit quod eidem Judici Deo reddenda ſit ratio de omnibus verbis; villicatio noſtra, ſunt verba noſtra. De maxima hac nemo dubitet, nemo illam rideat, eſt æternæ veritatis axioma, eſt pronuntiatum Chriſti Salvatoris noſtri, Matth. 12. v. 36. *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii*, quanto magis de blaſphemiis, impuris contumeliis; ſi ea, quæ otioſa tantum fuere verba tam exactum ſubibunt judicium; quid dicam de contumelioſis? quid de mendacibus? quid de impuris, atque venereis? quid de blaſphemis, atq; execratoriis? quid de ſexcentis aliis linguæ in malum lubricæ vitiis? perpendite hoc amabo vos Auditores, perpendite, & tremendum illum Judicem expaveſcite; perpendite & illa, quàm familiaria, tam noxia linguarum ſcelera, nunc, dum poteſtis, corrigite.

§. 7. *In operibus.*

Tertio ſiſtetur homo Judici, *ut manifeſtentur opera ejus.* Joannis 3. v. 21. (Matth. 16. 27.) *Filius enim hominis venturus eſt, in gloria Patris ſui, cum Angelis ſuis, & tunc reddet unicuiq; ſecundum opera ejus.* S. Paulus ad Rom. 2. v. 6. *Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei, qui reddet unicuiq; ſecundum opera ejus, iis quidem, qui ſecundum patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam, iis autem, qui credunt iniquitati, ira & indignatio.* 1. Cor. 3. v. 13. *Uniuscujusque opus manifeſtum erit; dies enim Domini declarabit, quia in igne* (à facie judicis erumpente] *revelabitur, & uniuscujusque opus quale ſit, ignis probabit.* Inculcat hanc veritatem in variis epiſtolis Gentium Doctor, faciunt idem Prophetæ toties, ut Catholicorum nemo de illâ dubitet, itaq; maxima pars villicationis noſtræ conſiſtit in operibus noſtris; proinde eo cura noſtra intendi debet, ut aliquando in rationibus ſubſiſtamus.

§. 8. *Multi alii tituli rationum.*

In iisdem rationibus alios varios titulos invenio v. g. omiſſiones, Dei beneficia, talenta, promiſſa, officia, quinq; ſenſus, potentiæ animæ. Hæc ergo Judex proponet, toties potuiſſes audire ſacrum, toties orare roſarium &c. Sed omiſiſti; redde rationem, qua-

Digitized by Google

quare omiſiſti. Ego creavi te, redemi te &c. redde rationem, quas retuliſti gratias. Animam tuam creavi ad ſimilitudinem noſtrã, dedi tibi memoriam, intellectum, voluntatẽ, redde rationẽ, quomodo his talentis es uſus. In corpore dedi quinq; ſenſus, redde rationem, quomodo uſus es oculis? ad vanitatem illos magis cõvertiſti, quam pietatem? *redde rationem* ! auribus quomodo uſus es? nunquid ad detractorum verba promptas? nunquid ad turpia, & laſciva expeditas? *redde rationẽ*? Et quomodo lingua tua? ô lingua tot enormium ſcelerum officina! ô lingua invida, blaſphema, laſciva! *redde rationem*! jam quomodo manus, quomodo pedes, & in quem uſum, finemq; direxiſti? *redde rationem* ! an forſan Canonicus fuiſti! nunquid duorum vel trium, aut etiam plurium beneficiorum poſſeſſor? nunquid preces tuas, horaſq; Canonicas neglexiſti? nunquid patrimoniũ Chriſti, proventus, inquã, Eccleſiaſticos ad pias cauſas convertiſti? an ſecus? *redde rationem*, &c.

Supereſt titulus præcipuus, nimirum Tempus, quod Deus nobis ad negotiandũ, villicandumq; tradidit, de quo accuratiſſimã rationem eſt exacturus. De unico v. g anno diſcurramus. Annus habet dies 365. dies unus habet horas 24. ergo unᵘˢ añus habet horas 8760. medias horas 17520 Quadrãtes 35049 Tot dies, tot horas, tot medias horas, tot quadrantes habuiſti v. g. hoc anno præterito; ſi contingeret hoc momento te citari ad judicium, ſi hoc momento Judex tibi diceret, *redde rationem*; quid in tot quadrantibus cogitaſti, quid dixiſti, &c. redde rationem; quid Audit. poteritis reſpondere? Quo abiit ab añis 20. vel. 30. tempus tã nobile? §. 9. *De tempore præſertim erit danda ratio.*

Sed quid eſt tempus? S. Aug l. 11. Conf. c. 14. huic quæſtioni ita reſpondit. *Quis hoc facile, breviterq́, explicaverit? ſi nemo ex me quærat, ſcio; ſi quærenti explicare velim, neſcio.* Philoſophi dicunt, *tempus eſt mora quædam ſucceſſiva ſive fluens æquabili fluxu*; v. g. poſt unum quadrantem, fluit alius, poſt hunc alius &c ita horam ſubſequitur alia hora, diem dies excipit &c. & ſecundum hunc fluxum, omnia vel ſunt ſimul, vel diſtantia tempore. Cœpit vero tẽpus fluere, vel currere ab initio creationis mundi, & fluet, vel curret uſq; ad illius conſummationem. Illud vero tempus, quod fuit ante mundi creationem, & quod erit poſt illius conſummationẽ, ſi tamen tempus vocari poſſit, pertinuit, & pertinebit ad æternitatem. §. 10. *Quid ſit tempus.*

Digitized by Google

§.11. *Tempus depingi ſolet in forma ſpecioſi juvenis.*

Jam verò ut aliqui huic quæſtioni, quid ſit tempus, clarius ſatisfacerent, illud, ſub corporeis imaginibus, oculis noſtris repræſentarunt, v.g. in forma ſpecioſi adoleſcentis, qui in capite portat cœleſtem ſphæram, altera manu clepſydram, altera falcem, pedibus explicatas fert alas valde magnas. Globus ſignificat motum cœleſtium orbium, quo motu anni præcipua tempora diſtinguuntur; labens in clepſydra arena, & pedum alæ, temporis nobis proponunt irrequietam celeritatem. Labuntur cum impetu aquarum torrentes; volant per aera aquilæ, volant ſagittæ, celerrimo impetu per fluctus à ventis propelluntur navigia, citius labitur, citius volat, citius currit, citius propellitur tempus. Falce illius juvenis armata eſt manus, quæ ſit indicio, omnia ſucceſſu temporis, quaſi falce demeti & proſterni, juxta illud Cic. *Nihil eſt opere aut manu factum, quod aliquando non conficiat, & conſumat vetuſtas.* Muros Babyloniæ conſumpſit tempus, &c. Doctiſſimus Cæſar Ripa caput hujus juvenis coronavit ſerto ex roſis, ex ſpicis, ex fructibus, ex aridis ramis. Roſæ & flores nobis proponunt ver, ſpicæ æſtatem, fructus autumnum, aridi rami hyemem; in quas quatuor partes tempus anni dividitur. In aliis picturis ad pedes juvenis ſedent duo pueri, quorum alter in capite habet ſolem, alter lunam; ſol diem, Luna noctem ſignificat.

§.12. *Quantum ſit pretium temporis.*

Ex his aliquo modo reſpondere poſſumus propoſitæ quæſtioni, quid ſit tempus? ſed aliam proponit Seneca lib. 9. epiſt. *Quem enim mihi dabis, qui aliquod pretium tempori ponat? qui diem æſtimet?* Democritus Mileſius reſpondit: *Nihil pretioſius tempore;* Cujus verba repetiit S. Bernard. ſerm. ad ſchol. *Nihil pretioſius tempore! & heu! nihil eo hodie vilius invenitur. Tranſeunt dies ſalutis, & nemo recogitat - - Nemo veſtrum parvi æſtimet tempus. Licet fabulari, dicunt donec hora prætereat. O! donec prætereat hora! quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam ac acquirendam gratiam, ad promerendam gloriam miſeratio conditoris indulſerat. O! donec tranſeat tempus! quo Divinam debueras propitiare pietatem, properare ad angelicam ſocietatem, ſuſpirare ad amiſſam hæreditatem, excitare remiſſam voluntatem; flere commiſſam iniquitatem.* Si conſideremus, talia nos poſſe præſtare in tem-

Digitized by Google

tempore, quid illo pretioſius poſſumus excogitare, ſed Auditores, reddite rationem.

Inde ejus pretium æſtimant aliqui SS. PP. quod quælibet §. 13.
temporis anguſtia ſufficiat ad ſalutem. Jonæ 3. v. 4. clamat Propheta: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur.* LXX. legerunt: *Adhuc tres dies.* Quanta feſtinatio ſubverſionis tantæ urbis, quæ inter tres dies peragi debet? quæ tamen Regem non perturbavit, cum ſciret, etiam breviſſimo hoc tempore neceſſariam eſſe peragi pœnitentiam. S. Baſil. Seleuc. orat. 12. *Anguſtis dierum terminis comminatio concluditur, lata autem via ad pœnitentiam aperitur.* Quodlibet enim punctum temporis ſufficit ad ſalutem. Nota eſt momentanea latronis converſio, qui in cruce poſitus, cum feſtinaret ad mortem, Luc. 23. v. 42. dixit: *Domine, memento mei*, & illi ſtatim Dominus: *Hodie mecum eris in paradiſo.* Circa quæ S. Leo ſer. de paſſ. *Quis tanti muneris explicet Sacramentum?* [quis pretium unius medii quadrantis?] *quis potentiam miræ commutationis enarret? Ex quo temporis puncto longorum ſcelerum reatus aboletur; inter luctantis animæ dira tormenta, hærens patibulo, tranſit ad Chriſtum, & cui propria impietas intulit pœnam, Chriſti gratia dat coronam.* Cum Gen. 7. v. 4. Noe fuiſſet ingreſſus arcam, ait Dominus: *Adhuc diebus ſeptem ego inducam pluviam.* Et cur paucis diebus differt ſupplicium? quid prodeſſe poterunt pauci dies? S. Ambroſ. lib. de Noe c. 13. *Multorum annorum offenſionem à conſtitutione mundi in finem uſq; contractam, paucis diebus, ſi pœnituiſſent, eos voluit relaxare.* Et pretium unius horæ quis poterit æſtimare? ſed date veniam.

Minimum ſufficit ad acquirendam ſalutem.

Simul tamen oportet attendere, ne in errorem, fraudemve §. 15.
inducamur, quod fit, cum illa, quæ pro æterna ſalute agenda ſunt, de die in diem differimus. Error temporis plerumque eſt letalis. Lucæ 12. v. 9. ait dives: *Dicam animæ meæ: anima mea, habes multa bona poſita in annos plurimos; requieſce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: ſtulte, hac nocte repetent animam tuam à te.* In perditionem illum traxit, quod erraverit in tempore, cum tempus inſtaret, putavit ille abeſſe longiſſimè. S. Baſilius or. 14. de divitiis: *Talis nobis in Evangelio deſcribitur dives;*

Miſeri ſunt qui à tempore, decipiuntur

Digitized by Google

circumſteterant jam eum illi, qui animam ab eo repetituri erant; ille tamen de edulius cum anima diſſerebat: illâ nocte è vita erat diſceſſurus; multorum tamen annorum uſum meditabatur. Ingens ſanè inſania eſt &c. Aliter S. Paulus fuit locutus 2. ad Timoth. 4. v. 6. *Ego enim jam delibor, tempus reſolutionis meæ inſtat*; & ita, [Prudentius,] *Nec hora vatem, nec dies fefellit.* O ſi ita impenderemus tempus! at negligimus, hora, quam non putamus, nos fallit, & dabimus rationem!

§. 15. *Efficacia aliquot motiva, ut tempus benè impendamus.*

Quocirca ô nos inconſideratos mortales! quid agimus obſecro? dum tam nobile tempus, tot horas, tot dies terimus fabulis, nugis impendimus, jocis traducimus. Contingit, ut alicui reo nuntietur ſententia mortis, poſt horas 6. vel 8. eſſe illi exeundum è carcere, ſimul & vitâ, nunquid extremæ eſſet dementiæ, tum riſibus, nugis jocisque indulgere! Et quid vita humana eſt aliud, quam via ad mortem? moriemur fortaſſis poſt horas 6. quid ridemus? dum incendium per vicinas ædes graſſatur; dum naufrago ob oculos verſatur imago mortis; dum hoſtis occupat mœnia, &c. quis illo tempore nugatur? quis non eſt ſollicitus, ut tanta evadat pericula? & quid nos agimus Auditores? quid agitis graves peccatores? nunquid fieri poteſt, ut hac hora mors vos præcipitet in infernum? nunquid recordamur dicti illius Evangelici, ſicut fur in nocte, ita erit adventus filii hominis? nunquid & memores illius ſumus axiomatis, qua hora non putatis, filius hominis veniet? eccur ergo non vigilamus attentius? cur non oramus ferventius? cur majorem temporis tam pretioſi, tam nobilis, tam fugitivi rationem non habemus?

§. 16. *Animalia tempus agnoſcunt, non homines.*

Experientia docet, nimis verum eſſe illud Jeremiæ c. 8. v. 7. *Milvus in cælo cognovit tempus ſuum, turtur & hirundo & ciconia cuſtodierunt tempus adventus ſui, populus autem meus non cognovit judicium Domini.* Et de ciconia quidem annuam habemus teſtem experientiam, quàm pulchrè, quàm exactè temporis ſui rationem obſervat: non citius à nobis diſcedit, quàm ubi dictante natura tempus adeſſe comperit; non citius nos reviſit nec tardius, quàm cùm iterum veniendi tempus cognoſcit. Enimverò tum illam nec niduli dulcedo, nec innatus pullorum amor, nec

auræ

Digitized by Google

aura inclementiæ, nec aliud quidquam remoratur. Quære ex ciconia, cur modo tam properè nos deſeris? reſponderet, ſi poſſet, quia tempus eſt meum: cur hoc potius menſe, quàm alio nos reviſis? quia jam tempus eſt, & non alias. En ciconiam temporis obſervantem! Et quid nos agimus mortales? pudeat, ipſæ nos vincunt volucres, pari ratione clementiſſimus Deus concedit nobis tempus, quo agenda eſſet ſeria pœnitentia, quo confugiendum nobis eſſet ad vulnera Salvatoris, &c. Si negligamus, ſi filii hujus ſæculi ſint prudentiores, nunquid dicetur nobis, redde rationem.

Quid ſit tempus perdidiſſe, agnoſcunt miſeri damnati, ſed nimis ſerò teſte Humberto Dominicano, pio religioſo, terribilis apparuit ſpiritus; interrogatus, quis eſſet, reſpondit: *Sum unus ex conclamata apud inferos turba. Sed cur tam altum gemis & ſuſpiras*, ait Religioſus; & ardens anima dixit: *Noveris O magne Numinis amice, me cæteroſque inferni incolas nihil acerbius lugere, quàm inter illecebras dilapidati temporis jacturam.* Quis econtra explicare poterit Beatorum gaudium in cœlis, quod tempus dum viverent, bene impenderint. *§. 17. Damnati lugent, ſe perdidiſſe tempus.*

Ut Concioni finem brevi imponam, unumquemque veſtrum compello verbis S. Bernardi ad Pap. Eug. *Prædeceſſores ſequeris*! ad mortem! ad Judicem, ad æternitatem! videte proinde, quomodo ita vivatis; allaborate, ut tales ſint veſtræ cogitationes, talia verba, talia opera! ut talis ſit vita veſtra! ut ita tempus impendatis, ut cum in agone de his omnibus erit danda ratio, ſubſiſtatis. O felicem! qui dicere poterit: Mi Jeſu! ita tempus meum quotidie impendi: ut illius reddere rationem non pigeat; ita exegi annos juventutis, ut cœlo ipſo potius quàm mundo tranſcripſerim; ita vitæ meæ dies, horas atque momenta vivendo decurri, ut ſemper propius ad ſtadium beatæ æternitatis acceſſerim. Tempus meum Deo conſecravi. *Ita erimus* [verba ſunt S. Chryſoſtomi] *parati in ſingulos dies ad mortem: ita omnia agentes, quaſi nunquam vitam noſtram uſque ad veſperum duraturam; ſed certiſſimè nos morituros arbitremur.* *§. 18. Epilogus*

CON-

Digitized by Google

CONCIO XXXVIII.

DOMINICA X. POST SS. TRINITATEM.

Flevit ſuper illam,

Lucæ 19. verſ. 41.

SYNOPSIS CONCIONIS.

ITerum affert varias morales cauſas lachrymarum Chriſti ſuper ingratam Jeroſolymam.

§. 1. *Quanta Dei erga Jeroſolymam dilectio! quanta ejus ingratitudo! quantum ſupplicium.*

§. 2. *Facies & oculi produnt internos animi affectus.*

§. 3. *Cur Regina Eſther præ ſe tulerit triſtitiam, antequam alloqueretur Regem Aſſuerum? cur fleverit? ita illum diſpoſuit ad clementiam.*

§. 4. *Ita iratum Imperatorem placavit ſanctus quidam Epiſcopus.*

§. 5. *Pari ratione Chriſtus D. Jeroſolymæ placare voluit Patrem ſuum cæleſtem.*

§. 6. *Pater filii prodigi, quàm facilè motus fuerit ad pietatem ob lachrymas filii.*

§. 7. *Et Joſeph lachrymis fratrum.*

§ 8. *Proſecutio.*

§ 9. *Sumuntur inde cauſæ, propter quas Chriſtus D. fleverit ſuper Jeroſolymam.*

§. 10. *Lachrymæ parentis filii prodigi oſtenderunt illum fuiſſe patrem; Eſau, fratrem; applicantur hæc flenti Chriſto.*

§. 11. *Lachrymæ faciunt, orationem eſſe pingue ſacrificium.*

§. 12. *Obtinent veniam.*

§. 13 *Internus & acerbus Chriſti dolor, ob populi Judaici interitum,*

Digitized by Google

tum, fuit cauſa lachrymarum.
§. 14. *Supremis in cruce verbis ex Pſ. 21. Deus meus, &c. illum dolorem adhuc fuit teſtatus.*
§. 15. *Quo ſenſu Chriſtus Dominus ſedens ad dexteram Patris dicatur adhuc lugere, flere interitum animarum.*
§. 16. *Proſecutio & Epilogus.*

BEne exclamavit S. Chryſoſtomus in cap. 25. S. Matthæi, in hunc ferè ſenſum; *Jeruſalem! Jeruſalem! O quanta indulgentia!* quanta Dei erga hanc urbem dilectio! ab illo electa, ut eſſet regia Davidis, à Salomone honorata magnificentiſſimo templo Domini, facta Domina gentium & Princeps Provinciarum; Civitas ſancta, in qua Chriſtus D. docuit, paſſus eſt, reſurrexit, & glorioſus aſcendit ad cœlos, ſed, *O quanta ingratitudo civitatis!* quanta ejus ſcelera! quam enormia! ut denique obſtinatus Judæorum populus Regem & Meſſiam ſuum cruci affixerit. De hac ingratitudine conqueritur Chriſtus D. in hodierno Evangelio: *Jeruſalem, &c.* Et ideò prioribus querelis S. Chryſoſtomus addit tertiam: *Quantum denique ejus ſupplicium!* quod idem Salvator noſter illis annuntiavit his verbis: *Venient dies, & circumdabunt te inimici tui vallo, & coanguſtabunt te undique, & proſternent te, &c.* Acciderunt hæc omnia, cum anno à paſſione Chriſti quadrageſimo Titus & Veſpaſ. inſtructi potentiſſimo Romanorum exercitu urbem horribili oppugnatione expugnarunt, igniq; & ferro omnia devaſtantes ſolo æquarunt. Sed mi Jeſu! cujus rei gratia quæ futura ſunt mala, prædicas? venientne Romani modò poſt annos 40. quid opus eſt, ut urbs ſcelerata hoc ſciat tam citò? Cum hanc quæſtionem S. Chryſoſtomus propoſuiſſet Jonæ, reſpondit ex Origine: *Noluit cum ſilentio damnatos perire; dans eis tempus pœnitentiæ, miſit itaque ad eos Prophetam, qui diceret, adhuc quadraginta dies, &c.* Jonæ 3. v. 4. *ut qui condemnati fuerant, agerent pœnitentiam, & miſericordiam impetrarent.* Idem hodie fecit Salvator, noluit cum ſilentio damnatos perire, *hinc lachrymæ!* voluit iis dare tempus pœnitentiæ; *hinc lachrymæ!* At quia omnia videt incaſſum tentanda; quia conatus ſuos irritos fore prævidet; hinc non lachrymæ tantum, ſed & flumina lachryma-

§. 1. *Quanta Dei erga Ieroſolymam dilectio! quanta ejus ingratitudo! quantum ſupplicium!*

ed by Google

crymarum. Hanc & alias cauſas hujus fletus vobis proponam hac Concione, ut ſpero, non ſine fructu.

§. 2. *Facies, & oculi produnt internos animi affectus.*

Dum Chriſtum D. antequam paucis verbis, ingratam Jeroſolymam alloquatur, amarè flentem ſuſpicio, & admiror; cauſasque inquiro, ob quas illum putem effudiſſe amaras lachrymas; occurrit mihi triſtiſſima, & afflictiſſima Eſther, de quâ libri ejus caput 15. v. 8. ait, *Ipſa autem roſeo colore vultum perfuſa, gratis ac nitentibus oculis, triſtem celabat animum, & nimio timore contractum,* id eſt, Cum Eſther regium fuiſſet ingreſſa palatium, pulchra illa quidem, ſed triſtem Regi faciem exhibuit: formoſos oculos, ſed lacrymis madidos. Ita Regi ſuum demonſtrare voluit dolorem. Hoc idem juxta hiſtoriam hodierni Evangelii, in conſpectu Jeroſolymæ, brevi illi valedicturus, fecit Chriſtus D. Salvator noſter, ſpecioſus forma præ filiis hominum, roſeo colore vultum, genas, & labia perfuſus, gratis & nitentibus oculis ob copioſas lacrymas madidis, triſtiſſimum celare non potuit animum à mœrore nimio contractum. Nam, ut pulchrè ait Dioniſ. Carth. in c. 19. Eccleſiaſtici. *Diſpoſitio cordis ſolet relucere, & apparere in facie, præſertim in oculis,* juxta illud Eccleſ. 19. v. 26. *Ex viſu cognoſcitur vir, & ab occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus.* Et S. Bernardus ſerm. 71. in Cant. ſuper v. 5. pſ. 111. *Jucundus homo, qui miſeretur, & commodat,* ſic ait, *Eſt candor, quem ſibi induit is, qui miſeretur. Etenim ſi intuearis illum, quem Propheta depingit jucundum hominem, qui miſeretur, & commodat, nonne is tibi videbitur de ipſa animi jucunditate induiſſe candorem quendam pietatis, vultui pariter & operi ſuo.* Sicut ex adverſo, ſi ex triſtitia, & velut neceſſitate quadam quis tribuat, non candidum planè, ſed tetrum præfert manu, & fronte colorem, id eſt, ex vultu cognoſcitur, an aliquis ſit triſtis & miſericors, & contra. Itaq; ex candidiſſimo vultu Salvatoris, ex madidis oculis, ex pallentibus genis colligo, ipſum accedere electam ſuam urbem, ut oſtendat ſe velle ejus miſereri, ſe adeſſe, ut miſericordiam exhibeat. Diſpoſitio cordis ejus relucet, & apparet in facie, præſertim in oculis.

§. 3. *Cur Regina Eſther præ*

Sed hoc præſertim miror in Eſthere cap. 14. in ardentiſſimis ad Deum precibus, hanc quoq; petiit gratiam v. 12. *Domine! oſtende te*

de te nobis in die tribulationis noſtræ; & da mihi fiduciam, Domine Rex Deorum, & univerſæ poteſtatis; tribue ſermonem compoſitum in ore meo, in conſpectu leonis, & transfer cor illius in odium hoſtis noſtri, ut ipſe pereat. Nos autem libera in manu tua, & adjuva me, nullum aliud auxilium habentem, niſi te Domine. Placet mihi affectuoſiſſima hæc oratio. Verum cum eò ventum eſt, ut Regina (cap. 15.) leonem, ſive iratum Aſſuerum compoſito ſermone alloqueretur, cum ſtetit contra Regem, ſuper ſolium regni ſui, cum Regina elevavit faciem, intuitaq; fuit ardentes & ſcintillantes oculos furentis leonis Aſſueri, v. 10. *Corruit, & in pallorē vultu mutato, laſſum ſuper ancillam reclinavit caput.* Et eſt probabile in hoc deliquio ex Eſtheris oculis, teneras profluxiſſe lacrymas. Et ubi nunc ille compoſitus ſermo? ubi ſuavia & mellea verba? ubi fiducia? ubi fortis & regius animus? ubi quæ petiit à Deo auxilia? prudentiſſimè in hoc egit ſapientiſſima Eſther, dum enim, antequam regem alloqueretur, deliquium hoc, & afflictionem coram Rege paſſa eſt, dum prius flevit, medio uſa fuit efficaciſſimo, ad movendum Regem ad compaſſionē, & miſericordiā. Regiis lacrymis Eſther extinxit flammas ardentium oculorum, triſti facie iratum leonis animum compoſuit ad benevolentiam, ita placavit Aſſuerum.

Se tulerit triſtitiam, antequam alloqueretur Aſſuerum? cur fleverit? ita illum diſpoſuit ad miſericordiam.

§. 4.

Ita iratum Imperatorē placavit pius quidā Epiſcopus (nominis non fit mentio.)

Hoc medio, placandi iratum Imperatorem, uſus fuit ſanctus ille Epiſcopus, de quo S. Chryſoſtomus ait hom. 20. ad popul. Antioch. *Ut vero magnam illam civitatem aſcendit, regias ingreſſus eſt aulas, procul à Rege conſtitit mutus, lacrymans, deorſum inclinatus, latitans, tanquam ipſe eſſet, qui omnia illa patraſſet. Hoc autem faciebat, habitu, aſpectu, luctibus prius movere volens ipſum ad miſericordiam, & tunc defenſionem pro nobis ſuſcipere.* Antequam vir ſanctus loqueretur, antequam opere ſuo ſuos cives defenderet, triſtitia, lacrymis, afflicto vultu, Imperatoris animum ad miſericordiam voluit diſponere.

§. 5.

Pari ratione Chriſtus D. voluit Ieroſoly-

Intelligo, & adverto pulcherrimas cauſas, ob quas Chriſtus Dominus flevit ſuper Jeroſolymam: Ne ob graviſſima ſcelera, meritas, & à Nemeſi præparatas luat pœnas, Divinum Aſſuerum, Patrem Cœleſtem, vult placare; paratus quidem eſt

ma placare iratum patrem. intra paucos dies pro populo mori, & Divinum effundere cruorem, ſed quid prius agit, ut Patrem efficacius ad miſericordiam diſponat? Dum ſtat contra urbem, in conſpectu Jeroſolymæ, elevata facie, pallido vultu, lachrymantibus oculis cœlum intuetur, mutus, lachrymans, profundum inclinatus, tanquam ipſe ſit tot horrendorum ſcelerum reus, & miramur, tale pondus & onus tot atrocium criminum ex oculis Chriſti expreſſiſſe lachrymas; Hoc fecit habitu, vultu, oculis, lachrymis, ſuſpiriis, volens prius Patrem movere ad miſericordiam; poſt paucos deinde dies aggreſſurus, & perfecturus magnum opus humanæ redemptionis. Experientia docet, afflictionem, gemitus, lachrymas, ejulatus afflicti alicujus hominis, nobis quoque perſuadere ad compaſſionem.

§. 6. *Pater filii prodigi, quàm facilè motus fuerit ad pietatem ob lachrymas filii.*

Lucæ 15. v. 17. prodigus filius in ſe reverſus dixit: *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus: ego autem hic fame pereo. ſurgam & ibo ad patrem meum, & dicam ei, pater peccavi &c. & ſurgens venit ad patrem ſuum. Cum autem adhuc longè eſſet, vidit illum pater ipſius, & miſericordia motus eſt, & accurrit, &c.* Ex his verbis colligimus, patrem occurriſſe filio, antequam hic verbum protuliſſet; unde ergò ejus collegit pœnitentiam? cur non expectavit verba filii? cur non ſe cohibuit, donec videret filium proſtratum in genua, donec audiret illa, quæ cogitaverat ſe dicturum? pannoſus habitus, lurida facies, oculorum lachrymæ, oris ſingultus, ante verba, Patri explicarunt intimos filii motus; diſpoſitio cordis ejus apparuit in facie & lachrymis; ideo miſericordiam non diſtulit. D. Thomas in catena ex S. Chryſoſtomo: *Senſit autem pater pœnitentiam, non expectavit recipere confeſſionis verba: ſed prævenit petitionem, miſericorditer agens.* Hoc in hodierno Evangelio fecit Chriſtus D. ſurgit oneratus non propriis, quæ nunquam admiſit, ſed alienis populi ſui, imò mundi totius ſceleribus; abit ad patrem, atque ut illum ad miſericordiam flectat, cor ſuum prius flectit ad dolorem, & oculos ad lachrymas. *Vt vidit, flevit*: vidit urbem, & ſtragem deflevit! vidit incolas, & deploravit ruinas; vidit multitudinem, & deflevit calamitatem.

Nimirum

Digitized by Google

Nimirum magna eſt lachrymarum vis & potentia. Gen. 45. Joſeph neſcio quam ſimulavit iram adverſus Benjaminum, ideo, dum vincula illi minaretur, & carceres, afflicti fratres ſoluti in lachrymas, demiſſiſſimis precibus à Joſepho petierunt ejus liberationem. Quid Joſeph? v. 1. *Non ſe potuit ultra cohibere.* D. Ambroſ. ep. 43. *Joſeph, ut fratrem juniorem teneret, ſimulabat iracundiam fratribus, & compoſitam à ſe furti fraudem indignatus eſt: tamen cum advolveretur ad genua ejus, unus ex fratribus, Judas: & flerent alii, fraterno victus & compaſſus affectu, diutius tenere non potuit ſimulationem ſeveritatis, remotisque arbitris aperuit fratribus, quod germani eſſent.* Quid non fecerunt effuſæ à fratribus lachrymæ? quam citò extinxerunt iras, quàm facilè emolliverunt cor Joſephi? §. 7. *Et Ioſeph lachrymis fratrum.*

Aliam circumſtantiam vel cauſam adducit Rupertus, ob quam Joſeph ſe non potuerit ultrà cohibere, ait enim, erupiſſe Joſephum in lachrymas, quando à fratribus intellexit mœſtitiam & afflictionem parentis ſui Jacob, ob abſentiam filiorum. *Poſtquam bene accepit* [ait Rupertus] *grandem eſſe, vel fuiſſe pro ſe, calamitatem patris, non poterat, inquit ſcriptura, ſe ultra cohibere; & qui hactenus ſe continuerat, utcunque gemitus intercidens, ab abſcondendo deglutiens, ac cum violentia lachrymarum fluenta dividens, horâ, quâ os aperuit dicturus, ego ſum Joſeph; citius ac properantius erupit, incondito clamore, doloris turbo violentiſſimus, vocemque cum fletu in altum extulit.* §. 8. *Proſecutio.*

O infelix Jeroſolyma! *Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & coanguſtabunt te undique, & ad terram proſternent te, & filios tuos, & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem.* Ah incolæ infeliciſſimæ urbis, magna erit afflictio veſtra, &c. & miramini, Meſſiam veſtrum, dum adeſt, ut vobis valedicat, ut poſt modicum vos deſerat, ut cœleſtes minas vobis annuntiet, amariſſimè flere. Eſt Joſeph! eſt frater veſter, lachrymis loquitur, ſe eſſe germanum veſtrum, non poteſt ſe cohibere; interſcindit gemitus, quantum poteſt, abſcondit ſuſpiria; violentus doloris turbo facit, ut properanter erumpant lachrymæ, & ut cum lachrymis exclamet: *Jeruſalem, Jeruſalem, &c.* lachrymis aperit, ſe §. 9. *Sumuntur inde cauſæ, propter quas Chriſtus flevit ſuper Ieroſolymam.*

 eſſe

Digitized by Google

eſſe veſtrum Meſſiam. Breviter & eleganter hic Ericus: *Lachrymatus eſt, quia fons pietatis erat. Sed illæ lachrymæ inexplebile gaudium pepererunt. O lachrymæ pietatis! ſublaturæ mæſtitiam, & æternam propugnaturæ lætitiam.* Brevius & elegantius Theophylactus: *Plorat ſuper civitatem, ut miſericors, nolens perdi eos, qui in illa erant propter facinus contra ſe. Oſtendit itaque viſcera miſericordiæ per fletum.*

§. 10. *Lachrymæ parentis filii prodigi oſtenderunt, illum fuiſſe patrem, Eſau, fratrem. applicantur hæc flenti Chriſto.*

Redeo iterum ad pium patrem, accurrentem in amplexus prodigi filii, huc me reducunt verba Venantii Fortunati epiſt. ad Siagrium Epiſcopum: *Voce intercepta, tam viſcerum mœrore, quam luminum flumine, dum loqui non permittitur, ipſo ſilentio lachrymæ patrem fatebantur: quia dum anxius in verbo genitor pendet, nec exprimit, tacente faucis organo, pupilla fletibus loquebatur.* Quid loquebatur? facilis eſt conjectura. Facundæ ſunt lachrymæ: innata eſt illis eloquentia. Ego quidem his paternis lacrymis hanc vocem adjungo. Fili mi! ô fili chariſſime veni! En me patrem! pater ſum, negare non poſſum! & tu filius es? hucuſque perditus, nunc inventus! hucuſque mortuus, nunc vivus; hucuſque ingratus, nunc gratus. Accede fili, ſtringam te paterni amoris amplexibus; ignoſco, quod delictum eſt hactenus. Pari ratione Geneſ. 33. verſ. 4. dicitur de Eſau: *Currens obviam fratri ſuo, amplexatus eſt eum, ſtringensque collum ejus, & oſculans flevit.* Adhuc in ore erat ſilentium, & oculi lachrymis loquebantur charitatem. Ut dicat Cajetanus: *Commotus affectus fraternus oſtenditur. Uſque adeo, ut ſeipſum non potuerit continere, & præ fraterna teneritudine motus ad lachrymas fuerit.* Quærite ex me, quare Jeſus fleverit ſuper Jeroſolymam? Reſpondeo; venit, ut urbi, ut electo populo ſuo offerat oſculum ſupremæ valedictionis; hoc ſine lachrymis facere non potuit, lachrymis oſtendit, affectus ſuos fuiſſe commotos, flet, ob fraternam teneritudinem, vocem quidem intercipiunt gemitus, ſed licet loqui non permittatur, lachrymis & ſilentio loquitur charitatem; lachrymis ait: *Ego ſum Jeſus!* &c.

Threno-

Digitized by Google

Threnorum cap. 2. v. 19. dixit Jeremias: *Conſurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum; effunde ſicut aquam cor tuum ante conſpectum Domini: leva ad eum manus tuas, &c.* Quæ verba ita exponit Rupertus lib. 1. in Jerem. *Conſurge, & arma tua corripe, arma vigiliarum, arma lachrymarum, quod eſt, effundere ſicut aquam cor tuum, & hoc ante conſpectum Domini, ut fortiſſimum Dominum ordinata fortitudine tenere poſſis.* Id eſt, orationi & lachrymis magna ineſt vis, ideo cum Jud. c. 2. v. 4. Angelus loqueretur ad filios Iſrael in ira & furore, *elevaverunt vocem ſuam & fleverunt, immolaveruntque ibi hoſtias Domino,* ſive ſacrificium, de quo ait Pſ. 19. v. 4. *Memor ſit omnis ſacrificii tui, & holocauſtum tuum pingue fiat.* Et quo medio id fiet? Reſpondet ſanctus Gregorius hom. 20. in Ezech. *Sunt quidam, qui totum quidem, quod habent, offerunt; ſed tamen in bonis quæ agunt, minimè compunguntur; & bonum quod agunt* [oratio, jejunium, &c.] *holocauſtum eſt, ſed quia flere, ac ſemetipſos dijudicare non ſciunt, ſeque ex amore ad lachrymas non accendunt, perfectum eorum holocauſtum non eſt; Holocauſtum quippe ſiccum eſt bonum opus, quod orationis lachrymæ non infundunt. Holocauſtum verò pingue eſt, quando hoc, quod bene agitur, corde humili, etiam per lachrymas irrigatur.* Ecce novas cauſas, ob quas Chriſtus Dominus flevit. Oblaturus æterno patri ardentes preces pro ingrata urbe, imo ſanguinem daturus, utrumque ſacrificium voluit converti in pingue ſacrificium per lachrymas; ideò velut aquam per oculos effundit cor ſuum, ideo apprehendit arma lachrymarum, ut illis teneat fortiſſimum Deum, ideo ex amore ad lachrymas ſe accendit, &c.

§. 11. *Lachrymæ faciunt, orationem eſſe pingue ſacrificium.*

Ita precibus & lachrymis Chriſtus D. fuit conatus divinæ juſtitiæ ſatisfacere pro peccatis ſceleratæ urbis. De Joſepho ait cit. c. 45. v. 15. Geneſ. *Oſculatus eſt Joſeph omnes fratres ſuos, & ploravit ſuper ſingulos.* Sanctus Auguſtinus ſermon. 83. de tempore: *Irriguis fletibus paventium colla perfudit, ſic odium fratrum charitatis lachrymis abluebat.* Joſeph fratres ſuos lachrymis voluit movere ad deponendum odium, lachrymis demonſtravit, ſe ex corde condonare injuriam. Idem fecit Chriſtus D.

§. 12. *Lachrymæ obtinent veniam.*

Digitized by Google

De lachrymis Chriſti ait D. Ambroſius l. 2. de pœnit c. 6. *Ipſe Dominus Jeruſalem flevit, ut quia ipſa flere nolebat, Domini lachrymis ad veniam perveniret.* Lachrymis fuit conatus obduratam in malo & deliciis urbem ad pœnitentiam commovere. Lachrymas urbi obtulit in ſignum condonatarum injuriarum.

§. 13. *Internus & acerbus Christi dolor ob populi Iudaici interitum, fuit cauſa lachrymarum.*

En novam cauſam lachrymarum Chriſti ſuper Jeroſolymam Quia enim Chriſtus D. vidit ſe nihil efficere, quid putatis Auditores? an ſenſus interni doloris in benigniſſimo ejus corde, non citò invenerit lachrymas, reſolutusque fuerit in gemitus? S. Chryſoſt. hom. 12. in ep. ad Coloſſ. *Oculus eſt membrum omnium in nobis nobiliſſimum & ſpecioſiſſimum, atque adeo ipſius animæ ſpeculum.* Duo pulcherrima ſpecula exhibuerunt ſpecioſiſſimi oculi Chriſti D. margaritæ lachrymarum fuerunt luciſſima cryſtallus, in quibus cernere licuit, quam intus in corde ejus eſſet acerbus dolor, ob malitiam & imminens ſupplicium ſuper incolas urbis, quam tenerrimè amabat. Titus Boſtrenſis Epiſcopus t. 1. Bibl. vet. PP. *Flevit ſuper Jeruſalem hominum amator Dominus, ut hinc diſcamus, vero doloris ſenſu ejus cauſa tactum fuiſſe; ſi ei tamen, qui eſt Deus ſuper omnia, dolorem tribuere fas eſt. At fas eſt: nam qua ratione ſceleratorum hominum miſeria affici cognoſceremus, niſi per opus humanum, planum nobis illud faceret.* Per lachrymas id fecit in hodierno Evangelio, quod deinde in cruce fecit per ſanguinem

§. 14. *Supremis in cruce verbis ex Pſ. 21. Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me, &c. eundem adhuc dolorem fuit teſtatus.*

Verùm enimverò benigniſſimum cor Jeſu valde ſenſit, quod omnia fecerit in vanum: atque adeo ſenſit, ut SS. PP. putent, illum dolorem in Chriſto duraſſe, donec expiraverit in cruce. Quod verba Pſaltis ſub ipſius perſona jam animam agentis ſatis indicant Pſ. 21. v. 1. *Deus, Deus meus, quare dereliquiſti me, longè à ſalute mea verba delictorum meorum.* Pro ultimis tribus voculis, Symmachus, Aquila, &c. has reponunt, *verba lamentorum meorum*, ut ſenſus ſit, Chriſtum D. his ſupremis vocibus in cruce prolatis, bonum Dominum patris affectu deploraſſe Judaicum populum, quod nec ſanguis, nec lachrymæ ſuæ prodeſſent, q. d. verba mearum lamentionum, quæ ſemper pro populo factæ ſunt, longè abfuerunt à ſalute mea, cum populus ex ſalute, quæ illi à me exhibita eſt, nullam caperet utilitatem. Clarius: Paſſio, mors, ſanguis,

ſanguis, vulnera Redemptoris, nihil profuerunt Judæis. Hoc, quia clarè videbat, in hodierno Evangelio amarè ſuper illos flevit, imò in cruce, dum jam animam in manus Patris eſſet traditurus.

§. 15. *Quo ſenſu Chriſtus D. ſedens ad dexteram patris, adhuc dicatur lugere, flere interitum animarum noſtrarum.*

Quid quod talis commiſerationis affectus, talia paterna ac molliſſima viſcera, talis luctus, & lachrymas, etiam propter animarum noſtrarum perditionem & interitum, etiamnum adhuc durare in Chriſto ad dexteram patris, ob infinitum ejus erga peccatores amorem, animosè affirmat S. Cyrillus Alexandrinus, ſive Orig. l. 9. in Levit. Verba illius, ob tenerrimos, quos proponunt affectus præterire non poſſum, ſi tamen prius monuero, cautè illa eſſe intelligenda, id eſt, illo ſenſu, quo noſtro loquendi modo diſcurrere ſolemus de affectibus Chriſti D. v. g. quod indignetur, iraſcatur, lugeat, ploret, &c. Sic ait Origines: *Salvator meus luget etiam nunc peccata mea, Salvator meus lætari non poteſt, donec ego in iniquitate permaneo. Quare non poteſt? quia eſt advocatus pro peccatis noſtris apud patrem. Sicut Joannes Evangeliſta pronuntiat, dicens: Si quis peccaverit, advocatum habemus apud patrem, Jeſum Chriſtum, juſtum, &c. Quomodo ergo poteſt ille, qui advocatus eſt, pro peccatis meis bibere vinum lætitiæ, quem ego peccando contriſto?* Audis peccator; ſi quis eſt dolor aut luctus Jeſu meo, tu illum ſuſcitas! audis peccator, tua ſuperbia contriſtat Jeſum! audis laſcive! tui impuri amores illum, qui lætitia eſt Angelorum, complent mœrore! audis iracunde! furores tui, juramenta tua, machinationes tuæ perverſæ lachrymas eliciunt ex benedicti Jeſu oculis! tu, tu in cauſa es triſtitiæ tantæ, tanti doloris tu præbes materiam.

§. 16. *Proſecutio & Epilogus*

Pergit Origines: *Si enim Apoſtolus ipſius luget quoſdam qui peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam, de iis, quæ geſſerunt, quid dicam de ipſo, qui filius dicitur charitatis? qui ſemetipſum exinanivit propter charitatem, quam habebat erga nos:* Ex quâ pro nobis paſſus eſt, pro nobis ſanguinem fudit, &c. cùm ad dexteram patris, in gloria ſua videt, hæc omnia nihil prodeſſe, cum cernit, infernum repleri animabus à ſe tanto pretio redemptis, &c. an dubitabimus, quod cauſas illi demus lugendi, flendi, &c. S. Gregor. M.

hom. 39. in Evang. *Hoc ſemel egit, cum perituram civitatem eſſe nunciavit; hoc quotidie Redemptor noſter per electos ſuos agere nullatenus ceſſat, cum quoſdam ex bona vita ad mores reprobos perveniſſe conſiderat -- Quod ſi damnationem ſuam, quæ eis imminet, agnoviſſent, ſemetipſos cum lachrymis electorum plangerent.* Finio cum S. Chryſoſt. *Quoniam tales qui ſunt, lachrymis digni ſunt; Verè lachrymis digni ſunt, qui in deliciis degunt, & corpus pingue faciunt, futuri verò, quod illos manet ſupplicium, nullam rationem habent.* Omninò! veſtram ô ſuperbi ſuperbiam deflevit Jeſus his lachrymis; quiſquis afflictum vult Jeſum recreare, poſitâ ſuperbiâ, poſito faſto atque arrogantia ſit humilis. Et vos gulosi, vos Veneris mancipia, vos avari divites, vos irâ flagrantes animi, vos invidiæ facibus exæſtuantes, ah ſi quid in vobis eſt Chriſtiani ſanguinis; parcite, parcite afflicto Jeſu, en lachrymas ejus! en oculos fletu madentes! deſiſtet illè plorare, cum vos ceſſabitis peccare. Ille modum ſuis ponet doloribus, ſi vos modum veſtris ponatis ſceleribus. Hoc ego vos oro per lachrymas Jeſu mei, hoc obſecro, hoc obteſtor! Nam ſi hæ quoq; lachrymæ veſtros animos in ſcelera præcipites non cohibent, non video, quid poſſit aliud vel fortius flectere, vel cohibere validius.

CONCIO XXXIX.

DOMINICA XI. POST SS. TRINITATEM.

Deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam ab illo,

Lucæ 18. verſ. 14.

SYNOPSIS CONCIONIS.

IN prima parte Auditorum oculis proponit & depingit humilem publicanum; in altera ſuperbum Phariſæum, quorum ille fuit

fuit juſtificatus; hic ob arrogantiam factum eſt ſpeculum reproborum.

§. 1. *Phariſæus in hodierno Evangelio habuit trabem in oculo; id eſt fuit ſuperbus.*

§. 2. *Humilis in conſpectu Dei ambulat tutè; Superbus periculosè.*

§. 3. *Christo D. placent opera abſcondita, non oſtentata. Id patuit Luc. 7. in Simone & Magdalena.*

§. 4. *Humilia Deus reſpicit, alta à longè cognoſcit.*

§. 5. *Humilis oratio eſt fortis & efficax.*

§. 6. *Cananæa humili oratione ad ſe inclinavit miſericordiam Jeſu.*

§. 7. *Quantum humilis pœnitentia profuerit Regibus.*

§. 8. *Quanta fuerit humilitas publicani.*

§. 9. *Publicanus fuit dives; nihilominus oratio ejus tam efficax; unde?*

§. 10. *Phariſæus ſuam orationem fecit Deo odibilem, fœtore jactantiæ.*

§. 11. *Superbia Phariſæi exſufflavit miſericordiam Dei.*

§. 12. *Humilitas neſcit caſum; Superbia labitur.*

§. 13. *Quomodo Simon Magus fuerit humiliatus à S. Petro.*

§. 14. *Apoſtrophe S. Bernardi ad ſuperbum.*

SUperbe Phariſæe! liceat mihi te compellare verbis Chriſti D. Matth. 7. v. 3. & 4. fortaſſis illa jam coram audiviſti in ejus concione: *Quid vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? aut quomodo dicis fratri tuo; ſine, ejiciam feſtucam de oculo tuo, & ecce trabs eſt in oculo tuo, hypocrita; ejice primùm trabem de oculo tuo, &c.* Sed quomodo oculus hominis membrum nobiliſſimum & venuſtiſſimum, ut dixi ante octiduum, ſed exiguæ magnitudinis, trabem in ſe continere poteſt? quomodo id fiat, percipiemus facile, ſi credamus verbis S. Bern. tr. de grad. hum. *Trabs in oculo grandis & groſſa, ſuperbia in mente eſt; quæ quâdam corpulentia ſui vana, non ſana; tumida, non ſolida, oculum mentis obſcurat, veritatem obumbrat: ita ſi tuam occupaverit mentem, jam tu, te videre; jam te talem, qualis es, vel qualis eſſe potes, non poſſis ſentire: Sed qualem te amas, te eſſe putes, vel ſperes fore.* Elegantius vobis hodie ſuperbum atque inflatum illum Phariſæum depingere

§. 1. Phariſæus in hodierno Evangelio habuit trabem in oculo, id eſt fuit ſuperbus.

depingere non poſſum, quàm id fecerit S. Bern. tam grandem, tam groſſam, tam tumidam trabem habuit in oculo, ut planè fuerit obſcuratus, & proinde videre non potuit, qualis eſſet, ſed arrogantibus verbis ſe talem deprædicavit, qualem ſe eſſe putavit, ſed deceptus eſt. Superbia cordis extulit & elevavit illum. Et ideo humiliatus eſt, juxta clauſulam hodierni Evangelii: *Omnis qui ſe exultat, humiliabitur, &c.* Luc. 18. v. 14. Prima parte hujus Concionis Auditoribus meis proponam humilem publicanum; in altera ſuperbum illum Phariſæum, & patebit non modica inter utrumque differentia & ſimul cauſa, ob quam ille fuerit juſtificatus, hic verò abjectus & reprobatus; vos interea me pro veſtra ſolita benevolentia dicentem audite.

§. 2. Humilis in conſpectu Dei ambulat tutò, ſuperbus periculosè.

Ante oculos Altiſſimi, ſive, coram tribunali ſupremi Judicis, ille demum ſecurus & tutus eſt, qui ſe reum fatetur; contra magno ſe exponit periculo, qui ſe, veluti innocentem deprædicat. In hodierno Evangelio ex cap. 18. v. 11. S. Luc. *Phariſæus ſtans, hæc apud ſe orabat, Deus gratias ago tibi, quia non ſum ſicuti cæteri hominum, raptores, injuſti; jejuno bis in Sabbatho, &c. Et publicanus à longè ſtans, &c. percutiebat pectus ſuum, dicens, Deus, propitius eſto mihi peccatori.* Ecce tibi duo homines; alter ſe commendat innocentem; alter peccatorem ſe confitetur. Ille loquitur ſuas laudes; hic ſuas culpas. Quid tunc? uter evaſit liber? non equidem, qui ſe laudavit, & de ſua innocentia fuit gloriatus, ſed qui dixit: *Deus, propitius eſto mihi peccatori.* D. Aug. ep. 58. *Ille in corde contrito ſui accuſator, accipitur, & obtinet veniam; de confeſſis propter gratiam humilitatis. Sancto illo Phariſæo reportante ſarcinam peccatorum de jactantia ſanctitatis. Coram Deo non ambulat tutè ſuperbus, ſed humilis corde & ore.* Phariſæus affert multa bona opera, quod jejunet, quod ſtipem egenis impertiat; nihil horum facit publicanus, imò ſe indignum judicat, qui cœlum aſpiciat. Et S. Aug. l. de Sanc. virg. c. 32. *Enumerationi meritorum præfertur confeſſio peccatorum.*

§. 3. Christo D. placent opera abſcondita,

Simile quid contigit in domo Simonis Phariſæi, Luc. 7. v. 37. hic invitavit Chriſtum D. ad menſam in qua multa eſcarum fercula oculis ejus proponit; ut hoc cognovit Magdalena, nimirum, quod Dominus eſſet in hoc convivio, accurrit & illa cum pretioſis

Digitized by Google

ſis unguentis, & ſtetit, vel procubuit retro ſecus pedes ejus. Videtis Phariſæum palam, publicè, in apparatu ciborum, quos Chriſto propoſuit, quandam quærere jactantiam, & vanam oſtentationem aucupari. Et cur à Magdalena alia præſentantur obſequia Chriſto, cur ſub menſa? cur ſecus pedes? an non in conſpectu menſæ, in aſpectu omnium præſentium convivarum, potuiſſet lachrymis & ſingultibus indulgere? quid quærit angulum & umbram ſub menſâ? quid retro pedes Chriſti ſe abſcondit? cur plorantes oculos, & defluentes lachrymas tegit capillis? O prudens fœmina! initio ſuæ converſionis agnovit peccatrix, illuminata à Spiritu Sancto, iratum Deum placari, atque ad miſericordiam; & ad tribuendam gratiam juſtificationis, illis potius operibus commoveri, quæ abſconduntur per humilitatem, quam iis, quibus oſtentatio quæritur. D. Chryſologus ſer. 93. *Videtis, quia ad Phariſæi menſam venit Chriſtus D non ut carnalibus repleretur eſcis, ſed ut in carne negotium cœleſte monſtraret: neq; ut probaret poſita humanitus ante ſe, ſed poſt ſe geſta divinitus approbaret.* Poſt ſe geſta, id eſt, ſecus pedes ſuos; humiles Magdalenæ lachrymas, fletus, ſingultus, ſuſpiria. Hoc eſt cœleſte negotium; humilitas eſt diſpoſitio ad juſtificationem.

non oſtentata. Id patuit Luc. 7. in Simone & Magdalena

Hoc agnovit David pſ. 137. v. 6. *Excelſus Dominus, & humilia reſpicit! & alta à longe cognoſcit.* Facit differentiam inter reſpicere, & à longè cognoſcere? quæ reſpiciuntur, ſunt quaſi propinqua & præſentia: quæ à longe cognoſcuntur, habent quidem quod videantur, ſed valde remota. Quo poſito ait D. Auguſtinus. *Quid ſibi ergo præſtat ſuperbus, niſi ut à longe videatur. Hoc agis, non ut minus perfecte videaris; ſed ut non ſis cum illo, à quo videris. At vero humilis, quid ſibi præſtat? Prope eſt Dominus iis, qui obtriverunt Cor. Vis ut tibi propinquet Deus? humilia te.* Unum ex his ſuo commodo didicit Publicanus; alterum magno ſuo damno inflatus & arrogans expertus eſt Phariſæus. S. Zeno Veron. ſer. 1. in pſ. 130. *Publicanus timore totus fuit humilis, ſua peccata conteſtans & pectus crebro percutiens. Et deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam ab illo.* Filius prodigus, Luc. 15 v. 20. cum adhuc longe eſſet, *vidit illum pater ipſius.* D. Chryſologus ſer. 3. *Vidit*

§. 4. Humilia Deus reſpicit, alta à longe cognoſcit.

Digitized by Google

eum pater ille, qui in altis habitat, & humilia reſpicit. Cum D. Baſilius Seleuc. orat. 35. conſideraſſet cauſas, ob quas publicanus fuerit juſtificatus, & Deo placuerit, pulchre ſubdit, *ſola porro humilitas, vel peccatoribus opitulata, dat ſuffragium pervincens.* Et paulo poſt ait de publicano, *Ille pervincens ſuffragium obtinuit; humilitatem ad victoriam nactus adjutricem.* Hoc ſenſu dicit Dominus l. 3. Reg. c. 21. v. 29. *vidiſti Achab humiliatum coram me? quia igitur humiliatus eſt mei cauſa, non inducã malum in diebus ejus.*

§. 5. *Humilis oratio eſt fortis & efficax.*

Publicani orationem eleganter deſcribit Richardus de S. Vict l. de Incarn. c. 4. Super verſum undecimum cap. 21. Iſ. *ad me clamabit* ex Scir, id eſt, aliquis ex natione peccatrice. *Ecce iſte, qui ex Scir ad Dominum clamat; quanto ſe profundius peccaſſe, & deterius egiſſe conſiderat; tanto verecundius, tanto humilius orat. Attendit, quam injuſte vixerit, & non audet dicere, Exaudi juſtitiam meam* [quod Phariſæus fecit in hodierno Evangelio] *Omni miſericordia indignum ſe eſſe intuetur, ſi diſtricte judicetur. Et idcirco nihil petere præſumit, ſolum, modo ſupplicantis, affectum in ſua oratione, ſine inſerta petitione oſtendit; & ſola inſinuatione innuit quid velit; Deus, propitius eſto mihi peccatori.* Ita abſque petitione orat ille, qui ex conſcientia peccatorum ſuorum humiliter ſe ſiſtit Deo. Nec inde infirmior ejus oratio, ſed fortior & ſublimior; ut Eccleſiaſticus c. 35. de illa dicat, *Oratio humiliantis ſe, nubes penetrabit, & donec ad thronum Dei propinquet non conſolabitur- nec diſcedet, donec Altiſſimus aſpiciat.* Et D. Laurentius Juſtin. l. de hum c. 17. *Magna prorſus eſt efficacia orationis humilium, quæ nullo peccatorum compedita vinculo, nullo adverſariarum poteſtatum detenda obſtaculo, penetrat cælum, & cæleſtis curiæ lætificat cives, atque divinæ poteſtatis meretur adire præſentiam.* Magis adhuc efficaciam illam exprimit D. Bernardus ſer. de 4. modis or. *Publicanus ait, Deus, propitius eſto mihi peccatori, & vim fecit regno cælorum: qui dum non auſus fuit oculos ad cælum elevare, ipſum cælum ad ſe potuit inclinare. Quid efficacius?*

§. 6. *Cananæa humili oratione ad ſe*

Matth. 15. v. 22. currendo Jeſum inſequitur mulier Cananæa magnis vocibus inclamans, *Miſerere mei fili David*; ſimulat bonus Jeſus, ſe clamorem non audire, quem tamen audierunt

Apo-

Digitized by Google

Apoſtoli; nihilominus mulier, nec verbulo illos rogat, ut adjuvent orationem: ad ſolū Jeſum pergit clamare, *Miſerere fili David.* De nullius patrocinio fuit ſollicita. Cauſam advertit D. Damaſcenus l. 2. parall. cap. 15. ex S. Chryſoſtomo, ubi Cananæum ita loquentem inducit; *Vide Philoſophicam mulieris animam, dicentis, Miſerere mei. Nullum inquit præclarum facinus habeo, nullam probæ vitæ fiduciam. Ad miſericordiam confugio. Non rogat Jacobum, neq; orat Joannem, non Petrum adit, ſed chorum illum pervaſit; Non inquit, mihi mediatore opus eſt, verum pœnitentiam patronam nacta, ad ipſum fontem accedo. Jeſum inquiro, & ſubito illi vim fecit, cujus miſericordiam ad ſe inclinavit.*

inclinavit miſericordiam Ieſu.

§. 7. *Quantum humilis pœnitentia profuerit Regibus.*

Ita Jonæ 3. v. 6. non tantum viri Ninivitæ crediderunt minis Jonæ, & pœnitentiam egerunt; *Sed* [D. Cyrillus Alex. in Jonam) *qui ſceptri honore auguſtus erat, & ſplendore atq; gloria eminentiſſimus, thronum regalem deſerit, purpuram exuit,* hoc eſt, *lugubrem habitum induit & in cinere ſedens exemplum præbet cæteris, & cibo abſtinendi, & continuis obſecrationibus Deum mitigando miſericordiam expoſcendi. His armis vim Deo intulit, inclinavit ad ſe miſericordiam, & decretas pœnas avertit.* Quis ignorat, Davidi poſt ſtupratam Berſabee, poſt mortem Uriæ, à propheta Nathan fuiſſe denuntiatam perditionem regni, & mortem l. 2. Reg. c. 12. v. 13. Sed quid? David ait, *peccavi!* Nathan ait, *Dominus quoq; tranſtulit peccatum tuum; non morieris.* Et unde peccator tantus tam cito potuit confirmari in regno, & vita, niſi ex converſione, & pœnitentia humiliati Regis? D. Ephrem ſer. de pœn. *O artificioſam pœnitentiæ gratiam; quoniam obedientibus mox dignitates præbet. Etiam Reges conſtituit. Davidi enim pœnitentiam agenti, etiam, ut regnum* [licet graviſſime peccaſſet) *penes eum permaneret, effecit.* Poſtquam Nabuchodonoſor ejectus à regia, ſeptem annis cum beſtiis vixiſſet, in ſqualore & ærumnis, tandem levavit oculos in cœlum, pœnitentiam egit, & ait Dan. 4. v. 31. *In ipſo tempore, ſenſus meus reverſus eſt in me, & ad honorem, decoremq; regni mei perveni.* D. Cyr. Hieroſ. Catech. 2. *Cum devenit ad eorum, quæ patraverat, pœnitentiam, ac infirmitatem ſuam agnovit, tunc reſtituit illi Deus regni honorem.* Ita etiam ſceleſti Reges, cum ſe humiliant, exaltantur.

Redeo

§. 8. *Quanta fuerit humilitas publicani.*

Redeo ad Publicanum, quem D. Ambroſius l. de pœn. c. 15. ita deſcribit; *Ingreſſus publicanus templum fuerat, peccatorum mole, decurvata cervice, & oculorum palpebris gravi morbo iniquitatis oppreſſis: cælum non audebat aſpicere: retro gradum timidus revocat, & extremum ſe, non tam loco quàm conſcientiæ judicio ſiſtit* [ecce inſignes actus profundiſſimæ humilitatis] *nec ad ſupplicandum irreverenter pedem incitat promptus audacia; ſed publicat ſe verecundia reum.* Advertere poſſumus egregium veræ pœnitentiæ & humilitatis ſignum conſiſtere in verecundia, in timiditate, ne cum audacia & irreverentia, in oratione accedamus ad Deum. Hoc pœnitentibus ſuaſit Ezechiel c. 36. v. 31. *Et recordabimini viarum veſtrarum peſſimarum, ſtudiorumq; non bonorum, & diſplicebunt vobis iniquitates veſtræ, & ſcelera veſtra, confundimini & erubeſcite ſuper viis veſtris.* Jeremias de ſe ait cap. 31. v. 19. *poſtquam enim convertiſti me, egi pœnitentiam, & poſtquam oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum. Confuſus ſum & erubui, quoniam ſuſtinui opprobrium adoleſcentiæ meæ.* Humilitas, confuſio, verecundia, timor, reverentia interior & exterior, placent Deo in contrito peccatore; ſuntq; diſpoſitiones ad obtinendas gratias juſtificationis.

§. 9. *Publicanus fuit dives, nihilominus oratio ejus tam efficax. unde?*

At ecce aliud in Publicano noſtro myſterium: Nam cum hic fuerit homo locuples, difficile eſt, ut intelligam, ejus orationem & pœnitentiam tam cito obtinuiſſe à Deo veniam ſuorum peccatorum; nam Matth. 19 v. 24. dixit Chriſtus D. *facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem intrare in regnum cælorum.* Quomodo ergo publicani oratio tam facile cœleſtia omnia penetravit? Reſpondet D. Paulinus ep. 1 . ad Severum. *Publicanus in corde detrito ſemetipſum accuſans Deo, & pectus afflictum crebra manu tundens, ita ſe ſe in humilitatem debitam ſtrinxit, ut ſe foramini acus, hoc eſt, viæ Crucis* (& foraminibus Jeſu Crucifixi) *quæ arcto tramite ducit ad vitam, divinarum aurium penetrator inſereret. Deſcendit juſtificatus ab illo.*

§. 10. *Phariſæus ſuam orationem fecit Deo odibi*

Jam vero Phariſæus in exemplum adducitur perditorum rectè, nam perditus eſt, quiſquis ſuperbus eſt. An non perditus? qui Dei cultum, timorem amoremq; perdidit? an non perditus? qui ſeipſum, dum quærit ſublimia, turpiter amittit? Talis

fuit

Digitized by Google

fuit Phariſæus, at, inquies, quo pacto ille perditus, qui jejunat bis in ſabbatho? Ita, ſi ſuperbus, jam & perditus eſt! Illene perditus, qui decimas dat omnium quæ poſſidet: Ita, ſi ſuperbus, jam & perditus eſt. Illene perditus, qui non adulter, non raptor, non homicida, non ſacrilegus? Ita, ſi ſuperbus; ſufficit, jam & perditus eſt. Num igitur in illius jejuniis, eleemoſynis, præcibus nævum reperies? Ita, & maximum. Qualem? loquatur hoc Euſebius Gallicanus ſer. 6. de orat. *De domo Dei Phariſæus nimis ſibi ſecurus, præſumptionibus reportavit offenſam: odibile enim fecerat ſacrificium orationis ſuæ, fœtore jactantiæ.* Juxta imprecationem Davidis Pſ. 108. v. 7. *Oratio ejus fiat in peccatum.* Ubi S. Ambr. l. 1. de Abel. c. 9. *An neſcis, quàm grave ſit in oratione contrahere peccatum, ubi ſperas remedium? certe Dominus per Prophetam docuit, hoc grave eſſe maledictum, dicens, & oratio ejus fiat in peccatum, nimirum ob ſuperbiam, quæ plerumque eſt cauſa reprobationis.*

lum fœtore jactantiæ.

Deſcendit hic juſtificatus ab illo. Baſil. Seleuc. orat. 35. *Inverſus eſt ordo! apparuit publicanus juſto Phariſæo juſtior, idque juſto judicis judicio Commutata rerum eſt natura; in altum, faſtu elatus, dejicitur; ad ima vergens, per ſententiam erigitur.* O publicanum clementiæ mercatorem! O peccatorem, qui ad libertatem peccatoribus viam aperuit! De Phariſæo verò ait ſanctus Bernardus hom. de gr. hum. quod exſufflaverit miſericordiam, dum diſſimulavit miſeriam.

§. 11. *Superbia Phariſæi exſufflavit miſericordiam Dei.*

Ita cum utroque ſe geſſit Deus, cum Phærifæo & publicano, ut hunc tantò altius extulerit, quantò ipſe de dejecit profundius & contra tanta fuit illius humiliatio, quantò pauló ante exaltatio. S. Hilarius in Pſ. 14. *Publicanus miſericordiam Dei peccati confeſſione promeruit. Phariſæus verò honorem eorum, quæ de ſe proferebat, per inſolentiam opprobrii amiſit.* Beda: *Quorum unus ſuperbiendo deceſſit humiliatus.* Balduinus in alleg. Goth. Tilmanni: *Humilitas ſine honore, ipſa ſufficit ad honorem; honor vero ſine humilitate ſe perducit ad confuſionem.* Similiter Auctor libri de modo benè vivendi apud ſanctum Bernardum ſermone 39. *Si humilitatem tenueris, habebis gloriam.* Quantò enim humilior fueris, tanto te major ſequetur gloriæ altitudo. Deſcende, ut aſcendas;

§. 12. *Humilitas neſcit caſum, ſuperbia labitur.*

Digitized by Google

das; humiliare ut exalteris; ne exaltata humlieris, quia qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur. De excelſo gravior caſus eſt, de alto major ruina eſt. Humilitas caſum neſcit; humilitas caſum non novit; humilitas ruinam nunquam incurrit; humilitas lapſum nunquam paſſa eſt. Superbia plerumque labitur.

§. 13. *Quomodo Simon Magus fuerit humiliatus à S. Petro.*

Elegantem imaginem nobis proponit S. Ambroſ. ſerm. 66. *Cum Simon ſe Chriſtum diceret, & tanquam filium ad patrem volando ſe poſſe conſcendere aſſereret, atque ideo elatus ſubitò magicis artibus volare cæpiſſet; tunc Petrus fixis genibus precatus eſt Dominum, & precatione ſancta magicas vicit levitatis præſtigias.* Prior enim aſcendit in cœlum ad Dominum oratio, quàm volatus; & ante pervenit juſta petitio, quàm injuſta præſumptio. *Tunc igitur Petrus, veluti victum illum de ſublimi aere depoſuit, & quodam præcipitio in ſaxum illidens, ejus crura confregit -- & hoc, in opprobrium facti illius, ut qui paulò ante volare tentaverat, ſubitò ambulare non poſſet, & qui pennas aſſumpſerat, plantas amitteret.* Viden! Simonem elevantem ſe altiſſimo volatu? viden repenten humi, ac ſi pedes non haberet?

§. 14. *Apoſtrophe S. Bernardi ad ſuperbum.*

Alloquitur propterea ſuperbum elegantibus verbis S. Bernardus in declamationibus: *Age ergo - aſcendat ſuperbia tua ſemper; ſequere regem tuum - Luciferum - omne ſublime videant oculi tui, feſtina multiplicare prabendas; inde ad Archidionatum advola, demum aſpira ad Epiſcopatum, ne ibi quidem requiem habiturus, quoniam ſic itur ad aſtra.* Quò progrederis miſer? annon ut ab altiori gradu ſit caſus gravior? Neque enim ſic paulatim decides, ſed tanquam fulgur in impetu vehementi, quaſi alter ſathanas ſubitò dejicieris. Alludit ad Luciferum, qui dum alis ſuperbiæ conſcendere voluit thronum Altiſſimi, & ponere ſedem ſuam ſuper pennas Aquilonis, momento, terribili lapſu præcipitatus fuit inſtar fulguris in tartara, Iſa. 14. v. 13. S. Chryſol. ſer. 152 *In altum tendens, cadit ab alto! cœlum pulſans, intrat profundum! O ambitio, quam cæca ſemper! O quàm ſemper præſumptio peſſima! O quam perdit conceſſa, qui inconceſſa captat!* Quocircà ut finem dicendi faciam, vos finem ſuperbiendi facite, ſi qui hic eſtis Phariſæi. Mementote aurei

rei illius dicti: *In altum tendens, cadit ab alto!* Nimirum *tolluntur in altum, ut lapſu graviore ruant.* Mementote, omnium eſſe ſcelerum fontem atque originem immane illud monſtrum ſuperbiam; mementote, per illam fieri jacturam bonorum operum, meritorum, gratiæ divinæ, ac tandem [quæ omnium eſt maximè deploranda jactura] gloriæ ſempiternæ.

CONCIO XL.

DOMINICA XII. POST SS. TRINITATEM.

Statim ſolutum eſt vinculum linguæ ejus, & loquebatur rectè,

Marci 7. verſ. 35.

SYNOPSIS CONCIONIS.

LInguam malam & bonam proponit velut duo ſpecula, in quibus intueri licet, qualis ſit interius in mente & in corde, qui loquitur. Ex *abundantia* enim *cordis os loquitur.*

§. 1. *Chriſtus Dominus ſolvit vincula linguæ in homine muto.*

§. 2. *Propoſitio Concionis.*

§. 3. *De re, quam amamus, libenter loquimur; quod ex quibusdam locis ſacræ Scripturæ oſtenditur.*

§. 4. *Invectiva in malè loquentes.*

§. 5. *Querela, quod pauci loquantur de Deo. DEUM amant, qui de illo loquuntur, veluti S. Roſa.*

§. 6. *Venenata lingua eſt ſedes diaboli.*

§. 7. *Mala lingua eſt vehiculum diaboli.*
§. 8. *Ex ſancto Chryſoſtomo ejus lectulus, conſtratus ex ardentibus carbonibus.*
§. 9. *Nequam lingua eſt potens diaboli inſtrumentum ad omne malum.*
§. 10. *Lingua indicat filios Dei & filios diaboli. Quàm ſit diverſus illorum ſermo.*
§. 11. *Lingua ſolet oſtendere, cujus Regis ſimus ſubditi.*
§. 12. *Quomodo loquantur diſcipuli in ſchola diaboli.*
§. 13. *Et qualis ſit lingua diſcipulorum in ſchola Chriſti.*

§. 1. *Chriſtus D. ſolvit vincula linguæ in muto homine.*

CUm Exodi 3. cap. v. 10. Dominus dixiſſet Moyſi: *Veni, & mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum ex Ægypto;* ipſe verò ſe excuſans diceret cap. 4. verſ. 10. *Obſecro Domine, non ſum eloquens, - impeditioris & tardioris linguæ ſum.* Pulchrè dixit Dominus ad illum: *Quis fecit os hominis? aut quis fabricatus eſt mutum & ſurdum, videntem & cæcum? nonne ego? perge igitur, &c.* Quaſi verò omnipotentiæ divinæ difficile ſit, non tardas tantùm linguas, ſed planè mutas ſolvere, illiſque tribuere admirabilem quandam eloquentiam, Deo omnia ſunt facilia. In hodierno Evangelio Marci 7. homo mutus adducitur ad JEſum; os ejus mutum fecit Dominus; talem fuit fabricatus linguam ejus, ut loqui non poſſet; hoc placitum fuit divinæ providentiæ; donec bonitati & clementiæ Chriſti D. placeret, illam ſanctiſſimis digitis ſuis tangere, *& ſtatim ſolutum eſt vinculum linguæ ejus, & loquebatur rectè.* Ecce duo miracula: I. quod mutus incipiat loqui. II. quod loquebatur *rectè.* Cauſam advertit Victor Antiochenus hic: *Quomodo enim non rectè loqueretur, rectèque audiret, cum naturæ opifex id explerit quod naturæ deerat.* Omnipotentia & bonitas JESU ligatam ſolverunt linguam; DEUS eſt, qui novum fecit os hominis, & linguam fabricatus fuit novam. Simile quid contigit Lucæ 1. cap. Aliquot menſibus pater ſancti Joannis Baptiſtæ Zacharias fuerat mutus; interrogatus nomen pueri, cum in pugillari ſcripſiſſet v. 63. *Joannes eſt nomen ejus; apertum autem eſt illicò os ejus, & loquebatur, benedicens DEUM.* Hoc idem puto feciſſe hodier-

hodiernum mutum in Evangelio, certum mihi eſt, quod quam primum ſenſit conceſſam ſibi loquendi facultatem, altis vocibus benedixerit Jeſum, benefactorem ſuum; atque ita fuit locutus rectè.

§. 2. Propoſitio Concionis

Quocirca cum magnum ornamentum & donum ſit hominis, rectè loqui, ſive præditum eſſe linguâ bonâ, purâ, ſanctâ; econtra, in homine nihil pejus ſit, linguâ malâ, impurâ, ſceleſtâ; utraque erit objectúm vel materia hujus Concionis; quam dum aggredior, memores vos eſſe prius cupio pulcherrimæ illius ſententiæ, quam reperio apud Caſſiodorum 5. variar. 22. *Eſt quoddam ſpeculum morum, agentis oratio: nec majus poteſt eſſe mentis teſtimonium, quam qualitas inſpecta verborum.* Quo ſuppoſito, veſtraque fretus benevolentia, lætus incœpta via progredior.

§. 3. De re, quã amamus libenter loquimur: quod ex quibusdam locis S. Scripturæ oſtenditur.

Veritatem, quam modo de lingua propoſui, quotidiana docet experientia. Quod amamus, ſemper & libenter verſamus in lingua, ſive de re amata, ſæpe & cum voluptate, & ultro loqui conſuevimus. Cum Geneſis 43. cap. fratres Joſephi tandem adduxiſſent Benjaminũ, viſo illo, ſtatim Joſeph ait. v. 29. *Iſte eſt frater veſter parvulus, de quo dixeratis mihi?* & cur Joſeph non ſiluit, donec ipſi dicerent, Ecce fratrem noſtrum Benjaminum, ecce delicias patris noſtri! cur Joſeph cum quadam feſtinatione illos prævenit? reſpondet D. Ambroſius l. de Joſeph cap. 10. *Conſuetudo, & gratia caritatis eſt, ut dilectos nobis, non ſolum oculis, ſed etiam ſermone teneamus. Agnoverat Joſeph dilectum ſuum; & ideo interrogabat, ut quem tenebat animo, vox ſonaret.* Affectus, qui æſtuabat in corde Joſephi, erga hactenus non viſum Benjaminum, continere ſe non potuit, quin ſtatim dum de longe illum videret, in verba prorumperet. Neque amanti ſufficit ſemel de objecto ſui amoris loqui, ſed jucundum eſt, iterum iterumque nominare amatum. Ita Cant. 4. v. 1. ſponſus ait ad ſponſam; *quàm pulchra es amica mea, quam pulchra es!* &c. ſuffeciſſet ſemel commendare illam pulchritudinem, ad quid illa eorundem verborum iteratio, & repetitio? D. Philip abbas l. 2. in Cant. c. 13. *Habet quippe hoc ſibi familiare vis amoris, ut cum aliquem illexerit, affectus vinculo charioris, illum excitet, ut de eo, quem diligit, loquatur*

tur gratioſa, & niſi repetantur, non ſibi videatur, ſatisfeciſſe. Iterum, iterumque repetitis vicibus id loqui, quod amamus, hoc, eſt, quædam voluptas cordis; & mel cum lacte ſub lingua. pſ.66. in unico verſu 8. amans David, ter nominavit, quem amavit; *Benedicat nos Deus* ! *Deus noſter* : *benedicat nos Deus* ! D. Philippus Abbas ſup. cit. *Videtis quia loqui ſemel, quod placet amanti, ſufficiens non putatur, ſed affectus tenerior iterare, quod dixerat gratulatur.*

§. 4. *Invectiva in male loquentes.*

Nunc revocate in memoriam verba Origenis in Concionis propoſitione à me allata. *Eſt quoddam ſpeculum morum agentis oratio; nec majus poteſt eſſe mentis teſtimonium, quam qualitas inſpecta verborum.* Si itaque loquentis alicujus verba, nihil audiam ſonare, quam de modis aggregandi divitias, de vinearum, agrorumque cultura, de rebus vendendis, emendis, de uſuris, &c. quid inde colligam aliud, quàm talem loquentem, amare divitias & opes? Lingua eſt index, ſive ſtylus, qui neceſſario denotat, motum & ſtatum horologii interioris. Si audiam, homines aliquos ſpurcos, veneris pullos, non loqui niſi de venere, iterum, iterumque; apud quoſcunque, in quibuscunque colloquiis, præſertim in conviviis &c. quis mihi vertet vitio, ſi cogitem, tu hirce! exhalat lingua tua mephitim, qua plena eſt cloaca cordis tui. Quis mihi vitio vertet, ſi cogitem, quod ſcriptum eſt, *ex abundantia cordis os loquitur.* Nam qualis eſt anima, talis eſt & lingua, Raro vel nunquam fallit hæc regula: quod quiſque corde tenet clauſum, hoc & ore habet promptum. Ex verbis tuis te judico, ô invide! ô avare! ô guloſe! ô blaſpheme! ô laſcive!

§. 5. *Querela quod pauci loquantur de Deo &c. Deum amant, qui de illo loquuntur. Veluti S. Roſa.*

Eheu! in conviviis, in fabulis, in converſationibus, in deambulationibus &c. quam pauci ſunt, qui loquantur de Deo, de Jeſu ſalvatore noſtro; de divinis beneficiis, de quatuor noviſſimis &c. unde hoc? Oratio ſive lingua eſt ſpeculum, in quo clarè video, non ardere in corde amorem erga Deum. Languet amor erga Jeſum, languet & lingua &c. Vita S. Roſæ, Virginis Peruanæ refert (hodie poſt occiduum erit ſolennitas illius Canonizationis) illam frequenter, dies & noctes, quæſiviſſe abſcon-

ſcondiros angulos, in quibus per duas treſve horas, ardenti lingua, erumpentibus ex oculis ſcintillis pronuntiavit continuo &, iteravit has votes, *Deus meus, amo te* ! *Mi Jeſu, diligo te* ! Quid dicam fuiſſe ardentem S. Roſæ linguam, niſi lucidiſſimum quoque & ardens ſpeculum, quod quicunque inſpexerunt, hanc fecerunt conſequentiam, *Roſa amat Deum ſuum ex toto corde* ! *Roſa diligit Jeſum ſponſum ſuum.* Vis illius amoris excitavit illam, ut dulciſſima illa nomina, cum admirabili quadam ſuavitate millies pronuntiaret. In lingua ſancta ſedem ſuam habet Jeſus; ſicut econtra, diabolus in lingua maligna.

§. 3. Venenata lingua, eſt ſedes diaboli.

Super caput 3. Gen. quærere ſolent interpretes, cur diabolus tentaturus Evam! non columbæ, non cygni, non leonis, vel alterius animalis, ſed ſerpentis ſpeciem aſſumpſerit; placet mihi cogitatio doctiſſimi Patris Baëzæ, quod hoc fecerit, quia venenatum illud animal totum virus ſuum habet in lingua. Ut ſciamus linguam hominis venenatam, propriiſſimam eſſe diaboli ſedem, & præcipuum inſtrumentum. Lingua eſt ſpeculum, in quo clarè intueri poſſumus, an diabolus, an Deus, an virtus, an vitium in corde habitent. Sunt ſpecula, quæ non ex vero imaginem repræſentant Tale ſpeculum non eſt lingua; repræſentat imaginem cordis, ſed ex vero; non fallit, indicat quis ſis in animo, indicat quis ſit tuæ conſcientiæ ſtatus, exponit quanta in te lateat turpitudinum congeries, demonſtrat quo tuus feratur affectus, in quod objectum inordinatus amor propendeat. Hæc duo ſunt inſeparabilia. Mala lingua; & Dæmonum ſedes in corde. Impura lingua! libido in corde. Lingua iracunda, convitians, imprecans; ira, odium in corde. In lingua blaſphemiæ, oblivio Dei in corde &c. pari modo, à contrario tamen, hæc ſunt connexa Bona lingua, & ſedes Spiritûs S. in illa, & in corde. Caſta lingua, caſtum cor. Affabilis lingua, manſueti affectus &c. ſi lingua accenſa eſt infernalibus flammis per faces libidinis, vel aliorum vitiorum; flamma illa exterior mihi certum ſignum eſt, talia incendia furere in corde. Ideo Gillibertus Abbas ſer. 24. in Cantica ait. *Quid lingua nequam! cordi tuo, talem adhibes flammam ? ignem hunc, quem evomis, hauris de gehenna. Inde inci-*

Digitized by Google

incipit, & illo rapit flamma talis de inferis eſt. Linguæ blaſphemæ! maledicæ! unde fulmina, unde blaſphemiæ, unde maledictiones in Deum, in ſanctos, in Sacramenta, in vulnera, in ſanguinem Chriſti ? ex inferno, his modo ardetis flammis, ut in barathro olim ardeatis æternùm. Linguæ impudicæ; unde illæ ſcintillæ, quibus veſtros, & aliorum animos tam periculoſis uritis facibus ? ex inferno. Unde fulgura tam horribilium detractionum: ex inferno. Flammæ hæ de inferis ſunt. Hæ flammæ, hæ ſcintillæ, hæc fulgura & tonitrua, hæc fulmina, ſpecula ſunt, in quibus intueor diabolum, qui habitat in cordibus veſtris: ubi infernalis furit flamma, ibi & furit diabolus.

§. 7. *Mala lingua, vehiculum diaboli.*

Acutè S. Chryſoſtomus hom. 52. in Matth. *Regius quidam equus eſt lingua noſtra; ſi ergo ei frænum immiſeris, aſcendet in eum Rex, & quieſcet in eo; ſi autem nullo fræno domueris, ſed huc atq; illuc infrænem jactari permiſeris, diaboli eam vehiculum feciſti.* Vos apud vos diſcurrite, an hic Bambergæ, tales currus ſint magni pretii; an non fere in omnibus plateis, ſint hoſpitia, vel ædes, in quibus tales rhedæ paſſim inveniuntur, id eſt, venenatæ linguæ; quas, veluti ſpecula, palam proponunt, ut in illis intueamur, quis intus habitet, an diabolus; an Deus, eheu! cum quali damno? Quid celeberrimas urbes, in urbibus Magiſtratus dividit, & ſecat in diverſas partes? Nequam lingua; quid graviſſimorum virorum denigrat famam? mendax lingua. Quid extinguit amicitias? talis lingua. Quid ſeminat diſſenſiones, etiam inter conjuget? nequam lingua. Quid excitat odia, rixas, diſcordias, murmurationes? nequam lingua, &c. Utinam non de multis dici poſſit illud D. Cyrilli Alexandr. in apolog. ad Theod. de Neſtorio Hæretico. *Draco igitur apoſtata ille, hoc eſt ſatanas, virum ſacerdotem, incautum, menteq; ſeductum nactus, & linguam nihilominus adeptus, temerariam, & ad veritatem dogmatum calumniandum, Chriſtique ſervatoris noſtri gloria detrahendum promptiſſimam* [erat enim pervicax, effrænatoque impetu, quævis etiam abſurdiſſima audacter, inconſulteque aggrediens] *turbis, ſeditionibusque omnes Eccleſias adimplevit.* Talis lingua, quas in orbe non cauſavit ſeditiones, rixas &c. Propterea;

S. Chry-

§. 8. *Ex S. Chryſoſt. ejus lectulus ſtratus ex carbonibus.*

S. Chryſoſtomus malam linguam vocat *lectulum diaboli*, idque ex v. 4. Pſ. 119. *Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus deſolatoriis.* Ubi Chaldæus legit: *Sagittæ robuſti acutæ; ſicut fulgura ſuperna, cum carbonibus ardentibus in gehenna inferius.* Id eſt, lingua doloſa v. g. blaſphema, detractoria, &c. eſt veluti acuta ſagitta, quæ pro cuſpide non tantùm habet ferrum vel chalybem, ſed ardentes carbones, quibus diabolus ex inferno cuſpidem illam accendit & inflammat, Jac. 3. v. 6. *Lingua inflammata à gehenna.* Venio ad lectionem S. Chryſoſtomi: *Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus in lecti formam conſtratis;* Quibus verbis videtur alludere ad lectiſternia dæmonum; Ethnici namque convivia in dæmoniorum templis celebrantes, lectos ponebant ante menſas, ut dii vel dæmones in illis accumberent. [vide Athenæum] Quid tunc? hoc quod ait S. Chryſoſtomus hom. 52. in Matth. *Diaboli quippe lectus eſt omne convitium.* Ex oratione, ex verbis conjicere poſſumus, in quibus habitet Chriſtus, in quibus quieſcat diabolus.

§. 9. *Lingua indicat filios Dei & filios diaboli: Quam ſit diverſus illorum ſermo.*

Lingua filios Dei vel filios diaboli deſignat. Lib. 3. Reg. c. 21. v. 13. adornantur duo falſi teſtes contra Nabaoth, & ait textus: *Et adductis duobus viris, filiis diaboli, fecerunt illos ſedere contra eum. At illi, ſcilicet ut viri diabolici, dixerunt contra eum teſtimonium.* Non miror illos ita appellari, quippe ex malignitate & bonitate linguæ oſtenditur, quis DEI aut diaboli ſit filius. Apoc. c. 13. v. 6. dicitur de beſtia magna: *Et aperuit os ſuum in blaſphemias ad Deum, blaſphemare nomen ejus, & tabernaculum ejus, & eos, qui in cœlo habitant*: Sed & de Jeſu meo dicitur Matth. c. 5. v. 2. *Et aperiens os ſuum, docebat eos, dicens: Beati pauperes ſpiritu.* Componite quæſo ſanguinolentem beſtiam & manſuetiſſimum agnum, diabolum & Chriſtum D. & facillimè componere vel dignoſcere poteritis filios diaboli & filios Dei. Fecit id Rupertus ibid. l. 8. *Omnia illius contraria ſunt iis, quæ de Chriſto dicuntur.* Primo, quod datur illi os loquens magna, ori Chriſti contrarium eſt. Et hic quidem in blaſphemias in Deúm, illud os magniloquum aperiet, Jeſus autem in confeſſionem & in laudem Dei os ſuum aperuit. Item ille non ſolùm nomen Domini, ſed & eos, qui habitant in

Digitized by Google

cœlo,blaſphemavit: Jeſus autem,non ſolùm Deo Patri, Domino cœli & terræ confeſſus eſt, ſed eos, qui in cœlis habitant & habitaturi ſunt, honorificavit, ſicut in Evangelio ſcriptum eſt, *Aperiens os ſuum, docebat eos, dicens: Beati, &c.* Matth. 5. v. 2. Videte, quàm aliter ſonet lingua diaboli, & lingua filii Dei. Adeſte urbis hujus incolæ omnes, ſenes, juvenes, viri, fœminæ, &c. oſtendite mihi veſtras linguas, in illis veluti ſpeculis intuebimur, an ſitis filii Dei, an diaboli, agedum, linguas monſtrate: quod ſi imbutæ ſunt felle odii atque inimicitiæ, *non ſunt linguæ filiorum Dei*: Si contaminatæ ſunt ſordibus luxuriæ; *non ſunt linguæ filiorum Dei*: Si reſidet in iis mammonas, ſi nil loquuntur niſi terram & terrena, niſi opes & divitias, niſi aurum & argentum, niſi meum & tuum; *non ſunt linguæ filiorum* Dei: Si nil proferunt, niſi gulæ illecebras, cibos & fercula, lautitias & delicias, panem & vinum; *non ſunt linguæ filiorum* Dei: Si alios contemnunt, ſi pauperes aſpernantur, ſi ſeipſos magnificè prædicant atque extollunt, certam habete regulam, *non ſunt linguæ filiorum* Dei.

§. 8. *Lingua ſolet oſtendere, cujus Regis ſimus ſubditi.*

Ex idiomate colligere poſſumus, cui Principi aliquis ſit ſubjectus. Cimbri ſive Dani olim Romanis graviſſimum intulerunt bellum, & tam periculoſum, ut Quintilianus Declam. 3. dixerit: De *Italiæ poſſeſſione certatur, pro aris, focisque confligimus, an hæc omnia, igne ferroque vaſtanda ſint, an nobis Cimbricè loquendum ſit*; Putavit vir prudentiſſimus, clarius exponi non poſſe, Romanos eſſe victos, & ſubjectos Cimbris, quàm ſi coacti fuiſſent loqui Cimbricè; Linguâ oſtendimus, cui Principi vel Regi ſimus ſubjecti, ſi Cimbricè loqui apud Romanos nota fuit calamitatis aut ſervitutis, dicite, quæ nota erit apud Chriſtianos, non Cimbricè loqui, ſed diabolicè? vultis ſcire, quid ſit loqui diabolicè? dicam, hoc eſt loqui laſcivè, hoc eſt loqui invidè, hoc eſt loqui detractoriè, hoc eſt loqui faſtuosè atque arroganter. Et cujus rei nota eſt, vel ſymbolum hæc lingua? dicam, inhabitantis diaboli, proinde omnis miſeriæ, omnis horroris, omnis calamitatis. S. P. Ignatius in ſuo libello exercitiorum habet pulcherrimas duas meditationes, unam de myſtico regno Chriſti; alteram de

duobus

Digitized by Google

duobus vexillis, Chriſti & Luciferi; ſub iisdem vexillis inter milites; inter regnorum illorum ſubditos diverſa reperiuntur idiomata, ad quod enim ſpectant idioma detractores? ad idioma diaboli. Quâ linguâ loquuntur ſuperbi? lingua diaboli. Qua lingua laſcivi? eadem, hoc eſt lingua diaboli. Econtra, qua lingua loquuntur humiles? lingua Chriſti. Qua lingua manſueti utuntur? lingua Chriſti. *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde,* Matth. 11 v. 29. Quæ eſt lingua caſtarum mentium? lingua Chriſti, qui filius virginis atque agnus eſt immaculatus.

S. Thomas de Villâ Novâ Conc. 3. de adv. loco, regni vel vexilli Chriſti & Luciferi, ponit utriusque ſcholam. Mox linguam in ſchola diaboli ita deſcribit: *Non eſt veritas in mundo, non eſt, qui loquatur verum cum proximo ſuo; quidquid hodie vulgus loquitur, fraus & adulatio eſt, docuerunt enim linguas ſuas loqui mendacium: in hac ſchola exercitati ſunt, in hac docti, ut diſcerent fallere, mentiri, adulari, exaltare parva, exigua attollere, ex tumulis montes facere, ex culicibus elephantos; hæc civilitas, hæc affabilitas; & inurbanus eſt, quiſquis fallere & mentiri non novit.* Conſiderate Auditores, an non noſcatis aliquos diſcipulos in hac ſchola belliſſimè inſtructos, ita ſciunt mentiri, fallere, &c.

§. 11. Quomodo loquantur diſcipuli in ſchola diaboli.

In primo ſcamno, ſive inter primos ſedent illi, contra quos queritur Regius Pſaltes Pſal. 51. verſ. 4. Cum Doëg Idumæus Davidem atrociter fuiſſet calumniatus, ita illum alloquitur: *Tota die injuſtitiam cogitavit lingua tua.* Injuſtitiam vocat mendacia, verba doloſa, ad nocendum compoſita, calumnias, detractiones, &c. concinnatas, *Sed* [ut Genebrard. quærit] *cur tribuit linguæ, quod eſt cordis & animi.* Quomodo lingua poteſt cogitare? quæſtioni huic meo judicio ſatisfacit c. 2. Eccleſiaſt. v. 29 *In ore fatuorum cor illorum, & in corde ſapientium os illorum;* quaſi diceret: fatuus & maledicus, quidquid habent in corde, id ore garrule effutiunt; neſciunt enim ſenſa ſua celare, ſed ea in obvias aures exonerant. Unde videntur cor non habere, intra viſcera reconditum, ſed in ore poſitum, omnibusque patulum & expoſitum; ut eleganter legit Tigurina: *Ab ore ſtultorum pendet*

§. 12. Proſecutio.

cor eorum. Sententioſè Syrus: *Os ſtulti, ipſum eſt cor ejus.* Euſebius Cæſarienſis in Cat. Græc. PP. ſuper Pſ. 51. v. 4. *In ore fatuorum corda eorum, exilit enim cor ad labia illorum.* Contingit hoc frequentiſſimè, ſi graviſſimæ diſcutiantur detractiones & calumniæ, ſi in primam inquiratur originem & radicem; poſt accutum examen devenitur ad cor calumniatorum vel detractorum, ad nequam illorum cogitationes & adinventiones, quod cogitarunt, hoc protulerunt; ſunt corda quæ cogitant, hæc quam video puella, nimis eſt procax & levis; mox hoc lingua eloquitur. Eſt cor quod cogitat; forſan hæc virgo eſt verbalis tantum, & non realis: mox lingua hoc exponit. Eſt cor quod cogitat: hic Religioſus eſt ſuperbus, eſt gulæ addictior quàm vitæ Deo ſacræ conditio requirat: mox id lingua fabulatur. Nimirum ex abundantia cordis os loquitur. Et hæc eſt regula in gymnaſio çacodæmonis. Sic ſtygius ille magiſter ſuos inſtruit diſcipulos, ſic loqui docet, quæ docuit cogitare.

§. 13. *Et qualis lingua ſit diſcipulorum in gymnaſio Chriſti.*

Aliæ audiuntur linguæ in ſchola Chriſti. Cœleſtis magiſter ſuos diſcipulos docet loqui rectè. Cit. cap. 21. Eccleſiaſtici: *In corde ſapientium os illorum.* Tigurina: *In corde ſapientium os eorum ſitum eſt.* Syrus: *Os ſapientis in corde ſuo.* Hinc illa diſcipulorum Chriſti attentio, cura & ſollicitudo, ut loquantur veritatem, &c. Diſcipuli ſcholæ Chriſti non ſciunt adulari, mentiri, &c. in omni converſatione, in colloquiis ſunt ſolliciti, ut loquantur rectè; id eſt, ut cum hodierno muto laudent benefactorem, ut illi benedicant, ut prædicent ejus beneficia. In his objectis, in rebus ſanctis & cœleſtibus licitum eſt, ut cor etiam ſit in ore; ut cogitationes cordis exiliant ad labia. Contingitne ſubinde Aud. [non dubito id contingere,] ut Spritus S. in cordibus veſtris ſuggerat cogitationes ſanctas de SS. Trinitate; accenſa deſideria, illam laudandi, &c. Factum benè! ſi exiliant illæ ſcintillæ, exiliant in linguas, ut erumpant in has voces: Benedicta ſit SS. Trinitas! *Gloria Patri & Filio, & Spiritui ſancto.* Talis lingua eſt ſpeculum & teſtimonium in mente, in corde flagrare amorem erga ſanctiſſimam Trinitatem; Tales ego vobis linguas ex animo precor! O ſi dilectos Auditores meos his viderem linguis inſignitos!

Digitized by Google

ſignitos! ô ſi audirem frequentius verba caſta, verba pietatem ſpirantia, verba ad cultum Dei, & magnæ ejus matris directa; verba zelo animarum inflammata; profecto gratularer & mihi & vobis! profecto cogitarem, jam tandem tales nactus ſum Auditores, qui ſint filii Dei, tales, qui Cœlum non terram, virtutem non vitia, Chriſtum non Cacodæmonem ſapiunt, amant, ſectantur.

CONCIO XLI.

DOMINICA XIII. POST SS. TRINITATEM.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,

Lucæ 10. v. 27.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PArs prima ex ſacris literis, & teſtimoniis SS. Patrum, interpretumque pulchris ſententiis explicat, quid ſit diligere Deum ex toto corde: Altera pars proponit inſignem Dei amatricem, S. Roſam Pervanam [cujus ſolennis Beatificatio hodie celebratur Bambergæ, à RR. PP. Dominicanis] cujus Sanctæ Seraphica dicta, ſive Seraphici amoris axiomata diſcurſus partis prioris multum illuſtrabunt.

§. 1. *Cui debeamus noſtrum amorem.*

§. 2. *Non quivis dicere poteſt Deus meus! quis poſſit.*

§. 3. *Aſinus piſcis habet cor in ventre.*

§. 4. *Ex Origene; quid ſit diligere Deum ex toto corde.*

§. 5. *Unde ortus ſit error, circa falſitatem Deorum.*

§. 6. *Regula S. Ambroſii, ſecundum quam advertere poſſumus,* an

an amemus DEVM ſuper omnia.
§. 7. Amorem Dei ſuper omnia deſtruit peccatum mortale.
§. 8. Quid ſit amare DEVM ſuper omnia, ex mente ſancti Chryſologi & ſancti Auguſtini.
§. 9. Proſecutio.
§. 10. Sponſa dilexit ſponſum ſuper omnia. Quâ ratione id fecerit.
§. 11. Et David.
§. 12. Et B. Virgo.
§. 13. Hoc ſæculo Beata Roſa; quod patet ex aliquot Seraphicis ejus dictis.
§. 14. Ardens B. Roſæ oratio, plena affectibus amoris.
§. 15. B. Roſa teſſera, Amemus Deum.
§. 16. Quomodo invitarit Angelorum Ordines ad laudandum Deum.
§. 17. Cur loquendum illi fuit de divino amore, fuit facundiſſima, ingens miraculum.
§. 18. Quos dolores perpeſſa fuerit ex amore Dei.
§. 19. Heroica ejus in doloribus axiomata.

§ 1. Cui debeamus dilectionem ex toto corde.

VErba hæc: *Diliges Dominum Deum tuum, &c.* deſumpta ſunt ex cap. 6. v. 15. Deuteron. ubi Moyſes dixit ad populum: *Audi Iſrael, & obſerva, ut facias, quæ præcepit tibi Dominus, & bene ſit tibi, & multiplriceris amplius, ſicut pollicitus eſt Dominus Deus patrum tuorum tibi terram lacte & melle manantem. Audi Iſrael, Dominus Deus noſter Deus unus eſt, diliges Dominum Deum ex toto corde tuo, &c.* Super hæc verba ita ait D. Zeno l. 1. ſer. 2. *Videamus; cui vera charitas vel maximè debeatur; Utique illi, qui hominem fecit, qui ei munus perpetuæ charitatis; ſimilitudinem ſuam tradidit; qui ei orbem terræ donavit, qui omnia elementa mundi cum omnibus animantibus ſuis ejus poteſtati ſubjecit; qui ei annos, tempora, dies ſervire præcepit, qui eum regni cæleſtis participatione ditavit.* Addamus nos alia motiva. Videamus, cui vel maximè amor noſter debeatur? Utique illi, qui pretioſo ſuo ſanguine nos redemit, qui è captivitate dæmonis nos liberatos, libertati filiorum DEI reſtituit, &c. Verùm quid inde commodi, ſi Deo Creatori & Jeſu Redemptori noſtrum tribuamus amorem? *O charitas!* exclamat cit. Divus Zeno,

Digitized by Google

Zeno, *quàm pia & quàm opulenta! O quàm potens! nihil habet, qui te non habet!* Amor Dei nos facit beatos, ejus carentia miſerrimos. S. Aug. de verb. Dom ſer. 50. *Adde caritatem; proſunt omnia. Detrahe caritatem, nihil proſunt cætera.* Proinde neceſſe eſt, ut ſciamus, quid ſit diligere Deum ex toto corde. Quod primâ parte hujus Concionis explicabo, in altera oculis veſtris proponam, non florem roſam, ſed S. Roſam, SS. ex Peruania Virginem; cujus ſolennis beatificatio hodiernâ Dominica hic Bambergæ ab Adm. RR. PP. Dominic. feſtivè celebratur. Seraphica ejus axiomata de divino amore nos inſtruent, quid ſit diligere Deũ ex toto corde.

§. 2. Non quivis dicere poteſt. Deus meus! quis poſſit.

Dilectionem Dei ſuper omnia, ſive ex toto corde, explicuit inprimis S. Aug. ignito illo ſuſpirio in ſuis confeſſionibus: *O Deus! utinam poſſem dicere, meus!* Quas voculas toties in Pſalmis ingeminat Regius Pſaltes; quas ignea lingua protulit S. Thomas, cum digitos ſuos lateri Chriſti D. imponeret: *Dominus meus & Deus meus.* Seraphicus S. Franciſcus integris noctibus: *Deus meus, & omnia. Vtinam hoc dicere poſſem*, ait S. Auguſtinus, id eſt, O ſi te præ omnibus Domine diligerem, nec in aliud meus ſe animus injiceret & intenderet, quàm tibi; ut poſſim dicere: meæ ſunt hæ divitiæ! hoc dicere non cupio; utinam! &c. [fiat pulchra inductio] Rationem reddit S. Macarius Senior hom. 43. *Cui enim rei alligatum eſt cor, quove trahit illud cupiditas, hoc eſt illi Deus; Si cor Deum ſpectat, ipſe Deus eſt cordis ejus.* Illud, quod tenet animum hominis, retinet, illaqueat, & ſibi quaſi alligat, ut cordis deſideria atque affectus illi rei quaſi inhæreant, hoc diligitur ex toto corde & ſuper omnia. Si itaque v.g cupiditas divitiarum ita cor hominis teneat, retineat, illaqueet, ſibi alliget, ut cor illis dies noctesq; inhæreat, & Dei optimi maximi rara ſit memoria, hoc certum ſignum eſt, non Deum ſed divitias amari ex toto corde. Deus verò ex tota anima diligitur, cùm ejus bonitas & pulchritudo ita nos ad ſe allicit, ut illum præ rebus cæteris omnibus concupiſcamus, & in ipſum internas vires, tanquam in ſcopum ſic dirigamus, ut non deflectamus aliò; ut cor noſtrum ſit in Deo.

§. 3. Aſinus pi-

At quid ſi ſint alii, de quibus Clemens Alexandrinus l. 2. Pædag. c. 1. conqueritur: *Quod mentem in ventre infodiant, ſimiles piſci,*

Digitized by Google

cu, habet cor in ventre. *piſci, qui græce, ὄνος, hoc eſt aſinus, dicitur, quem quidem dicit Ariſtoteles ſolum ex aliis animalibus habere cor in ventre,* & ſubjicit [alludens ad verba S. Pauli, ad Philip. c. 3. v. 18. *quorum Deus venter eſt*] ſubjicit, inquam! *Tales ſunt ij homines, qui in ventrem crediderunt.* Examinate vos Auditores, ubi ſint corda veſtra, an in divitiis, an in voluptatibus &c. an in Deo, & in cœleſtibus; inde colligite, quid diligatis ex toto corde, & ſuper omnia.

§. 4. Ex Origene, quid ſit diligere Deum ex toto corde.

Hujus opinionis fuit Orig. hom. 2. in l. Jud. *Vnusquisque quod præ cæteris colit, quod ſuper omnia miratur, & diligit, hoc ei Deus eſt; denique hoc eſt, quod ante omnia, & ſuper omnia, per mandatum ſuum, Deus depoſcit ab homine, Diliges, inquam, Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. præoccupare quodammodo erga ſe cupiens totos humanæ mentis affectus, & ſciens, quia quod dilexerit quis ex toto corde, & ex tota anima, atque ex viribus totis, hoc ei Deus.* Ita Orig. & ſtatim ſubdit; *Diſcutiat nunc uniusquisque ſemetipſum, & tacitus, ex ſuo corde recenſeat, quæ in eo potiſſimum* [cum quadam animi mei voluptate incidi in hunc locum, vix enim crediderim poſſe reperiri verba, quibus pulchrius hoc vobis myſterium exponam, quid ſit Deum diligere ex toto corde] *recenſeat ait, quæ in eo potiſſimum, & ſuper cætera omnia, flamma amoris exæſtuet* (non opus eſt hunc ignem diu inquirere, quia amor ignis eſt, flamma mox urit, ſtatim ſentitur) *Quis ſibi ardentior cæteris foveatur affectus. Vos ipſi de his habetote judicium, & in ſtatera hac veſtri examinis appendite, & ſi quid eſt, quod in dilectionis lance præponderat, hoc tibi Deus eſt.* Hoc diligis ex toto corde, & ex tota anima.

§. 5. Vnde ortus ſit error circa falſitatem Deorum.

Ut hoc probet Origenes, ſubdit hanc quæſtionem. An non totius gentilitatis error hinc accepit exordium, dum ea, quæ multum diligunt homines, Deos eſſe volunt? & humanis quibusque vitiis, & cupiditatibus divinum nomen aſcribunt, pecuniæ namq; cupidi, & avaritiæ amore flagrantes, Mammonam, apud Syros, Deum cupiditatis illius dicunt. Libidinis & voluptatis amatores Venerem Deam ſibi vitii hujus, quo agitantur, aſcribunt. Similiter & in cæteris vitiis, hunc ipſum quo urgentur affectum, Deum ſibi fecerunt. Diſcutiat unusquisque ſe, an in corde

corde ſuo tale vitium inveniat,& concludat certò,ſe non diligere verum Deum ex toto corde.

Sed ut omnes, etiam rudiores, ſe diſcutere poſſint, an Deum diligant ex toto corde & ſuper omnia; cupio, ut utantur regulâ,quam reperio apud S. Ambroſium in Pſ 118. *Non eſt Chriſti, niſi qui eſt alienus à crimine.* Loquitur de crimine quovis letali, non veniali. Proinde dicere poſſumus, Chriſtianus qui in corde ſuo ſibi conſcius eſt peccati mortalis,ex quo neceſſariò ſequitur, quod creaturam plus amet, quam creatorem, ſciat certò, ſe non amare Deum ex toto corde. De tali enim S. Ambroſ. in perſona Dei vel Chriſti ait: *Non eſt meus,quem libido ſuccendit, quia mea eſt caſtitas. Non eſt meus, quem cura ſpoliandi minores exagitat, quia mea largitio eſt. Non eſt meus, quem aura nobilitatis inquietat, quia mea tranquillitas eſt. Pax ſum ego,ego litigare non novi, & quid mihi cum illo, de quo veniat diabolus, & dicat, meus eſt, nam mihi ſua colla curvavit,mea in illo plura reperio,nomen ſibi tuum vendicat,& meum munus.* Cum deinde S. Ambroſ. perpendit verſum 94. vel pauca hæc verba, Pſ. 118. *Tuus ſum ego*, ait; *Nunquid hac voce utitur avidus pecuniæ? honoru: &c. Apoſtolorum itaque vox iſta eſt, nec omnium tamen Apoſtolorum, nam & Judas Apoſtolus fuit, & in convivio Chriſti inter Apoſtolos recumbebat & dicebat, ipſe tuus ſum; ſed voce, non corde: venit & introivit in eum Sathanas, & cœpit dicere, non eſt Jeſus tuus; ſed meus es. - Mea ſunt, quæ in pectore ſuo volvit, tecum epulatur, mecum paſcitur: à te panem accipit, à me pecuniam, tecum bibit, & mihi ſanguinem tuum vendit; tuus eſt Apoſtolus & meus mercenarius.* §6. *Regula S. Ambroſii, ſecundum quam advertere poſſumus, an amemus Deum ſuper omnia.*

Omnes nos ſumus Chriſtiani & Catholici-Chriſtiani, à quibus Deus poſcit amorem noſtrum ex toto corde; efflagitat eundem hoſtis noſter diabolus, quem obtinere non poteſt, niſi per peccatum mortale. Recenſeat itaque quiſque in corde ſuo,an talis ſceleris ſibi ſit conſcius; impoſſibile eſt, ut cum illo in corde humano ſtet DEI dilectio ſuper omnia. Pretioſam hanc margaritam peccator libidinoſus vendit diabolo per libidinem, avarus per avaritiam,&c. Cuivis peccato mortali obnoxius, pri- §. 7. *Amorem Dei ſuper omnia deſtruit peccatum mortale.*

Digitized by Google

vatus eſt hoc amore; purus ab illo, & immaculatus cum Sanctis dicere poteſt, mi Deus! mi Jeſu! te amo ſuper omnia: malo privari omnibus creaturis, malo mori, quàm lethaliter te offendere. Quiſquis ita DEUM & JESUM non diligit, ſit anathema.

§. 8. *Quid ſit amare Deum ſuper omnia ex mente S. Chryſol. & S. Auguſt.*

Verùm hic eſt gradus amoris Dei ex toto corde, omnium minimus & neceſſarius ad ſalutem. Sublimius aſcendunt, qui, *Quidquid eſt cordis*, [S. Chryſologus ſerm. 147.] *quidquid mentis, quidquid virtutis humanæ, à* Dei *amore volunt poſſideri.* Clarius de illis loquitur ſanctus Auguſtinus libr. 1. de doctr. Chriſtian. *Qui toto corde, tota anima, tota mente diligunt* Deum, *nullam vitæ partem relinquunt, quæ vacare debeat; & locum dare, ut aliâ re velit frui, ſed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quò totius dilectionis impetus currit*; ſcilicet ad Deum. Quibus adjungenda ſunt, quæ ad hanc rem appoſitè dixit Apponius l. 2. in Cantica: *Qui ergo, ut juſſum eſt, in toto corde, in tota anima & in tota virtute diligit* Deum, *nullum in ſe officium membrorum vacans relinquit peccato, nullum iræ, nullum cupiditati; nullum libidini, &c. Præoccupavit enim totum habitaculum mentis ſuæ latiſſima* Dei *dilectio, & operante diabolo multas obſtaculorum formas, propter Creatorem, totis viribus calcando, tranſcendit.* Ita ille.

§. 9. *Proſecutio.*

Iterum S Auguſtinus in cit. thema hujus Concionis: *Deum ex toto corde diligere præciperis, ut omnes cogitationes tuas, ex tota anima tua, ut totam vitam tuam ex tota mente tua, ut omnem intellectum tuum in illum conferas, à quo habes ea, quæ confers.* Et cum ei donaverimus, quidquid ſumus, quidquid poſſumus, quid demum illud eſt? *nonne iſtud eſt*, [S. Bernard. ſerm. de quadrag. deb.] *ſicut eſt ſtella ad ſolem, gutta ad fluvium, lapis ad montem?* ob titulos innumeros, *Deus, totam vitam noſtram* [S. Aug. l. de dilig. Deo c. 9.] *totum laborem noſtrum, totum obſequium noſtrum, amorem denique noſtrum ſibi vendicat.*

§. 10. *Sponſa dilexit ſponſum ſuper*

Hoc modo ſponſa amavit ſuum ſponſum, quando dixit Cant. 1. v. 16. *Dilectus meus mihi & ego illi*; S. Bernardus ſerm. 68. in Cant. *Dilectus meus intendit mihi, & ego illi; ille mihi, quia benignus*

Digitized by Google

nignus & miſericors eſt; ego illi, quia non ſum ingrata; ille mihi gratiam ex gratia, ego illi gratiam pro gratia, ille meæ liberationi, ego illius honori, ille ſaluti meæ, ego illius voluntati, ille mihi. & non alteri, quia una ſum columba ejus. Ego illi & non alteri, neque enim audio vocem alienorum. Pari ſenſu ait Cant. 6. v. 2. *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi*, ad quæ Theodoretus: *Ego dilecto meo me ipſam addixi & conſecravi, & alienam omnem conſuetudinem contempſi, nam ipſe me quoque cæteris antetulit.* Sanctus Cyprianus lib. de oratione Dominica: *Diſcamus Chriſto nihil omninò præponere, quia nec nobis quicquam ille præpoſuit.* Dilexit nos ex totó corde, diligamus nos viciſſim ipſum, & redamemus ex toto corde.

omnia. Qua ratione id fecerit.

Ita Deum amavit Regius Pſaltes, cum dixit Pſ. 7. verſ. 1. *Domine, Deus meus!* id eſt ex mente Dionyſii: *Domine, cujus præceptis ſemper obedio; Deus, quia creaſti me, meus! quem ſingulariter colo, ardentiſſimè diligo, inceſſanter contemplor, & cui immobiliter ſemper adhæreo.*

§. 11. Et David.

Ita ſuper creaturas Deum amavit B. Virgo, quæ propterea vocatur *Mater pulchræ dilectionis*; Eccleſiaſtici cap. 24. v. 24. non tantùm, quod dilectio illius amaverit rem pulchram, ſcilicet Deum, ut putat Origines, ſed quia ex mente S. Bernardi ſer. 29. in Cant. *dilectio* illa, ex integro & toto ejus corde profecta fuit. *Eſt*, inquit, *ſagitta electa, amor Chriſti, quæ Mariæ animam non modo confixit, ſed etiam pertranſivit, ut nullam in virginali pectore particulam vacuam amore relinqueret, ſed toto corde, tota anima, tota virtute diligeret, & eſſet gratiâ plena.* De Iſaac ait Zeno Veron. ſermone 2. *Unicus numero, & in amoris ſoliditate jam primus totum paternum pietatis occupaverat pectus.* Multò magis id dicendum de JESU reſpectu Mariæ. Vos inde colligite, an diligatis Deum ex toto corde. O ſi veſtra mihi liceret corda dividere in particulas! quam varias in variis imagines ſpectaremus! eſſent particulæ, in quibus amor mundi cerneretur, in aliis amor erga quandam mulierculam; in aliis amor erga aurum atq; argentum, in aliis amor erga honores mundi & dignitates. Sed quid hoc rei? hoccine eſt amare Deum ex toto corde? ah minime! Totum,

§. 12. Et B. Virgo.

Digitized by Google

totum ſibi vendicat cor divinus amor, non unam duntaxat partem aut particulam.

§. 13. *Hoc ſæculo B. Roſa, quod patet ex aliquot Seraphicis ejus dictis.*

Inadvertenter delapſus ſum ad alteram partem Concionis ad illos, qui Deum ita amarunt, & occurrit ingens copia; Verùm quandoquidem hodiernâ die à RR. PP. Dominicanis celebratur ſolennitas beatificationis S. Roſæ Peruanæ, Religioſæ ſanctiſſimi illius Ordinis, æquum eſt, ut breviter vobis exponam, quibus modis, verbis & actibus illa oſtenderit, ſe Deum & Chriſtum Jeſum amaſſe ex toto corde, ex totâ animâ, & ex omnibus viribus. Hæc verba crebra illi erant in ore: *Domine, ecquis te non amaret? ego verò mi bone Jeſu, quando te dignè amare incipiam? heu me! quàm procul diſto à perfecta, intima, robuſtiſſima tui dilectione! necdum ſcio congruè te amare, quis pudor? ad quid mihi cor iſtud, ſi nondum id, pro tui amore, diffluxit in cineres, &c.* Cum talia dixit, frequentiſſimè in plurimorum conſpectu, ex vultu orantis ſcintillarunt ſplendores & flammulæ, per os, oculoſque lucidis igniculis evibratis, in teſtimonium, quanta in Roſæ pectore flagraret divini amoris ætna! quantum incendium ferveret intus.

§. 14. *Ardens B. Roſa oratio, plena affectibus amoris.*

His affectibus caleſcens & ardens Roſa, his accenſa ſcintillis & affectibus, ex ipſa ignita divini amoris pharetra, nonnullas collegit preces jaculatorias, in formam alicujus oratiunculæ, cujus hic eſt tenor: *Domine mi Jeſu Chriſte, Deus & homo! verè conditor & Redemptor noſter, quod unquam te offenderim, equidem diſcrucior, quia es, qui es, & quia te amo ſuper omnia. Mi vere Deus, & ſponſe animæ meæ! tota lætitia cordis mei! Ego! Ego! amare te deſidero, benigniſſime Jeſu, amore illo perfectiſſimo, amore efficaciſſimo, ſinceriſſimo, ineffabili, intenſiſſimo, incomparabili, incomprehenſibili, irrefragibili, invictiſſimo, quo ſimul univerſi cives empyrei te diligunt. Inſuper concupiſco amare te, O Deus meus! Deus cordis ac vitæ meæ, Deus delicium meum, amare te velim, quantum te amat ſanctiſſima mater tua, Domina mea, Virgo puriſſima: quin imò te O ſalus! O gaudium animæ meæ, te, inquam, opto amare, quantum tu ipſe, mi Deus te amas. Concremer ego, deficiam ego, conſumar ego igne tui amoris;* O mi benigniſſime

ſime Jeſu! an non ignitiſſima hæc verba produnt, S. Roſam amaſſe Deum & ſalvatorem ſuum, ex toto corde, ex tota anima, &c.

§. 15. B Roſæ reſſera, Amemus Deum.

Cum Roſa colloqui vellet cum Sororibus, prima ejus vox erat; *Amemus Deum noſtrum! amemus!* Cum aliquem Roſa vellet laudare, clauſula & compendium totius encomii erat, *Deum fortiter ac ſerio amat.* Cum loqui vellet Patri Confeſſario, vel confiteri, colloquium & confeſſionem ita fuit orſa. *Deus ſit amor noſter. O quis donet, ut eum perfectè diligamus. Heu! qui eum non diligunt, bonitatem ejus ignorant.* Cum de Deo eſſet ſermo, non deerant illi emphatica verba [cum aliàs non multum loqueretur] hîc ſolum abundabat fluida ejus eloquentia & facundia, hîc ei inardeſcebat ſpiritus, acuebatur vox, fulgurabant oculi, ſuccendebantur præcordia, nemoque præſentium dubitare poterat, ex abundantia cordis os loqui.

§. 16. Quomodo invitarit Angelorum ordines ad laudandum Deum.

Quia S. Roſa, humilis & ingenioſa fuit Virgo, ſcivit reliquas virtutes abſcondere; ſolum Dei amorem (quia flamma eſt) premere & celare non potuit? ideo, cum putaret ſe à nemine obſervari, tenerius ſimul & liberius audita fuit eructare ſolenniſſima quæque ſeraphici amoris axiomata. Cum nimirum contentiſſima vociferatione, per ordinem invitaret ſingulos Creaturarum ordines ad amorem dulciſſimi Creatoris, elementa, cœlum, Angelos, plantas, animalia compellaret, identidem replicando, *amemus Deum! Deum amemus! amor Deus! Deus amor!* Et hæc non obiter, perfectoriè & exiguo tempore, ſed duabus, interdum tribus horis uno defixa loco, Cœlumque reſpiciens his vocibus immoraretur, eo calore & impetu, ut audientium corda ad amorem & compunctionem ignara commoverit. Et dubitabimus S. Roſam, Deum ſuum amaſſe ex toto corde, ex tota anima, &c.

§. 17. Cum loquendum illi fuit de divino amore fuit facundiſſima ingens miraculum.

Inter amoris gaudia, & Cœleſtium conſolationum delicias, ingemiſcebat querula, tam raros & paucos eſſe, qui Dominum tam ſuavem, toto ac puro affectu redamarent; hic dolor illi viſus fuit intolerabilis, ideo optabat obtigiſſe ſibi ſexum, facundiam, vires, quibus univerſo terrarum orbi, ſolum Jeſu Chriſti amorem perſuaderet. Contigit effigiem Chriſti ſalvatoris, quæ à S. Roſa

peculiari devotione colebatur, toto corpore diffluere aſpectabili ſudore, quod plurimi, omni fide digniſſimi oculis ſuis inſpexerunt; Invaſit propterea omnes timor, ne ob grave aliquod populi ſcelus hoc portentum accidiſſet, aut impendentem aliquam Divinæ ultionis cladem miſeris comminaretur. Verum occurrit illis S. Roſa, voce placida jubens, ne timerent, nihil terrificum, nil ſiniſtrum, horridumq; portendi, totum hoc quidquid fuerat miraculi, eo duntaxat ſpectare ac tendere, ut ſalvator quam enixè cupiat amari, ab omnibus, ipſomet ſudorifero vultu, æſtuque præter ordinem, luculento manifeſtaret, proſcenium iſtud ſolius fuiſſe divini amoris, reciprocos hominum amores invitantis, non unico ore, ſed omnibus poris clamaſſe in imagine Redemptorem, *redamate amantem vos.* Certe quotquot ſudoris ſpectaculo coram fruiti fuerant, fatebantur, ſe ſub illius intuitu, novos, acutos, inſolitos ſenſiſſe divini amoris ſtimulos, & hoc erat, quod S. Roſa libenter audiebat, neq; enim ſola Deum & Jeſum Redemptorem amare, ſed amari ab omnibus deſideravit. Si S. Roſæ hodierna feſtivitate gratificari velimus, amemus Deum ex toto corde.

§. 18. *Quos dolores perpeſſa fuerit ex amore Dei.* Patientia in adverſis ſeu patiens tolerantia graviſſimorum dolorum lydius & lapis, quo Chriſtus D. ſolet probare amorem ſuorum electorum. Cohorrui, cum his diebus legendo percurrerē pretioſam mortem S. Roſæ, ſine admiratione legere non potui illos dolores, quibus moriens fuit affecta, quos, coacta præcepto Confeſſarii, ita explicuit, *videtur candentis ferri globus mihi per tempora adigi, & à ſummo vertice uſq; ad infimam plantam dexteri pedis ignitum veru tranſmitti; ſimili ardore tranſverſim à ſiniſtro latere per meditullium cordis, ignitus pugio me pervadit* (ita in hoc duplici ac decuſſato ardoris tormento, crucis forma fuit expreſſa) *caput meum ardenti galeæ videtur incluſum; illic ſine intermiſſione validis puncturis ceu malleorum ictibus undique contunditur: oſſa mihi ſenſim reſolvuntur in cineres, medullæ inſtar pulverum aruerunt, verba, quibus reliquos cruciatus explicem, non reperio.* Addit hiſtoria, S. Roſam in omnibus membris corporis ſuo modo fuiſſe expertam ſingulos ſponſi ſui Crucifixi dolores; membratim

tim ſenſit ſe confixam in Cruce : ultro faſſa, ſentire ſe dolores Crucis. Faſſa fuit, medullas ac viſcera fruſtillatim candenti forcipe evelli; uſtulatione quadam incinerari oſſa, nullum quoque ex plurimis ſuppliciis quieſcere vel ad momentum. Acceſſere deinde omnis generis acutiſſimi morbi; quorum ob anguſtias temporis mentionem facere non poſſum, inter quos nihil immanius illam torſit, quam ſitis, ut cum Chriſto dicere poſſet, *ſitio*! dicam omnia verbo, S. Roſa, fuit Roſa inter ſpinas.

Hoc tantum ſupereſt, ut audiatis quibus verbis ſuum erga Deum expreſſerit amorem, & conſtantem in doloribus patientiam. Ait vita, tantum in hoc bene fuiſſe S. Roſæ, cum ſubinde libero ſuſpirio Jeſu nomen tenerrime pronuntiaret. Poſtquam dolores ſuos enarraſſet, ſubdidit, *cætera conſummet in me Dominus; totum quod collibitum eſt ſacroſanctæ voluntati ſuæ; ego neq; mortem, neq; morte diriora ſupplicia hæc recuſabo.* Sæpius in Crucifixi effigiem conjiciens oculos ita ſuſpiravit, *Domine plus! plus! imple adorandum & ſanctum beneplacitum juſtiſſimæ voluntatis tuæ; imple trutinam, ſuperaccumula doloribus dolores, at memento ſimul augere meam patientiam & amorem, Mi Jeſu! quando à te poſcebam dolores, credebam illos mihi mittendos, quibus à prima juventute me exercuiſti, at nunc aliter tibi viſum eſt, benedicta ſit abundantia tam copioſæ miſericordiæ tuæ. Ure, preme, ſtringe Domine, ne parcas; quantumcunq; pungas aut vellices, pro meo demerito & meo in te amori parum eſt.* Suprema tandem hæc fuere ejus verba, *Jeſus! Jeſus! Jeſus! mecum ſit*, quem, dum vixit S. Roſa, dilexit ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus. Per totum orbem hoc tempore celebratur Beatificatio hujus Sanctæ, ut hujus jubili & triumphi ſitis participes, vos quoque Deum & Jeſum Redemptorem diligite ex toto corde, cum B. Roſa dicite *mi Jeſu, amo te*; verum dicite ore, dicite & corde, dicite & opere. Verbis facta reſpondeant, *amo te mi Jeſu.* O ſi totus quantus quantus eſt mundus te quoque diligeret! Fac mi Jeſu, ut in ſanctiſſimo tui nominis amore & vivam & moriar.

§. 19. Heroica ejus in doloribus axiomata.

CON-

CONCIO XLII.

DOMINICA XIV. POST SS. TRINITATEM.

Occurrerunt ei decem viri leproſi,

Lucæ 17. v. 12,

SYNOPSIS CONCIONIS.

OStendit in prima parte, lepram peccati mortalis, reddere peccatores anxios & inquietos, præſertim illos, qui aliàs Deo ſerviunt, & ſubinde ex infirmitate labuntur in peccatum mortale; In parte altera proponit hæc Concio duo media, quibus illa lepra curatur, nimirum ſanguine Chriſti, & lacrymis contriti cordis.

§. 1. *Exordium.*

§. 2. *Dolor & anxietas orta ex commiſſo peccato mortali, comparatur cum dolore parturientis fœminæ; vel alicujus ulceris.*

§. 3. *Alia cauſa ex Oſea, ob quam dolor ille confertur cum dolore partus.*

§. 4. *Inquietudo orta ex peccato mortali, confertur cū ebrietate.*

§. 5. *Cor hominis poſt commiſſum peccatum mortale laborat, proculcatur, ſtimulatur.*

§. 6. *Peccatum mortale, eſt quidam Dæmon diſcerpens animam.*

§. 7. *Lepra peccati mortalis, eſt quidam æſtus, fervor, fax accenſa.*

§. 8. *Quare Chriſtus D. ex anguſtia ſudaverit ſanguinem? cur Joan. 13. cap. & cap. 11. turbatus fuerit, & infremuerit ſpiritu.*

§ 9. *Quam variis verbis regius Pſaltes in pſalmis pœnitentialibus explicet hunc dolorem.*

§. 10. *Ad curationem ſpiritualis*

lepræ,

Digitized by Google

lepra, duo medici debent concurrere, Chriſtus & peccator; ille: ſanguine.
§. 11. *Proſecutio.*
§. 12. *Cur ſanguine victimarum, Propitiatorium, ſepties fuerit aſperſum.*
§. 13. *Cur Chriſtus D. de ſe dicat, Ego quaſi fluvius Diorix.*
§. 14. *Peccator ſuam lepram debet curare lacrymis contriti cordis.*
§. 13. *Epilogus.*

COnveniunt medici, lepram humano corpori eſſe moleſtiſſimum morbum, quo variis de cauſis, modiſque variis à corrupto ſanguine cruciatur & affligitur: id quod leproſi, magno ſuo malo re ipsâ experiuntur. Illas verò moleſtias, illos dolores, illos timores, illas ærumnas, anguſtias, & inquietudines, quas turpiſſima lepra peccati mortalis intus cauſat in anima hominis, ſacræ literæ, & SS. Patres, diverſiſſimis modis loquendi, præſertim per metaphoras & ſimilitudines, oculis noſtris proponunt; Quod hâc concione oſtendam fuſiùs. Moneo tamen, ut advertant mei Auditores, me in hac concione non agere de lepra peccati mortalis inſanabili, qualis reperitur in peccatoribus obſtinatis, in profundo graviſſimorum ſcelerum conſtitutis, de quibus vix aliquid ſpei effulget ut reſipiſcant; ſed de iis, qui aliàs timoratam habent conſcientiam, qui Deum Judicem pertimeſcunt, & tamen ſubinde ex humana imbecillitate labuntur in peccatum mortale; hi fatebuntur veriſſima eſſe, quæ ſum dicturus. §. 1. *Exordium.*

Propheta Michæas, dolores leproſæ conſcientiæ, comparat cum doloribus parturientis, vel ulceroſi vulneris in humano corpore. Nam cap. 4. v. 9. ait ad impium; *Quia comprehendit te dolor ſicut parturientem.* Et cur triſtitia, quæ oritur ex commiſſo aliquo peccato, confertur cum dolore partus? frequentiſſimè ſacra Scriptura dum acrem aliquem dolorem vult exprimere, id facit per dolorem partûs. D. Ambr. Ep. 18. ad citata Micheæ verba: *Cur comprehenderunt te dolores parturientium, ut parturires iniquitatem, & pareres injuſtitiam? Nullus enim major eſt dolor, quam is, qui peccati mucrone vulnerat conſcientiam.* Quod David adulter fuit expertus, cum Pſ. 37. v. 18. ait, *dolor meus in conſpectu* §. 2. *Dolor & anxietas, orta ex commiſſo peccato mortali, comparatur cum dolore parturientis fœminæ, vel alicujus ulceris.*

meo ſemper. S. Auguſtinus in hunc Pſ. *Vnde ergo iſte dolebat?* [Rex in purpurâ, inter delicias?] *Quis dolor? unde dolor? Quoniam iniquitatem meam pronuntiabo; Ecce unde dolor? de vulnere peccati.* Quæ vulnera in anima peccatoris facit ſpiritualis lepra peccati: ut de tali leproſo dici poſſit, quod Titus Boſtrenus de illo dixit, qui Lucæ 10. v. 30. incidit in latrones; *Vulneribus dire ſauciatum, ſemivivum reliquerunt.* Dirè ſauciatum, ut vocula hæc nobis exprimat, quantus veniat dolor ex lanienâ ſive leprâ peccati.

§. 3. Alia cauſa ex Oſea, ob quam hic dolor dicitur eſſe dolor partus.

Reperio eandem ſimilitudinem de doloribus parturientis apud Oſeam cap. 13, verſ 13. *Abſconditum eſt peccatum ejus, dolores parturientis venient ei.* Rupertus ibi: *Sicut enim mulier conceptum ſuum ad tempus quidem diſſimulare poteſt, ſed tandem parturiendo, doloribus atteſtantibus occulta prodit: ſic quisque peccatum ſuum utcunque diſſimulare poteſt & abſcondere, ſed in tempore ſuo cuncta cordis ejus occulta cum dolore manifeſtantur.* Interim, ut Philo lib. de confuſ. ling. *Convellitur & concutitur, & quaſſatur, tota malorum hominum vita, ſemper confuſa, turbataque.* Ecce effectus lepræ convellere, concutere, quaſſare, confundere, turbare animam ſive conſcientiam.

§. 4. Inquietudo ex peccato confertur cum ebrietate.

Eleganti ſimilitudine id explicat Orig. hom. 2. in Jerem. ſuper v. 7. c. 51. *Calix aureus Babylon- de vino ejus biberunt gentes, ideo commotæ ſunt.* Ubi ita ait: *Sicut in his, qui biberunt iſtum, qui in uſu eſt, vini liquorem, ſi ſuper menſuram biberint, videmus ebrii corpus motum, vacillantes pedes, caput ac tempora pergravata, ſimiliter eſt videre eos, qui de calice aureo biberint Babylonis, quomodo moveantur, quomodo inſtabiles greſſu ſunt, quomodo fluctuante mente nihil firmè teneant, ſed ſemper in turbationibus agantur incerti.* Venit equidem de potu Babylonico [de lepra peccati] turbatio & inquietudo, quæ miſeros quieſcere non permittit.

§. 5. Cor hominis poſt commiſſum pec. atum

Poſtquam cap. 4. verſ. 18. Jeremias peccatorem his verbis fuit allocutus, *Via tua & cogitationes tuæ fecerunt hæc tibi, iſta malitia tua, quia amara tetigit cor tuum*: tum ita inducit illum gementem: *Ventrem meum doleo, ventrem meum doleo, ſenſus cordis*

Digitized by Google

dis mei turbati ſunt in me, non tacebo, quoniam vocem buccinæ audivit anima mea, clamorem prælii. Sanctus Ambroſius lib. de fuga ſæc. cap. 7. *Illud plus laborat* [ſcilicet cor] *quod in nobis debet eſſe tranquillius; atque id nequitiæ veſtigiis proculcatur, ſtimulatur unguibus, proceſſu quodam improbitatis, incrementoque concutitur.* Meminiſtisne adhuc verborum, quibus ſuperius fuit uſus: convellere, concutere, quaſſare, confundere, turbare, addite jam hæc, laborare, proculcari, ſtimulari unguibus; & perpendite, quæ poſſit eſſe quies in corde vel anima, quæ à lepra peccati mortalis ita ſtimulatur, proculcatur, conteritur, &c.

mortale laborat, proculcatur, ſtimulatur, &c.

§. 6. Ex cap. 1. S. Marci ſignificantius adhuc verbum notavit S. Joannes Chryſoſtomus hom. 5. in S. Marcum, v. 26. ait Evangeliſta de quodam obſeſſo: *Et diſcerpens eum ſpiritus immundus.* Adverte, hanc vocem diſcerpere nobis innuere, quàm dire infernalis ſpiritus tractet humanum corpus, dum illud poſſidet. Sed atrocius longè furit in anima, quam leprâ peccati mortalis infecit. D. Chryſoſt. ait: *Quoniam alio modo non poterat intelligi - diſcerpens - dæmon.* Profectò neque nos alio modo clarius intelligemus malitiam & moleſtiam lepræ ſpiritualis, quàm per illos effectus, quos in anima operatur, quod illam turbet, inquietet, & diſcerpat, impoſſibile eſt, ut talis leproſus quieſcat.

Peccatum mortale eſt quidam dæmon diſcerpens animam.

§. 7. Variationem inſignem verborum, quibus hactenus ex S. Scriptura & SS. PP. uſus ſum, mihi ſuggerit Ruffinus in Pſal. 57. v. 12. *Lætabitur juſtus, cum viderit vindictam.* Ubi ait: *Attende pœnam malorum, etiam inter ſuas voluptates. Ecce ille æſtuat avaritia! alius fervet luxuria! alius iracundia accenditur, alius invidiæ facibus inflammatur. Sic ſe Deus in præſenti à malis vindicat, eosque ipſis ſuis vitiis flagellat, ut nemo ſit, qui ſub onere idolorum ſuorum non gemat.* Æſtuare, fervere, accendi, inflammari, flagellari, gemere, quid ſignificat, niſi illos cruciatus, dolores, &c. quos lepra cauſat ſpiritualis: æſtus avaritiæ, lepra eſt animæ; fervor luxuriæ eſt lepra, &c. Qui ſic æſtuat, ſic uritur interius in conſcientia, quomodo eſſe poſſet etiam medios inter voluptates quietus?

Lepra peccati mortalis eſt quidam æſtus, fervor & accenſa fax, &c.

§. 8. Quare Chriſtus D. ex anguſtia ſudaris ſanguinem, cur Ioan. 13. cap. & cap. 11 turbatus fuerit, & infremuerit ſpiritu.

Non ſine cauſa aliqui SS. Patres mirantur: I. Quod Chriſtus D. in horto Gethſemani in tantas inciderit anguſtias, quod illis obrutus fuerit timoribus, quod ita expaverit, ut ſudor ſanguinis factus fuerit in agonia *ſicut guttæ ſanguinis, decurrentis in terram*, Luc. 22. v. 44. Reſpondent interpretes, quod una ex præcipuis cauſis fuerit horror, quem concepit, visâ multitudine peccatorum generis humani, quorum pœnas & ſatisfactionem in ſe ſuſceperat. Mirantur II. quod Joan. 13. v. 21. in ultima cœna *turbatus* fuerit *ſpiritu, & proſtratus dixerit*: *Amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me.* Reſpondit D. Laurent. Juſt. l. de triumph. Chriſti agone, cap. 5. *Non utique propter ſe turbatur charitas, non de ſui dolebat injuria; ſed alterius perditio ejus turbationis erat cauſa efficiens; quoniam proditoris animam invaſerat ſathanas, omnemque ſtatum priſtinæ gratiæ everterat, meritò turbatur Dominus.* Mirantur III. quod JEſus Joan 11. v. 38. cum vidit Magdalenam flentem propter mortem defuncti fratris Lazari, *infremuerit ſpiritu, & turbaverit ſemetipſum.* Reſpondet Venerabilis Beda: *In quo eſt ſumma poteſtas, ſecundum voluntatis nutum turbatur infirmitas; hoc eſt, turbavit ſemetipſum; dixi poteſtatem, attende ſignificationem. Magnus reus eſt, quem mors quatriduana ſignificat. Quid eſt ergo, quod turbat ſemetipſum Chriſtus, niſi ut ſignificet tibi, quomodo turbari tu debeas, cùm tantâ mole peccati gravaris.* Ita jam diſcurro; ſi Chriſtus Dominus filius Dei ob peccata aliena ita fuit conterritus, quid miramur, aliquem impium, cum ſubinde radiis Divinæ gratiæ illuſtratus, intuetur & agnoſcit turpitudinem ſuorum ſcelerum; & supernè impendentem divinæ juſtitiæ gladium, ſi agnoſcat ſe ob lepram talis peccati, dejiciendum in ignem æternum; quod timeat, quod expaveſcat, quod ingenti horrore & turbatione concutiatur, quod quieſcere non poſſit. Per peccatum in animam intravit ſatanas, qui ſuis nullam quietis partem indulget. Lepra eſt peccatum mortale, dies noctesque inquietans peccatorem.

§ 9. Quàm variis verbis Regius

Satis mirari non poſſum, cum conſidero, quam variis verbis Spiritus S. in ſacris literis nobis proponat inquietudinem, moleſtias, dolores & anguſtias leproſi peccatoris. Conſiderate Davi-

Digitized by Google

Davidem, & ſi placet, percurrite ſeptem Pſalmos pœnitentiales, in primo ſive Pſ. 6. v. 2. memor ſui adulterii gemit: *Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum - quoniam conturbata ſunt oſſa mea.* verſ. 3. *Anima mea turbata eſt valde!* verſ. 6. *Laboravi in gemitu meo.* In ſecundo ſive Pſ. 31. memor ſui adulterii ait verſ. 4. *Converſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina.* Spina illi fuit adulterium. Illius memor ait Pſal. 31. verſ. 13. *Multa flagella peccatoris.* verſ. 4. *Die & nocte gravata eſt ſuper me manus tua.* verſ. 9. *Tu es refugium à tribulatione, quæ circumdedit me.* In Pſalmo pœnitentiali tertio, ſive Pſal. 37. memor ſui ſceleris ait verſ. 2. *Sagittæ tuæ infixæ ſunt mihi.* verſ. 3. *Non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ, non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum.* verſ. 4. *Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me.* verſ. 5. *Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ.* verſ. 6. *Miſer factus ſum - tota die contriſtatus ingrediebar.* verſ. 8. *Afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei.* verſ. 12. *Vim faciunt, qui quærunt animam meam.* In Pſalmo pœnitentiali quinto, ſive Pſalmo 101. v. 5. aruiſſe cor ſuum. verſ. 10. ſe potum & cibum miſcuiſſe cum fletu. In Pſalmo ultimo pœnitentiali, ſive Pſal. 142. queritur, ſe eſſe poſitum in obſcuris, ſicut mortuum ſæculi, anxiatum eſſe ſpiritum ſuum, & iterum turbatum cor ejus. verſ. 6. animam ſuam eſſe ſicut terram ſine aqua. Nolo modo tranſire ad alios Pſalmos, ex his licebit formare diſcurſum. Lepra animæ gravis eſt quædam infirmitas; eccur ergo illam non caveamus ſtudioſius? lepra animæ eſt quidam labor, ſed permoleſtus, & à quo nullam ſperes partem quietis? eccur ergo laborem illum non ſubterfugimus? lepra animæ eſt ſpina quædam acuta, diu noctuque pungens & crucians? eccur ergò hanc ſpinam non confeſtim evellimus? lepra animæ eſt flagellum, quod non ſævit in corpora, ſed corda: eccur ergò illius flagelli non exhorreſcimus?

Pſaltes in Pſalmis pœnitentialibus explicat hunc dolorem.

Venio ad alteram Concionis partem, à quo, & quibus mediis tam peſtilens lepra peccati mortalis curari poſſit? reſpondeo, ab unico Medico id fieri non poſſe, ſed à duobus, à Chriſto D. & ipſo leproſo. Chriſtus D. Salvator noſter afferre debet pretioſum

§. 10. *Ad curationem ſpiritualis lepræ duo Me-*

dici debent concurrere; Chriſtus & peccator ille! ſanguine

tioſum balſamum, & oleum divinæ ſuæ miſericordiæ; leproſus addere debet ſalutares aquas contriti cordis, ſive veræ pœnitentiæ. Non eſſe alium medicum niſi Chriſtum, ipſe innuit S. Petro, cùm Joan. 13. cap. renueret lavari aquis à Chriſto, ait Jeſus ad illum v. 8. *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* Adeone dilectus Petrus abjicitur & rejicitur à Jeſu, quod ex humilitate nolit ſibi lavari pedes? altius hîc myſterium advertit Rupertus, quod nimirum Chriſtus D. tàm acri comminatione, voluerit oſtendere, aquas, quibus voluit lavare pedes, eſſe figuram lavacri pretioſi ſanguinis, quem mox erat effuſurus in ara crucis, ſine quo nequiret Petrus peccator ſalvari. Ita ait Rupertus in perſona Chriſti, l. 11. in Joan. *Niſi ego altius præcinctus, majori diſpendio lavero te, non habebis partem mecum. Verè enim, niſi Chriſtus dilectos ſuos laviſſet à peccatis eorum in ſanguine ſuo, nec Petrus, nec quiſquam alius cæterorum hominum partem habuiſſet cum illo.* Tam pretioſo oleo & balſamo, ſanguine filii Dei opus eſt, ut lavetur tam turpis lepra.

§. II. *Proſecutio.*

Figuram habemus Exod. 24. Ubi Moyſes de oblatis victimis, accepit ſanguinem, & v. 5. *miſit in crateras, partem autem reſiduam fudit ſuper altare*; cur in altari? D. Amb. ep. ad Simplicianũ. *Quod verò ad altare effudit ſanguinem, intelligere licet ablutionem mundi, remiſſionem omnium peccatorum. Etenim ſanguinem illum ad altare, quaſi hoſtiam effundit ad multorum exhaurienda peccata: agnus enim hoſtia eſt; ſed agnus non irrationabilis naturæ, ſed divinæ potentiæ, de quo dictum eſt. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*; ſive, qui ſuo ſanguine lavat & mundat lepram peccati. Circumſtantia altaris movit Rupertum l. 4. in Gen. c. 27. ut dixerit, *amplius & in hoc myſterium Domini noſtri Ieſu Chriſti præfulſit, qui novum altare, novumq; ſacrificium inſtituit, & quod ſervatum eſt in paſſione, in holocauſtum Deo Patri, tam per ſemetipſum, quàm per manus Sacerdotum offerre non deſinit; Ipſum corpus! ipſum ſanguinem, qui in cruce effuſus eſt, et offerimus.* Sed præter altiſſimum hunc finem, qui eſt gloria Patris, voluit eundem in terris, in altari eſſe alterum lavacrum, in quo peccatores, abluti in ſanguine ejus, obtinent remiſſionem

nem

Digitized by Google

nem peccatorum, emundanturq; à tam turpi lepra, ſanguine Chriſti ad hoc opus eſt.

§. 12. *Cur ſanguine victimarum propitiatorium ſepties fuerit reſpe. ſū.*

Alterius circumſtantiæ fit mentio Levit. 4. cap. v. 5. *Hauriet quoque Sacerdos de ſanguine vituli, & aſperget digito ſepties contra propitiatorium.* Ut quid ſepties? Devotis erga ſanguinem Chriſti, occurrent ſine dubio, præfiguratas fuiſſe ſeptem effuſiones ſanguinis Chriſti; in circumciſione, in ſudore ſanguineo, &c. laudo piiſſimas veſtras cogitationes, quæ ſemper placent Chriſto Salvatori noſtro. Occurrit fortaſſis aliis ſeptenarius numerus peccatorum mortalium, ſuperbiæ, &c. in quorum ſatisfactionem, emundationem, & curationem cœleſtis medicus ſepties ſanguinem ſuum voluit effundere. Placuit hæc cogitatio Ruperto, quam lib. 12. adhuc amplius ad rem noſtram declarat lib. 12. de gloria filii hominis [ſupponit ad impii juſtificationem, ſive emundationem lepræ ſpiritualis, requiri etiam gratiam Spiritus S. & ait:] *Ut quid enim vitulus ille immolatus, ut quid ſanguis Chriſti eſt fuſus, niſi ut Spiritum S. qui in eo ſeptiformi plenitudine requieſcit, in remiſſionem peccatorum acciperemus? ſepties ergò contra propitiatorium debuit aſpergi ſanguis illius vituli, ſignificatur digito ſacerdotis; quia non niſi per paſſionem, & ſanguinem hujus Filii hominis, potuit aut debuit ſanctus ſeptiformis Spiritus in remiſſionem peccatorum dari nobis.* Idem hodie dico, de emundatione lepræ peccati mortalis, &c.

§. 13. *Cur Chriſtus D. de ſe dicat: Ego quaſi fluvius Diorix*

Iſaiæ 66. cap. v. 12. ait Propheta in perſona venturi Meſſiæ, *Ego declinabo ſuper eam, quaſi fluvium pacis.* Ad literam dici poteſt, alluſiſſe Iſaiam ad fluvium, qui Gen. cap. 2. egreſſus fuit [v. 10.] *de loco voluptatis ad irrigandum paradiſum, qui inde diviſus fuit in quatuor capita.* In ſenſu vero myſtico dicunt Interpretes, Iſaiam de Meſſia fuiſſe locutum, veluti de amœniſſimo fluvio, qui venit in hunc mundum, ut lavaret mundum à peccatis ſuis, & addit Richardus de S. Laur. lib. 12. de laud. Mariæ. *Exivit de hoc paradiſo fluvius Diorix, id eſt, Filius Dei, qui ſe comparat fluvio dicens, ego quaſi fluvius Diorix. Diorix interpretatur, medicamentum* - nam *partus Virgineus fuit medicamentum* - *orbis. Cujus ſcilicet fluvii quatuor capita, quatuor illi liquores, qui de Dominico*

Digitized by Google

nico corpore manaverunt; lacrymæ ſcilicet, & ſudor in vita, ſanguis, dum viveret, in circumciſione, in ſudore ſanguineo, &c. & poſt mortem, ſanguis & aqua Itaque ô leproſi! ut vos compellem verbis D. Zenonis l. 3. ſer. 21. *Pii fontis ad gurgitem convolate, vos inſtanter immergite, &c.* ut mundetur lepra veſtra.

§. 14. *Peccator ſuam lepram debet curare lacrymis contriti cordis.*

Myſterium aquæ, quæ cum ſanguine fluxit ex aperto latere Salvatoris, nos monet ad emundationem lepræ ſpiritualis, ex parte noſtra requiri, ut ex fonte contriti cordis effluant calentes lachrymæ, de Deo ſummo bono offenſo, quæ aqua mixta ſanguini Chriſti, illud parat balſamum, quo curatur lepra peccati mortalis. Hæc fuit ſententia D. Baſilii Seleuc. orat. 17. ſup. v. 7. Pſ. 6. *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum. Peccavit David; ſic ſe purgavit. Peccatum namq; lacrymis curatur; animæ illuvies* [dicamus hodie lepra] *oculorum fontibus extergitur; monſtravit*, [David] *quomodo curentur animæ vulnera, monſtravit inimicas diabolo eſſe lacrymas: per oculos jaculatus eſt ſagittas, contra illum, & lacrymis diabolum convulneravit.* Ad emundationem ſpiritualis lepræ lacrymæ ſunt neceſſariæ. Hoc ſenſu Venerab. Beda explicat verba illa Chriſti D. Lucæ 23. cap. v. 28. *Nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & filios veſtros.* Id eſt, *Ne me*, inquit Chriſtus D. *lamentemini moriturum. Vos potius ipſas, veſtramque progeniem, ne in meæ crucis ultionem, cum perfidis æterna morte damnemini, dignis lacrymarum fontibus abluite.* Joan. 11. cap. verſ. 35. Dum Chriſtus Dominus in mortuo Lazaro, jacente in ſepulchro intuitus fuit imaginem peccatoris, fœtentis in peccatis ſuis, *lacrymatus eſt JESVS.* Emyſſenus. Lacrymemur igitur & nos, pro omnibus illis, quos in fœtore jacere ſentimus, ſi fortè noſtris lacrymis eos Dominus reſuſcitare dignetur. Eja anima leproſa, ſi mundari vis, hos duos quære fontes, ſanguinem in vulneribus Salvatoris, lacrymas in corde tuo; Et ſanguine opus eſt & lacrymis. Has de tuo, illum de Jeſu Salvatoris tui theſauro comparabis. Lachrymas tuus eliciet dolor, ſanguinem Chriſti profudit amor. Eſt quidem, fateor, eſt præcipua medicamenti pars ſita in pretioſo ſanguine Jeſu, non tamen illum vult ſolum divinus medicus, vult & lachrymas tuas, ex utroque quandam

dam vult confici mixturam animæ tuæ morbo ſalutarem.

Si, quod abſit, alicui leproſo media hæc diſpliceant, memor ſit moniti D. Cyrilli Alexandr. in c. 6. Amos. *Averſari pœnitentiam - eſt in exitii diem cadere - eſt ruere in gehennam*, ubi in æternum in ardenti flamma leproſorii, infelices damnati, æternùm urentur, & lepra illorum non exuretur. Hic, in mundo eſtote ſolliciti Auditores, ut ſanguine Chriſti & veſtris lachrymis à veſtra lepra vos liberetis. Amantiſſime Jeſu, ſi quæ fortè animæ turpi ſcelerum lepra contaminatæ hic adſunt, illas obſecro tu cœleſtis medice tuæ habeas curæ commendatas, lava illas in ſanguine tuo, ablue ſordes, abſterge maculas; nos lachrymas conferemus doloris filias, amoris indices, pœnitentiæ notas. §. 15. Epilogus.

CONCIO XLIII.

DOMINICA XV. POST SS. TRINITATEM.

Ideo dico vobis, ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ,

Math. 6. v. 25.

SYNOPSIS CONCIONIS.

SUadet in primo puncto, ut in duobus, præſertim de Divina providentia magnam & rectam habeamus opinionem, ad firmandam fiduciam noſtram in ſolo Deo. Alterum punctum proponit pulchrum eximiæ hujus virtutis ſpeculum Beatam Roſam; In tertio, per aliqua ſymbola deſumpta à roſis, oſtenditur, ſpem & fiduciam alias quoque eximias & præclaras expoſcere virtutes.

Digitized by Google

§. 1. *Explicatur dictum Senecæ: Sapientis animus eſt, ſicut eſt ſtatus mundi ſupra lunam.*

§. 2. *Propoſitio Concionis.*

§. 3. *Vt DEO fidamus, magnam de ejus providentia debemus concipere opinionem, quod ſimili declaratur.*

§. 4. *In quibus illa opinio conſiſtat. Tria ſanctiſſima axiomata.*

§. 5. *Quæ ex ſacris literis roborantur.*

§. 6. *Hanc DEI providentiam & gubernationem proclamat totus mundus, multò magis nos, &c.*

§. 7. *Similia, quibus Chriſtus Dominus in hodierno Evangelio probat Dei circa nos ſollicitudinem.*

§. 8. *B. Roſæ fiducia circa myſterium prædeſtinationis.*

§. 9. *Perſuadere nobis debemus, nos eſſe veluti flores, qui tenentur in dextera Chriſti D. ad cuſtodiam.*

§. 10. *Præſentia Jeſu fuit B. Roſæ ſolidum fundamentum eximiæ fiduciæ.*

§. 11. *Axiomata B. Roſæ de Chriſto D. ut illi fidamus.*

§. 12. *Fiducia poſcit alias virtutes; quod per varia ſymbola oſtenditur, v. g. orationem.*

§. 13. *Magnam æſtimationem de ſanguine Chriſti.*

§. 14. *De SS. ejus cruce.*

§. 15. *Conſtantem perſeverantiam.*

§. 16. *Ideo B. Roſa fuit hortus concluſus.*

§. 17. *Humilitatem.*

§. 1. *Explicatur dictum Senecæ: Talis eſt ſapientis animus, qualis mundi ſtatus ſupra lunam.*

PRæclarè dixit Seneca epiſt. 59. *Talis eſt ſapientis animus, qualis mundi ſtatus ſupra lunam eſt, ſemper illic ſerenum eſt.* Quod ideo fit, quod vapores, fumi, fuligines, craſſioresque humores è terra & mari, calore ſolis educti [è quibus tota deinceps nubium, ventorum, imbrium, fulminum, omniumque quæ mundi inferiorem ſive ſublunarem ſphæram perturbant, viciſſitudinum eſt origo] ſuperiorem illam regionem non penetrent, imo ne attingant quidem. Ideo ſemper illic ſerenum eſt, nulli ibi venti, nulli imbres, nulla tempeſtas, ſerenitas ibi perpetua dominatur. Ex mente ſapientiſſimi Senecæ eo felicitatis pervenire poteſt vir ſapiens, etiam in hoc mundo, ut licet jactetur medias inter procellas; licet ſublunaris aër fulguret, fulminetq; licet ventorum furor cum meteoris deprælietur in aëre, ſerenum nihilominus

hilominus retineat animum, quaſi viveret ſupra lunam evectus. Prov.c.12.v.21. *Non enim contriſtabit juſtum, quidquid ei acciderit.* Hebræi Codices ſic habent: *Non tanget quidem*; adeo ſupra res omnes humanas, ſortisque vices, inter humanas tamen res, intricata erigitur viri ſapientis mens. Modum perveniendi ad tantam felicitatem in hodierno Evangelio docet nos Chriſtus D. dum divinam providentiam nobis declarat, ſimulque fiduciam perſuadet, quam in illa collocare debemus, ſi etiam in hoc mundo ſupra lunam vitæ noſtræ curſum velimus extollere.

Itaq; in materia tam ſuavi Concionem hanc dividam in tres partes. In prima adducam unam aut alteram veritatem de Dei providentia, quæ mentibus noſtris altè debent eſſe infixæ, ad hoc, ut Deo fidere diſcamus. In altera pulcherrimum virtutis hujus ſpeculum vobis proponam, B. Roſam, cujus beatificationem ante octiduum celebravimus. In tertia nominabo aliquas virtutes, quas ſolida fiducia tanquam comites requirit ad ſuam perfectionem, in quibus omnibus B. Roſa valdè fuit eximia. De benevola interim attentione, dum jucundam tracto materiam, nullus dubito. *§. 2. Brevis propoſitio Concionis.*

Ut tam eximiam virtutem, quæ fiducia dicitur, in excellenti poſſideamus gradu, hoc neceſſe eſt, ut magnam in animo noſtro de Dei providentia in omnibus ſancta, in omnibus juſta, opinionem efformemus; Nam quemadmodum navigaturis per mare contingit, ut quò majorem de gubernatoris, nauclerique peritia & experientia conceperunt animo opinionem, eò hilariores navim conſcendant, ſecurioresque periculorum navigationem inſtituant: ita prorſus, quo altior, profundiorque de magna illa mente, noſtro animo inſederit opinio, eò alacrior aſſurget, magisq; de Deo ſecura, & inter omnia tempeſtatum occurrentium diſcrimina lætior, hoc eſt tranquillior: Hoc perſuadere nobis debemus, *Divinum Numen* [ut loquar cum Theodoreto orat. 6. de provid.] *eſſe ſummum illum Dominum navis hujus, ſive mundi ſapientiſſimum gubernatorem.* *§. 3. Ut Deo fidamus, magnam de ejus providentia debemus concipere opinionem. quod ſimili declaratur.*

De hoc gubernatore hæc tria axiomata nobis debent eſſe certiſſima. I Ne atomum quidem moveri, nec arenulam arenæ volvi in mari, non decidere folium ex arbore, &c. ſine expreſſa ordi- *§. 4. in quibus illa opinio conſiſtat. Tria SS. axiomata.*

 natione,

natione, omnia ratione & ſtudio dirigentis Dei; quantò magis nobis perſuadebimus majora NNN. non fieri ſine Dei diſpoſitione. Si quis hoc ſibi firmiter perſuadeat, nunquid hoc ſufficiet, ut omnia, quæ eveniunt, cum gaudio excipiat! ſine dubio! niſi fortè divina nos credamus ſtatuta, vel convellere poſſe vel emendare. II. Multò magis planum eſt. Omnia & ſingula, quæ ab ipſo mundi exordio evenere, totumque futurorum eventuum ordinem, tam concinnè digeſtum eſſe, tantâ ſymmetria inter ſe connexa omnia, tantâ ſapientiâ diſpoſita, permiſſa & ordinata; non univerſa modo ſed & ſingula, ut, non dico, tu ipſe, ſed ne quotquot fuerunt, ſunt & erunt humanæ, angelicæque mentes, ſimul junctæ melius, concinniusque poſſint diſponere; quid ergò dicere potes? an non hoc ſufficiet, ut non murmuremus, etiamſi totum orbem cerneremus evelli ſuis ſedibus, & cœlum in terram diffluere, terram verò ſuper aſtra elevari? III. Denique certum nobis eſſe debet, Deum omnibus ſic diſpoſitis, ſolo, quo erga nos, noſtrumque bonum fertur amore, impulſum, egiſſe cauſam noſtram, ab ipſa jam inde æternitate, inſpectisque & ſedulò expenſis circumſtantiis omnibus ſtatuiſſe tandem, ecquando naſcereris, ubi, ſtatuiſſe quinam, & quales tui futuri eſſent parentes; ſtatuiſſe, quam complexionem corporis, quam animi indolem eſſes ſortiturus; ſtatuiſſe, quali te ingenio, quali judicio, quali memoria eſſet donaturus; ſtatuiſſe, quinam tui curam gererent in infantia, quinam alerent atque educarent; ſtatuiſſe, qui ſucceſſu temporis rudem tuam pueritiam bonis moribus atque artibus informarent; ſtatuiſſe, quid tibi inter hæc proſperi eſſet eventurum, quid adverſi; deniq; ab æterno omnia tuum ſtatum, vitam, fortunas, proſperitatem, dolores & gaudia; perinde ac ſi tu unus & ſolus eſſes in orbe terrarum, ſtatuiſſe; & hæc omnia, ex ſolo amore, quo, ut tibi benè ſit, vult Deus eſſe ordinata, ut nihil prorſus homo rationalis cogitare, dicere, agere vel diſponere poſſit, quod divina providentia non ſciat, vel diſponat aut permittat, ut hoc cogites, &c. Et hæc omnia, ut tibi in particulari benè ſit. An quicquam requireretur, quò minus pleno amplexu omnia, quæ eveniunt, excipiamus,

mus, oſculemurque diſponentis manum tam amicam & providam? quidni in illum totam noſtram fiduciam collocemus? hæc hodie fuit mens Chriſti D. cùm dixit: *Ne ſitis ſollicitι, &c.*

§. 5. *Quæ ex S. literis roborantur.*

Et vero licet certiſſimæ ſint hæ maximæ, æquum tamen eſt, ut breviter roborentur ex S. literis, maxime illud, ut ſciamus, omnia, quæ quemvis in particulari concernunt, conſtare Deo, & ab Illo omnia dirigi. In Pſ. 118. Pſ. 138. Pſ. 38. Pſ. 91. diverſiſſimis modis loquendi, Regius Pſaltes nobis inculcat, mirabilem in Deo eſſe ſcientiam rerum omnium etiam minimarum, quæ fiunt ſub ſole, præſertim quoad ſuam perſonam, ita loquitur Pſ. 118. v. 168. *Omnes viæ meæ in conſpectu tuo.* In Pſ. 138. v. 2. *Tu cognoviſti paſſionem meam & reſurrectionem meam.* v. 4. *Omnes vias meas prævidiſti.* v. 5. *Ecce Domine, tu cognoviſti omnia, noviſſima & antiqua.* v. 16. *In libro tuo omnes ſcribentur.* Plenus eſt ille Pſalmus ejusmodi dictis In Pſ. 38. v. 6. *Ecce menſurabiles poſuiſti dies meos.* Dies continet horas, hora quadrantes, quadrans ſua minuta, ex infinitis non eſt unum, quod non fluat ex ſcientia & ſecundum voluntatem Dei. Ideo in Pſ. 138 v. 6. exclamat: *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, confortata eſt, non potero ad eam.* Pſ. 91. v. 6. *Nimis enim profunda facta ſunt cogitationes tuæ. Vir inſipiens non cognoſcet, & ſtultus non intelliget hæc:* & tandem diſcurſus hos de ſcientia Dei hoc epiphonemate concludit in Pſ. 138. v. 14. *Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es; mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcit nimis.* Hæc nimirum ſcientia Dei fundamentum eſt, cui fiducia noſtra firmiter innititur, ſi nimirum intellectus hoc apprehendat, nihil fieri in mundo, quod divina providentia non ſciat, & velit ita fieri. Quod Epictetus in Enchir. c. 38. de Diis in communi dixit: *Religionis erga Deos immortales, præcipuum illud eſt, rectas de eis habere opiniones.* Ut ſentias, & eos eſſe, & benè, juſteque adminiſtrare omnia. Unde illud conſequitur, *parendum eſſe eis, & in omnibus iis, quæ fiunt acquieſcendum & ſequendum ultrò, ut quæ à mente præſtantiſſimâ regantur.* Tales inquam nos formare debemus opiniones, in particulari de attributis divinæ providentiæ, &c. [Repete breviter ſuperiores maximas.]

Digitized by Google

§. 6. *Hanc DEI providētiā, & gubenationem proclamat totus mundus*

Cogitare debemns illud S. Aug. l. 11. de civit. c. 4. *Mundus ipſe ordinatiſſima ſua mutabilitate & mobilitate, & viſibilium omnium pulcherrima ſpecie, quodammodo tacitus, & factum ſe eſſe, & non niſi à Deo, ineffabiliter atque inviſibiliter magno, & ineffabiliter atque inviſibiliter pulchro, fieri ſe potuiſſe - - & regi ſe poſſe proclamat.* Idem in utroque hoc puncto nos de nobis fateri debemus. I. Factos eſſe à Deo. II. Si finem, ob quem facti ſumus, aſſequi velimus, nos regi & gubernari debere à divina providentia, ut proinde non reſtet aliud, quàm ut nos totos per inſignem quandam fiduciam ejus gubernationi committamus, de cætero ſecuri, dum toti ſumus Dei, & ab illo pendemus. *Homo* (ait Epict. apud Arria. l. 2. c. 16.) *accede tandem ſublatis ad Deum oculis dicere; tracta me poſthac arbitratu tuo, ejusdem tecum ſum animi, nihil recuſo, quod tibi videtur; quo voles ducito; veſte, quâ voles, induito. Vis me fungi Magiſtratu? privatam vitam agere? manere, exulare, pauperie conflictari, opibus abundare? ego te apud homines defendam: laudabo ubique tuam providentiam, nihil occurret prorſus, quod fiduciam meam in Deo collocatam poſſit convellere.*

§. 7. *Similia, quibus Chriſtus D. in hodierno Evangelio probat DEI circa nos ſollicitudinem.*

Matth. c 6. v. 27. *Reſpicite volatilia cæli*, inquit Chriſtus D. *quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater veſter cæleſtis paſcit illa.* Matth. 10. v. 29. *Nonne duo paſſeres aſſe veniunt, & unus ex illis non cadit ſuper terram ſine Patre veſtro?* nonne omnes plumæ ejus numeratæ ſunt, &c. Matth. 6. v. 28. *Conſiderate lilia agri, quomodo creſcunt, non laborant, neque nent.* Unde ergo eis prætexta tam nobilis, toga tam candida & decora? unde ille viror? unde odor? &c. ſic DEUS illa veſtit, &c. quantò magis nos, de Deo optimo Patre illam efformare debemus opinionem, quod in omnibus paternâ curâ pro nobis ſit ſollicitus; ut talis opinio excellentem in nobis generet fiduciam.

§. 8. *B. Roſæ fiducia circa punctum prædeſtinationis.*

Duo potiſſimum ſunt, de quorum aſſecutione dubitare poſſumus, de æterna noſtra beatitudine, & de infallibili ex alto ſuccurſu, in quibusvis neceſſitatibus corporis & animi, & repentinis præſertim periculis. In his tribus B. Roſæ ſpes & fiducia fuit admirabilis & ſimul ſuavis, tenera & affectuoſa. Permiſit aliquando cœleſtis ſponſus ipſam concuti pavidâ formidine circa prædeſti-

nationis

nationis ſuæ arcanum, omni animæ tremendum. Angebatur innocens Roſa, conſiderans, perire ſe poſſe, caligabat trepida, recogitans judiciorum Dei abyſſum, ſed mox idem cœleſtis ſponſus humiliatum & contritum cor Roſæ recreavit, his ſuaviſſimis verbis illam allocutus: *Filia, ego neminem condemno, niſi volentem condemnari, igitur ex nunc tranquillo eſto animo.* Dici non poteſt quàm ſublimem, invictam & ſolidam fiduciam hæc paucula verba Virginis cordi impreſſerint. O quàm juſtas nos habemus rationes, ob quas concuti poſſumus pavidâ formidine circa noſtram prædeſtinationem; Animæ amantiſſimæ! ah! ah! perire poſſumus. Ah! horribilis eſt abyſſus judiciorum Dei! ſed ne nimium ſitis ſollicitæ, hanc de Salvatore noſtro concipite exiſtimationem; ille neminem vult condemnare, niſi volentem, ſi & nos non velimus; cum B. Roſa animo ſimus æquo & tranquillo.

§. 9. *Perſuadere nobis debemus, nos eſſe veluti flores, qui tenentur in dextera Christi D. ad custodiam.*

Confirmata fuit fiducia Roſæ jucundiſſima viſione; orabat, & in mentis exceſſu vidit circa ſe undique ſolum conſperſum roſis, admiranti unde ver tam repentinum adfloruiſſet, en conſpicuus adfuit parvulus Jeſus puriſſimæ genitricis innixus ulnis, ac Roſam blandè compellans, juſſit ſparſas roſas in ſinum colligere; Collegit quas potuit, ſinuque pleno ſe ſtitit Parvulo, is ex omnibus unicam ſibi in donum popoſcit, quâ gratanter acceptâ ſubintulit: *Hæc roſa tu es, hujus providam curam mihi aſſumo, de reliquis tu diſponito.* Intellexit Virgo ſapiens, deſiderare à ſe ſponſum firmiſſimam fiduciam, ex hoc fundamento, quod teneretur à dextera Salvatoris velut roſa electa; quod eſſet ovicula ex illis, de quibus bonus Paſtor dixit Joan. 10. verſ. 28. *Non rapiet eas quisquam de manu mea, ego vitam æternam do eis.* Iterum dici non poteſt, qualem viſio hæc fiduciam cum exquiſitis ſolatiis excitaverit in corde Roſæ. Animæ piæ ſimus ſolliciti, ut ſimus Roſæ & lilia, quæ mereantur teneri à manibus Salvatoris, & non eſt, quod de Dei protectione dubitemus.

§. 10. *Præſentia Jeſu fuit B. Roſæ ſolidum fundamentum eximiæ fiduciæ.*

Hæc fiducia cauſa fuit, ut Roſa nulla prorſus pertimuerit pericula. Ex ſolido fundamento, ſive certâ perſuaſione, quam conceperat hac occaſione. Mater B. Roſæ horrendum metuit tenebras & ſpectra, adeo, ut nunquam nocte ſine comite incederet

cederet per domum: Contigit Roſam filiam circa veſperum, diutius hærere in horto. Venit mater quæſitura filiam, ſed comite marito. Quod dum eminus vidit Roſa, occupavit ejus cor cœlitus immiſſa cogitatio, quæ deinceps omnem exarmavit formidinem, docuit fiduciam, infudit ſecuritatem. *En* [ajebat inter ſe] *venit mater, ſine timore, hoc ſolo jam impavida, quod maritum ſuum ad latus præſentem habeat, & ego, quæ jugiter, & ubique ſponſi mei præſentiâ munior, ego, quæ tam fidelem, ſollicitum, fortem ſocium & comitem, non ad latus, ſed in corde circumfero, timebo impoſterum* quemcunque adverſarium, vel quodvis periculum. *Confidit mater in homine mortali, didicitque ad illius fragilem aſſiſtentiam non timere, & non confirmabit me pariter confidentia, in Deo ſalutari meo; ut nihil expaveſcam?* tam profundè animo juvenculæ inſedit robuſta hæc cogitatio, ut nullum deinceps timuerit periculum; unico præſentis ſponſi præſidio animoſa dicens Pſ. 22. v. 4. *Non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Hunc verſum deſideravi inter roſas, quibus his diebus vidi ornatam imaginem Roſæ. Utinam ego hodie eandem cogitationem Auditorum meorum animis poſſem imprimere. Terrent vos pericula? urget vos ſathan? premit vos aliqua neceſſitas? habete Jeſum in corde, & ne ſitis ſolliciti, ſed animo tranquillo.

§. II. *Axiomata B. Roſæ de Chriſto D.*

Circa neceſſaria ad vitæ ſuſtentationem [parentes enim habuit non adeo opulentos] B. Roſa, his dictis ſuam fiduciam ſæpius declaravit, dum aliquorum advertit diffidentiam, dixit: Ego verò ſponſum habeo, qui prægrandia & rara dare poteſt, neque puſilla aut mediocria duntaxat per diffidentiam ab illo ſperanda ſunt. Alias dixit: *Ego in Domino confido, non quod ita conſervari merear, ſed quia ille* [Pſal. 144. verſ. 13.] *fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis.* Aliàs monuit, ſperandum firmius in adjutorio Altiſſimi, & maximè tunc, quando periculi vicinitas omne effugium interclusit. Cum matri narraret ſuas cogitationes de exſtructione alicujus monaſterii, & propterea ab eadem argueretur: *Tu verò ea præſidentia loqueris, ac ſi in fabrica ſumptuoſa impendia tibi in manibus eſſent* 10000. *Imperialium, memento filia, te eſſe plebejæ ſortis, &c.* Replicuit humiliter modeſta Roſa: *Vitque ſi*

ad

ad mortalem opem, ſi ad hominum manus reſpicerem, faterer ultro impoſſibilia eſſe quæ tracto, at ſcito mater, me altius collocaſſe fiduciam meam: illum ipſum, in quo omnes theſauri, fidejuſſorem habeo, hujus liberalitati mihi diffidere non licet. Fiduciam hanc Roſæ placuiſſe Deo, oſtenderunt miracula, per quæ, mirabilibus modis ſæpius neceſſitatibus ejus providit; quæ modo narrare mihi per temporis anguſtias non licet; volui vobis tantum innuere, qualis juxta exemplar B. Roſæ, noſtra eſſe fiducia, & quibus inniti debeat fundamentis. Neceſſe tamen arbitror, ut unum adhuc moneam, nimirũ, hanc fiduciam plures eximias virtutes habere comites.

Vera fiducia in Deo & Chriſto D. requirit ardentes preces: O pictores! cùm nuper imaginem B. Roſæ ornaſtis roſis, cur inter illas non depinxiſtis concham marinam, qualis ſe ipſam aperire ſolet, cùm apertis alis excipit ſtillas roris; cur non addidiſtis hoc lemma, *de rore cæli abundantia,* Gen. 27. v. 28. Talis concha fuit B. Roſa; ſingulis ferè momentis cor ſuum aperiens, per ardentiſſima deſideria, quibus itentidem ſuſpirabat, *Deus in adjutorium meum intende, Domine ad ajuvandum me feſtina.* Hinc abundantia gratiarum in corde B. Roſæ. §. 12. *Fiducia poſcit aliasexímias virtutes, quod per varia ſymbola oſtenditur, v. g. orationem.*

Vera fiducia debet potiſſimum fundari in ſanguine Chriſti. O pictores! O pictrices! quæ nuper imaginem B. Roſæ coronaſtis roſis, cur non inter roſas delineaſtis Agnum, qui ſanguine illas rigat? Cur non foliis alicujus roſæ inſcripſiſtis pro epigraphe v. 6. ep. 1. ad Corinth. cap. 3. *Deus incrementum dedit.* Talis roſa fuit B. Roſa: irrigata ſanguine Chriſti, ſive, hunc cruorem habens pro arrhâ & pignore, de die in diem crevit in fiduciâ, aliiſque excellentiſſimis virtutibus. §. 13. *Æſtimationem magnam de ſanguine Chriſti.*

Solida baſis invictæ fiduciæ eſt crux Jeſu crucifixi. O pictores! cur inter roſas non erexiſtis crucem in parvo monte? cur non placuit vobis pro titulo aſcribere verſ. 1. pſ. 86. *Fundamenta ejus in montibus ſanctis,* vel verſum 8. pſ. 16. *ſub umbra alarum tuarum.* Talis fuit B. Roſa, plantata in monte adjutorii Altiſſimi, plantata ſub alis brachiorum ſanguineorum ſponſi in arbore crucis, ideo plena invicta fiducia. §. 14. *De ſanctiſſima ejus cruce.*

Solida fiducia parit conſtantem & immutabilem perſeve- §. 15. *Conſtan-*

 ran-

tem perſe-verantiam

rantiam. O pictores & pictrices! voluiſſem ante octiduum vos ex roſis Beatæ Roſæ in aliquo faſciculo ad quatuor angulos imagines efformaſſe coronam illam, quam Aſtronomi viginti ſtellulis inſignem inter ſidera recenſent, Gnoſſiamque vocant. Etenim, ſi flores terræ ſunt ſidera & viciſſim ſtellæ cœli flores amœnâ commutatione dicuntur. Non incongruè ex roſis B. Roſæ contexi potuiſſet in argumentum perſeverantiæ corona, quæ inter ſidera relata effulgeat, *velut inter ignes luna minores.*

Videtur S. Paulus tanquam eximius Aſtronomus, ut qui *raptus eſt in tertium cælum, & vidit ibi arcana, quæ non licet homini loqui*, 2. Cor. 12. v. 4. hoc ſidus coronæ obſervaſſe, ſimulque indicaſſe, cuinam capiti ſit paratum, dum ait: *Nemo coronabitur, niſi qui legitimè certaverit.* At B. noſtra Roſa fiduciæ alis adjuta, aut *innixa ſuper dilectum ſuum* eo evolavit, ut bravium apprehendens coronari commerita ſit; ſive jam lauream voces coronam, nam *legitimè certavit*, ſive roſeam; nam *dilexit uſque in finem*, ſive ſideream; ut roſas. Roſæ in ſtellas gratâ metamorphoſi tranſiiſſe, & Roſam *gloria & honore coronatam dicamus.*

Notandum, in ſiderea illa corona Aſtronomos obſervare unam ſtellulam præ cæteris ſingulari luce effulgentem, quæ ab illis dicitur *Lucida* ſeu *pupilla coronæ.* En novum & inſignem fructum prædictæ fiduciæ, nam quid magis honorificum de beata Roſa dicam, aut quid ad commendandam ejus fiduciam accommodatius, quàm beatam Roſam fuiſſe pupillam oculi divini, & ex hac fiducia conſecutam eſſe ſpecialem Roſæ protectionem. De aliis, qui in DEUM confidunt, ſolet Deus ad indicandam ſuam de illis curam dicere: *Ecce in manibus meis deſcripſi te*, at Roſam in oculis habet. *Qui te tetigerit, tangit pupillam oculi mei*, Zach. 2. v. 8. & *Cuſtodivit quaſi pupillam oculi ſui*, Deut. 32. v. 10.

§. 16. B. Roſa hortus conclusus.

Placuerunt mihi elegantes roſæ circa imaginem beatæ Roſæ, ſed dolui, non fuiſſe depictas in horto concluſo, Canticor. 4. verſ. 12. in quo creverunt roſæ ſponſi, ſi hoc vidiſſem, pro epigraphe ſtatim mihi occurriſſet verſus 2. ex capite 5. Iſaiæ: *Sepivit*

vit eam cœleſtis ſponſus Ut ſimus certi, B. Roſæ, vel animæ ſanctæ non deeſſe peculiarem Altiſſimi cuſtodiam, cùm fiduciam noſtram in illo collocamus: ut ſimus certi, nos ab illo nequaquam deſeri vel deſtitui.

Denique ſolida fiducia debet eſſe humilis. O pictores! ſi mihi ducere veſtros licuiſſet penicillos, in fundo alicujus roſæ depinxiſſem apiculam, & ex Cantico Beatæ Mariæ Virginis, & ex Pſalmo 112. verſ. 16. addidiſſem: *Humilia reſpicit.* Talis roſa, talis apicula fuit beata Roſa, & reſpexit illam Dominus; Apis virginea progenies eſt. Quidni igitur virginis virgineam prolem, puta JESUM ceu caſtam apiculam, huic Roſæ eò libentius inhæſiſſe, quo erat humilior & rore plenior. Nimirum hæc Roſa non erat plantata ſuper montes Gelboë, in quibus *neque ros neque pluvia*, ſed in humili valle, ubi *Irriguum* ſuperius erat & *inferius.* Quid reliquum eſt chariſſimi Auditores? nil aliud? niſi, ut & nos vitam noſtram ac mores in ejuſmodi roſas convertamus! Simus & nos roſæ, hoc eſt humiles quemadmodum Beata Roſa, hoc eſt, DEUM ter optimum maximum amantes, ut illa; hoc eſt addicti cultui Dominicæ Paſſionis ut Roſa illa; hoc eſt, ardentium precum & ſuſpiriorum ſtudioſi, ut roſa; ſic tandem fiet, ut cum Roſa illa & nos ſpiremus odorem ſuavitatis, illius potiſſimum, quæ ex præcipua in Deum fiducia naſcitur, & in corda noſtra timida diffundatur. §. 17. *Humilitas.*

Digitized by Google

CONCIO XLIV.

DOMINICA XVI. POST SS. TRINITATEM.

Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris ſuæ,

Lucæ 7. v. 12.

SYNOPSIS CONCIONIS.

QVi lethi vivunt immemores, plerumque ſceleſtè vivunt, moriuntur infeliciter, & viventes deſcendunt in infernum; illi benè diſpoſiti ſunt ad ſanctam mortem, & ſanctè moriuntur, qui mortem frequenter cogitant.

§. 1. *Flos immaturè demeſſus dolori eſt; multò magis adoleſcens à morte abreptus.*

§. 2. *Pii ſic vivunt, quaſi quotidie morituri.*

§. 3. *Diabolus facit impios oblivi-ſci mortis.*

§. 4. *Ideo in atrocia ruunt ſcelera.*

§. 5. *In quibus moriuntur morte terribili, & ita viventes deſcendunt in infernum.*

§. 6. *Miſeranda mors Goliathi, cur lapis infixus fuerit fronti.*

§ 7. *Mors impiorum terribilis, plena torſionibus & doloribus ex Iſaia.*

§. 8. *Ideo ſolliciti eſſe debemus, ut bene moriamur; ſive ut nos præparemus ad ſanctam mortem, qualis mors non eſt timenda.*

§ 9. *Quid ſit fabulæ hujus vitæ, ut Seneca loquitur, bonam clauſulam imponere.*

§. 10. *Vt ita moriamur, quotidie cogitare debemus, nos morituros*

§. 11. *Quinam dicendi ſint optimè diſpoſiti ad mortem.*

§. 12. *Proſecutio.*

Quam

Digitized by Google

QVam cum vidiſſet Jeſus [nimirum afflictam viduam, plorantem inexſpectatam & maturam mortem filii ſui] *miſericordiâ motus eſt ſuper illam*; *Nec eſt quod miremur*, ait D. Baſilius ſel. orat. 10. *Cujus enim cor non ſauciaſſet id mali? quis autem viduæ lachrymas præterea illachrymabilis? integram civitatem concitaverat in luctum iſte caſus! viduæ compatiebantur viduæ, & matres improlem lugebant, juvenem juvenes flebant omnesque tangebat iſte dolor.* Miraremur, ſi piiſſimus Jeſus viduæ ob mortem talis filii non condoluiſſet. D. Hieron. ep. de obitu Paulæ: *Quis parturientem roſam & papillatum corymbum, antequam in calathum fundatur orbis, & tota rubentium foliorum pandatur ambitione, immaturè demeſſum, æquis oculis marceſſere videat?* Planè flos immaturè demeſſus, antequam totus floreat, dolori eſt cultori ſuo. Sic floridus juvenis raptus à morte, antequam virilem ætatem attingat, parentibus & aliis inconſolalibilem luctum gignit. Ideo Jacob, cum audiviſſet, filium ſuum Joſeph in florida adoleſcentia devoratum à ferâ, Geneſ. 37. v. 35. *noluit conſolationem accipere, ſed ait, deſcendam ad filium meum, lugens in infernum.* D. Ephrem hic: *Jacob ſimplici animo diligebat Joſeph ob virtutis florem, à juvenili ætate ſemper in ipſo reſplendentem.* Ideò dum immaturè hic flos demeſſus fuit, cum luctu in lachrymas prorupit Jacobus. Talem cogitemus luctum viduæ in hodierno Evangelio. Ideo Chriſtus D. [S. Baſil. ſel. orat. 10.] *ſponte viduam accedens, flammam doloris, commiſerationis ſuæ fontibus irroravit. Quia ros lucis, inquit Iſaias, ros tuus.* Simile quod latet, advertit D. Cyrill. Alexandrinus: *Quemadmodum in agris nonnunquam radiorum ſolarium fulgor, lilia percutiens, ad deformitatem ea langueſcere, & mareſcere facit* - ita frequenter cor hominis ob varios dolores & triſtitias, fit quaſi marcidum, ut langueat, *ſed divinus ſermo eundem, ſicut ros florem aut herbam, quaſi* rurſus *erigit.* Tale quid contigit viduæ in hodierno Evangelio ploravit inconſolabiliter, mox tamen à benigniſſimo Jeſu fuit recreata, dum ab eo filium ſuum recepit. S. Baſilius ſel. orat 10. *Viduæ lachrymæ unigenitum Jeſum traxerunt ad reſtituendum unigenito vitam.* Occaſione hujus defuncti filii Concionatores plerumq;

§. 1. *Flos immaturè demeſſus dolori eſt, multò magis adoleſcens à morte abreptus.*

agunt de morte, quorum ut veſtigiis inſiſtam, hæc vobis proponam. I. Qui lethi vivunt immemores, plerumq; ſceleſte vivunt, & infeliciter moriuntur. II. Contra qui mortem frequenter cogitant, piè vivunt, & pia etiam morte vitam coronant.

§. 2. *Pii ſic vivunt, quaſi quotidiè morituri.*

Seneca ep. 30. ait: *Tu autem, ut mortem nunquam timeas, ſemper cogita.* Et in l. de natur. quæſt. *Effice mortem tibi cogitatione familiarem, ut ſi ita ſors tulerit, poſſis illi obviam exire.* Incertum eſt, quo loco, tempore, quâ horâ mors nos expectet, in hoc ſumus felices, quod nos omni loco, tempore, horâ & momento illam poſſimus expectare. Quod facimus, dum quidquid agimus, reſpicimus ad mortem. Paſchaſ. l. 4. in Matth. *Quod ſi* [hoc] *plane laborioſum putatur & arduum* [ſive res triſtis & melancholica;] *filiorum tamen debet eſſe iſta perfectio, ut ſic vivant quotidie, quaſi mox morituri.*

§. 3. *Diabolus facit impios oblivìſci mortis.*

Scio dæmonem aliud ſuadere, primum ſerpentis oſtium, per quod in Adami & Evæ corda fuit ingreſſus, vel primum medium, quo in peccatum illos deturbavit, fuit, quod ab iis averterit cogitationem mortis, c. 3. Gen. v. 4. *Nequaquam morte moriemini.* S. Baſil. ſel. or. 3. *Furtim demit mortis terrorem, ut legis munimenta deprædetur.* Sed quia conſtans hactenus experientia docuit, ipſum mentitum eſſe, cum omnibus ſtatutum ſit ſemel mori; ideo aſtutus ſerpens, ſaltem hoc impiis perſuadere ſolet, ut ſibi promittant multos & Neſtorios annos & vitam longævam, quemadmodum dives ille Evangelicus fecit, qui dixit Luc. 12. v. 19. *Vive anima mea! habes bona multa in annos plurimos,* & in his cogitationibus vox allapſa dixit: *Stulte, hac nocte repetent animam tuam;* quod & factum fuit. Sic miſeros decipit diabolus.

§. 4. *Ideo in atrocia ruunt ſcelera.*

Periculoſum planè eſt, oblviſci mortis. Pſ. 72. v. 4 ait David de impiis: *Non eſt reſpectus morti eorum.* Variè varii legunt & explicant hæc verba. S. Hieron. ſic ait: *Non recogitant de morte ſua.* Adhuc vivacius Paraphraſtes Chaldæus: *Non terrentur neque conturbantur propter diem mortis ſuæ.* Ecce tanti mali fatalem cauſam, quod nimirùm peccatores non ſolùm enormiter peccent, ſed & in peccatis atrocibus quietè atque pacatè perſeverent, quia mortis non recordantur, ut v. 3. illius Pſalmi dicat David: *Zelavi ſuper iniquos, pacem peccatorum videns.* Verùm ob hanc pacem ſive

ob

Digitized by Google

ob oblivionem mortis, v. 6. *Tenuit eos ſuperbia, operti ſunt iniquitate & impietate ſua.* verſ. 7. *Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum; tranſierunt in affectum cordis.* q. d. David, in hoc divite, unde tantus affectus erga divitias? *Non eſt reſpectus morti ejus.* In hoc laſcivo unde tantus ad fœdas carnis voluptates? *Non eſt reſpectus morti eorum.* In hoc furibundo & juramentis atque blaſphemiis aſſueto cive, unde illa fulgura & tonitrua? unde illa jurandi, imprecandi, execrandi, blaſphemandi conſuetudo? *Non eſt reſpectus morti eorum.* In hoc pigro ac deſidioſo unde tantus rerum ſacrarum neglectus atque contemptus? *Non eſt reſpectus morti eorum.* O ſi hoc punctum reſpicerent mortales miſeri! O ſi huc oculos animoſque dirigerent ſuos peccatores!

Effectum ultimum, quem cauſat oblivio mortis, ſive illum, qui priorem neceſſariò conſequitur, idem Regius Pſaltes nobis proponit Pſ. 54 v 16. *Veniat mors ſuper illos.* Hæ quoque paucæ voculæ varios in ſe continent ſenſus. Chaldæus ita illas exponit: *Reos peragat illos judicium mortis.* Alii: *Exactricem conſtituat Deus mortem ſuper illos.* Alii: *Mors decipiat eos.* Alii: *Condemnet illos mors.* Alii: *Irritet, inſtiget ac neceſſitet Deus mortem ſuper illos.* Verùm, quænam eſt illa mors, quæ irritat, quæ inſtigat, quæ terret, quæ hominem condemnat, quæ ad deſperationem neceſſitat & morti æternæ addicit, cum hæc non conveniant morti juſtorum; quæſtioni ſatisfaciet lectio doctiſſimi P. Lorini, qui ex origine Hebr. ſic vertit *Deus mortis oblivionem inducat illis.* Id eſt, cum juſtus Deus irritatus malitiâ alicujus impii, in hac vita pœnas decernit, permittit, ut mortis ſuæ obliviſcatur, ut promittat ſibi multos annos, ut à morte non terreatur neque conturbetur, quid inde? hoc nimirum quod improviſa demũ mors talem aggrediatur, hæc mors eſt ſatelles & exactrix, quæ impium citat & pertrahit ad tribunal Chriſti: hæc eſt mors, quæ conſcientiam impii irritat, inſtigat, neceſſitat ad deſperationem; talis mors angit, vexat, conturbat peccatorem; talis mors eſt deceptrix; hæc deniq; mors condemnat impiũ, ſive in tali morte juſtus judex profert ſententiã condemnationis; quid deniq;? *deſcendunt in infernũ viventes* ait David cit. pſ. & v. Eheu! ſic mortis oblivio eſt flagitiorũ ſeminariũ, malæ

§. 5. In illis moriuntur morte terribili, & ita viventes deſcendunt in infernum.

malæ mortis pignus, inferni viaticum & gehennæ auctoramentum.

§. 8. *Miſeranda mors Goliathi. Cur lapis infixus fronti?*

Talem judico fuiſſe mortem Goliathi; Hic enim, cum prodeunti ad pugnam Davidi obviam procederet, nihil cogitavit de morte, nihil erat, quod illi timorem mortis incuteret, tota externa ſpecies illi vitam & triumphum promittebat, adverſarius erat inermis paſtorculus, in ſola funda confidens, erat ille vir robuſtus, & bellator ab adoleſcentia, aheneis circumdatus armis. Sic miſeri plectuntur à Deo, ne mortem vel à longè odorentur, ſed ſubitò pereant. Certè venit mors ſuper Goliath, I 1. Reg. c. 17. verſ. 49. David *tulit lapidem de pera, & funda jecit, & circumducens percuſſit Philiſtæum in fronte, & infixus eſt lapis in fronte ejus, & cecidit* | ut ictum paſſus eſt, ſtatim cecidit ſine ſenſu mortis; quaſi vivens deſcendit blaſphemus in infernum. D. Baſilius Seleuc. tract. 15. *Plagam caput admittebat, & anima de corpore fugiebat, ſatique celeritate ſenſu mortis caruit.* Verùm cur lapis infixus fuit fronti? quæ manus illum direxit in caput? cur in capite lethalis plaga? ita ſcilicet deceptrix mors impios immemores mortis aggreditur, ut cadant inſtar lapidum, ſine ſenſu mortis, ſine memoria Dei, turbati, anguſtiati, &c. ut quaſi viventes, ſive in puncto, ad infernum deſcendant. Auditores mei, frequenter cogitate mortem, ne talis mors vos quoque obruat improvisò!

§. 9. *Mors impiorum terribilis, plena torſionibus & doloribus ex Iſaia.*

Talis ſcilicet, qualem deſcribit Iſaias cap 13. v. 8. *Cor -- impii in morte -- contabeſcet & conteretur. Torſiones & dolores tenebunt.* Quæ verba ita expendit Divus Aëlredus in alleg Tilm. *Tunc cor hominis contabeſcet, profluente undique ex conſcientiæ latebris ſanie immunditiarum, & vitiorum ſordibus, ex quibus & vermis procreatur, qui non moritur, & accenditur ignis, qui non extinguitur & conteretur, ut ne ſpe veniæ aliquando reſpiret. Et torſiones & dolores tenebunt eos. Anxietatem mentis, quæ imminente jam ex morte, ex flagitiorum recordatione procedit, per torſiones intellige, illam verò quam facinora parturient, per dolores.* Quæ enim tunc facinoroſis anxietas, quorum crudeliſſima tormenta reddentur? quæ flagitioſis tunc triſtitia? &c. Cogitate itaq; Auditores, an non benè quemvis ex nobis monuerit Seneca: *Tu autem, ut talem mortem*

non

Digitized by Google

non timeas, ſemper cogita, quomodo ad mortem beatam te diſponas, ne timeas, &c.

Idem monitum, ſed aliis verbis nobis proponit S. Cyprian. ep. 56. *Cum mortalem mori, neceſſe ſit, amplectamur occaſionem de divina promiſſione & dignatione venientem, & fungamur exitu mortis, cum præmio immortalitatis.* Ita ego intelligo D. Cyprian. quotidie nos oportet eſſe ſollicitos de morte, quæ nobis erit oſtium ad cœlum, de morte, in qua non habeamus, cur multum timeamus. Non habebimus autem *in morte, quod metuamus*, [ait S. Ambroſ. de bono mortis cap. 8.] *ſi nihil quod timendum eſt, vita noſtra commiſit*, juxta illud Proverb. c. 14. v. 31. *Sperat autem juſtus in morte ſua* Syrus ſic vertit: *Qui confidit, ſe peccatis carere, juſtus eſt.* Ecce quid ſit, fungi exitu mortis cum præmio immortalitatis; *Carere peccatis.* Viro juſto, ſancto, carenti peccato mortali, cogitanti ſe moriturum, imò ſæpè anhelanti ad mortem, nulla mors eſt improviſa, quandocunque venerit, aperiet illi oſtium ad beatam æternitatem. Et talem mortem quis timeat? ſuper verba S. Pauli ad Philip. c. 1. v. 21. & 23. *Mihi enim vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum - - - - Coarctor autem à duobus, deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.* Super hæc, inquam, verba eloquenter dixit S. Cyprianus l. de mortal. *Ejus eſt mortem timere, qui ad Chriſtum nolit ire* (qui Chriſti D. eſt hoſtis, &c.) *amplectamur diem, qui nos iſthinc ereptos, & laqueis ſæcularibus exolutos Paradiſo reſtituit*, quis ad patriam redire non anhelat, &c. Itaque caveamus peccata, amemus Chriſtum, & non eſt cur mortem timeamus.

§. 8. Ideo ſolliciti eſſe debemus, ut benè moriamur, ſive ut nos praparemus ad S. mortem, qualis mors non eſt timenda.

Breviter iterum, ſed ad rem meam Seneca ep. 77. in fine: *Quomodo fabula, ſic vita, non quamdiu, ſed quam bene acta ſit, refert. Nihil ad rem pertinet, quo loco deſinas, quocunque voles deſine, tantùm bonam clauſulam impone.* Bonam clauſulam v. g. impoſuit piiſſimus P. Coſterus, qui in agone rogatus, num timeret mori, reſpondit: *O quanta conſolatio eſt mori! ita vixi, ut me vixiſſe non pudeat, mori autem non timeo, quia bonum Dominum habeo.* Fabulæ vel vitæ ſuæ bonam clauſulam imponit, qui cum S. Paulo 1. ad Timoth. cap. 4. v. 7. dicere poteſt: *Bonam certamen certavi,* (me-

§. 9. Quid ſit, fabulæ hujus vitæ (ut Seneca loquitur) bonam clauſulam imponere.

mor me moriturum] *curſum conſummavi, de reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ.* Rem miram narrat Plutarchus de claris mulieribus, de morte Polycritæ, generoſiſſimæ heroinæ. Patriam hoſtes potentiſſimi obſederant, ob imminens urbi exitium, rogârunt illam incolæ, ut ex urbe in caſtra hoſtium exiret, ad tractandam cum illis pacem. Fecit, & ob admirabilem pulchritudinem, ſuaviſſimamq; eloquentiam tam feliciter rem compoſuit, ut mox cum ramo Olivæ in ſignum pacis redierit in urbem; ergo occurrit illi tota civitas obviam, effuſa cum ingenti plauſu, alii ſparſere roſas, alii coronas, omnes lætiſſimis illi applauſere vocibus: *Vivat liberatrix patriæ.* At ecce tantâ propterea Polycrita geſtiit lætitiâ, tanto obruta fuit gaudio, ut inter portas momento expirarit. Sic moritur juſtus, qui memor mortis, dudum ante ad illam fortiter excipiendam ſe præparavit, qui certavit, qui cucurrit. Venit tandem mundi, carnis, diaboli victor ad portas mortis, ad oſtium æternitatis, occurrunt Angeli, ſpargunt flores, oſtendunt coronas, occurrit Chriſtus Rex gloriæ, procedit obviam cœli Regina, & cur talis non libenter moriatur Mori libenter, eſt fabulæ bonam clauſulam imponere. Et vos Auditores, ſi malè non agitis, ſi perſonam quiſque ſuam in magno mundi hujus theatro cum dignitate ſuſtineat, ſi quæ dicenda ſunt, dicat & benè dicat, ſi vultu, ore, oculis, manibus, pedibus, totaque corporis conformatione talem ſe exhibeat, ut qui ſpectatores ſunt, Deus & Angeli lætentur, atq; etiam applaudant, quid mori pertimeſcitis? *Mors* [inquit Tullius] *eſt portus malorum, perfugium ærumnoſæ vitæ, effugium miſeriarum, genitrix quetis;* quid timetis mortem? S. Aug. *Mors eſt relictio corporis, depoſitio gravis ſarcinæ.* Quid timetis mortem? cum Gorgias Leontinus Ethnicus auſus fuerit dicere, cùm rogaretur, num libenter moreretur; *Ex putri & defluente domuncula, non invitus diſcedo.* Quid timetis mortem? cùm mors ex oraculo Apollonis Delphici ſit *rerum omnium beatiſſima.* Cum S. Joan. in Apoc. c. 14. v. 13. dicat: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Et Regius Pſaltes Pſ. 115. v. 15. *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus.*

§. 10. *Vt ita moriamur.* Verùm, ne mortem timeas, ſive, ut ita moriaris, mortem ſemper cogita, ſive, ut Horatius ait l. 1. ep. 4. *Omnem crede diem tibi*

illuxiſſe

illuxiſſe ſupremum; Sic cogita, cum evigilas, ſic cogita, cum te veſtibus induis, ſic cogita, cum ad laborem te accingis, ſic cogita, cum in literarum ſtudia incumbis; quid ſi eſſet hic meus ultimus labor? quid ſi? quis ſcit? fortaſſis non ſurgam amplius, niſi cum reſurrectio erit generalis? quis ſcit? fortaſſis ſub his meis ſtudiis, hac ipſa hora pulſabit pallida mors fores meas? quis ſcit? qui jam ſolem video orientem, occidentem fortaſſis ſpectare non potero. Sic ſapiens ille dixit: *Vivo ut moriturus*, id eſt, oro, ut moriturus, ſtudeo, ut moriturus, jam de hac cathedra dico hanc concionem, ut moriturus, &c. Hoc eſt, quod S. Laur. Juſtinian. dixit de vita ſolit. c. 9. *Sancti omne vitæ ſuæ tempus prudentiſſimè dedicarunt Deo, ac ſi eſſent ſingulis horis morituri.* Hæc fuit aurea doctrina Angelici Doctoris opuſcul. 62. de div. mor. *Diligentiam apponere debemus, ut ſingula opera noſtra, quantum unquam poſſumus, melius faciamus - quaſi nunquam ad id opus reverſuri, neque aliud poſtmodum facturi*; Idem ſuaſit S. Bernardus: *In omnibus cogitationibus, locutionibus, ſive actis tuis dic tibi: Itane ageres, ſi hanc ſcires pro certo noviſſimam horam?* Cum B. Maria Magdalena de Pazzis documentum aliquod petiiſſet à cœleſti ſponſo ſuo, hic reſpondit: *Imaginare omnia opera, & verba tua fore ultima.* Talia cogitare fuit ſolitus S. Ignatius, cùm enim audiret aliquem dicentem, ſe poſt tres menſes hoc facturum, exclamavit: *Bone Jeſu! quod verbum tibi excidit! tune tantum vitæ tibi polliceris, qui ne de craſtino ſecurus es? Fac ergò mi Lucili*, [ait Seneca] *quod facere te ſcribis, omnes horas complectere, ſic fiet, ut minus ex craſtino pendeas, ſi hodierno manum injeceris.* In manu noſtra eſt, ut mortem non timeamus, in manu noſtra eſt, ut moriamur beati, ut fabulæ vitæ noſtræ bonam imponamus clauſulam, ſi nimirum frequentiſſimè cogitemus nos morituros. Horum mors neceſſariò eſt pretioſa.

quotidie cogitare debemus nos morituros.

Piiſſima eſt quæſtio, quis dici poſſit, optimè diſpoſitus ad ſanctam mortem; ſive in qua occupatione deſiderare quis debeat mori. Jam audio variorum reſponſa: quidam dicet, cuperem mori in actuali ſumptione SS. Euchar. alius, in exercitio excellentiſſimarum virtutum, &c. reſpondebo ego, cum vobis narravero di-

§. II. Quinam dicendi ſint optimè diſpoſiti ad mortem.

ctum aliquod religioſiſſimi viri, P. Vincentii Caraffæ, præpoſiti Generalis Societ. Jeſu. Is cum à prandio laxaret animum, urgeretque quiſpiam, quid tandem acturus eſſet, ſi extemplò illi moriendum foret. *Ego verò* [ingenuè & aſſeveranter dixit] *non aliud agerem, quàm quod in præſentia ago*, id eſt, *animo relaxando vacarem*; *non*, inquam, *aliud, quàm hoc ipſum agerem.* Jam ex me quærite, quis ſit bene diſpoſitus ad mortem, reſpondeo, qui quod agit, bene agit, juxta ſanctiſſimam ejus voluntatem, quidquid illud ſit. Quærite, in quo opere mori deſiderem, reſpondeo in illo, quod placet Deo. Sed mori in ſomno? beata mors! mori ſub animi relaxatione? ſi Deo id placet, beata mors! in ſtudiis literarum? beata mors! in labore manuum? beata mors! in cantu? beata mors! in prandio vel cœna? beata mors! Nimirum mortem reddit beatam non locus aut occupatio, ſed bona, quam in omnibus præſtare oportet, intentio, & Dei amor, qui nullo loco vel etiam negotio certo affixus eſt. Non refert, quid agentem te mors inveniat, hoc age, ut bene & cum virtute Deique amore agentem, quidcunque demum ſit illud, deprehendat.

§. 12. *Projectio.* Quæſtioni paulò ante propoſitæ, quis benè diſpoſitus ſit ad moriendum, variis aliis modis reſponderi poteſt, v. g. ex Seneca ep. 26. *Vna eſt catena, quæ nos alligatos tenet, amor vitæ, qui ut non eſt abjiciendus, ita minuendus eſt, ut ſi quando res exiget, nihil nos detineat nec impediat, quo minus parati ſimus, quod quandoque faciendum ſit, ſtatim facere.* S. Ambroſius lib. de fide reſur. dixit: *In quibusdam eſt quotidianus uſus, affectusque moriendi.* Talis fuit S. Greg. Nazian. ſub perſonâ Baſilii modeſtum Præfectum, mortem illi minitantem, ſic fuit allocutus: *Mors porro beneficii mihi loco erit, citius enim me ad Deum transmittet, cui vivo, & munere meo fungor, maximaque ex parte mortem obii, & ad quam jam pridem propero.* Quid elegantius?

§. 13. *Epilogus.* Sed monet me clepſydra, ut finiam. Hoc ergo vos adhuc moneo. Licet à me dicta ſint veriſſima & certiſſima, certiſſima tamen quoque ſunt verba S. Ambroſii in Pſ. 37. *Licet læta ſit conſcientia; tamen* [mori eſt] *pugna lachrymabilis.* Laudabiliter proinde faciunt, qui diligentiam adhibent, ut tempeſtivè ad il-

lam

Digitized by Google

lam pugnam ſe præparent. Optimum modum nobis inſinuavit Dominus Deus, cum Deuteronomii cap. 32. v. 49. dixit ad Moyſen: *Aſcende in montem, & morere in monte*; Per hunc montem ego intelligo montem Calvariæ, in quo Chriſtus Jeſus affixus cruci mortuus eſt. Hoc agite mei Auditores, & præcipuè Sodales Chriſti D. in cruce agonizantis, huc aſcendite, hîc vos exercete, hîc mori beatum! in monte ſalvam te fac anima Chriſtiana. Hunc montem, dum vivus & ſanus es, frequenter conſcende, & irretortos in Jeſum tuos oculos defige. Sic mori diſces, & mori beatè, & ſic feliciter ad Chriſtum Jeſum, qui eſt vita & reſurrectio, Joan. 11. v. 25. pervenies.

CONCIO XLV.

DOMINICA XVII. POST SS. TRINITATEM.

Hydropicus erat ante illum,

Lucæ 14. verſ. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Agit contra avaros.

§. 1. *Exordium & propoſitio.*

§. 2. *Avaritia eſt præcipitium in varia ſcelera.*

§. 3. *Avaritia eſt ardens fornax, in qua inſtrumenta Paſſionis Chriſti denuo efformantur.*

§. 4. *Avari plerumque in vitiis ſunt obſtinati.*

§. 5. *Duri, immites erga pauperes; latrones, vultures, homicidæ.*

§. 6. *Fratres Joſephi, quàm crudeles erga Joſephum: ex avaritia.*

§. 7. *Et Judas contra Chriſtum Dominum.*
§. 8. *Avaritia, dipſas; infernus, ſanguiſuga.*
§. 9. *Avari vivunt in ſtatu periculoſo.*
§. 10. *Proſecutio.*
§. 11. *Acerrima mina contra avaros.*
§. 12. *Mina Chriſti Salvatoris.*
§. 13. *Alia.*
§. 14. *Proſecutio.*
§. 15. *Miſerabilis avarorum mors.*

§. 1. *Exordium & Propoſitio.*

QVia SS. Patres & interpretes S. Scripturæ, prout ſæpius ſine dubio audiviſtis, per hydropem, fœtidum illum & permoleſtum morbum intelligunt turpe vitium, quod inter ſeptem capitalia alterum occupat locum, avaritiam, atque ob alias, quarum alibi memini rationes, hanc adverſus hoc ſcelus adornare Concionem decrevi. Plura præfari non ſinit materiæ, quam aggredior, prolixa ubertas: præmoneo tamen, duobus me velle punctis potiſſimum inſiſtere. Primum eſt, ut ex S. literis juxta ac Patribus oſtendam, quàm plerumque inſatiabiles, quàm impii, quàm crudeles ſint divites avari. Alterum, quàm periculoſus ſit ille vitæ ſtatus, in quem ſeſe imprudenter conjiciunt. Quod dum auſpicor, vos auribus tantiſper animiſque benevolis adeſte.

§. 2. *Avaritia eſt præcipitium in varia ſcelera.*

Hydropem avaritiæ per pulchra ſimilia deſcripſit S. Chryſ. *Veſana divitiarum cupiditas* [hydrops animæ] *eſt morbus inſanabilis* [veluti hydrops] *fornax, quæ nunquam extinguitur* [veluti hydrops corporis] - - *beſtia incicurabilis; præcipitium undequaque præruptum in omnia ſcelera, ſcopulus aſſiduus plenus fluctibus, mare innumeris ventis agitatum?* inquietum vitium eſt avaritia, ſicut hydrops inquietum reddit hominem: hoc præcipuè advertite, quod ſit *præcipitium in omnia ſcelera;* fundamentum habeo in ſacris literis; nam 1. ad Timotheum cap. 6. verſ. 9. ait ſanctus Paulus: *Qui volunt divites fieri* [& quinam ſunt in mundo, qui hoc non cupiant? perpauci profectò] *incidunt in tentationem & laqueum diaboli, & deſideria multa nociva & inutilia.* Revocate quæſo in mentem, hydrope laborantem; prô quot, & quàm miris quamq;

quamq; importunis ſimul laborat deſideriis? quid non deſiderat, quèm livorem non ſentit? profectò ſunt hydropici hominis deſideria multa & inutilia, imò & noxia & lethifera. Talis veſter eſt hydrops avari divites, deſideratis juſta injuſta, licita illicita, fanda nefanda. Pergit gentium Doctor: *quæ mergunt hominem in interitum & perditionem, radix enim omnium malorum eſt cupiditas.* Hydrops corporis, eſt cauſa mortis corporis, hydrops cauſa mortis animæ, ſive, Avaritia eſt vitium lethale.

Abſurdiſſimam hydropem animæ, ſive avaritiam eleganter deſcribit S. Bern. *Ipſa, eſt fornax, in qua omnia IESV Chriſti opprobria, ſputa, clavi, lancea, flagella, ſpinæ, crux, mors, ac cætera Paſſionis Chriſti efformantur.* Dicine poteſt quicquam ad terrorem horroremque vehementius? Nam ſi avaritia, teſte Doctore mellifluo, parat Chriſto opprobria; ſi ſputa colligit, ſi clavos acuit, ſi lanceam vibrat, ſi torquet flagella, ſi ſpinas infigit, ſi crucem erigit, ſi mortem machinatur, annon tanquam horrendum planè ſcelus eſt execranda? annon hoc terribile ſatis quod avari ſint hydropici, qui per gravia ſcelera, quibus deditiſunt, renovant paſſionem Chriſti? nec impii tantùm ſunt, ſed obſtinati. *§. 3. Avaritia eſt ardens fornax, in qua inſtrumenta Paſſionis Chriſti denuò efformantur.*

Qui ex Indiis redeunt, præcipuè ex Peruvia, referunt montes auri argentique feraces, cætera eſſe planè ſteriles; nullas in illis creſcere arbores, nullas plantas, nullos flores, &c. ſed eſſe ſpinis & ſaxis horridos. Latet aurum ſub ſpinis; Quàm pulchrè hic natura exprimit duas avari hominis proprietates! 1. plenus eſt ſpinis. 2. plenus lapidibus. Latet aurum ſub ſpinis & ſaxis. Latet aurum, at non illud, quod paſſim charitatis divinæ eſt ſymbolum, ſed quod omnium eſt ſcelerum inſtrumentum. Latet aurum, at vitia non latent, ſed patent. Non latent ſpinæ, non ſaxa. Latet aurum: non latet furor, non injuſtitia, non crudelitas. Latet aurum: patet vitium. Vis montem illum inſpicere? cor avari conſidera; quid videbis? ſpinas & tribulos. Quid videbis ſaxa & lapides. Quid videbis, dura omnia & acuta. *§. 4. Avari plerumq; in vitiis ſunt obſtinati.*

Chriſtus

Digitized by Google

§. 5. *Duri immites erga pauperes; ſunt latrones, vultures, &c.*

Chriſtus D. vocat illos latrones, Marci 11. verſ. 17. *Feciſtis domum meam ſpeluncam latronum.* Sancti Patres appellant *vultures,* qui cadaverum carne & ſanguine veſcuntur. Contra talem vulturem clamat Jeremias cap. 2. v. 34. *In alis tuis inventus eſt ſanguis animarum pauperum & innocentum.* Verſio Hebræa ſic habet: *In veſte tua pretioſa.* Alia verſio ſic poſſet legere: *In cella tua.* Alia: *In ciſtis tuis vel in burſa tua.* Alia: *In menſa & in conviviis tuis.* Hoc eſt, quod D. Ambroſius advertit de epulone, cum diceret: *Ipſius menſa multorum pauperum conſtabat ſanguine, & ipſius pocula multorum, quos ad laqueum coegerat, rubebant cruore.* Hunc ſanguinem præ oculis habuit Eccleſiaſticus, cum dixit c. 34. v. 25. *Panis egentium vita pauperum eſt, qui defraudat illum, homo ſanguinis eſt, qui effundit ſanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres ſunt.* Quàm crudeles, ſævi, barbari! absque miſericordia & pietate ſint divites avari, innuunt verba ejusdem Eccleſiaſtici ſive Spir. S. cap. 34. v. 24. *Qui offert ſacrificium ex ſubſtantia pauperum,* [vel qui vivit ex ſubſtantia pauperum, qui opprimit viduas & pupillas, &c.] *quaſi qui victimat filium in conſpectu Patris.* Innuunt hæc verba pauperes viduas, pupillos eſſe filios Patris æterni, ideo Chriſtus D. filius Dei illos vocavit *fratres*; hos fratres Chriſti, filios Patris ſpoliare, opprimere, auferre illa, à quibus vita & ſuſtentatio illorum dependet; quid eſt aliud, quàm illos ſanguine vitaque exuere, & tales, qui ſemel ſanguinem pauperum deguſtarunt, plerumque ſunt inſatiabiles; ſicut hydropici: *Quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.*

§. 6. *Fratres Joſephi quàm crudeles erga Joſephum ex avaritia.*

Hinc ſcelus hoc cognatos ſanguineque conjunctos animos disjungit, & in mutua odia furoresque præcipitat? Cujus rei inſigne ſuppetit ſacris in literis argumentum, Geneſ. 37. v. 19. innocens animula Joſeph, de patris ſui mandato foras prodiit in deſertum ad quærendos fratres, ciboſque iisdem conferendos; At ecce Joſephi fratres, viſo eminus Joſepho, mox invidiâ inflammati, vindictæ cogitationes ſuſcipiunt: *Ecce ſomniator venit, venite, occidamus eum. Quod ſi pater illum requiſierit, dicemus, fera peſſima devoravit eum.* Hoc odio imbuti, rem ipſam aggrediuntur, Joſephum illum ſuum innocentem, illum ſuum dulcem, illum

ſuum

ſuum amabilem fratrem Joſephum comprehendunt; non jam fratres, ſed latrones! alius illum brachio dextro, alius ſiniſtro attinet; tertius collum ſtringit, non oſculi ſed odii gratia; quartus involat in crines; alius fuſtem quærit, forte alius cultrum, quo jugulum petat innocentis. Alii alios incitant ad verbera, ad necem, ad furoris complementum. Heu triſte fatum Joſephi! Ergo ex omnibus nemo unus eſt, cujus viſcera fraternus ſanguis ad clementiam commoveat? Ergo omnes ſunt latrones, imo leones & tigrides? nullus qui afflicto opem ferat? nullus qui vel verbulo defendat innocentem? omnino nullus eſt, qui hoc facit. Et ecce jam Ruben prodit; Rubeni viſcera fraterna commovit pietas. *Non interficiatis*, inquit, *animam ejus, nec effundatis ſanguinem.* Alius ſuppetit vindictæ modus; non eſt confeſtim ad extrema deſcendendum ſupplicia: me audite: *Projicite eum in ciſternam hanc, manusque veſtras ſervate innoxias.* Hoc autem dicebat, volens eum eripere de manibus eorum, & reddere patri ſuo. Joſephus ergò damnatur ad foveam, brevi liberandus, niſi avaritia obſtitiſſet. Nam adſunt interim mercatores Ægyptii, his venditur Joſeph. O iterum iterumque execrabilis avaritia! Hæc nimirum illius eſt perverſitas, ut quam ſemel occupavit mentem, duram atque immitem, imò & ferocem & crudelem efficiat. Audite Petrum Chryſologum hâc ipsâ de re ſer. 29. præclarè ſic diſſerentem. *Sic* [inquit] *avaritia cæcavit mentes, ſic quod in eis fuerat humani ſenſus ferinam in rabiem commutavit, ut non offenſam Dei, non ſancti Patris dolorem, non proprii ſanguinis ſenſum meminiſſe permiſerit. Intuere quid auro gravius, quod cum mores hominum perdit, perdit & naturam.*

Fuit figura Chriſti Joſephus venditus, neque enim ignoramus venditum à Juda Salvatorem. Et quis ille Judas! Judas, quem elegerat in Apoſtolum Chriſtus; Judas, in quem tot contulit beneficia; Judas, quocum toties benevolentiſſimè converſatus; Judas, quocum cibum potumque non rarò ſumpſerat; Judas, cujus paulo ante, hoc eſt, in ultima cœna pedes laverat; Judas, quem pretioſo ſuo corpore ſanguineque refecerat; hic inquam Judas prodidit, hic vendidit, tradiditque Salvato-

§. 7. Et Judas erga Chriſtum D.

vatorem. Execrande Juda! ſcelerate trifurcifer! audiamus, quid de te Chryſ. hom. 84. in Matth. ſcribat aureo ſuo calamo: *Omnipotentia*, inquit, *humilitatis, lenitatisque Domini, tot tantaque habens argumenta; Iudas omnem feram belluam crudelitate ſuperavit.* Sed cur? cauſam allegat Chryſoſtomus: *Avaritia enim tunc illi furorem immiſit, avaritia omnes, qui ei ſerviunt, crudeles efficit atque atroces.* Sic eſt, ut enunciat os aureum. Quocirca non miror ego, hodiedum avaros divites tam eſſe duros, tam immiſericordes in pauperes; Judam æmulantur fratres Joſephi. Avaro nihil ſceleſtius. Omnes qui ei ſerviunt, crudeles reddit atque atroces avaritia. Imò & tyrannos reddit & beſtias; leo eſt, leones gignit; furia eſt, furias efficit. Hinc eſt, quod SS. PP. plerumq; tam graphicè depingant avaros. Iſidorus Peluſiota hom. 233. ſic oculos deſcribit: *Oculos habet, non ut natura conſentaneum eſt, cernentes aut quenquam verentes, non amicum, non fratrem, non benefactorem, verùm aſperum quoddam & acre atque crudele & inhumanum igneumque obtuentes.* Sic eſt, inſpicite oculos avari, & annon ex vero illos deſcripſerit Iſidorus, decernite. At quales illorum aures? attendite. *Aures habent uſque adeò ſeptas & obduratas, ut nec ſupplices preces, nec gemitus, nec fletus, nec vituperationes audiunt. Clamant in plateis pauperes? aures habent avari, & non audient.* Invocant miſeri divitum opem? rogant eleemoſynam? per amorem Chriſti Domini & beatæ Virginis fruſtum panis ſollicitant? non audiuntur. Septas habet aures & obduratas avarus. Fallor, non eſt qui clamat in plateis mendicus homo; Eſt ipſe Chriſtus: fruſtra, non auditur. Gemunt pauperes in noſodochiis: non audiuntur. Jacent captivi in carceribus: non audiuntur. Clamant viduæ in domunculis; non audiuntur.

§. 8. Avaritia, dipſas, infernus, ſanguiſuga.

Avarus eſt inſatiabilis: ob quam cauſam S. Ambroſius illum comparat aſpidi, qui dicitur dipſas; cujus venenum hominem, quem mordet, adeo accendit, ut bibendo ſatiare ſe non poſſit. Hinc miles quidam ſub Catone à tali ſerpente læſus, inſiliit in mare, tantumque aquæ hauſit, ut rupta illi ſint præcordia.

Talis

Talis dipſas eſt avaritia! Sanctus Auguſtinus ait lib. de ſalut. docum. cap. 50. *Avarus vir inferno eſt ſimilis; quantoscunque devoraverit, nunquam dicet, ſatis eſt. Sic etſi omnes theſauri in avarum confluxerint, nunquam ſatiabitur.* Spiritus ſanctus Proverb. cap. 30. verſ. 15. vocat ſanguiſugas, ſemper dicentes: *Affer*! hæc eſt avarorum cantilena, plus auri! plus argenti, &c.

Dixi, me altera parte dicturum, quod ſicut hydropici corpore in perquam miſero ſtatu, & periculo mortis temporalis verſentur; ita hydropici animâ, ſive avari in miſerabili pariter ſtatu, & periculo mortis æternæ ſint conſtituti. Melius probare non poſſum, quàm ex ſacris literis, & præcipuè ex minis, quas divitibus avaris in Vetori & Novo Teſtamento intentatas comperio. Cap. 5. conqueritur Iſaias de gravibus peccatoribus in populo Iſraël, & verſ 8. ait: *Væ, qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis - per injuſtitiam, per fraudes, per rapinas, per oppreſſiones pauperum, per perjuria, per uſuras, &c.* [omnia hæc ſcelera in ſe continet avaritia, ſive hydrops animæ] poſtquam Spiritus ſanctus alia gravia adhuc ſcelera deſcripſit, ait verſu 24. *Propter hoc ſicut devorat ſtipulam lingua ignis, & calor flammæ exurit, ſic radix eorum quaſi favilla erit - abjecerunt legem Domini - ideo iratus eſt furor Domini in populum ſuum, & extendit manum ſuam ſuper eum, & percuſſit eum. In his omnibus non eſt averſus furor ejus, ſed adhuc manus ejus extenta, - ſagittæ ejus acutæ - &c.* Sagittæ, quibus avarus pupugit pauperes NN. fuerunt acutæ. Meritò ſagittæ DEI ſunt acutæ in avarum, nam & ſagittæ avari fuerunt acutæ in pauperem! an non acutæ ſagittæ, quæ ipſa pauperum corda torvo vultu, iracundis oculis, verbis acerbis penetrarunt? Acuit Divina Juſtitia ſuas ſagittas: quemadmodum divitum inclementia ſuam acuit parcitatem.

§. 9. *Avari vivunt in ſtatu periculoſo.*

Capite 13. verſu 22. ait Propheta Ezechiel: *Uſuram & ſuperabundantiam accepiſti, & avarè proximos tuos calumniabaris, meique oblita es, ait Dominus DEVS.* - Subdit ſtatim: *Ecce*

§. 10. *Proſecutio.*

compleſi manus meas ſuper avaritiam tuam, quam feciſti. Complodere manus, eſt exhibere ſignum animi præ gaudio exultanris; complodere manus, eſt gratulari ſibi de proſpera fortuna. Sic faciet illa die Judex ſupremus, complodet manus, cum viderit divitum ruinam; complodet manus, hoc eſt, gaudebit de vindicta, quam ab avaris repoſcet; complodet manus, nam & ipſi divites ſuas prius manus comploſerunt videntes pauperes, eorumque inopiam contemptui habentes. Apparebit tunc gemitus pauperum NNN. penetrâſſe nubes, prout addit S. Chryſoſt. in Pſ. 11. n. 6. *Magna eſt vis ejulatus, qui ſupernum evocat auxilium: timete quicunque pauperes injuriâ afficitis, habetis potentiam, opes & pecuniam, & judicum benevolentiam: ſed ſunt illi arma omnium validiſſima: luctus & ejulatus, & illud ipſum injuria affici, qui è cœlis auxilium attrahunt. Hæc arma domos effodiunt, hæc fundamenta evertunt, hæc integras gentes ſubmergunt, bonum earum animarum Dei reveretur, quando mala patientes nullum verbum proferunt, ſolùm autem gemunt, & ſua mala deplorant.* p. locus.

§. II. *Acerrimæ minæ contra avaros ex Pſalmis.*

Prolixior juſtò forem, ſi omnes Prophetarum minas allegare contenderem, ſi citare minas ex V. T. audite breviter aliquas ex Pſ. 108. Agit hic Pſalmus contra hydropicos ſive avaros. Hoc imprecatur illis David v. 6. horrete divites! *Diabolus ſtet à dexteris ejus.* verſ. 7. *Cum judicatur, exeat condemnatus.* verſ. 8. *Fiant dies ejus pauci.* verſ. 9. *Fiant filii ejus orphani, mendicent, ejiciantur de habitationibus ſuis.* verſ. 12. *Nec ſit, qui miſereatur pupillis ejus.* O quàm pulchrè ludet divina providentia! & ſupra quos hæ minæ? ſubdit David verſ. 16. *Pro eo, quod non eſt recordatus facere miſericordiam. Perſecutus eſt hominem inopem & mendicum.* Ite nunc divites avari, ite hydropici; & dum itis, hæc quæſo perpendite: colligere divitias, eſt jam propè colligere pœnas; dum colligitur aurum, colligitur & ſupplicium. Pecunia & vindicta haud ita multis inter ſe paſſibus diſtant. Quocirca ego meritò dixerim, vale maledictum aurum! tu mihi in ultimo agone non aſſiſtes, ſed aſſiſtet Jeſus! vale aurum; tu homini conſtituis à dextera non bonum Angelum, ſed furuum cacodæmonem: Vale

aurum

aurum, tu mihi non impetras gratiam Dei, ſed pœnam, ſed vindictam, ſed miſeriam. Vale aurum; tu mihi dies vitæ non multiplicas, ſed reſecas. Valete divitiæ; in divitiis & vitiis magna eſt non tantùm nominum, ſed & ſcelerum cognatio.

Sed hem diu nimis inſiſto V. T. venio ad Novum; ex illo jure merito citare debeo ante omnia verba æternæ Veritatis, hoc eſt Chriſti Salvatoris, quæ ſi divites, ſi hydropici animâ velint audire, tinnient illis aures; Intelligite quæſo, annon ſit periculoſa hydropicorum conditio? ſic ait Salvator Marci c. 10. v. 24. *Quàm difficile eſt confidentes in pecuniis in regnum Dei intrare, facilius eſt, camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem in regnum Dei.* Non hic diſputo, quale & quantum ſit illud animal camelus? vidiſtis ſive in pictura, ſive in ipſa etiam natura monſtroſam hujus belluæ vaſtitatem; vidiſtis tumentem in tergo gibbum! vidiſtis pedes benè craſſos & vaſtos! Econtra, quanta ſit foraminis, quod acus in caput præſefert, parvitas, adeo, ut oculos etiam perſpicaces manusque ſubtiles non raro fallat? Nihilominus Chriſtus Dominus Salvator noſter ait: *Facilius eſt, &c.* Audite ô divites avari, audite & contremiſcite! Facilius eſt, camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem in regnum Dei. Ite hydropici, conſiderate, annon ſitis in ſtatu periculoſo; conſiderate benè verba Chriſti. §. 12. *Min. Chriſti Salvatoris.*

Ex Novo Teſtamento non poſſum omittere præcipuos Apoſtolos. Actorum capite 8. verſu 20. ait ſanctus Petrus: *Pecunia tua ſit tecum in perditionem.* Tua vinea, quam injuſtè poſſides in perditionem, tuæ domus, tuæ veſtes; tua aurea pocula, tuæ pecuniæ, verbo, quidquid poſſediſti & poſſides, in perditionem ſit, hoc eſt, in ruinam, in exitium, in interitum, in perniciem ſempiternam! Sanctum Paulum ad Epheſeos capite 5. verſu 5. *Hoc ſcitote intelligentes, quod omnis avarus, quod eſt idolorum ſervitus, non habeat hæreditatem in regno Dei.* §. 13. *Alia.*

Terribilia ſunt verba ſancti Petri, terribilia verba ſancti Pauli, æquè terribilia ſunt verba ſancti Jacobi capite 5. verſu 1. §. 14. *Proſecutio.*

Digitized by Google

Agite nunc divites, plorate, ululantes in miſeriis veſtris, quæ advenient vobis. Divitiæ veſtræ putrefactæ ſunt, veſtimenta veſtra à tineis commeſta ſunt. Aurum & argentum veſtrum æruginavit. Hæc ſunt temporalia, quod ſequitur, durius ac magis terribile eſt. *Theſaurizaſtis vobis iram in noviſſimis diebus* [in agone] [coram Judice] [in introitu æternitatis] [in æternum!]

§. 15. *Miſerabilis avarorum mors.* Expertus fuit agonizans, cujus hæ ſupremæ fuerunt voces: *O quantum laboravi, ut theſaurizarem, & alii meis fruentur theſauris!* O divitiæ! ô pecuniæ! ô gemmæ! & jocalia mea, quis vos poſſidebit, & quibus vos relinquam. Sed ô miſer, cui relinques animam tuam? ſed quid in his me fatigo? hydropici, avari, [advertite novam comparationem] non facilè convertuntur. Lucæ 16. verſu 14. Chriſtus D. acerrimè invehitur in avaritiam; audiebant hæc omnia Phariſæi, qui erant avari, & deridebant eum, &c. Divus Baſilius, Divus Ambroſius, dicit avarus: *Pulcher ſermo, ſed pulchrius aurum.* Sic eſt, tales ſunt, ſed ſanctus Auguſtinus ſermone de verbo Domini: *Quæ eſt illa - inſania, acquirere aurum, & perdere cœlum, &c.* Interim videmus quotidie hæc fieri, & impleri verba Hugonis Victorini: *Superbia diabolo claudit cœlum, gula primo parenti abſtulit paradiſum, avaritia diviti aperuit infernum.* [& hodie aperit innumeris, &c.] DEUS ter Optimus Maximus nos liberet ab hac hydrope, quæ cauſa eſt mortis æternæ.

CON-

CONCIO XLVI.

DOMINICA XVIII. POST SS. TRINITATEM.

Quid vobis videtur de Chriſto,

Matth. 22. v. 42.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Exponuntnr varia & eximia elogia Chriſti Salvatoris.

§. 1. *Rejiciuntur blaſphemiæ contra Chriſtum D.*

§. 2. *Chriſtus D. eſt Salvator noſter.*

§. 3. *Probatur hic titulus ex S. Paulo.*

§. 4. *Ex c. 6. Danielis, & iterum ex S. Paulo.*

§. 5. *Ex Iſaia, S. Paulo, S. Bernardo.*

§. 6. *Redemptor & Salvator noſter eſt ſanctus.*

§. 7. *Pulchra figura ex V. Teſt.*

§. 8. *Eſt ſanctus modo perfectiſſimo.*

§. 9. *Teſtimonia ſive elogia ſanctorum Patrum, quibus propoſitæ quæſtioni reſpondere poſſumus.*

§. 10. *Epilogus.*

QVæſtionem hanc hæreticis proponere non auſim, niſi horrendas contra Chriſtum velimus audire blaſphemias. Cerinthus, Ebion, Paulus Samoſetanus Epiſcopus & alii docuerunt, Chriſtum eſſe purum hominem, natum ex S. Joſepho & B. Virg. ſicut alii homines naſcuntur, ideoq; non eſſe Deum. Arrius dixit, filium Dei eſſe puram creaturam, nec

§. 1. *Rejiciuntur blaſphemiæ contra Chriſtum Dominum.*

Digitized by Google

ctum aliquod religioſiſſimi viri, P. Vincentii Caraffæ, præpoſiti Generalis Societ. Jeſu. Is cum à prandio laxaret animum, urgeretque quiſpiam, quid tandem acturus eſſet, ſi extemplò illi moriendum foret. *Ego verò* [ingenuè & aſſeveranter dixit] *non aliud agerem, quàm quod in præſentia ago*, id eſt, *animo relaxando vacarem*; *non*, inquam, *aliud, quàm hoc ipſum agerem.* Jam ex me quærite, quis ſit bene diſpoſitus ad mortem, reſpondeo, qui quod agit, bene agit, juxta ſanctiſſimam ejus voluntatem, quidquid illud ſit. Quærite, in quo opere mori deſiderem, reſpondeo in illo, quod placet Deo. Sed mori in ſomno? beata mors! mori ſub animi relaxatione? ſi Deo id placet, beata mors! in ſtudiis literarum? beata mors! in labore manuum? beata mors! in cantu? beata mors! in prandio vel cœna? beata mors! Nimirum mortem reddit beatam non locus aut occupatio, ſed bona, quam in omnibus præſtare oportet, intentio, & Dei amor, qui nullo loco vel etiam negotio certo affixus eſt. Non refert, quid agentem te mors inveniat, hoc age, ut bene & cum virtute Deique amore agentem, quidcunque demum ſit illud, deprehendat.

§. 12. **Proſecutio.** Quæſtioni paulò ante propoſitæ, quis benè diſpoſitus ſit ad moriendum, variis aliis modis reſponderi poteſt, v. g. ex Seneca ep. 26. *Una eſt catena, quæ nos alligatos tenet, amor vitæ, qui ut non eſt abjiciendus, ita minuendus eſt, ut ſi quando res exiget, nihil nos detineat nec impediat, quo minus parati ſimus, quod quandoque faciendum ſit, ſtatim facere.* S. Ambroſius lib. de fide reſur. dixit: *In quibusdam eſt quotidianus uſus, affectusque moriendi.* Talis fuit S. Greg. Nazian. ſub perſonâ Baſilii modeſtum Præfectum, mortem illi minitantem, ſic fuit allocutus: *Mors porro beneficii mihi loco erit, citius enim me ad Deum tranſmittes, cui vivo, & munere meo fungor, maximaque ex parte mortem obii, & ad quam jam pridem propero.* Quid elegantius?

§. 13. **Epilogus.** Sed monet me clepſydra, ut finiam. Hoc ergo vos adhuc moneo. Licet à me dicta ſint veriſſima & certiſſima, certiſſima tamen quoque ſunt verba S. Ambroſii in Pſ. 37. *Licet læta ſit conſcientia, tamen* [mori eſt] *pugna lachrymabilis.* Laudabiliter proinde faciunt, qui diligentiam adhibent, ut tempeſtivè ad illam

lam

lam pugnam ſe præparent. Optimum modum nobis inſinuavit Dominus Deus, cum Deuteronomii cap. 32. v. 49. dixit ad Moyſen: *Aſcende in montem, & morere in monte*; Per hunc montem ego intelligo montem Calvariæ, in quo Chriſtus Jeſus affixus cruci mortuus eſt. Hoc agite mei Auditores, & præcipuè Sodales Chriſti D. in cruce agonizantis, huc aſcendite, hîc vos exercete, hîc mori beatum! in monte ſalvam te fac anima Chriſtiana. Hunc montem, dum vivus & ſanus es, frequenter conſcende, & irretortos in Jeſum tuos oculos defige. Sic mori diſces, & mori beatè, & ſic feliciter ad Chriſtum Jeſum, qui eſt vita & reſurrectio, Joan. 11. v. 25. pervenies.

CONCIO XLV.

DOMINICA XVII. POST SS. TRINITATEM.

Hydropicus erat ante illum,

Lucæ 14. verſ. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Agit contra avaros.

§. 1. *Exordium & propoſitio.*
§. 2. *Avaritia eſt præcipitium in varia ſcelera.*
§. 3. *Avaritia eſt ardens fornax, in qua inſtrumenta Paſſionis Chriſti denuo efformantur.*
§. 4. *Avari plerumque in vitiis ſunt obſtinati.*
§. 5. *Duri, immites erga pauperes; latrones, vultures, homicidæ.*
§. 6. *Fratres Joſephi, quàm crudeles erga Joſephum: ex avaritia.*

Digitized by Google

§. 7. *Et Judas contra Chriſtum Dominum.*
§. 8. *Avaritia, dipſas; infernus, ſanguiſuga.*
§. 9. *Avari vivunt in ſtatu periculoſo.*
§. 10. *Proſecutio.*
§. 11. *Acerrima mina contra avaros.*
§. 12. *Mina Chriſti Salvatoris.*
§. 13. *Alia.*
§. 14. *Proſecutio.*
§. 15. *Miſerabilis avarorum mors.*

§. 1. *Exordium & Propoſitio.*

QVia SS. Patres & interpretes S. Scripturæ, prout ſæpius ſine dubio audiviſtis, per hydropem, fœtidum illum & permoleſtum morbum intelligunt turpe vitium, quod inter ſeptem capitalia alterum occupat locum, avaritiam, atque ob alias, quarum alibi memini rationes, hanc adverſus hoc ſcelus adornare Concionem decrevi. Plura præfari non ſinit materiæ, quam aggredior, prolixa ubertas: præmoneo tamen, duobus me velle punctis potiſſimum inſiſtere. Primum eſt, ut ex S. literis juxta ac Patribus oſtendam, quàm plerumque inſatiabiles, quàm impii, quàm crudeles ſint divites avari. Alterum, quàm periculoſus ſit ille vitæ ſtatus, in quem ſeſe imprudenter conjiciunt. Quod dum auſpicor, vos auribus tantiſper animiſque benevolis adeſte.

§. 2. *Avaritia eſt præcipitium in varia ſcelera.*

Hydropem avaritiæ per pulchra ſimilia deſcripſit S. Chryſ. *Veſana divitiarum cupiditas* [hydrops animæ] *eſt morbus inſanabilis* [veluti hydrops] *fornax, quæ nunquam extinguitur* [veluti hydrops corporis] - - *beſtia incicurabilis; præcipitium undequaque præruptum in omnia ſcelera, ſcopulus aſſiduus plenus fluctibus, mare innumeris ventis agitatum?* inquietum vitium eſt avaritia, ſicut hydrops inquietum reddit hominem: hoc præcipuè advertite, quod ſit *præcipitium in omnia ſcelera*; fundamentum habeo in ſacris literis; nam 1. ad Timotheum cap. 6. verſ. 9. ait ſanctus Paulus: *Qui volunt divites fieri* [& quinam ſunt in mundo, qui hoc non cupiant? perpauci profectò] *incidunt in tentationem & laqueum diaboli, & deſideria multa nociva & inutilia.* Revocate quæſo in mentem, hydrope laborantem; prô quot, & quàm miris quamq;

quamq; importunis ſimul laborat deſideriis? quid non deſiderat, quem livorem non ſentit? profectò ſunt hydropici hominis deſideria multa & inutilia, imò & noxia & lethifera. Talis veſter eſt hydrops avari divites, deſideratis juſta injuſta, licita illicita, fanda nefanda. Pergit gentium Doctor: *quæ mergunt hominem in interitum & perditionem, radix enim omnium malorum eſt cupiditas.* Hydrops corporis, eſt cauſa mortis corporis, hydrops cauſa mortis animæ, ſive, Avaritia eſt vitium lethale.

§. 3. Avaritia eſt ardens fornax, in qua inſtrumenta Paſſionis Chriſti denuò efformantur.

Abſurdiſſimam hydropem animæ, ſive avaritiam eleganter deſcribit S. Bern. *Ipſa, eſt fornax, in qua omnia IESV Chriſti opprobria, ſputa, clavi, lancea, flagella, ſpinæ, crux, mors, ac cætera Paſſionis Chriſti efformantur.* Dicine poteſt quicquam ad terrorem horroremque vehementius? Nam ſi avaritia, teſte Doctore mellifluo, parat Chriſto opprobria; ſi ſputa colligit, ſi clavos acuit, ſi lanceam vibrat, ſi torquet flagella, ſi ſpinas infigit, ſi crucem erigit, ſi mortem machinatur, annon tanquam horrendum planè ſcelus eſt execranda? annon hoc terribile ſatis quod avari ſint hydropici, qui per gravia ſcelera, quibus dediti ſunt, renovant paſſionem Chriſti? nec impii tantùm ſunt, ſed obſtinati.

§. 4. Avari plerumq; in vitiis ſunt obſtinati.

Qui ex Indiis redeunt, præcipuè ex Peruvia, referunt montes auri argentique feraces, cætera eſſe planè ſteriles; nullas in illis creſcere arbores, nullas plantas, nullos flores, &c. ſed eſſe ſpinis & ſaxis horridos. Latet aurum ſub ſpinis; Quàm pulchrè hic natura exprimit duas avari hominis proprietates! 1. plenus eſt ſpinis. 2. plenus lapidibus. Latet aurum ſub ſpinis & ſaxis. Latet aurum, at non illud, quod paſſim charitatis divinæ eſt ſymbolum, ſed quod omnium eſt ſcelerum inſtrumentum. Latet aurum, at vitia non latent, ſed patent. Non latent ſpinæ, non ſaxa. Latet aurum: non latet furor, non injuſtitia, non crudelitas. Latet aurum: patet vitium. Vis montem illum inſpicere? cor avari conſidera; quid videbis? ſpinas & tribulos. Quid videbis ſaxa & lapides. Quid videbis, dura omnia & acuta.

Chriſtus

Digitized by Google

§. 5. *Duri immites erga pauperes; ſunt latrones, vultures, &c.*

Chriſtus D. vocat illos latrones, Marci 11. verſ. 17. *Feciſtis domum meam ſpeluncam latronum.* Sancti Patres appellant *vultures,* qui cadaverum carne & ſanguine veſcuntur. Contra talem vulturem clamat Jeremias cap. 2. v. 34. *In alis tuis inventus eſt ſanguis animarum pauperum & innocentum.* Verſio Hebræa ſic habet: *In veſte tua pretioſa.* Alia verſio ſic poſſet legere: *In cella tua.* Alia: *In ciſtis tuis vel in burſa tua.* Alia: *In menſa & in conviviis tuis.* Hoc eſt, quod D. Ambroſius advertit de epulone, cum diceret: *Ipſius menſa multorum pauperum conſtabat ſanguine, & ipſius pocula multorum, quos ad laqueum coegerat, rubebant cruore.* Hunc ſanguinem præ oculis habuit Eccleſiaſticus, cum dixit c. 34. v. 25. *Panis egentium vita pauperum eſt, qui defraudat illum, homo ſanguinis eſt, qui effundit ſanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres ſunt.* Quàm crudeles, ſævi, barbari! absque miſericordia & pietate ſint divites avari, innuunt verba ejusdem Eccleſiaſtici ſive Spir. S. cap. 34. v. 24. *Qui offert ſacrificium ex ſubſtantia pauperum,* [vel qui vivit ex ſubſtantia pauperum, qui opprimit viduas & pupillas, &c.] *quaſi qui victimat filium in conſpectu Patris.* Innuunt hæc verba pauperes viduas, pupillos eſſe filios Patris æterni, ideo Chriſtus D. filius Dei illos vocavit *fratres;* hos fratres Chriſti, filios Patris ſpoliare, opprimere, auferre illa, à quibus vita & ſuſtentatio illorum dependet; quid eſt aliud, quàm illos ſanguine vitaque exuere, & tales, qui ſemel ſanguinem pauperum deguſtarunt, plerumque ſunt inſatiabiles; ſicut hydropici: *Quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.*

§. 6. *Fratres Ioſephi quàm crudeles erga Ioſephum ex avaritia.*

Hinc ſcelus hoc cognatos ſanguineque conjunctos animos disjungit, & in mutua odia furoresque præcipitat? Cujus rei inſigne ſuppetit ſacris in literis argumentum, Geneſ. 37. v, 19. innocens animula Joſeph, de patris ſui mandato foras prodiit in deſertum ad quærendos fratres, ciboſque iiſdem conferendos; At ecce Joſephi fratres, viſo eminus Joſepho, mox invidiâ inflammati, vindictæ cogitationes ſuſcipiunt: *Ecce ſomniator venit, venite, occidamus eum. Quod ſi pater illum requiſierit, dicemus, fera peſſima devoravit eum.* Hoc odio imbuti, rem ipſam aggrediuntur, Joſephum illum ſuum innocentem, illum ſuum dulcem, illum ſuum

Digitized by Google

ſuum amabilem fratrem Joſephum comprehendunt; non jam fratres, ſed latrones! alius illum brachio dextro, alius ſiniſtro attinet; tertius collum ſtringit, non oſculi ſed odii gratia; quartus involat in crines; alius fuſtem quærit, forte alius cultrum, quo jugulum petat innocentis. Alii alios incitant ad verbera, ad necem, ad furoris complementum. Heu triſte fatum Joſephi! Ergo ex omnibus nemo unus eſt, cujus viſcera fraternus ſanguis ad clementiam commoveat? Ergo omnes ſunt latrones, imo leones & tigrides? nullus qui afflicto opem ferat? nullus qui vel verbulo defendat innocentem? omnino nullus eſt, qui hoc facit. Et ecce jam Ruben prodit; Rubeni viſcera fraterna commovit pietas. *Non interficiatis*, inquit, *animam ejus, nec effundatis ſanguinem.* Alius ſuppetit vindictæ modus; non eſt confeſtim ad extrema deſcendendum ſupplicia: me audite: *Projicite eum in ciſternam hanc, manusque veſtras ſervate innoxias.* Hoc autem dicebat, volens eum eripere de manibus eorum, & reddere patri ſuo. Joſephus ergò damnatur ad foveam, brevi liberandus, niſi avaritia obſtitiſſet. Nam adſunt interim mercatores Ægyptii, his venditur Joſeph. O iterum iterumque execrabilis avaritia! Hæc nimirum illius eſt perverſitas, ut quam ſemel occupavit mentem, duram atque immitem, imò & ferocem & crudelem efficiat. Audite Petrum Chryſologum hâc ipsâ de re ſer. 29. præclarè ſic diſſerentem. *Sic* [inquit] *avaritia cæcavit mentes, ſic quod in eis fuerat humani ſenſus ferinam in rabiem commutavit, ut non offenſam Dei, non ſancti Patris dolorem, non proprii ſanguinis ſenſum meminiſſe permiſerit. Intuere quid auro gravius, quod cum mores hominum perdit, perdit & naturam.*

Fuit figura Chriſti Joſephus venditus, neque enim ignoramus venditum à Juda Salvatorem. Et quis ille Judas! Judas, quem elegerat in Apoſtolum Chriſtus; Judas, in quem tot contulit beneficia; Judas, quocum toties benevolentiſſimè converſatus; Judas, quocum cibum potumque non rarò ſumpſerat; Judas, cujus paulo ante, hoc eſt, in ultima cœna pedes laverat; Judas, quem pretioſo ſuo corpore ſanguineque refecerat; hic inquam Judas prodidit, hic vendidit, tradiditque Sal- *§. 7. Et Iudas erga Chriſtum D.*

vatorem. Execrande Juda! ſcelerate trifurcifer! audiamus, quid de te Chryſ. hom. 84. in Matth. ſcribat aureo ſuo calamo: *Omnipotentia*, inquit, *humilitatis, lenitatisque Domini, tot tantaque habens argumenta; Iudas omnem feram belluam crudelitate ſuperavit.* Sed cur? cauſam allegat Chryſoſtomus: *Avaritia enim tunc illi furorem immiſit, avaritia omnes, qui ei ſerviunt, crudeles efficit atque atroces.* Sic eſt, ut enunciat os aureum. Quocirca non miror ego, hodiedum avaros divites tam eſſe duros, tam immiſericordes in pauperes; Judam æmulantur fratres Joſephi. Avaro nihil ſceleſtius. Omnes qui ei ſerviunt, crudeles reddit atque atroces avaritia. Imò & tyrannos reddit & beſtias; leo eſt, leones gignit; furia eſt, furias efficit. Hinc eſt, quod SS.PP. plerumq; tam graphicè depingant avaros. Iſidorus Peluſiota hom. 233. ſic oculos deſcribit: *Oculos habet, non ut naturæ conſentaneum eſt, cernentes aut quenquam verentes, non amicum, non fratrem, non benefactorem, verùm aſperum quoddam & acre atque crudele & inhumanum igneumque obtuentes.* Sic eſt, inſpicite oculos avari, & annon ex vero illos deſcripſerit Iſidorus, decernite. At quales illorum aures? attendite. *Aures habent uſque adeò ſeptas & obduratas, ut nec ſupplices preces, nec gemitus, nec fletus, nec vituperationes audiunt. Clamant in plateis pauperes? aures habent avari, & non audient.* Invocant miſeri divitum opem? rogant eleemoſynam? per amorem Chriſti Domini & beatæ Virginis fruſtum panis ſollicitant? non audiuntur. Septas habet aures & obduratas avarus. Fallor, non eſt qui clamat in plateis mendicus homo; Eſt ipſe Chriſtus: fruſtra, non auditur. Gemunt pauperes in noſodochiis: non audiuntur. Jacent captivi in carceribus: non audiuntur. Clamant viduæ in domunculis; non audiuntur.

§. 8. *Avaritia, dipſas, infernus, ſanguiſuga.*

Avarus eſt inſatiabilis: ob quam cauſam S. Ambroſius illum comparat aſpidi, qui dicitur dipſas; cujus venenum hominem, quem mordet, adeo accendit, ut bibendo ſatiare ſe non poſſit. Hinc miles quidam ſub Catone à tali ſerpente læſus, inſiliit in mare, tantumque aquæ hauſit, ut rupta illi ſint præcordia.

Talis

Talis dipſas eſt avaritia! Sanctus Auguſtinus ait lib. de ſalut. docum. cap. 30. *Avarus vir inferno eſt ſimilis; quantoscunque devoraverit, nunquam dicet, ſatis eſt. Sic etſi omnes theſauri in avarum confluxerint, nunquam ſatiabitur.* Spiritus ſanctus Proverb. cap. 30. verſ. 15. vocat ſanguiſugas, ſemper dicentes: *Affer!* hæc eſt avarorum cantilena, plus auri! plus argenti, &c.

Dixi, me altera parte dicturum, quod ſicut hydropici corpore in perquam miſero ſtatu, & periculo mortis temporalis verſentur; ita hydropici animâ, ſive avari in miſerabili pariter ſtatu, & periculo mortis æternæ ſint conſtituti. Melius probare non poſſum, quàm ex ſacris literis, & præcipuè ex minis, quas divitibus avaris in Vetori & Novo Teſtamento intentatas comperio. Cap. 5. conqueritur Iſaias de gravibus peccatoribus in populo Iſraël, & verſ 8. ait: *Væ, qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis - per injuſtitiam, per fraudes, per rapinas, per oppreſſiones pauperum, per perjuria, per uſuras, &c.* [omnia hæc ſcelera in ſe continet avaritia, ſive hydrops animæ] poſtquam Spiritus ſanctus alia gravia adhuc ſcelera deſcripſit, ait verſu 24. *Propter hoc ſicut devorat ſtipulam lingua ignis, & calor flammæ exurit, ſic radix eorum quaſi favilla erit - abjecerunt legem Domini - ideo iratus eſt furor Domini in populum ſuum, & extendit manum ſuam ſuper eum, & percuſſit eum. In his omnibus non eſt averſus furor ejus, ſed adhuc manus ejus extenta, - ſagittæ ejus acutæ - &c.* Sagittæ, quibus avarus pupugit pauperes NN. fuerunt acutæ. Meritò ſagittæ DEI ſunt acutæ in avarum, nam & ſagittæ avari fuerunt acutæ in pauperem! an non acutæ ſagittæ, quæ ipſa pauperum corda torvo vultu, iracundis oculis, verbis acerbis penetrarunt? Acuit Divina Juſtitia ſuas ſagittas; quemadmodum divitum inclementia ſuam acuit parcitatem.

§. 9. *Avari vivunt in ſtatu periculoſo.*

Capite 13. verſu 22. ait Propheta Ezechiel: *Vſuram & ſuperabundantiam accepiſti, & avarè proximos tuos calumniabaris, meique oblita es, ait Dominus DEVS.* - Subdit ſtatim: *Ecce*

§. 10. *Proſecutio.*

comploſi manus meas ſuper avaritiam tuam, quam feciſti. Complodere manus, eſt exhibere ſignum animi præ gaudio exultanris; complodere manus, eſt gratulari ſibi de proſpera fortuna. Sic faciet illa die Judex ſupremus, complodet manus, cum viderit divitum ruinam; complodet manus, hoc eſt, gaudebit de vindicta, quam ab avaris repoſcet: complodet manus, nam & ipſi divites ſuas prius manus comploſerunt videntes pauperes, eorumque inopiam contemptui habentes. Apparebit tunc gemitus pauperum NNN. penetrâſſe nubes, prout addit S. Chryſoſt. in Pſ. 11. n. 6. *Magna eſt vis ejulatus, qui ſupernum evocat auxilium: timete quicunque pauperes injuriâ afficitis, habetis potentiam, opes & pecuniam, & judicum benevolentiam: ſed ſunt illi arma omnium validiſſima: luctus & ejulatus, & illud ipſum injuria affici, qui è cœlis auxilium attrahunt. Hæc arma domos effodiunt, hæc fundamenta evertunt, hæc integras gentes ſubmergunt, bonum earum animarum Dei reveretur, quando mala patientes nullum verbum proferunt, ſolùm autem gemunt, & ſua mala deplorant.* p. locus.

§. II. *Acerrima mina contra avaros ex Pſalmis.*

Prolixior juſtò forem, ſi omnes Prophetarum minas allegare contenderem, ſi citare minas ex V. T. audite breviter aliquas ex Pſ. 108. Agit hic Pſalmus contra hydropicos ſive avaros. Hoc imprecatur illis David v. 6. horrete divites! *Diabolus ſtet à dexteris ejus.* verſ. 7. *Cum judicatur, exeat condemnatus.* verſ. 8. *Fiant dies ejus pauci.* verſ. 9. *Fiant filii ejus orphani, mendicent, ejiciantur de habitationibus ſuis.* verſ. 12. *Nec ſit, qui miſereatur pupillis ejus.* O quàm pulchrè ludet divina providentia! & ſupra quos hæ minæ? ſubdit David verſ. 16. *Pro eo, quod non eſt recordatus facere miſericordiam. Perſecutus eſt hominem inopem & mendicum.* Ite nunc divites avari, ite hydropici; & dum itis, hæc quæſo perpendite: colligere divitias, eſt jam propè colligere pœnas; dum colligitur aurum, colligitur & ſupplicium. Pecunia & vindicta haud ita multis inter ſe paſſibus diſtant. Quocirca ego meritò dixerim, vale maledictum aurum! tu mihi in ultimo agone non aſſiſtes, ſed aſſiſtet Jeſus! vale aurum; tu homini conſtituis à dextera non bonum Angelum, ſed furuum cacodæmonem: Vale

aurum

aurum, tu mihi non impetras gratiam Dei, ſed pœnam, ſed vindictam, ſed miſeriam. Vale aurum; tu mihi dies vitæ non multiplicas, ſed reſecas. Valete divitiæ; in divitiis & vitiis magna eſt non tantùm nominum, ſed & ſcelerum cognatio.

Sed hem diu nimis inſiſto V. T. venio ad Novum; ex illo jure merito citare debeo ante omnia verba æternæ Veritatis, hoc eſt Chriſti Salvatoris, quæ ſi divites, ſi hydropici animâ velint audire, tinnient illis aures; Intelligite quæſo, annon ſit periculoſa hydropicorum conditio? ſic ait Salvator Marci c. 10. v. 24. *Quàm difficile eſt confidentes in pecuniis in regnum Dei intrare, facilius eſt, camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem in regnum Dei.* Non hic diſputo, quale & quantum ſit illud animal camelus? vidiſtis ſive in pictura, ſive in ipſa etiam natura monſtroſam hujus belluæ vaſtitatem; vidiſtis tumentem in tergo gibbum! vidiſtis pedes benè craſſos & vaſtos! Econtra, quanta ſit foraminis, quod acus in caput præſefert, parvitas, adeo, ut oculos etiam perſpicaces manusque ſubtiles non rarò fallat? Nihilominus Chriſtus Dominus Salvator noſter ait: *Facilius eſt, &c.* Audite ô divites avari, audite & contremiſcite! Facilius eſt, camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem in regnum Dei. Ite hydropici, conſiderate, annon ſitis in ſtatu periculoſo; conſiderate benè verba Chriſti. §. 12. *Minæ Chriſti Salvatoris.*

Ex Novo Teſtamento non poſſum omittere præcipuos Apoſtolos. Actorum capite 8. verſu 20. ait ſanctus Petrus: *Pecunia tua ſit tecum in perditionem.* Tua vinea, quam injuſtè poſſides in perditionem, tuæ domus, tuæ veſtes; tua aurea pocula, tuæ pecuniæ, verbo, quidquid poſſediſti & poſſides, in perditionem ſit, hoc eſt, in ruinam, in exitium, in interitum, in perniciem ſempiternam! Sanctum Paulum ad Epheſeos capite 5. verſu 5. *Hoc ſcitote intelligentes, quod omnis avarus, quod eſt idolorum ſervitus, non habeat hæreditatem in regno Dei.* §. 13. *Alia.*

Terribilia ſunt verba ſancti Petri, terribilia verba ſancti Pauli, æquè terribilia ſunt verba ſancti Jacobi capite 5. verſu 1. §. 14. *Proſecutio.*

CONCIO XLVI.

DOMINICA XVIII. POST SS. TRINITATEM.

Quid vobis videtur de Chriſto,

Matth. 22. v. 42.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Exponuntnr varia & eximia elogia Chriſti Salvatoris.

§. 1. *Rejiciuntur blaſphemiæ contra Chriſtum D.*

§. 2. *Chriſtus D. eſt Salvator noſter.*

§. 3. *Probatur hic titulus ex S. Paulo.*

§. 4. *Ex c. 6. Danielis, & iterum ex S. Paulo.*

§. 5. *Ex Iſaia, S. Paulo, S. Bernardo.*

§. 6. *Redemptor & Salvator noſter eſt ſanctus.*

§. 7. *Pulchra figura ex V. Teſt.*

§. 8. *Eſt ſanctus modo perfectiſſimo.*

§. 9. *Teſtimonia ſive elogia ſanctorum Patrum, quibus propoſitæ quæſtioni reſpondere poſſumus.*

§. 10. *Epilogus.*

§. 1. Rejiciuntur blaſphemiæ contra Chriſtum Dominum.

QVæſtionem hanc hæreticis proponere non auſim, niſi horrendas contra Chriſtum velimus audire blaſphemias. Cerinthus, Ebion, Paulus Samoſetanus Epiſcopus & alii docuerunt, Chriſtum eſſe purum hominem, natum ex S. Joſepho & B. Virg. ſicut alii homines naſcuntur, ideoq; non eſſe Deum. Arrius dixit, filium Dei eſſe puram creaturam, nec

Digitized by Google

nec coæternum, nec coëſſentialem Patri. Neſtorius dixit, in Chriſto duas eſſe perſonas, alteram Divinam, alteram humanam. Eutyches Abbas docuit, in Chriſto unam eſſe perſonam, & unam naturam; hoc poſterius eſt hæreſis. Eandem docuerunt Monothelitæ. Julius Halicarnaſſæus voluit, Chriſti corpus à conceptione fuiſſe impaſſibile. Felix Urgelitanus & Elipandus Epiſcopus Toledanus docuerunt, Chriſtum eſſe filium Dei tantùm adoptivum. Blaſphemias, quas Calvinus de Chriſto Salvatore in ſcriptis ſuis reliquit, horret mea lingua referre, horrent aures veſtræ audire. Martinus Lutherus ejus morti & meritis nimium tribuit, dum opera noſtra ſancta & ſatisfactoria excludit. Nolo itaque his hæreſiarchis quæſtionem tanti momenti, & tam Theologicam proponere, ſed malo illam ſacris literis & SS. Patribus committere. Idem feci in Concione mea anni ſuperioris; affirmando in primo puncto, Chriſtum D. eſſe totum pulchrum & ſpecioſum. In ſecundo, eſſe fontem omnis gratiæ & omnis boni. In tertio, eſſe ſolatium & refugium peccatorum. Simili modo hanc Concionem in tria puncta dividam. In primo, quæſtioni propoſitæ, quid videatur de Chriſto, reſpondebo, eſſe Salvatorem mundi. In ſecundo, eſſe Salvatorem ſanctiſſimum. In tertio plurima elogia SS. Patrum conglobabo, quæ propoſitæ quæſtioni abundè ſatisfacient. Hoc opto, ut cedat in honorem & gloriam Chriſti Jeſu Salvatoris noſtri, quem ex toto corde cupio, & ex tota anima diligere. *Attendite.*

§. 1. *Chriſtus D. eſt Salvator noſter.*

Quæſtioni propoſitæ: *Quid videtur de Chriſto*; meo judicio nemo pulchrius, ſuavius vel honorificentius reſpondit, quàm duo Apoſtolorum Principes, S. Petrus & S. Paulus, diverſiſſimis locis in ſuis epiſtolis. Suaviter nobis, honorificè Chriſto reſpondit S. Petrus Actor. c. 4. v. 12. *Non eſt in alio aliquo ſalus; nec enim aliud eſt nomen ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* Epiſt. 1. c. 1. v. 1. *Gratia vobis & pax - in ſanctificationem*; q. d. opto vobis, ut habeatis pacem cum Deo, ut ſitis ſancti, ut proficiatis in gratia, quæ eſt ſemen gloriæ. Sed unde illa gratia, illa pax, illa ſanctitas? clarè inſinuat S. Petrus - in - *aſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti? Benedictus Deus & Pater Domini noſtri*

ſtri Jeſu Chriſti, qui ſecundum miſericordiam ſuam magnam regeneravit nos in ſpem vivam, per reſurrectionem Jeſu Chriſti - in hæreditatem incorruptibilem - immorceſſibilem, conſervatam in cælis - in quo exultabitis; quem cùm non videritis, diligitis; in quem nunc quoque non videntes creditis, credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili, & glorificata reportantes finem fidei veſtræ, ſalutem animarum. Quales gratiæ! ſalvum fieri in omnem æternitatem! frui pace cum Deo! vivere in gratia, in ſanctitate! regenerari in ſpem vivam! quales gratiæ! fieri participem Dei miſericordiæ & magnæ! obtinere hæreditatem incorruptibilem, immarceſſibilem! Qualis gratia? credere, diligere Jeſum! & quod ſequitur, ſalvare animam, & deinde æternum gaudere! ſed unde hæ gratiæ? ſecundum S. Petrum fluunt ex fonte ſanguinis Chriſti; hoc ſancto Petro videtur de Chriſto; Ipſe ſolus nos ſalvat, ipſe nos reconciliat cum Deo, ipſe nos ſanctificat, ipſe neceſſarias ſubminiſtrat gratias, in ipſo regeneramur, &c. Hic debet eſſe noſter ſenſus de Chriſto D. Salvatore noſtro. Omnes hæ gratiæ paratæ ſunt ſolis electis; ſed in primis verbis cit. epiſtolæ & capitis ſubtiliter ait S. Petrus: *Electis ſit gratia, pax, &c.* ſed addit: *Electis Jeſu Chriſti*, hic caput eſt electorum; S. Thomas lect. 9. in c. 9. ad Rom. *Manifeſtum eſt, quod omne Dei beneficium, quod homini confert ad ſalutem, eſt divinæ prædeſtinationis effectus.* Prædeſtinationem autem meruit Chriſtus D. ſecundum Theologos, &c. ergo omnem gratiam.

Suavibus & perquam honorificis verbis eandem de Chriſto reſponſionem dedit S. Paulus plurimis locis. Placet modo unus aut alter, qui conveniunt cum priori reſponſo S. Petri ad Epheſeos 1. v. 4. ait: *Benedictus Deus & Pater Domini Jeſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali, in cæleſtibus, in Chriſto, ſicut elegit nos in ipſo, &c.* quoties ferè mentionem facit ſanctorum electorum. &c. addit: *In Chriſto Ieſu, &c.* clariſſimè ad Titum c. 3. v. 5. *Non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit, per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus S. quem effudit in nobis abundè per Ieſum Chriſtum Salvatorem noſtrum, ut juſtificati gratia illius, hæredes ſimus ſecun-*

§. 3. Probatur hic titulus ex S. Paulo.

Digitized by Google

dum ſpem vitæ æternæ: In quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus. Remiſſionem peccatorum ſecundum divitias gratiæ ejus. 1. Cor. 1. v. 30. *Chriſtus Jeſus factus eſt nobis ſapientia à Deo, & juſtitia, & ſanctificatio & redemptio.* Ubi S. Anſ. *Sapientia, ut ejus participatione juſti efficeremur; ſanctificatio, ut nos ſanctificaret; & redemptio, ut nos redimeret, pro nobis ſeipſum dando.* Ex his locis encomium deduco, quo dixi, me primo puncto hujus Concionis velle reſpondere propoſitæ quæſtioni, quid videatur de Chriſto; Quocirca cum Samaritanis Joan. 4. v. 42. duo audivimus: *Scimus, quia hic eſt verè Salvator mundi.* Hic, qui conceptus eſt de Virgine, hic, qui natus eſt in ſtabulo Bethlemitico! Hic qui infans coactus eſt migrare in Ægypti exilium! Hic, qui tot à Judæis ac gentibus paſſus eſt perſecutiones atque injurias! Hic, qui annos omnino triginta vitam duxit privatam! Hic, qui pertranſiit benefaciendo & ſanando omnes; Hic, quem fabri filium, ſive per ignorantiam, ſive per contemptum nuncupârunt Judæi, hic inquam, hic & non alius eſt verè Salvator mundi. En quid mihi videatur de Chriſto! mundum ſalvavit non aliquis Angelus, Seraph vel Cherub, hic ſalvavit mundum, non aliqua alia creatura, non homo purus, non Beata Virgo Dei genetrix, hic ſalvavit, hic ſolus eſt Salvator mundi.

§. 4. Exc. 6. Danielis & iterum ex S. Paulo.

Quid videtur vobis de Chriſto? Dicite cum Dario Rege, Danielis 6. v. 26. *A me conſtitutum eſt decretum, ut in univerſo Imperio & Regno meo tremiſcant & paveant Deum Danielis. Ipſe enim eſt Deus vivens & æternus in ſæcula, & regnum ejus non diſſipabitur, & poteſtas ejus uſque in æternum, ipſe liberator atque ſalvator, faciens ſigna & mirabilia in cælo & in terra,* [non tantum Danielem ex lacu leonum,] *ſed omnes gentes elatas ex lacu æternæ damnationis liberavit.* Quid videtur vobis de Chriſto? reſpondete cum S. Paulo ad Tit. 2, 12. *Apparuit enim gratia Dei Salvatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem & ſæcularia deſideria, ſobriè, & juſtè & piè vivamus in hoc ſæculo, exſpectantes beatam ſpem & adventum gloriæ magni Dei & Salvatoris noſtri JESU CHRISTI, qui dedit ſemetipſum pro omnibus, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, &c.*

Digitized by Google

*lem,&c.*ut nos redimeret; hoc fecit dando vitam, ſanguinem,& in cruce,&c. ad Epheſ. 2. v. 5. *Gratia eſtis ſalvati - In Chriſto Jeſu;* Prævidit David,ideo à venturo Salvatore tot ardentibus deſideriis petiit: *Salva me,&c. ſalvum fac ſervum tuum,&c.*

Quid ergo videtur vobis de Chriſto? Iſ. 43. verſ. 14. *Hæc dicit Dominus Redemptor veſter, Sanctus Iſrael, &c.* 63. c. v. 26. *Redemptor noſter, à ſæculo nomen tuum.* Dicite cum Iſaia c. 48. v. 17. *quod ſit Redemptor noſter ſanctus.* Ex c. 60. v. 16. quod ſit *Redemptor noſter fortis.* Dicite rurſum cum S. Paulo ex ep. 1. ad Timoth. c. 2. v. 6. *Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro nobis.* Finio primum punctum aureo dicto S. Bernardi; & dicet eadem cum illo, quiſquis beneficium hoc redemptionis conſiderat ex ſerm. 20. in Cantica. Poſtquam varia beneficia, quæ à Chriſto D. habemus, perpendit, ait: *Sed eſt, quod me plus movet, plus urget, plus accendit; ſuper omnia, inquam, reddit amabilem te mihi Jeſu bone, calix, quem bibiſti, opus noſtræ redemptionis; hoc omnino amorem noſtrum facile vendicat totum ſibi, hoc inquam eſt, quod noſtram devotionem & blandius allicit, & juſtius exigit, & arctius ſtringit, & afficit vehementius.* Videmus proinde, quid videatur S. Bern. de Salvatore. Nimirum eſt ipſi amabilis Dominus. Meritò amabilis, nam talem nobis propinavit calicem, qui amoris divini ſymbolum eſt luculentum. Meritò amabilis, nam amorem ſuum non loquendo tantùm, ſed agendo; imò & patiendo teſtatus eſt, & moriendo. Meritò amabilis, qui opus redemptionis noſtræ tanto ſuo incommodo, imò etiam ſanguine pretioſo tam largè profuſo perfecit.

§. 5. Ex Iſaia, S. Paulo & S. Bernardo.

Quæſtioni propoſitæ, quid videatur de Chriſto, honorifico encomio reſpondit Iſaias paulò ante citatus, dum ipſum vocat redemptorem & ſalvatorem ſanctum. Audiverat hoc encomium à duobus Seraphinis, qui ſteterunt ante Dominum, ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum, clamaruntq; alter ad alterum c. 6, 5. *Sanctus, ſanctus, ſanctus, - plena eſt omnis terra gloria ejus, & commota ſunt ſuperliminaria cardinum à voce clamantium.* Eundem hymnum [prout ſe audiviſſe ait S. Joan. Apoc. 4, 8.] canunt quatuor animalia in circuitu ſedis, ſine requie die ac nocte, dicentia, *Sanctus, Sanctus,*

§. 6. Redemptor & Salvator noſter eſt ſanctus.

ctus, Sanctus; & cum darent illi animalia gloriam, & honorem, & benedictionem, ſedenti ſuper thronum, prociderunt etiam viginti quatuor Seniores ante ſedentem in throno. & adorârunt eum, & miſerunt coronas ante thronum, dicentes v. 11. *Dignus es Domine Deus noſter; accipere gloriam, & honorem, & virtutem.* Hoc encomium mundi Salvatori, antequam naſceretur, dederunt Prophetæ. Daniel. c. 9. v 24. ut impleatur viſio & prophetia: *Et ungatur Sanctus ſanctorum.* Abdias v. 17. *In monte Sion erit ſalvatio, & erit ſanctus.* Abacuc c. 3. v. 3. *Deus ab Auſtro veniet, & ſanctus de monte Pharon.* Amos cap. 4. v. 2. *Iuravit Deus in ſancto ſuo.* David Pſal. 98. v. 3. *Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile & ſanctum eſt.* v. 5. *Exaltate Dominum Deum noſtrum, & adorate in monte ſancto ejus; quoniam ſanctus Dominus Deus noſter.* In ejus annunciatione hoc elogio uſus eſt S. Archangelus Gabriel, Lucæ c. 1. v. 35. *Quod ex te naſcetur ſanctum, vocabitur Filius Dei.* S. Bernard. hom. 4. Super *miſſus eſt.* Ut *quid ita ſimpliciter ſanctum dixit? Credo, quia non habuit, quod proprie digneque nominaret illud eximium, illud magnificum, illud reverendum, quod de puriſſima Virginis carne, cum ſua anima unico Patri erat uniendum.* Et S. Ambroſius l. 3. de Spiritu S. c. 18. *Nos quoque nihil pretioſius invenimus, quo Deum prædicare poſſimus, niſi ut ſanctum appellemus.* S. Dion. Areopagita lib. de div. nom. c. 13. nos monet, ut hoc nomen Sanctus, *tanquam omnium nominum pretioſiſſimum devoveamus & conſecremus.* Quæritis fortasſis Auditores, quo pacto ex mente S. Ambroſii devotio hæc & conſecratio rectè fieri posſit? perquam facilis mihi erit reſponſio. Hoc pacto illud devovebimus; ſi tum interno animi, tum externo corporis cultu illud revereri ſtudeamus, conſecrabimus, ſi cum reverentia ſæpè pronunciemus; devovebimus; ſi illius cultum ac gloriam apud omnes juxta majores & minores omni cura ac ſtudio propagemus; conſecrabimus; ſi in illius amorem atque reverentiam ab iis, quæ illi adverſa novimus, nobismetipſis temperemus.

§. 7. Pulchra figura ex V. Teſt.

Fundamentum eſt in ſacris literis magnificus ille titulus, quod ſit Rex Regum, Dominus dominantium. Vidit S. Joannes Apoc. 19. v. 16. ſcriptum in fimbria veſtis; titulus hic ſanctus inſcriptus

Digitized by Google

ſcriptus fuit laminæ aureæ, quam in fronte geſtabat ſummus Sacerdos. Exodi 28. v. 36. *Facies & laminam de auro puriſſimo, in qua ſculpes opera celatoris, ſanctum Domino, & erit ſuper tiaram, imminens fronti Sacerdotis.* Alludit ad hunc locum verſ. 24. cap. 18. Sap. In veſte poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum, & magnificentia tua in diademate capitis illius ſculpta erat. p. eleganter Cajetanus in Exodum: *Malogranata ſeu poma coronata ad pedes in fimbriis ſunt* [cum titulo Regis Regum] *ſanctitas ad caput in lamina comparebat, ut oſtenderetur, quod Deus vellet potius Sanctus Sanctorum à nobis nominari, quàm Rex Regum in nobis dominari.* Magnificentiam hujus tituli ipſi dæmones agnoverunt, cum à Chriſto Domino ex obſeſſis ejecti clamârunt Marci 1. v. 24. Lucæ 4. v. 32. *Quid nobis & tibi Jeſu Nazarene? veniſti perdere nos, ſcio quis ſis, ſanctus Dei.* En ſalutem ab ipſis noſtris inimicis! Scio quis ſis, ſanctus Dei, ait juratus Dei hoſtis, cur non & amici Dei in ſimiles non tamen doloris, ſed amoris ſinceri voces erumpamus. Cur non exclamemus, ſcio mi Jeſu quis ſis, ſanctus Dei es! ſanctum & terribile nomen tuum! ſcio quis ſis! Salvator mundi Deus, generis humani aſſertor, ſummus hominum benefactor es! Et ſanctus eſt modo perfectiſſimo.

Quia eſt ſanctus: I. per eſſentiam, neceſſariò ſanctitate increata, infinita, &c. II. Ipſius ſanctitas eſt exemplar & fons omnis ſanctitatis, quæ alicui creaturæ eſt communicata. Sanctitatis Beatæ Mariæ Virginis, Angelorum, Sanctorum omnium fons eſt ſanctitas Chriſti Domini. III. Illius ſanctitati conjuncta fuit imprecabilitas, &c. ſive ſumma puritas, &c. in qua ſanctitas conſiſtit. Quid ergo vobis videtur de Chriſto? Dicite cum Propheta Iſaia: *Sanctus* eſt. Dicite cum aliis Prophetis: *Sanctus* eſt. Dicite cum Davide: *Sanctum nomen ejus!* In cœlis reſonabit echo: *Sanctus.* Reſonabit echo in terris: *Sanctus* eſt; reſonabit echo in inferno: *Sanctus* eſt. Eja reſonet in cordibus noſtris talis echo: *Salvator noſter Jeſus Chriſtus ſanctus eſt.* Hæc vox *Sanctus* toties in noſtris reſonet cordibus, quoties tremula micabit arteria, quoties oculorum diducentur palpebræ, quoties pedum vel digitorum movebuntur articuli. Sit hæc

Digitized by Google

conſtans & ſolennis doxologia : Sanctus, ſanctus, ſanctus eſt Deus meus, Salvator meus, Redemptor meus.

§. 9. *Teſtimonia ſive elogia SS.PP quibus propoſita quæſtioni reſpondere poſſumus*

Si SS. Patribus quæſtionem proponere velim, finem tertii puncti & Concionis non facilè potero invenire. Si ex illis quæram, quid videatur de Chriſto? reſpondebit Origines præf. in S. Joannem: *Facile intelliges, quomodo multa bona ſit Jeſus! Vita bonum eſt! vita eſt Jeſus! reſurrectio bonum eſt! Jeſus eſt reſurrectio. - Theſaurus denique omnium bonorum Jeſus eſt!* quid videtur de Chriſto? S. Chryſoſt. reſpondebit l. 6. Exam. c. 4. *Omnia habemus in Chriſto, & omnia Chriſtus eſt in nobis. Si vulnus curare deſideras, medicus eſt. Si febribus æſtuas, fons eſt! Si gravaris iniquitate, juſtitia eſt. Si auxilio indiges, virtus eſt. Si mortem times, vita eſt. Si cælum deſideras, via eſt! Si tenebras fugis, lux eſt. Si cibum quæris, alimentum eſt!* Adesdum itaque adesdum ægri mortales, adesdum inopes, adesdum famelici, adesdum cœci, adesdum immundi, adeſte ſaucii, adeſte mortui - audiſtis, quid de Chriſto videatur Aureo Præſuli Antiocheno! Mors veſtra commutabitur in vitam, vulnera in ſanitatem, lepra, immundities in mentis & corporis integritatem, cœcitas in viſum, tenebræ in lucem, eſuries in refectionem, paupertas in divitias, morbus in valetudinem meliorem. Hoc Chryſoſtomo videtur de Chriſto, hoc videtur & mihi, hoc omnibus, qui Dei in nos amorem ac beneficentiam compertam habent, videtur. Quocirca magnam de illo ſpem ô miſeræ mortalium animæ concipite. Quid videtur de Chriſto? S. Bernard. reſpondit ſer. 6. in vig. Nat. *Jeſus Chriſtus interpretatur Salvator. Quid tam neceſſarium perditis! quid tam optabile miſeris; quid tam utile deſperatis? alioquin unde ſalus? unde vel tenuis aliqua ſpes ſalutis? - an tu forſan ſalutem optas & formidas? ne timeas - ſuavis & mitis & multa miſericordia Chriſtus eſt.* Sic nimirum - multi pereunt medicum fugientes, quod Jeſum quidem noverint, ſed Chriſtum neſciant, &c.

§. 10. *Epilogus.*

Habetis Auditores, habetis potiſſimam tum Scripturæ ſacræ, tum Divorum Patrum de Chriſto ſententiam: habetis, quid & illis videatur, & nobis videri oporteat de Salvatore Jeſu. Porrò

ſcire

ſcire tantum non ſatis eſt, ſciendum ſimul eſt, & faciendum quod decet: poſtquam bonitati objecti cognovit intellectus, etiam in illud feratur, voluntas neceſſe eſt. Fidem ſequatur ſpes, ſpem charitas proſequatur. Quocirca ſic omnes Jeſum alloquamur. Amantiſſime Salvator, non ignoramus, quis & qualis ſis tu! Chriſtus es, hoc eſt, unctus es Domini, hoc eſt ſanctus, hoc eſt amabilis, hoc eſt Solvator, hoc eſt denique ſummum bonum noſtrum es. Præſta obſecro, & tuam nobis gratiam impertire, ut quod bonum agnoſcimus, etiam diligamus, atque ita quæramus ardenter ſimul & conſtanter, ut illius poſſeſſione hic liceat frui in tempore, & illic in æternitate.

CONCIO XLVII.

DOMINICA XIX. POST SS. TRINITATEM.

Confide fili; remittuntur tibi peccata tua,

Matth. 9. v. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

CHriſtus Dominus aliquot argumentis demonſtrat ſe Filium DEI.

§. 1. *Benignitas Chriſti Salvatoris erga peccatores.*

§. 2. *Chriſtus Dominus ſcivit occultiſſimas Phariſæorum cogitationes. Inde probat, ſe eſſe filium Dei.*

§. 3. *Pictura Ægyptiorum.*

§. 4. *Fruſtra tegimus occulta peccata.*

§. 5. *Chriſtus D. ſcit omnia.*

§. 6. *Oblivio hujus veritatis: DEO nihil eſſe abſconditum, eſt*

eſt cauſa graviſſimorum ſcelerum.

§. 7. *Elegans locus ex ſancto Auguſtino.*

§. 8. *Oſtendit ſe filium Dei, dum remittit peccata.*

§. 9. *Chriſtus Dominus dupliciter habet poteſtatem dimittendi peccata.*

§. 10. *In ſacramento remittuntur peccata, vi ſanguinis Chriſti Domini.*

§. 11. *Chriſtus Dominus oſtendit, ſe filium Dei per viſibile miraculum.*

§. *Apoſtrophe & adhortatio ad peccatores, ut accedant ad Chriſtum.*

§. 13. *Proſecutio.*

§. 1. *Benignitas Chriſti Salvatoris erga pauperes*

PAralyticum, quem in hodierno Evangelio viri miſericordes per tectum in domum demiſerunt ante oculos Chriſti, non tantum exterior corporis, miſeranda ſcilicet paralyſis, ſed & interior animæ morbus afflixit: gravis ſiquidem fuit peccator, multorum ſcelerum reus, quod colligi poteſt ex verbis Chriſti D.: *Remittuntur tibi peccata tua*; & tamen Chriſtus D. ſtatim illum compellat nomine amoris & indulgentiæ, nomine ſuaviſſimo, &c. dum ſcilicet filium vocat: *Confide fili, &c. O mira humilitas!* - [Chriſti] [exclamat S. Hier.] addo ego, ô benignitas! - *deſpectum ac debilem totum, membrorum compagibus diſſolutum, filium vocat.* Hoſtem, ingratum, ſceleratum, filium appellat, meminiſti adhuc, quomodo ante octiduum Phariſæi vocaverint illum, filium Davidis? ideo voluit loqui Chriſtus D. ut filius Davidis, exemplo Patris, de quo ſcimus, quoties ingratum, rebellem Abſolonem! nihilominus filium compellavit; præcipuè, cum flevit triſtem ejus obitum: *Fili mi Abſolon, &c.* imò addit: *Confide.* q. d. bono eſto animo; licet nequaquam merearis, ut te exaudiam, ſanabo te tamen, nec corpore tantùm, quod tu præcipuè deſideras, ſed & animâ; & quod potiſſimum eſt, peccata tibi tua remittam. Hæc ſcilicet eſt lex Divini amoris, lex infinitæ miſericordiæ ſuæ, ſive amor & miſericordia dulciſſimi Salvatoris, ut cum impiis agat molliter; Verùm enimverò niſi reſipiſcant, erunt aliquando objectum D. Juſtitiæ in omnem æternitatem Dei ſuperumque hoſtes. Sed

quamdiu

Digitized by Google

quamdiu in hoc mundo verſantur, dum adhuc fluit tempus gratiæ; ſunt objectum D. miſericordiæ, ſi velint, momento ex hoſtibus poſſunt fieri filii Dei. Et hoc quærit Jeſus etiam hodie, nam prout tempore ſanctiſſimæ vitæ in hoc mundo ad hunc finem venit, ad illas urbes, & illas tenuit vias, in quibus ſciebat ſibi repræſentandos ægros, ad exhibendam miſericordiam, non tantùm quoad corpus, illud ſanando, ſed præcipuè quoad animam, convertendo peccatores, idem hodie per gratiam intendit & quærit; ſcilicet ſalvum facere quod perierat, ſalvare peccatores, &c. Oſtendit ſcilicet, ſe proniorem ad parcendum, quàm puniendum, &c. Alias ſuper hodiernum Evangelium occaſione illius quæſtionis, à Chriſto propoſitæ, quid videatur de Chriſto, glorioſos ſalvatori attribui titulos, ex binis illis vocibus, quibus hoſtes illum vocârunt: *Filium Davidis*: quod ſcilicet fuerit ſpecioſus ut David; miſericors ut David, fortis ut David. Hæc omnia ſignificat illa vocula. Verum in hodierno Evangelio ponit fundamentum horum elogiorum, dum non tantum filium Davidis ſe oſtendit, id eſt hominem, ſed etiam filium Dei, quod Phariſæi credere nolebant: Itaque hoc triplici argumento ad perſuadendum aptiſſimo utitur. I. Dum oſtendit, ſe ſcire illorum cogitationes. II. Dum remittit peccata. III. Dum verbo, ſuâ virtute ſanat paralyticum, quæ ſunt tria infallibilia ſigna Divinitatis. Hæc tria triplici puncto prolixius explicantem: *Attendite.*

§. 2. Chriſtus D. ſcivit occultiſſimas Phariſæorum cogitationes. Inde probat, ſe eſſe filium Dei.

In hoc I. oſtendit ſe Deum, dum oſtendit, ſe ſcire ſecretas & abſconditas cordis humani cogitationes. Omnia hæc, quod objecerint paralyticum Chriſto Domino; quod ſuaviter illum fuerit allocutus, quod dixerit; remitti illi peccata; quod juſſu Chriſti ſtatim ſurrexerit; Contigerunt in præſentia Phariſæorum, & cum hæc viderent, inſuper plebem laudantem Deum audirent, pro odio indignati, varia in cordibus contra Jeſum machinamenta verſabant: Et quia loqui non audebant, ne Chriſtus Dominus rurſum illos confunderet, ſic illos affatur: *ut quid cogitatis mali in cordibus veſtris?* perinde ac ſi diceret; Non ignoro, quid mente clauſum geratis, non me latent concilia veſtra,

 probè

probè habeo exploratum, quibus odiis me proſequamini, & quam in me fabam cudatis. Nimirum ſic oſtendit Salvator, perſpectas habere ſe illorum cogitationes, quod quidem genuinum eſt Divinitatis argumentum, ſic enim dum interrogat, ſibimetipſe reſpondet Jeremias cap. 17. v. 9. *Pravum eſt cor hominis & inſcrutabile, quis cognoſcet illud: Ego Dominus ſcrutans cor.* Stultè ergò locutus fuit, qui ut voluptati ſine metu daret operam, dixit Eccleſ. 23. v. 25. *Quis me videt? tenebræ circumdant, parietes cooperiunt me, & nemo circumſpicit me, quem vereor? delictorum meorum non memorabit Altiſſimus.* Sed mox ſequitur increpatio Spiritus ſancti per eundem Eccleſ. cit. cap. v. 28. *Et non intellexit, quoniam oculi illius multò lucidiores ſunt ſuper ſolem, circumſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſſi, & hominum corda intuentes in abſconditas partes.* Similis eſt increpatio Iſ. 29. *Væ! qui profundi eſtis corde, ut à Domino abſcondatis conſilium, quorum ſunt in tenebris opera, & dicunt, quis videt nos?* dicam, &c. Deus judex & vindex videt omnia, etiam occultiſſimas cogitationes in cordibus hominum. Job 31. cap. verſ. 4. *Nonne ipſe conſiderat vias meas, & cunctos greſſus meos dinumerat?* viæ ſignificant actiones, greſſus, omnes motus mentis. Job. cap. 13. verſ. 27. *Veſtigia pedum meorum conſideraſti;* Alii: *Radices pedum meorum contemplatus es.* [id eſt, minimas cogitationes] Pſal. 138. verſ. 12. *Quia tenebræ non obſcurabuntur à te, & nox ſicut dies illuminabitur, ſicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.*

§. 3. *Pictura Ægyptiorum.*

Ex antiquis Ægyptiis nonnulli Deum pinxerunt cum tribus oculis, ut ſignificarent, ſcientiam Dei penetrare cœlum, maria, infernum. Errarunt, quod non depinxerunt oculum lucidiſſimum, quo penetrat corda hominum. Agnoverunt hoc alii Ægyptii aliquantulum prudentiores, qui Deo ſuo obtulerunt ſceptrum regium cum oculo, per ſceptrum ſignificantes poteſtatem regiam, & univerſale Dei dominium vel omnipotentiam, &c. per oculum vero ejus ſcientiam, & providentiam omnia videntem, ſcientemque.

§. 4. *Fruſtra te-*

Scit Deus, quomodo occulta co[illegible] qui
[illegible] & fre

& frequenter illa peccata, quæ peccator vel maximè tecta eſſe atque abſcondita deſiderat, in lucem protrahit. David adulter, quibus modis non fuit conatus tegere commiſſum adulterium? Vocavit Uriam virum Berſabæ ex caſtris, fruſtra! inebriavit, ut dormiret domi ſuæ; fruſtra! manſit ſub dio. Jubetur Joab, Uriam conſtituere loco periculoſo, quo factum, ut & eccubuerit in prælio, neque tamen occultum manſit regium adulterium. Mox adfuit Propheta, qui dixit ore Dei 2. lib. Regum cap. 12. verſ. 11. *Ecce ego ſuſcitabo ſuper te malum - in oculis ſolis hujus.* Tu feciſti in abſcondito, ego autem faciam in conſpectu omnis Iſraël, & in conſpectu ſolis. Deus ſcit & videt omnia. *gimus occulta peccata.*

Licet verò infinita hæc perfectio; omnia videre, omnia ſcire, intueri, ſcrutari corda hominum, perfectio ſit Divina, ſoli Deo conveniens, quia tamen Chriſtus, non tantum homo ſed & Deus eſt, ideò & ipſi omnia conveniunt. Pravum cor hominis, &c. tamen ipſe Dominus eſt ſcrutans corda, &c. Nemo dicat, quis me videt? q. d. Chriſtus non videt, tenebræ circumdant, &c. Reſpondebit Eccleſiaſticus cap. 23. v. 28. *Non intelligitis impii? oculi illius lucidiores, &c.* Reſpondebit Job c. 31. verſ. 4. *Nonne ipſe, &c.* Reſpondebit Regius Pſaltes Pſ. 138. v. 12. *Quia tenebræ, &c.* Reſpondebit Iſaias: *Ipſe eſt judex & teſtis.* Ægyptii depingent cum quotuor oculis; unus reſpicit cœlum [quidquid in cœlo contingit, ſcit, videt; ſic de aliis oculis;] de oculo præcipuè ſuper corda, &c. Cum tempus erit, deteget omnia, &c. O impii! veniet hora, quâ dicet: *Vos feciſtis in abſcondito, ego, &c.* O luxurioſi! ut quid cogitatis mala in cordibus veſtris! Sic eſt, latent quidem veſtra deſideria; In conſpectu ſolis aliquando, id eſt, coram oculis omnia cernentis Judicis omnia patebunt: O iracundi, invidi, vindicativi, ut quid &c. vel prout loquitur Propheta Jeremias cap. 4. verſ. 21. *Vſquequò morabuntur in vobis cogitationes noxiæ,* ? Ad quid illæ felleæ, ſpinoſæ, acerbæ cogitationes de vindicta, de calumniis, imprecationi- Sic eſt, tegitis ut poteſtis; ſed Deus deteget, ut volet. Et *§. 5. Chriſtus D. ſcit omnia.*

voſambitionis vento inflata capita, vos pectora veſtra tumida, latere nunc vultis veſtra machinamenta ſuperba; olim patebunt. Removebitur ſiparium, poſt quod abſcondita latent ſuperbiæ veſtræ conſilia. Et vos avari, quos graphicè deſcribit gentium Doctor 1. Timoth. 6. v. 9. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & deſideria multa nociva, quæ mergunt hominem in interitum.* Benè de vobis dixit S. Gregorius: *Si ad terrena concupiſcenda cor inhiat, tranquillum nullatenus eſſe poteſt - huc illuc quaſi fluctibus volvitur cogitationum.* Tegitis veſtra deſideria, fraudes occultatis, ſed patebunt aliquando, atque ad radios ſolis ſive judicis omnia cernentis oculos exponentur.

§. 6. *Oblivio hujus veritatis, Deo nihil eſſe abſconditum, eſt cauſa graviſſimorum ſcelerum.*

Oblivio hujus conſiderationis cauſa eſt ſcelerum graviſſimorum. Pſ. 10. v. 5. agnovit David: *Non eſt Deus in conſpectu ejus,* [impius non eſt memor, Deum vel Chriſtum judicem de cœlo omnia cernere] *& - inquinatæ ſunt viæ illius omni tempore.* In Hebraico: *Parturiunt viæ illius in omni tempore*, ſcil. ſexcenta monſtra graviſſimorum peccatorum. Pſal. 52. v. 1. *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus.* In Hebraico: *Non eſt Iudex.* Ex Pſ. 35. v. 1. ait: *Dixit injuſtus hæc verba*, ſic legunt alii. *- impius - adulatus eſt ſibi.* Alii: *Blandè agit apud ſe.* Syr. *Linivit ei peccatum in oculis ejus.* Chaldæus: *Noluit intelligere*; ſcilicet Deum omnia cernere. Ezech. c. 9. v. 9. ſic de illis loquitur: *Dixerunt enim, dereliquit Dominus terram, & Dominus non videt.* Sed audite, quæ ſequentur Pſ. 52. v. 2. *Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis.* S. Paulus *- traditi ſunt in reprobum ſenſum, - repleti omni iniquitate, malitia, nequitia - pleni invidia, dolo, malignitate, ſuſurrones, detractores, Deo odibiles, &c.* Similes nequam ſenibus, de quibus ait Daniel c. 13. v. 9. *Everterunt ſenſum ſuum, & declinaverunt oculos ſuos, ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum juſtorum*: ſic vivent impii, dum obliviſcentur Dei judicis omnia cernentis.

§. 7. *Elegans locus ex S. Auguſtino.*

Certè aliter vivit, qui dicit cum S. Aug. ex ſol. c. 14. *Fateor, quia quidquid facio, ante te facio, & quodcunque facio, ante te facio, & illud, quidquid eſt quod facio, melius tu vides quam ego, qui facio; quidquid enim ſemper operor, tu pariter præſens ſemper aſſiſtis, utpote per-*

perpetuus

Digitized by Google

petuus inſpector omnium cogitationum, intentionum, & delectationum & operationum mearum. Domine, ante te ſemper omne deſiderium meum - & ante te tota cogitatio mea, &c. - quidquid cogito, tu vides, oculi tui vident omnia & conſiderant: Signas, attendis, notas & ſcribis in libro tuo, ſive bonum fuerit ſive malum, ut reddas poſtea pro bono præmio, pro malo ſupplicia. Finire me melius non puto poſſe, quàm verbis S. Chryſoſtomi: *Phariſæe - cape Divinitatis inſignia, audi eum pectoris tui penetrâſſe ſecretum. Aſpice eum ad cogitationum tuarum latebras perveniſſe: intellige eum cordis tui tacita dare conſilia, cape, inquam, &c.* Hæc ſolus Deus facere poteſt.

Jam verò oſtendit ſe filium Dei, dum paralytico remittit peccata. In quo advertendum eſt I. remiſſionem peccatorum maximum eſſe beneficium, quia annexa illi eſt infuſio gratiæ, exornatio animæ per veſtem nuptialem, conſortium Divinæ naturæ, apertio regni, obſecratio inferni, donorum ac virtutum ſupernaturalium communicatio, ubi omnia bona pariter veniunt cum illa: hæc omnia ſolus Deus poteſt communicare. II. Adverte, clavem ſeu poteſtatem remittendi peccata eſſe triplicem; I. eſt principalis, quâ quis principaliter & propriâ virtute peccata remittit, & hoc competit ſoli Deo. Iſa. 43. v. 23. *Ego ſum, ego ſum, qui deleo iniquitates tuas propter me.* Et ideo [ait Venerabilis Beda] *Chriſtus verè Deus eſſe probatur, quia dimittere peccata quaſi Deus poteſt*; ſcilicet ratione hypoſtaſis, vel naturæ divinæ, quæ in Chriſto eſt, poteſtas hæc principalis & Deo propria illi convenit. Unde S. Chryſoſt. pulchrè quærit: *O Phariſæe - cur tibi Deus non eſt, qui ea, quæ ſolius Dei ſunt, operatur.* O nequam Phariſæi, non equidem neſcitis, quod quando Matth. 3. v. 17. fuit baptizatus in Jordane à Joanne, aperti fuerint cœli, quod Spiritus ſanctus deſcenderit in forma columbæ, quòd vox de cœlo dixerit: *Hic eſt filius, &c.* Si his teſtimoniis non creditis, operibus credite. Et S. Ambroſius: *Dei filius ab operibus accipit teſtimonium - magna ergò perfidia eſt, confiteri, ſolius Dei eſſe donare peccata, & non credere, Deo peccata donanti.* S. Chryſolgus: *Si Deus eſt, qui remittit peccata; cur tibi Chriſtus Deus non eſt?*

§. 8. *Oſtendit, ſe filium Dei, dum remittit peccata.*

Digitized by Google

§. 9. *Chriſtus D. dupliciter habet poteſtatem dimittendi peccata.*

Itaque dum Chriſtus Dominus peccata dimittit, Deum ſe eſſe apertè probat. Sequitur ulterius, Chriſtum D. habere duplici titulo poteſtatem dimittendi peccata, ſcilicet quatenus Deus & quatenus homo; ut Deus, habet illam à ſeipſo auctoritativè & principaliter; ut homo, habet illam communicatam à Divinitate, cui ejus humanitas eſt velut inſtrumentum, conjunctum ad conferendam gratiam, per quam remittuntur peccata. Et hæc clavis eſt altera, ſive altera poteſtas, quæ dicitur excellentiæ; & hæc Chriſto homini competit; Ipſe enim tanquam mediator & redemptor promeruit nobis gratiam, & peccati remiſſionem, & apertionem regni cœleſtis, ſatisfaciendo pro peccatis noſtris. Unde ſpecialiter hic titulus illi tribuitur; Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Et quia hoc nulla creatura, niſi ſolus Chriſtus facere potuit, ideo illi propria eſt clavis vel poteſtas excellentiæ.

§. 10. *In Sacramento remittuntur peccata, vi ſanguinis Chriſti.*

Tertia clavis dicitur clavis miniſterii; quâ inſtructi ſunt Sacerdotes & miniſtri Eccleſiæ; Quaque utuntur in Sacramento pœnitentiæ, ubi vices agunt Chriſti, & virtute paſſionis Chriſti remittuntur peccata, auferuntur impedimenta regni cœlorum, denique jus ad gloriam cœleſtem tribuitur. Verum ſciendum eſt, hæc omnia fieri virtute Agni & ſanguinis ejus; quod in ſcripturis variis honorificis titulis exprimitur, dum ſanguis hic dicitur ſanguis *redemptionis*, qui fuit pretium, quo empti ſumus. Sanguis *propitiationis*; per illum enim facti ſumus propè, qui eramus longè à DEO. Sanguis *ablutionis*! qui emundat nos ab omni peccato. Sanguis *aſperſionis & ſanctificationis*! per quem ſumus ſancti. Sanguis *reſerationis*; qui nobis aperuit portas regni cœlorum. Ex his titulis colligere poſſumus, quàm ſint ſolatio plena hæc verba CHRISTI Salvatoris noſtri: *Confide fili.* Hic eſt ſenſus. O anima peccatrix, licet tua te peccata mancipatui ſathanæ tranſmiſerint; licet ipſe te, jure ad cœlum, volens lubenſque exueris; licet in ſummam malorum abyſſum temet ultrò præcipitaris: confide tamen, atque ad Jeſum confuge; Hic eſt, qui tibi in ſacramento pœnitentiæ ſacratiſſimum ſuum ſanguinem exhibet; hoc pre-

tio

Digitized by Google

ſtio jus tuum redimes ad gloriam. Hic eſt, qui tibi merita ſua impertiri deſiderat. Hoc titulo in priſtinam te gratiam reſtitues: Hic eſt, qui te in ſanguine ſuo lavare deſiderat: hoc lavacro immundæ animæ tuæ ſordes ablues, & tota munda, pura ac nitida evades. Hæc ſunt, quæ dicere voluit S. Paulus Hebr. 10. v. 19. *Habentes fiduciam in introitu ſanctorum in ſanguine Chriſti.* At ecce audire videor dicentes, ſi ſoli Deo jus hoc proprium & regale competit, dimittendi peccata; quid ſibi juris in eâdem arrogat Pontifex Romanus? quid Sacerdotes? nunquid in jura involant Divina? nequaquam. Aliud enim eſt, [obſerva quæ dico] aliud eſt inquam, principali, aliud miniſteriali jure gaudere. Prius ſoli Deo & Chriſto; poſterius ejuſdem vicariis poteſt competere: His enim dictum eſt ab ipſomet Salvatore, Joan. 20. v. 22. *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remiſſa ſunt eisdem.*

§. IV. Chriſtus D. oſtendit, ſe filium Dei per viſibile miraculum.

In hoc quoque Chriſtus Dominus oſtendit, ſe eſſe DEUM, dum viſibili miraculo, propriâ auctoritate & imperio paralyticum ſanat. Enimverò, quia remiſſio peccatorum propria Deo, erat inviſibilis, poterant Phariſæi cogitare; dicit quidem ſe remittere peccata, ſed quis hoc videt? quis ſcit ita eſſe, Si omnipotens eſſet, ſi filius DEI exiſteret, etiam exterius ſanaret, hoc incurreret in oculos. Quocirca ut Chriſtus D. oſtendat, ſe utrumque poſſe, ait: *Quid eſt facilius, dicere, dimittentur tibi peccata tua, an dicere, ſurge & ambula, & dixit, ſurge, ambula*; ecce paralyticus momento tam in anima quàm corpore convaluit. Et addit Chriſtus Dominus cauſam, &c. *Vt ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem, &c.* faciendi, operandi quæ volet, interius in ſanatione animæ, exterius in ſalute corporis. Dum ſe vocat filium hominis, indicat ipſe veritatem naturæ humanæ; fatetur, quod ſit homo, dum dicit, ſe habere poteſtatem Divinam, dimittendi peccata, & curandi paralyticum, Divinæ etiam naturæ dat ſpecimen. Rurſum eleganter ſanctus Chryſoſtomus: *Ita Deitatis ſuæ potentiam atteſtatione operis monſtravit, dum diſſipati corporis membra componit, nervos ſtringit, oſſa jungit,*

git, firmat artus, & greſſus ad curſum ſuſcitat in vivo cadavere jam ſepultos. Age nunc Phariſæe, quid ringeris furoris impatiens, an qui hæc facit Deus non ſit? non ſit Deus, quia tam mira operatur, modo tam miro atque inſolito? non ſit Deus, ad cujus imperium diffugiunt morbi, dolores abſcedunt, mors ipſa repellitur:

§. 11. Apoſtrophe & adhortatio ad peccatores ut accedant ad Chriſtum.

Emphatica ſunt illa verba Chriſti: *Surge, tolle lectum tuum.* Audi peccator, tu es ille paralyticus, cujus hodiernum Evangelium facit mentionem. In hoc modo ſiſto; id ſiquidem ex aliis ſuppono Concionibus, hoc vellem te hodie meminiſſe: quem in ſtatum prolapſus ſis, & in quo lecto verſeris! Cecidiſti cum Saulo in tenebras excœcatæ mentis. Cœca mente fuit proſecutus novam legem Chriſti & Jeſum Nazarenum, ſed audivit vocem de cœlo: *Saule, Saule, quid me perſequeris? ſurge & ingredere civitatem, & dicent tibi, quid te oporteat facere*, Actor. 9. verſ. 6. Idem feciſti hactenus impie cum ſalu tuo! Jeſum perſecutus es! quo nunc miſer cecidiſti? ſurge cum Saulo, qui cecidiſti cum Saulo! ſurge, & ad tuum te Jeſum recipe. Si cœcus es, hic eſt, qui noctem vertit in diem, hic eſt, qui fugat tenebras, hic eſt, qui ſedentes in umbra mortis illuminat. Si æger es? hic eſt ille archiater, cujus beneficam manum ſenſère tot infirmi, tot languidi, tot moribundi. Si triſtis es? hic ille, qui recreat mœſtos, conſolatur afflictos, jacentes erigit, depreſſos extollit. Surge itaque, ſurge, & ad Jeſum tuum quàm potes feſtinus accurre. O miſer! cecidiſti cum filio prodigo per concupiſcentiam carnis, usque ad ſiliquas porcorum: miſer es, & miſerabilis ſocius porcorum; ſed ſurge, & ito ad Patrem, dic hodie: ſurgam & ibo ad Jeſum meum. Cecidiſti cum Petro in terribilem carcerem, imo in ipſam infernalium furiarum carcerem delapſus es. Sed audi, quid Angelus dixerit Petro Actor. 12. v. 7. *Surge velociter, quia ceciderunt catenæ de manibus tuis.* O miſer! fuiſti cum Magdalena publicus peccator, gravi peccatorum mole oppreſſus, ſurge, feſtina, propera, abjice te ad venerabiles & vulneratos CHRISTI Salvatoris noſtri pedes, illos veræ pœnitentiæ lachrymis riga, contrito & humiliato illos oſculare corde, & audies

dies ſuaviſſimam illam quoque vocem: *Remittuntur tibi peccata,* Luc. 7. v. 49.

O miſer peccator, ô paralytice, ubi jaces? ſecundum S. Bonavent. *Jaces in luto carnalitatis*, ſecundum D. Aug. *in lecto voluptatis corporali.* Secundum S. Greg. Naz. *in lectulo languoris animæ tuæ* Secundum S. Joan. *in lecto concupiſcentiæ.* ex Deut. c. 3, 11. *in lecto ferreo alligatus es catenis tuorum ſcelerum.* Secundum S. Bern. *in laqueis & vinculis corporis tui.* Secundum S. Paul. ad Rom. 6. *in lecto mortis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus.* D. Greg. Naz. *ego novus paralyticus lectulo teneor, anima mea in corpore ut in lectulo jacet.* Idiota pro lecto ponit, *ſterquilinium ſcelerum.* O miſer ubi jaces, &c. ad omnes hos lectos aſtant diaboli, &c. aſtat mors, diabolus, infernus, & jaces & dormis? ô miſer ſurge, Chriſtus vocat, hodie vocat, fortaſſis cras non fiet, quid tum ſupereſt ſi reſpuas auxiliatricem Dei manum, niſi ut ex lecto ſcelerum NN. momento deturberis in lectum ferreum, igneum æternæ damnationis, de quo ſeq. Dom. audiemus, *ligatis manibus, &c.* avertat hoc à nobis bonus Jeſus, cui laus, &c. §. 13. *Profectio.*

CONCIO XLVIII.

DOMINICA XX. POST SS. TRINITATEM.

Ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenebras exteriores,

Matth. 22. v. 13.

SYNOPSIS CONCIONIS.

OCcaſione comparationis, quâ Regius Pſaltes Pſ. 10. v. 7. pœnas inferni comparat cum pluvia; variis modis agit de pœnarum illarum multitudine, magnitudine & immenſitate.

Digitized by Google

eſt cauſa graviſſimorum ſcelerum.
§. 7. Elegans locus ex ſancto Auguſtino.
§. 8. Oſtendit ſe filium Dei, dum remittit peccata.
§. 9. Chriſtus Dominus dupliciter habet poteſtatem dimittendi peccata.
§. 10. In ſacramento remittuntur peccata, vi ſanguinis Chriſti Domini.
§. 11. Chriſtus Dominus oſtendit, ſe filium Dei per viſibile miraculum.
§. Apoſtrophe & adhortatio ad peccatores, ut accedant ad Chriſtum.
§. 13. Proſecutio.

§. 1. *Benignitas Chriſti Salvatoris erga pauperes*

PAralyticum, quem in hodierno Evangelio viri miſericordes per tectum in domum demiſerunt ante oculos Chriſti, non tantum exterior corporis, miſeranda ſcilicet paralyſis, ſed & interior animæ morbus afflixit: gravis ſiquidem fuit peccator, multorum ſcelerum reus, quod colligi poteſt ex verbis Chriſti D.: *Remittuntur tibi peccata tua*; & tamen Chriſtus D. ſtatim illum compellat nomine amoris & indulgentiæ, nomine ſuaviſſimo, &c. dum ſcilicet filium vocat: *Confide fili, &c. O mira humilitas!* - [Chriſti] [exclamat S. Hier.] addo ego, ô benignitas! - *deſpectum ac debilem totum, membrorum compagibus diſſolutum, filium vocat.* Hoſtem, ingratum, ſceleratum, filium appellat, meminiſti adhuc, quomodo ante octiduum Phariſæi vocaverint illum, filium Davidis? ideo voluit loqui Chriſtus D. ut filius Davidis, exemplo Patris, de quo ſcimus, quoties ingratum, rebellem Abſolonem! nihilominus filium compellavit; præcipuè, cum flevit triſtem ejus obitum: *Fili mi Abſolon, &c.* imò addit: *Confide.* q. d. bono eſto animo; licet nequaquam merearis, ut te exaudiam, ſanabo te tamen, nec corpore tantùm, quod tu præcipuè deſideras, ſed & animâ; & quod potiſſimum eſt, peccata tibi tua remittam. Hæc ſcilicet eſt lex Divini amoris, lex infinitæ miſericordiæ ſuæ, ſive amor & miſericordia dulciſſimi Salvatoris, ut cum impiis agat molliter; Verùm enimverò niſi reſipiſcant, erunt aliquando objectum D. Juſtitiæ in omnem æternitatem Dei ſuperumque hoſtes. Sed quamdiu

Digitized by Google

quamdiu in hoc mundo verſantur, dum adhuc fluit tempus gratiæ; ſunt objectum D. miſericordiæ, ſi velint, momento ex hoſtibus poſſunt fieri filii Dei. Et hoc quærit Jeſus etiam hodie, nam prout tempore ſanctiſſimæ vitæ in hoc mundo ad hunc finem venit, ad illas urbes, & illas tenuit vias, in quibus ſciebat ſibi repræſentandos ægros, ad exhibendam miſericordiam, non tantùm quoad corpus, illud ſanando, ſed præcipuè quoad animam, convertendo peccatores, idem hodie per gratiam intendit & quærit; ſcilicet ſalvum facere quod perierat, ſalvare peccatores, &c. Oſtendit ſcilicet, ſe proniorem ad parcendum, quàm puniendum, &c. Alias ſuper hodiernum Evangelium occaſione illius quæſtionis, à Chriſto propoſitæ, quid videatur de Chriſto, glorioſos ſalvatori attribui titulos, ex binis illis vocibus, quibus hoſtes illum vocârunt: *Filium Davidis*: quod ſcilicet fuerit ſpecioſus ut David; miſericors ut David, fortis ut David. Hæc omnia ſignificat illa vocula. Verum in hodierno Evangelio ponit fundamentum horum elogiorum, dum non tantum filium Davidis ſe oſtendit, id eſt hominem, ſed etiam filium Dei, quod Phariſæi credere nolebant: Itaque hoc triplici argumento ad perſuadendum aptiſſimo utitur. I. Dum oſtendit, ſe ſcire illorum cogitationes. II. Dum remittit peccata. III. Dum verbo, ſuâ virtute ſanat paralyticum, quæ ſunt tria infallibilia ſigna Divinitatis. Hæc tria triplici puncto prolixius explicantem: *Attendite.*

§. 2. Chriſtus D. ſcivit occultiſſimas Phariſæorum cogitationes. Inde probat, ſe eſſe filium Dei.

In hoc I. oſtendit ſe Deum, dum oſtendit, ſe ſcire ſecretas & abſconditas cordis humani cogitationes. Omnia hæc, quod objecerint paralyticum Chriſto Domino; quod ſuaviter illum fuerit allocutus, quod dixerit, remitti illi peccata: quod juſſu Chriſti ſtatim ſurrexerit; Contigerunt in præſentia Phariſæorum, & cum hæc viderent, inſuper plebem laudantem Deum audirent, pro odio indignati, varia in cordibus contra Jeſum machinamenta verſabant: Et quia loqui non audebant, ne Chriſtus Dominus rurſum illos confunderet, ſic illos affatur: *ut quid cogitatis mali in cordibus veſtris?* perinde ac ſi diceret; Non ignoro, quid mente clauſum geratis, non me latent concilia veſtra,

Digitized by Google

probè habeo exploratum, quibus odiis me proſequamini, & quam in me fabam cudatis. Nimirum ſic oſtendit Salvator, perſpectas habere ſe illorum cogitationes, quod quidem genuinum eſt Divinitatis argumentum, ſic enim dum interrogat, ſibimetipſe reſpondet Jeremias cap. 17. v 9. *Pravum eſt cor hominis & inſcrutabile, quis cognoſcet illud: Ego Dominus ſcrutans cor.* Stultè ergò locutus fuit, qui ut voluptati ſine metu daret operam, dixit Eccleſ. 23. v. 25. *Quis me videt? tenebræ circumdant, parietes cooperiunt me, & nemo circumſpicit me, quem vereor? delictorum meorum non memorabit Altiſſimus.* Sed mox ſequitur increpatio Spiritus ſancti per eundem Eccleſ. cit. cap. v. 28. *Et non intellexit, quoniam oculi illius multò lucidiores ſunt ſuper ſolem, circumſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſſi, & hominum corda intuentes in abſconditas partes.* Similis eſt increpatio Iſ. 29. *Væ! qui profundi eſtis corde, ut à Domino abſcondatis conſilium, quorum ſunt in tenebris opera, & dicunt, quis videt nos?* dicam, &c. Deus judex & vindex videt omnia, etiam occultiſſimas cogitationes in cordibus hominum. Job 31 cap. verſ. 4. *Nonne ipſe conſiderat vias meas, & cunctos greſſus meos dinumerat?* viæ ſignificant actiones, greſſus, omnes motus mentis Job. cap. 13. verſ. 27. *Veſtigia pedum meorum conſideraſti;* Alii: *Radices pedum meorum contemplatus es.* [id eſt, minimas cogitationes] Pſal. 138. verſ. 12. *Quia tenebræ non obſcurabuntur à te, & nox ſicut dies illuminabitur, ſicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.*

§. 3. *Pictura Ægyptiorum.*

Ex antiquis Ægyptiis nonnulli Deum pinxerunt cum tribus oculis, ut ſignificarent, ſcientiam Dei penetrare cœlum, maria, infernum. Errarunt, quod non depinxerunt oculum lucidiſſimum, quo penetrat corda hominum. Agnoverunt hoc alii Ægyptii aliquantulum prudentiores, qui Deo ſuo obtulerunt ſceptrum regium cum oculo, per ſceptrum ſignificantes poteſtatem regiam, & univerſale Dei dominium vel omnipotentiam, &c. per oculum vero ejus ſcientiam, & providentiam omnia videntem, ſcientemque.

§. 4. *Fruſtra te-*

Scit Deus, quomodo occulta cordis hominis detegat, qui & ſre-

& frequenter illa peccata, quæ peccator vel maximè tecta eſſe atque abſcondita deſiderat, in lucem protrahit. David adulter, quibus modis non fuit conatus tegere commiſſum adulterium? Vocavit Uriam virum Berſabææ ex caſtris, fruſtra! inebriavit, ut dormiret domi ſuæ; fruſtra! manſit ſub dio. Jubetur Joab, Uriam conſtituere loco periculoſo, quo factum, ut & eccubuerit in prælio, neque tamen occultum manſit regium adulterium. Mox adfuit Propheta, qui dixit ore Dei 2. lib. Regum cap. 12. verſ. 11. *Ecce ego ſuſcitabo ſuper te malum - in oculis ſolis hujus.* Tu feciſti in abſcondito, ego autem faciam in conſpectu omnis Iſraël, & in conſpectu ſolis. Deus ſcit & videt omnia.

gimus occulta peccata.

§. 5. *Chriſtus D. ſcit omnia.*

Licet verò infinita hæc perfectio; omnia videre. omnia ſcire, intueri, ſcrutari corda hominum, perfectio ſit Divina, ſoli Deo conveniens, quia tamen Chriſtus, non tantum homo ſed & Deus eſt, ideò & ipſi omnia conveniunt. Pravum cor hominis, &c. tamen ipſe Dominus eſt ſcrutans corda, &c. Nemo dicat, quis me videt? q. d. Chriſtus non videt, tenebræ circumdant, &c. Reſpondebit Eccleſiaſticus cap. 23. v. 28. *Non intelligitis impii? oculi illius lucidiores, &c.* Reſpondebit Job c. 31. verſ. 4. *Nonne ipſe, &c.* Reſpondebit Regius Pſaltes Pſ. 138. v. 12. *Quia tenebræ, &c.* Reſpondebit Iſaias: *Ipſe eſt judex & teſtis.* Ægyptii depingent cum quotuor oculis; unus reſpicit cœlum [quidquid in cœlo contingit, ſcit, videt; ſic de aliis oculis;] de oculo præcipuè ſuper corda, &c. Cum tempus erit, deteget omnia, &c. O impii! veniet hora, quâ dicet; *Vos feciſtis in abſcondito, ego, &c.* O luxurioſi! ut quid cogitatis mala in cordibus veſtris! Sic eſt, latent quidem veſtra deſideria; In conſpectu ſolis aliquando, id eſt, coram oculis omnia cernentis Judicis omnia patebunt: O iracundi, invidi, vindicativi, ut quid &c. vel prout loquitur Propheta Jeremias cap. 4. verſ. 21. *Uſquequò morabuntur in vobis cogitationes noxiæ*, ? Ad quid illæ felleæ, ſpinoſæ, acerbæ cogitationes de vindicta, de calumniis, imprecationibus? Sic eſt, tegitis ut poteſtis; ſed Deus deteget, ut volet. Et

Digitized by Google

voſambitionis vento inflata capita, vos pectora veſtra tumida, latere nunc vultis veſtra machinamenta ſuperba: olim patebunt. Removebitur ſiparium, poſt quod abſcondita latent ſuperbiæ veſtræ conſilia. Et vos avari, quos graphicè deſcribit gentium Doctor 1. Timoth. 6. v. 9. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & deſideria multa nociva, quæ mergunt hominem in interitum.* Benè de vobis dixit S. Gregorius: *Si ad terrena concupiſcenda cor inhiat, tranquillum nullatenus eſſe poteſt-huc illuc quaſi fluctibus volvitur cogitationum.* Tegitis veſtra deſideria, fraudes occultatis, ſed patebunt aliquando, atque ad radios ſolis ſive judicis omnia cernentis oculos exponentur.

§. 6. *Oblivio hujus veritatis, Deo nihil eſſe abſconditum, eſt cauſa graviſſimorum ſcelerum.*

Oblivio hujus conſiderationis cauſa eſt ſcelerum graviſſimorum. Pſ. 10. v. 5. agnovit David: *Non eſt Deus in conſpectu ejus,* [impius non eſt memor, Deum vel Chriſtum judicem de cœlo omnia cernere] & - *inquinatæ ſunt viæ illius omni tempore.* In Hebraico: *Parturiunt viæ illius in omni tempore*, ſcil. ſexcenta monſtra graviſſimorum peccatorum. Pſal. 52. v. 1. *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus.* In Hebraico: *Non eſt Judex.* Ex Pſ. 35. v. 1. ait: *Dixit injuſtus hæc verba*, ſic legunt alii. - *impius - adulatus eſt ſibi.* Alii: *Blandè agit apud ſe.* Syr. *Linivit ei peccatum in oculis ejus.* Chaldæus: *Noluit intelligere*; ſcilicet Deum omnia cernere. Ezech. c. 9. v. 9. ſic de illis loquitur: *Dixerunt enim, dereliquit Dominus terram, & Dominus non videt.* Sed audite, quæ ſequentur Pſ. 52. v. 2. *Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis.* S. Paulus - *traditi ſunt in reprobum ſenſum, - repleti omni iniquitate, malitia, nequitia - pleni invidia, dolo, malignitate, ſuſurrones, detractores, Deo odibiles, &c.* Similes nequam ſenibus, de quibus ait Daniel c. 13. v. 9. *Everterunt ſenſum ſuum, & declinaverunt oculos ſuos, ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum juſtorum*: ſic vivent impii, dum obliviſcentur Dei judicis omnia cernentis.

§. 7. *Elegans locus ex S. Auguſtino.*

Certè aliter vivit, qui dicit cum S. Aug. ex ſol. c. 14. *Fateor, quia quidquid facio, ante te facio, & quodcunque facio, ante te facio, & illud, quidquid eſt quod facio, melius tu vides quam ego, qui facio, quidquid enim ſemper operor, tu pariter præſens ſemper aſſiſtis, utpote perpetuus*

petuus inſpector omnium cogitationum, intentionum, & delectationum & operationum mearum. Domine, ante te ſemper omne deſiderium meum - & ante te tota cogitatio mea, &c. - quidquid cogito, tu vides, oculi tui vident omnia & conſiderant: Signas, attendis, notas & ſcribis in libro tuo, ſive bonum fuerit ſive malum, ut reddas poſtea pro bono præmio, pro malo ſupplicia. Finire me melius non puto poſſe, quàm verbis S. Chryſoſtomi: *Phariſæe - cape Divinitatis inſignia, audi eum pectoris tui penetrâſſe ſecretum. Aſpice eum ad cogitationum tuarum latebras perveniſſe: intellige eum cordis tui tacita dare conſilia, cape, inquam, &c.* Hæc ſolus Deus facere poteſt.

Jam verò oſtendit ſe filium Dei, dum paralytico remittit peccata. In quo advertendum eſt I. remiſſionem peccatorum maximum eſſe beneficium, quia annexa illi eſt infuſio gratiæ, exornatio animæ per veſtem nuptialem, conſortium Divinæ naturæ, apertio regni, obſecratio inferni, donorum ac virtutum ſupernaturalium communicatio, ubi omnia bona pariter veniunt cum illa: hæc omnia ſolus Deus poteſt communicare. II. Adverte, clavem ſeu poteſtatem remittendi peccata eſſe triplicem, I. eſt principalis, quâ quis principaliter & propriâ virtute peccata remittit, & hoc competit ſoli Deo. Iſa. 43. v. 23. *Ego ſum, ego ſum, qui deleo iniquitates tuas propter me.* Et ideo [ait Venerabilis Beda] *Chriſtus verè Deus eſſe probatur, quia dimittere peccata quaſi Deus poteſt*; ſcilicet ratione hypoſtaſis, vel naturæ divinæ, quæ in Chriſto eſt, poteſtas hæc principalis & Deo propria illi convenit. Unde S. Chryſoſt. pulchre quærit: *O Phariſæe - cur tibi Deus non eſt, qui ea, quæ ſolius Dei ſunt, operatur.* O nequam Phariſæi, non equidem neſcitis, quod quando Matth. 3. v. 17. fuit baptizatus in Jordane à Joanne, aperti fuerint cœli, quod Spiritus ſanctus deſcenderit in forma columbæ, quòd vox de cœlo dixerit: *Hic eſt filius, &c.* Si his teſtimoniis non creditis, operibus credite. Et S. Ambroſius: *Dei filius ab operibus accipit teſtimonium - magna ergò perfidia eſt, confiteri, ſolius Dei eſſe donare peccata, & non credere, Deo peccata donanti.* S. Chryſolgus: *Si Deus eſt, qui remittit peccata; cur tibi Chriſtus Deus non eſt?*

§. 8. *Oſtendit, ſe filium Dei, dum remittit peccata.*

§. 9. *Chriſtus D. dupliciter habet poteſtatem dimittendi peccata.* Itaque dum Chriſtus Dominus peccata dimittit, Deum ſe eſſe apertè probat. Sequitur ulterius, Chriſtum D. habere duplici titulo poteſtatem dimittendi peccata, ſcilicet quatenus Deus & quatenus homo; ut Deus, habet illam à ſeipſo auctoritativè & principaliter; ut homo, habet illam communicatam à Divinitate, cui ejus humanitas eſt velut inſtrumentum, conjunctum ad conferendam gratiam, per quam remittuntur peccata. Et hæc clavis eſt altera, ſive altera poteſtas, quæ dicitur excellentiæ; & hæc Chriſto homini competit; Ipſe enim tanquam mediator & redemptor promeruit nobis gratiam, & peccati remiſſionem, & apertionem regni cœleſtis, ſatisfaciendo pro peccatis noſtris. Unde ſpecialiter hic titulus illi tribuitur: Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Et quia hoc nulla creatura, niſi ſolus Chriſtus facere potuit, ideo illi propria eſt clavis vel poteſtas excellentiæ.

§. 10. *In Sacramento remittuntur peccata, vi ſanguinis Chriſti.* Tertia clavis dicitur clavis miniſterii; quâ inſtructi ſunt Sacerdotes & miniſtri Eccleſiæ; Quaque utuntur in Sacramento pœnitentiæ, ubi vices agunt Chriſti, & virtute paſſionis Chriſti remittuntur peccata, auferuntur impedimenta regni cœlorum, denique jus ad gloriam cœleſtem tribuitur. Verum ſciendum eſt, hæc omnia fieri virtute Agni & ſanguinis ejus; quod in ſcripturis variis honorificis titulis exprimitur, dum ſanguis hic dicitur ſanguis *redemptionis*, qui fuit pretium, quo empti ſumus. Sanguis *propitiationis*; per illum enim facti ſumus propè, qui eramus longè à DEO. Sanguis *ablutionis*! qui emundat nos ab omni peccato. Sanguis *aſperſionis & ſanctificationis*! per quem ſumus ſancti. Sanguis *reſerationis*; qui nobis aperuit portas regni cœlorum. Ex his titulis colligere poſſumus, quàm ſint ſolatio plena hæc verba CHRISTI Salvatoris noſtri: *Confide fili.* Hic eſt ſenſus. O anima peccatrix, licet tua te peccata mancipatui ſathanæ transmiſerint; licet ipſe te, jure ad cœlum, volens lubensque exueris; licet in ſummam malorum abyſſum temet ultrò præcipitaris: confide tamen, atque ad Jeſum confuge; Hic eſt, qui tibi in ſacramento pœnitentiæ ſacratiſſimum ſuum ſanguinem exhibet; hoc pretio

rio jus tuum redimes ad gloriam. Hic eſt, qui tibi merita ſua impertiri deſiderat. Hoc titulo in priſtinam te gratiam reſtitues: Hic eſt, qui te in ſanguine ſuo lavare deſiderat; hoc lavacro immundæ animæ tuæ ſordes ablues, & tota munda, pura ac nitida evades. Hæc ſunt, quæ dicere voluit S. Paulus Hebr. 10. v. 19. *Habentes fiduciam in introitu ſanctorum in ſanguine Chriſti.* At ecce audire videor dicentes, ſi ſoli Deo jus hoc proprium & regale competit, dimittendi peccata; quid ſibi juris in eâdem arrogat Pontifex Romanus? quid Sacerdotes? nunquid in jura involant Divina? nequaquam. Aliud enim eſt, [obſerva quæ dico] aliud eſt inquam, principali, aliud miniſteriali jure gaudere. Prius ſoli Deo & Chriſto; poſterius ejusdem vicariis poteſt competere: His enim dictum eſt ab ipſomet Salvatore, Joan. 20. v. 22. *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remiſſa ſunt eisdem.*

§. II. Chriſtus D. oſtendit, ſe filium Dei, per viſibile miraculum.

In hoc quoque Chriſtus Dominus oſtendit, ſe eſſe DEUM, dum viſibili miraculo, propriâ auctoritate & imperio paralyticum ſanat. Enimverò, quia remiſſio peccatorum propria Deo, erat inviſibilis, poterant Phariſæi cogitare; dicit quidem ſe remittere peccata, ſed quis hoc videt? quis ſcit ita eſſe, Si omnipotens eſſet, ſi filius DEI exiſteret, etiam exterius ſanaret, hoc incurreret in oculos. Quocirca ut Chriſtus D. oſtendat, ſe utrumque poſſe, ait: *Quid eſt facilius, dicere, dimittentur tibi peccata tua, an dicere, ſurge & ambula, & dixit, ſurge. ambula:* ecce paralyticus momento tam in anima quàm corpore convaluit. Et addit Chriſtus Dominus cauſam, &c. *Ut ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem, &c.* faciendi, operandi quæ volet, interius in ſanatione animæ, exterius in ſalute corporis. Dum ſe vocat filium hominis, indicat ipſe veritatem naturæ humanæ; fatetur, quod ſit homo, dum dicit, ſe habere poteſtatem Divinam, dimittendi peccata, & curandi paralyticum, Divinæ etiam naturæ dat ſpecimen. Rurſum eleganter ſanctus Chryſoſtomus: *Ita Deitatis ſua potentiam atteſtatione operis monſtravit, dum diſſipati corporis membra componit, nervos ſtringit, oſſa jungit,*

Digitized by Google

git, - *firmat artus, & greſſus ad curſum ſuſcitat in vivo cadavere jam ſepultos.* Age nunc Phariſæe, quid ringeris furoris impatiens, an qui hæc facit Deus non ſit? non ſit Deus, quia tam mira operatur, modo tam miro atque inſolito? non ſit Deus, ad cujus imperium diffugiunt morbi, dolores abſcedunt, mors ipſa repellitur?

§. 12. Apoſtropha & adhortatio ad peccatores, ut accedant ad Chriſtum.

Emphatica ſunt illa verba Chriſti: *Surge, tolle lectum tuum.* Audi peccator, tu es ille paralyticus, cujus hodiernum Evangelium facit mentionem. In hoc modo ſiſto; id ſiquidem ex aliis ſuppono Concionibus, hoc vellem te hodie meminiſſe; quem in ſtatum prolapſus ſis, & in quo lecto verſeris? Cecidiſti cum Saulo in tenebras excœcatæ mentis. Cœca mente fuit proſecutus novam legem Chriſti & Jeſum Nazarenum, ſed audivit vocem de cœlo: *Saule, Saule, quid me perſequeris? ſurge & ingredere civitatem, & dicent tibi, quid te oporteat facere*, Actor. 9. verſ. 6. Idem feciſti hactenus impie cum ſalu tuo! Jeſum perſecutus es! quo nunc miſer cecidiſti? ſurge cum Saulo, qui cecidiſti cum Saulo! ſurge, & ad tuum te Jeſum recipe. Si cœcus es, hic eſt, qui noctem vertit in diem, hic eſt, qui fugat tenebras, hic eſt, qui ſedentes in umbra mortis illuminat. Si æger es? hic eſt ille archiater, cujus beneficam manum ſenſere tot infirmi, tot languidi, tot moribundi. Si triſtis es? hic ille, qui recreat mœſtos, conſolatur afflictos, jacentes erigit, depreſſos extollit. Surge itaque, ſurge, & ad Jeſum tuum quàm potes feſtinus accurre. O miſer! cecidiſti cum filio prodigo per concupiſcentiam carnis, usque ad ſiliquas porcorum: miſer es, & miſerabilis ſocius porcorum; ſed ſurge, & ito ad Patrem, dic hodie: ſurgam & ibo ad Jeſum meum. Cecidiſti cum Petro in terribilem carcerem, imo in ipſam infernalium furiarum carcerem delapſus es. Sed audi, quid Angelus dixerit Petro Actor. 12. v. 7. *Surge velociter, quia ceciderunt catenæ de manibus tuis.* O miſer! fuiſti cum Magdalena publicus peccator, gravi peccatorum mole oppreſſus, ſurge, feſtina, propera, abjice te ad venerabiles & vulneratos CHRISTI Salvatoris noſtri pedes, illos veræ pœnitentiæ lachrymis riga, contrito & humiliato illos oſculare corde, & audies

dies ſuaviſſimam illam quoque vocem: *Remittuntur tibi peccata,* Luc. 7. v. 49.

O miſer peccator, ô paralytice, ubi jaces? ſecundum S. Bonavent. *Jaces in luto carnalitatis*, ſecundum D. Aug. *in lecto voluptatis corporali.* Secundum S. Greg. Naz *in lectulo languoris animæ tuæ* Secundum S. Joan. *in lecto concupiſcentiæ.* ex Deut. c. 3, 11. *in lecto ferreo: alligatus es catenis tuorum ſcelerum.* Secundum S. Bern. *in laqueis & vinculis corporis tui.* Secundum S. Paul. ad Rom. 6. *in lecto mortis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus.* D. Greg. Naz. *ego novus paralyticus lectulo teneor, anima mea in corpore ut in lectulo jacet.* Idiota pro lecto ponit, *ſterquilinium ſcelerum.* O miſer ubi jaces, &c. ad omnes hos lectos aſtant diaboli, &c. aſtat mors, diabolus, infernus, & jaces & dormis? ô miſer ſurge, Chriſtus vocat, hodie vocat, fortaſſis cras non fiet, quid tum ſupereſt ſi reſpuas auxiliatricem Dei manum, niſi ut ex lecto ſcelerum NN. momento deturberis in lectum ferreum, igneum æternæ damnationis, de quo ſeq. Dom. audiemus, *ligatis manibus, &c.* avertat hoc à nobis bonus Jeſus, cui laus, &c. §. 13. Profecutio.

CONCIO XLVIII.

DOMINICA XX. POST SS. TRINITATEM.

Ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenebras exteriores,

Matth. 22. v. 13.

SYNOPSIS CONCIONIS.

OCcaſione comparationis, quâ Regius Pſaltes Pſ. 10. v. 7. pœnas inferni comparat cum pluvia; variis modis agit de pœnarum illarum multitudine, magnitudine & immenſitate.

Digitized by Google

§. 1. *Vtile eſt concionari ſæpe de inferno.*
§. 2. *Pœnæ inferni comparantur pluviæ.*
§. 3. *Pœnæ inferni ſunt exquiſitæ.*
§. 4. *In inferno terribilis grando.*
§. 5. *Imaginatio ardentis Sodomæ proponere nobis poteſt ignes inferni.*
§. 6. *Damnatis nulla prorſus erit conſolatio.*
§. 7. *Infernus: horribilis eſt Vulcania.*
§. 8. *Ex doloribus Iobi colligere poſſumus pœnas damnatorum.*
§. 9. *Apoſtrophe ad impios.*
§. 10. *Supremæ voces morientis militis.*

§. 1. *Vtile eſt concionari ſæpe de inferno.*

CItat. thema ducit me in infernum, locum illum tenebricoſum, quem paravit Divina potentia & juſtitia, ut in damnatos æternis pœnis animadvertat. In illum locum, de quo quæritur Eccleſiaſticus c. 1. v. 2. *Profundum abyſſi quis dimenſus eſt?* Hugo Card. hic: *Per profundum abyſſi intelligitur profunditas ſuppliciorum. Et hujusmodi nemo metitur; præmia cœli contemnuntur, gaudia mundi diliguntur, ſupplicia inferni non metuuntur.* Ideo neceſſe eſt, & verò etiam utile, ut Concionatores frequenter de illis agant, nimirum exemplo Chriſti Salvatoris noſtri, qui ignis æterni tenebrarum, &c. toties mentionem fecit. Fecit olim idem S. Chryſoſtomus, qui identidem peccatores inferni pœnis ante oculos propoſitis perterrefacit, cumque advertiſſet, Auditores ſuos hac de cauſa murmurare, dixit hom. 2. in epiſt. ad Philip. *Ne ſitis ad verborum iſtorum gravitatem difficiles, nam iſta verborum gravitas occaſionem animabus veſtris à peccatis reſurgendi parit.* Ut ſæpe cor induratum peccatoris moveatur ad pœnitentiam, opus eſt igne inferni. Comparat David cor hominis ceræ: Pſal. 21. verſ. 15. *Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens.* Pſal. 67. verſ. 3. *Sicut fluit cera à facie ignis, &c.* Comparationis binas allegat cauſas citatus Chryſoſtomus homil. 2. in epiſt. ad Theſſal. *Sicut ignis ceram duram brevi tempore liquefacit, ſic ſæpe meditatio ignis inferni emollit animum peccatoris. Deinde, qui cera indurata imprimere vult ſigillum aliquod, vel imaginem, admovet illam prius igni, ut ſic ad recipiendam figuram imaginis diſponatur.* Audite peccatores, cupio

Digitized by Google

cupio cordibus veſtris imprimere imaginem Chriſti, vel ſudantis ſanguinem, vel Crucifixi; ut moveam ad contritionem, ſed quia corda veſtra ſunt ut adamas, admovenda prius igni exiſtimavi: dicam clarius, ex aliquot ſacræ Scripturæ locis oſtendam, quam immenſa ſint tormenta inferni. Quiſquis illa comprehendit, in æternum non peccabit. De benevola interim attentione veſtra in re tam gravi ac ſeria nullus dubito.

Inter alia, quæ David in Pſalmis comminatur peccatoribus, eſt quoque terribilis pluvia; Pſal. 10 verſ. 7. *Pluet ſuper peccatores laqueos ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum.* Id eſt, DEUS impios æternis ignibus & tormentis in inferno afficiet. Comparantur illa pluviæ his ferè de cauſis: I. Repentinam pluviam in patenti campo nemo evadere poteſt; poſt latam in valle Joſaphat terribilem ſententiam: *Diſcedite maledicti,* ingruent ignes, tormenta, dolores, tanquam pluviæ, & igneæ quidem, nec ullus impiorum evadere poterit, comparebunt in carnis reſurrectione reges, &c. Si impii ſint mortui, non evadent, &c. noluerunt in hoc mundo guſtare calicem Chriſti patientis, ſed vinum Babylonicæ meretricis, noluerunt audire de myrrha & aceto, quod Chriſto porrectum fuit in cruce, bibent æternum ex ſtagno ardenti, bibent ſulphur & picem, bibent de calice furoris Domini: *Bibent omnes peccatores terræ,* ait iterum Pſaltes Regius, bibent uſque ad fæces, quas nullo unquam ævo prorſus exhaurient Altera comparationis cauſa latet in quæſtione illa Eccleſiaſtici: *Arenas maris & pluviæ guttas, quis numeravit?* quaſi diceret, tot ſnut, ut numerari non poſſint. Terribilis & ignea eſt pluvia in inferno, quot verò guttæ ſint, ſive quot ibi tormenta, quam diverſa, numerare vel exprimere nemo poteſt. Job aliquo modo numeravit, ſed numero, qui innumerabilem numerum in ſe continet, cap. 20. verſ. 22. *Omnis dolor irruet ſuper eos.* Deuteron. 32. verſ. 23. *Congregabo ſuper eos mala.* Deuteron. 3. *Iraſcetur furor meus contra eum, & derelinquam eum* - [hinc] *invenient eum omnia mala & afflictiones*, & cap. 3. verſ. 5. *Obſcurent eum tenebræ, & umbra*

§. 2. *Pœna inferni comparantur pluviis.*

umbra mortis, occupet eum caligo, & involvantur amaritudine. Involutus ille fuit epulo, de quo Luc. 16. v. 23. *Elevans autem oculos ſuos, cum eſſet in tormentis.* Damnati toti ſunt in pœnis. Ignis - Pſ. 57. v. 10. *In ira abſorbet eos.* Job. 20 v. 26. *Devorabit eum ignis.* Pſ. 20. v. 10. *Et devorabit eos ignis.* Joel. 2. v. 10. *Ante faciem ejus ignis vorans.* Iſ. 33. v. 14. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante?* hæc emphaſis latet. Quod devoratur v. g. à dracone, ex omni parte in ventre vorantis includitur, & citiſſimè in ſubſtantiam ejus mutatur. Sic qui devorantur à dracone, inferis, &c. animæ, corpora, omnia membra tota fiunt ignita, &c. Alium modum loquendi invenio Jonæ 2. v. 6. *Abyſſus vallavit me, pelagus operuit caput meum,* miſerandus profectò ſtatus illius, cujus caput undique circumfuſæ maris procellæ circumdant, ecquis illum ab interitu vindicabit? Infelix homo, talis erit animæ tuæ ſtatus in flammis illis infernalibus, undique te cingent, undique obruent fluctus dolorum, cruciatuum, tormentorum; pelagus operiet caput tuum, malorum abyſſus te abſorbebit horrendâ æternitatis voragine. Job. 20. v. 18. *Juxta multitudinem adinventionum ſuarum, ſic & ſuſtinebit.*

§. 3. *Pœnæ inferni ſunt exquiſita.*

Neque innumera ſolùm apud inferos ſunt tormenta, ſed exquiſita: duo invenio in multis peccatoribus, peccata multa, & gravia, imò nova, his omnibus par erit pœna in inferno. Multitudini peccatorum reſpondebit, multitudo pœnarum; gravitati gravitas, juxta illud Pſ. 98. v. 8. *Ulciſcens in omnes adinventiones ipſorum.* Pſ. 27. v. 4. *da illis ſecundum opera eorum, & ſecundum nequitiam adinventionum ipſorum.* Ite ſuperbi, & arrogantes, quærite, excogitate novas ſpinas, quibus Chriſtum coronetis; hoc facitis per adinventiones novas ſuperbas in veſtibus, &c. ſed in inferno Juſtitia igneas quoque & novas ſpinas excogitabit, quæ æternùm vos pungent. Ite luxurioſi, excogitate nova flagella, quibus filium DEI quantum in vobis eſt, de novo flagelletis, hoc facitis per novas adinventiones luxuriæ, ſed ira DEI in inferno nova quoque parat flagella, & ignea, quibus diaboli æternùm in vos ſævient. Ite guloſi, adinvenite acetum, fel, pro Chriſto Domino, hoc facitis per tot comeſſationes, & compotationes,

non

Digitized by Google

non diurnas tantùm ſed & nocturnas: ſed ira Dei aliud vobis miſcuit acetum, aliud fel propinabitur, aliud offeretur abſynthium. Ite uſurarii, invenite novos modos vendendi Chriſtum, hoc facitis per novas nequam adinventiones ditandi, per novas uſuras, novas fraudes, &c. ſed, &c. Ite, qui eſtis in odio, eſtote ingenioſi, & excogitate, quomodo vindictam ſumatis, &c. ſed, &c. audite prius S. Greg. l. 5. mor. c. 10. *Qui multa invenit ad culpam, novis inventionibus cruciatur ad pœnam.* Vide. Thom. Kemp. de inferno: *Nullum vitium erit, &c.*

Necdum exhauſi cit v. 7. Pſal. 10, *Pluet Deus ſuper peccatores.* Invenio in illo tertiam cauſam, ob quam æterna damnatio comparatur pluviæ. Inter delabentes aquas murmurant quandoque nubes, tonat cœlum, immugit aër, fulgurat, fulminatque: Talis perhibetur fuiſſe grando, quâ Moyſes percuſſit Ægyptum, Exod. 9. v. 24. *Grando & ignis mixta, pariter ferebantur.* LXX. *Erat autem grando & ignis ardens in grandine.* D. Bonavent *Nix autem & glacies ſuſtinebant vim ignis, & non tabeſcebant.* Philo Jud. lib. de vita Moyſis: *Repentè aer novam ſumpſit faciem, ut ſimul ingruerent imbres, grandines, procellæ atque turbines, colliſiones nubium, continua fulgura & tonitrua, prodigioſa ſpecie; grando enim intermixta, neque iſta liqueſcebat, neque extinguebat fulmina, ſed uno eodemque ferebatur impetu.* Fortè ideo illa conjunxit David Pſal. 148. verſ. 8. *Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus.* Talis aura, talis pluvia eſt in inferno. Venti terribiles, quos ſufflat ira Dei. Hi venti infernales damnatos æternùm perterrefacient. Nix terribilis & æterna. Inter nives & aquas, fulgura, fulmina, & æternum! Inter illos ventos, inter illas nives & grandines, inter illa fulmina depluet quaſi ignis, ſulphur, pix, & quidquid ignem animare poteſt, prodigioſâ & terribili ſpecie. Ignis inferni non impediet nives, nix non extinguet ignem, ſed ad pœnam miſcebuntur omnia in inferno. Nix, ignis, grando, ſulphur, pix, &c. O peccatores, quæſo, imaginamini vobis hanc auram & pluviam in inferno!

§. 4. *In inferno terribilis grando.*

§. 5. *Imaginatio ardentis Sodomæ ponderamobis poteſt ignes inferni.*

Quocirca bene dixit S. Chryſoſt hom. 8. in epiſt. ad Theſſal. *Siquis gehennam futuram non credit*, [dicam ego, ſi quis ſuæ imaginationi illam vult imprimere,] *Sodomam cogitet, Gomorrhæ meminerit, ſupplicii recordetur.* Quis dicet, quo terrore obruti fuerint miſeri incolæ, cum viderunt decidere ignes, ardere momento omnia? talis terror æternum erit in inferno? qui fuerint ejulatus, clamores, gemitus, cum parentes viderent ab igne corripi & exuri filios, econtra, cum filii cernerent ultricibus flammis concremari parentes infelices? talis muſica æternùm erit in inferno. Præter exiguam Lothi familiam non fuit, qui has flammas effugeret: in inferno nulla erit in æternum redemptio. Videre mihi videor multos Sodomæ incolas, tandem præ deſperatione & furore ſe ipſos præcipitare in ignes; talis deſperatio æternum erit in inferno. Ignea pluvia ſuper Sodomam duravit fortè aliquot horis, & tamen quot fuerint guttæ nemo numeravit; pluvia ignea in inferno durabit in æternum, quis numerare poterit guttas, cum ſint infinitæ. Verbo, pœnæ inferni ſufficienter explicari & exprimi non poſſunt.

§.6. *Damnatis nulla prorſus erit conſolatio.*

Pondus hoc pœnarum immensùm auget circumſtantia, quam paucis verbis inſinuat Thomas Kempenſis: *Ibi nulla requies eſt, nulla conſolatio damnatis.* Adeſt quidem omnis dolor, præſens omne malum, præſens terribile tædium & agonia, &c. Simul tamen abeſt omne gaudium & omne ſolatium. Ardent ſine omni ſolatio, & ardebunt æternùm, ſimiliter ſine omni gaudio cum fame ſitique conflictandum æternum abſque ſpe ullius refrigerii; Ex mediis flammis infelix epulo ab Abrahamo unicam petit aquæ guttulam; negavit piiſſimus Abraham, ut ſciamus, damnatis ne guttulam gaudii concedi. Similiter æternum illos rodet vermis conſcientiæ, abſque ulla requie. Fateor, perquam graves ſunt, quos ſæpe in hac mortali vita perpetimur dolores! unicus dentium dolor, quam non eſt acerbus! cephalalgia ſeu dolor capitis quàm non moleſtus! quid dicam de dolore lateris aut cordis? quid de acutis podagræ cruciatibus? quid de febribus, quas ab eventu malignas nuncupamus? quid de

Digitized by Google

de ſexcentis aliis, quibus ſubjecta eſt miſera mortalitas noſtra, doloribus, tormentiſque? fateor, ſed præ doloribus inferni levia, imo quaſi nulla ſunt omnia. Hic alii ignes, alii cruciatus, alia tormenra, nimirum talia, quæ nulla ſpes ſanitatis, nulla ſecuturi gaudii exſpectatio imminet, ſpes nulla finis, heu quam acerbus dolor! æterna in flammis deſperatio, heu quàm immanis cruciatus!

§. 7. Infernus! horribilis vulcania.

Job c. 41. v. 15. miris deſcribit verbis damnatum: *Cor ejus indurabitur tanquam lapis, & ſtringetur quaſi malleatoris incus.* Ut hunc locum intelligatis, fingite vos intrare officinam aliquam ferrariam in montibus Pyrenæis, vel denſis Germaniæ ſylvis. Decidens ex præcipitio aliquo torrens, ingenti ſtrepitu movet rotam, quæ attollit hinc folles, hinc immanes malleos. Folles ſuis ventis accendunt ignem & carbones, inter quos fruſta ferri igneſcunt; mallei terribili ſono quatiunt incudem, vel fruſta ferri, dum quatuor vel quinque Cyclopes ferreis forcipibus illa ſupponunt, omnia tali loco circumſtantibus terrorem incutiunt. Secundum Jobum talis locus eſt infernus. O quam terribilis eſt illa rota æternitatis, quæ æternum movebitur, nunquam ſiſtenda. O quam terribilis ſtrepitus torrentium, quæ ex ipſis inferni montibus præcipitantur in abyſſos flammarum. O quales venti, qui ignes illos ſuccendunt. Pſ 17. v. 9. *Aſcendit fumus in ira ejus, & ignis à facie ejus exarſit, carbones ſuccenſi ſunt ab eo.* Iſ. 30 verſ. 33. *Flatus Domini ſicut torrens ſulphuris accendens.* O terribiles Cyclopes, qui ſunt ipſi diaboli! O quales ibi mallei, forcipes! ſed ubi eſt ferrum, quod cudendum eſt, ubi incudes? ipſi damnati erunt, ipſæ animæ erunt, *ut incus malleatoris.* S. Gregorio lib. 34. mor. cap. 3. debeo hunc diſcurſum: *Ad hoc namque incus ſtatuitur, ut crebris ictibus feriatur. Leviathan ergo* [vel aliquis damnatus] *ut malleatoris incus figitur, quia inferni ictibus cor aptabitur, ut æterni ſupplicii concuſſione tundatur.* Proverbiorum capite 19. verſu 29. *Parata ſunt deriſoribus judicia, & mallei percutientes corporibus ſtultum.* In Hebraico *Percuſſores dorſa ſtultorum.* Ad hanc incudem huc adeſte voluptuoſi, eja ſupponite nonnihil illas manus, quas contaminatis

Digitized by Google

minatis laſcivis tactibus, illos pedes, quibus perambulatis ſemitas Veneris, illud caput, quod coronatis roſis, illud corpus, quod ita blandè fovetis. Quid videtur? poteritisne tolerare illos ictus horrendos? ſi dubitatis, citò, citò vobis conſulite, pœnitentiam agite, & convertimini ad Dominum Deum veſtrum. Jam tempus eſt gratiæ, modo ſi vultis, periculum poteſtis effugere, in inferno erit nimis ſerò; ideo Job addit: *Cor ejus* [ſcilicet damnati] *indurabitur tanquam lapis, conſtringetur ut incus.* Hoc quoque de incude hîc mihi memorandum videtur, quod de ſua duritie nihil prorſus remittat, cædatur licet, feriaturque repetitis ictibus, dura manet, & quaſi pertinax incus, molleſcere neſcit. O anima damnata! te repetiti tot ictûs, quot ſunt in æternitate momenta, non flectent! dura manebis atque obſtinata in malo, in odio Dei, in deſperatione. Incudem te jure dixerim, cum multæ annorum, imò & ſæculorum myriades effluxerint, ardebit tamen, & ardebis æternum; ferieris tamen, & ferieris æternum.

§. 8. *Ex doloribus Jobi colligere poſſumus pœnas damnatorum.*

Supereſt pulcherrimus locus, ex quo ſecundum ſenſus ſuo modo colligere poſſumus varietatem & gravitatem pœnarum inferni. Miſerabile ſpectaculum dolorum & tormentorum fuit Job, permittente DEO à diabolo in corpore ejus diverſiſſimi morbi compoſſibiles & incompoſſibiles conjuncti fuerunt, percuſſit inprimis ſatan corpus ejus ulcere peſſimo ſive leprâ tam terribili, ut omnia membra fuerint veluti fontes, ex quibus vermes & pus defluxerunt, hoc uxor ei objecit: *Tu in putredine vermium ſedes*, ſine omni quiete, ideo dixit c. 30. v. 7. *Et qui me comedunt, non dormiunt, nec dormire ſinunt.* Tertullian. legit: *Lacerantes me, non dormiunt.* In Græco eſt: *In doloribus convolutus ſum.* In doloribus podagræ c. 13, 27. *Poſuiſti in nervo pedem meum.* In doloribus diſſenteriæ c. 16. v. 13. *Effudit in terra viſcera mea.* In doloribus renum & colicæ eod. cap. v. 14. *Circumdedit me lanceis ſuis, convulneravit lumbos meos.* In doloribus oculorum. c. 2. *In amaritudinibus moratur oculus meus.* In doloribus pleuritidis, anginæ, aſthmatis c. 17. v. 1. *Spiritus meus attenuabitur.* Pagninus: *Spiritus meus corruptus eſt.* LXX. *Perco ſpiritu agitatus.* In

dolori-

doloribus febris. *Pulſus mei tota nocte non quieſcunt.* [hæc aliqui ponunt ex Hebræo pro illis, qui me comedunt, non dormiunt.] c. 30. v. 30. *Oſſa mea aruerunt præ caumate, in memetipſo marceſcit anima mea, & poſſident me dies afflictionis.* Denique Job fuit in doloribus cordis, cap. 17. verſ. 11. *Cogitationes meæ diſſipatæ ſunt, torquentes cor meum.* Septuaginta: *Convulſæ ſunt compages cordis mei.* Alii: *Rupti ſunt articuli cordis mei.* Cum hæc conſideravit ſanctus Gregorius, dixit: *Cum recognoſco Job in ſterquilinio, cogito qualiter Deus in futuro cruciabit, quos reprobat, qui ita durè affligit, quos amat.*

Adeſte impii, habetis futuræ veſtræ calamitatis umbram aliquam. Si quid eſt in morbis omnibus, dirum, acutum; peſtilens, intolerandum; hoc vos obruet. Illæ veſtræ manus, quibus modo laſcivus amor abutitur, ſentient dolorum cumulos, lepræ fœtores. Illi veſtri pedes, quibus modò ad vanitatem tàm avidè properatis, ſentient ulcerum ſaniem execrandam: illi veſtri oculi, illa veſtra frons, illa veſtra lingua, illi veſtri humeri, illud veſtrum pectus, & illud veſtrum cor, cor impium, incaſtum, flagitioſum, ſentiet, ſentiet non eſſe puerorum ludum, circumdari vermibus, ſerpentibus involvi, flammis uſtulari ſempiternis. §. 9. *Apoſtrophe ad impios.*

Finem imponent Concioni verba agonizantis militis, qui obiit Dolæ in Burgundia anno 1603. Vita illius fuit qualis eſſe ſolet militum: at in agone ſeriò pœnituit. Neſcitur an in illo revera viderit ignes inferni, an adeò vivaciter ſibi impreſſerit. Certè poſt confeſſionem, communionem, reſtitutionem iniquè ablatorum, inter ferventes contritionis actus, ad inviſentes commilitones hiſce verbis peroravit: O ſocii, vias hactenus præcipites & lubricas ambulavimus; erravimus, niſi dolore & lachrymis iram Dei in nos concitatam placare ſtudeamus, niſi mores in melius emendemus, ultrices apud inferos ſcelerum noſtrorum flammas ſentiemus! O ſi ſciretis, quæ vidi! O quales ignes! O quantos, quàm acerbos cruciatus! inter talia piè obiit. Eadem dico vobis Auditores, O ſi ſciretis! O ſi videretis! O ſi ſentiretis! ſed quid precor? avertat clementiſſimus JESUS, ne ſentiatis pœnas illas inferni horrendas! ſcire tamen illas oportet, §. 10. *Supremæ voces morientis militis.*

ret, atque utinam ſcirent & intelligerent, & noviſſima providerent cœci mortales! ſcire opotet, ut non ſit opus ſentire. Sileo modò, ſic tamen, ut toto hoc die, & corde & ore millies exclamemus, [exclamate & vos mecum piæ animæ,] Bone JESU! per paſſionem, per vulnera, per ſanguinem, per mortem denique tuam acerbiſſimam te rogo: *Ne permittas me ſeparari à te in æternùm.*

CONCIO XLIX.

DOMINICA XXI. POST SS. TRINITATEM.

Erat quidam Regulus, cujus filius infirmabatur,

Joan. 4. v. 46.

SYNOPSIS CONCIONIS.

ÆGer morbos acceptet de manu DEI; ut ferat patienter, aſſueſcat variis ſanctis cogitationibus, memor præſertim Paſſionis CHRISTI Domini Salvatotis noſtri & cœleſtis gloriæ.

§. 1. *Per tribulationem & infirmitates multi trahuntur ad Deum.*
§. 2. *Deus immittit morbos.*
§. 3. *Quos æger de ejus manu cum Iobo debet ſuſcipere.*
§. 4. *Heroicum dictum ægra Virginis.*
§. 5. *Et ſancti Dominici.*
§. 6. *Infirmiſſimus poteſt eſſe beatiſſimus.*
§. 7. *Invicta patientia Philippi II. in morbis.*
§. 6. *Dictum Caroli V. in morbo.*

§. 9. *Cum*

Digitized by Google

§. 9. *Cum agri multum non poſſint orare, aſſueſcere debent ſanctis cogitationibus.*
§. 10. *Varias pias cogitationes agris ſuggerit ſitis.*
§. 11. *Et aliæ in morbis circumſtantiæ.*
§. 12. *Magnum agrorum ſolatium eſt memoria Paſſionis Chriſti.*
§. 13. *Suadetur agris uſus horologii Paſſionis.*
§. 14. *Et memoria gloriæ cæleſtis.*

ETiam potentes poteſt Deus humiliare! videmus enim in hodierno Evangelio jacentem humi ad pedes Chriſti, virum valde primarium, quem textus vocat Regulum; eò illum abjecit infirmitas amantiſſimi filii, & ſpes obtinendæ ſanitatis à Chriſto. Sic utrique fuit utile infirmari. Parenti, quia ideo confugit ad Salvatorem; Filio, quia ab illo fuit ſanatus. Ideo hodie & multis expedit infirmari; multi per pœnitentiam ad Chriſtum non venirent, niſi cogerentur per aliquam tribulationem. Admirabilis quidam Galliæ inſignis heros pro ſymbolo curavit depingi pilam de terra ſalientem in altum, cum hoc lemmate: *Concuſſa ſurgo*; vel *concuſſa volo.* Quia pila, dum concutitur, per aëra volat, vel ſurgat è terra. Quod hodie frequenter multi peccatores vel tepidi Chriſtiani, poſtquam longo tempore jacuerunt in ſomno vitiorum, &c. cum filio prodigo vel cum hodierno Evangelio ſurgant, atque ad Chriſtum feſtinent; ideo fit, quia verberibus tribulationum concutiuntur. Multi flagellis adverſitatum compelluntur ad pœnitentiam & ad Deum. Plurimi hominum non aliter quam plagis diſcunt ſapere, tum cœlum aſpirant, cum deſiſtit terra; tum mentem ad cœleſtia erigunt, cum inter fluxa illis male eſt. Concuſſi ſurgunt, ut pilæ turgentes vento, quæ quo gravius feriuntur, hoc altius volant. Unum ex præcipuis inſtrumentis, quibus Deus ad hunc finem utitur, ſunt morbi. Quamdiu Hebræi in exitu ex Ægypto per deſertum, immunes fuerunt à morbis, obliti ferè ſunt Dei creatoris & benefactoris ſui, ſed ait Pſal. 15. v. 4. *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum*, poſtea acceleraverunt. Ignei ſerpentes docuerunt illos elevare oculos in altum ad ſer-

§. 1. Per tribulationem & infirmitates multi trahuntur ad Deum.

pentem æneum, quem Moyſes ex cruce ſuſpendit ad Chriſtum Crucifixum, & hodie Deus habet igneos ſerpentes, quibus compellit S. Aug. tr. 7. in Joan. *Quàm multi ſcelerati ſani ſunt, quia ægrotarunt.* S. Bern. de inter. domo c. 46. *Melius eſt frangi doloribus ad ſalutem quàm remanere incolumes ad damnationem, præterquam quod juxta Plinium virtuti etiam in lectulo ſit locus, p. & - optimi ſæpè ſumus, cum infirmi ſumus.* Hanc materiam, utile eſſe infirmari, tractavi anno ſuperiori integrâ Concione; hâc præſenti aurea aliquot documenta vel regulas præſcribam, ſecundum quas morbos perferre debemus, ut ſint nobis utiles. Prima maxima erit, ut æger morbum ferat patienter, debet illum de manu Dei ſuſcipere, & unire ſuam voluntatem cum Divina, &c. Secunda, ut morbos ferat patienter æger, occupet ſe cogitationibus ſanctis. Tertia ſit memor meriti & gloriæ, quam per patientiam in in morbis meremur. Hæc tria graviſſimos etiam morbos temperabunt.

§. 2. *Deus immittit morbos.* Primi puncti documentum hoc eſt. Quamprimum homo Chriſtianus incidit in morbum, ſtatim agnoſcat illum ſubmitti à Deo. Cauſæ morborum ſunt phyſicæ & naturales, ſed quos Deus dirigit, Eccleſiaſt. 11. v. 14. *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honeſtas à Deo ſunt.* Inter flagella, quibus Deus ſuos electos & etiam peccatores in hac vita caſtigat, ſunt morbi, qui ſapit, dicat cum regio Pſalte, ex Pſ. 37. v. 18. *Ego in flagella paratus ſum.* Morbi ſunt calix in manu Domini, & amarus calix; ſed quia Dominus illum paravit, vel ut Chriſtus D. loquitur, *Calicem, quem dedit mihi Pater*, dicamus cum eodem Chriſto D. *Pater, ſi vis ut bibam illum, non mea ſed tua voluntas fiat.* Ægri ſuos morbos ſolent appellare gravem crucem; ſic eſt, ſed qui illam imponit Dominus eſt, prudentes illam exoſculantur, dicentes cum S. Andr. *ſalve O bona crux, &c.* ſalve febris, ſalve podagra, &c *Nam* [ajebat quidam S. Pater ad diſcipulum] *ſi Deus torquere te velit, & in morbo te eſſe tu qui es qui divinæ reſiſtas voluntati, aut cum moleſtè fers? ſuſtine & roga Deum, ut quod ipſe vult, tu quoque velis.*

§. 3. *Quos æger,* Quocirca æger dum lectulo affigitur, dicat quod dixit Job, cum permittente Domino percuſſus fuit à Satana ulcere peſſimo,

Digitized by Google

mo, cùm à planta pedis uſque ad verticem capitis non eſſet in eo ſanitas, cap. 2. v. 7. *Si bona ſuſcepimus de manu Dei, mala quare non ſuſcipiamus? Sicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum*, amice mi, fortaſſis urit febris, an pleuriſis pungit latera? an renes vellicat calculus? ſic placet Deo: dic, ſit nomen ejus benedictum, an fortaſſis pectus & pulmones rodit phtiſis? an ventrem torquet cholica, vel inflat hydrops? an cancer paſcit ubera? ſic placet Deo: Dic millies, *Sit nomen ejus benedictum*.

de ejus manu, cum Jobo debet ſuſcipere.

§. 4. *Heroicum dictum ægræ Virginis.*

Cum tempore S. Vincentii Ferranienſis, piiſſima Virgo Nicolaa ardenter deſideraret aliquid pati pro Chriſto [ſolet hoc eſſe excelſum deſiderium filiorum Dei] bonus Deus variis illam morbis inviſit. In capite ſenſit acutiſſimas puncturas, in ſtomacho ardentiſſimum calorem; linguam obſedit turpiſſimus quidam cancer; illos toto tempore paſſa fuit dolores, ut videretur ſibi jacere in lectulo ſtrato ſpinis; vel in craticula cum S. Laurentio; & durarunt hæc tormenta per annos omnino 50. Cum circumſtantes flerent, gemerent, ſuſpirarent, ipſa dicebat, *quare fletis? nunquid Deus hos dolores & morbos ſubmiſit? quare reſiſtam Deo & ejus voluntati, quæ me amat & cuſtodit velut pupillam oculi*. Sic in morbis loquuntur filii Dei.

§. 5. *Et S. Dominici.*

Morbos de manu Dei ſuſcepit S. Dominicus; inter graviſſimos dolores dicens; *deſidero mi Deus, deſidero tui cauſa quamplurimum pati*. Monitus à fratre, rogaret à Deo dolorum remiſſionem, poſt acrem increpationem abjecit ſe humi, & hunc in modum oravit. *Gratias tibi ago, mi Ieſu, pro his morbis, mi Deus, ſi augere vis, augeas & patientiam*. In vita viri ſancti fit mentio, alicujus fœminæ, cujus putrida ubera ſcatebant vermibus; petiit unum S. Dominicus, & in ejus manu vermis turpiſſimus verſus fuit in lucidiſſimam gemmam, de fœmina autem ait vita, *patiens erat, & ſolabatur ſe unicâ Dei voluntate*. De manu Dei morbum ſuſcepit alter æger, in lectulo ſuo patienti animo ſic ſuſpirans: *Dulciſſime DOMINE IESV Chriſte, in unione illius charitatis, quâ te Patri obtuliſti in mortem, offero tibi cor meum, ut de me & per me, in hoc acutiſſimo morbo*

Rrr 3 *fiat*

fiat beneplacitum tuum. Dulcis JESU tuæ voluntati me committo.

§. 6. *Infirmiſſimus poteſt eſſe beatiſſimus.*

Huc pertinet aurea illa lectio vel inſtructio, quam infirmis reliquit Epictetus epiſt. l. 4. *Ægrotavi, ſed volens, quia voluiſti. Pauper fui te volente, ſed lætus. Volo enim quod vult Deus. Hac me cogitantem occupet mors.* Deinde ait: *Oſtende mihi aliquem, qui ægrotet & beatus ſit, qui in periculo, & beatus, qui etiam moriatur, & beatus ſit.* Scitis fortaſſis Auditores, eſſe modo, dum nos hic ſumus, domi ſuæ aliquos, qui ob podagræ dolores ſe movere vix poſſunt? quæro cum Epicteto, ſuntne beati? ſunt hic forte parentes, qui filiolum aut filiolam domi habent cum febri maligna colluctantes: Iterum interrogo; illine beati? alium domi hydrops inflat & excruciat; an beatus ſit ideo? alium calculi dolores quàm acuti tam moleſti in palæſtra patientiæ exercent, quid dicemus? nunquid beatum pronunciabimus ejusmodi infirmum? Quæſtioni melius nemo reſpondebit, quàm qui propoſuit, ſapientiſſimus Epictetus ait: *Animum oſtendat aliquis veſtrum hominis, qui idem cum Deo ſentire velit. Poſthac nec Deum, nec homines culpaturus, qui nullo caſu lædatur, qui non iraſcatur, qui* [quid enim ambagibus opus eſt,] *ex homine Deus fieri deſideret, per perfectiſſimam reſignationem & unionem voluntatis propriæ cum Divina, hic beatus eſt etiam in terris, etiam in morbis inter graviſſimos dolores.*

§. 7. *Invicta patientia Philippi II. in morbis.*

Nunquam ſine admiratione legere poſſum ſupremos morbos potentiſſimi Regis Hiſp. Philippi II. fuit quædam cohors dolorum & morborum; Arthritis, ulcera manuum & pedum, apoſtemata, febris continua, hydrops, perpetua ſitis, diſſenteria, inſomnia, fœtor intolerabilis; in omnibus his fuit beatiſſimus rex, quia ex ore regio aliæ voces non fuerunt auditæ, quam hæ: *Dominus dedit, ſit nomen Domini benedictum*: Acerba res eſt dolor, immitis, horrida, triſtis, amara, contra naturam, ſenſibus odioſa; magnum tamen lenimentum & magnum ſolatium eſt, pati quia Deus vult. Hæc cogitatio, ſi dolorem non extinguit & tollit, ſaltem mitigat, tribuitque cum gratia Dei vires, ut quis fortiter patiendo etiam beatorum ſortem obtineat. Itaque infirme,

cum

cum infirmaris, ad patientiam te compone. S. Paulus ad Hebr. 10. v. 36. *Patientia vobis neceſſaria eſt, ut voluntatem Dei facientes reportetis promiſſionem.* Non ſapit cibus? patientia, hoc Deus vult. Sitis vexat? patientia! Deus vult. Dolet caput? patientia, Deus vult.

Referunt hiſtoriæ, Joachimum Electorem Brandeburgicum viſitaſſe Imperatorem Carolum V. quo tempore is valde vexabatur à chyragra; Ut ægrum conſolaretur Elector, dixit, Medicorum opera opus eſſe, reſpondit Cæſar: *Optimum hic remedium eſt patientia & voluntas Dei.* Utinam hoc dictum omnium infirmorum lectulis in aurea tabella affigere poſſem. Vel illud Stephani piiſſimi eremitæ. In morbo fœtidisſimo dicebat: *Nemo mihi compatiatur - praſtat hic pati ad tempus, quàm ibi æternum.* Finio primum punctum verbis Drexelii, *Initio ſtatim morbi, in morbo, voluntati Dei quàm integerrimè te commenda, & negotium hoc penè omne confeciſti.* Reſtat vel ſanitas, vel beata mors. §. 8. *Dictum Caroli V. in morbo.*

Alterius puncti documentum hoc eſt. Ægrorum communis querela eſt, quod non posſint orare. In promptu eſt ratio: quia operatio mentis, qualis eſt oratio, dependet ab actionibus naturalibus corporis, quæ per morbos & dolores ſummopere impediuntur & debilitantur; itaque allaboret æger, ut ſaltem ſanctis cogitationibus & brevibus ſuſpiriis ad Deum & Chriſtum Dominum ſe occupet. Ea eſt hominis felicitas, ut inter ſummos dolores posſit eſſe memor Dei ſui. Accedit, quod plurima occurrant, quæ infirmis ſanctisſimas poſſunt ſuggerere cogitationes. Vix invenietur infirmus tam pauper & egenus, qui non utatur ſtrophiolo; quàm facile eſt, ut in ejus attactu & aſpectu memor ſit ſudarii S. Veronicæ, cui Chriſtus Dominus in bajulatione crucis ſanguinolentam & vulneratam faciem impreſſit, vel illius ſtrophioli, quo B. Virgo poſt depoſitionem filii è cruce ejus vulnera, præcipuè vulnus benedicti lateris eluit, vel illius, quo B. Magdalena ſub cruce decidentes ab illa ſanguinis guttas excepit. Facile advertitis, memoriam horum ſtrophiolorum poſſe eſſe fontem ſanctisſimarum cogitationum. §. 9. *Cum ægri multum non poſſint orare, aſſueſcere debent ſanctis cogitationibus.*

Ægrorum ingens deſiderium eſt ſitis, quæ naturaliter excitat §. 10. *Varias pias*

cogitationes ægris ſuggerit ſitu. tat deſiderium alicujus fontis vel dulcium aquarum. Dulciſſimi fontes ſcaturiunt in monte Calvariæ ex petra, quæ Chriſtus eſt. Ad hos anhelate ægri, [intellige ſanctiſſima Chriſti Vulnera,] ex his haurite aquas. Hæc deſideria ſunt ſanctæ cogitationes. Cum potus à Medico præſcriptus videtur amarus, memores eſtote aceti, fellis & myrrhæ, quâ Salvator veſter in cruce, in ardentiſſima ſiti potatus eſt, nec prohibeo, ut centies dicatis cum Chriſto: *Sitio.* S. Auguſtinus in ſolil. c. 2. *Ægrotus ſum, ad Medicum clamo: miſerere mei fons myſtice, quod ad te clamat infirmus, quemadmodum deſiderat cervus, &c. O fons vitæ, vena aquarum viventium, quando veniam ad aquas dulcedinis tuæ de terra deſerta, invia & inaquoſa, ut videam gloriam tuam, & ſatiem ex aquis miſericordiæ tuæ ſitim meam.*

§. 11. *Et alia in morbis circumſtantiæ* Frequenter lectulus, etiam ex molliſſimis plumis ægro videtur ſaxum vel truncus. Scimus ſubinde, delicatulis fuiſſe ſubſtratas roſas, & tamen putârunt, ſe jacere in ſpinis. Si memores eſſe velint lectuli crucis, Spiritus ſanctus ſuggeret de illa mille ſanctas cogitationes. Experta hoc fuit ſancta illa ægra, quæ inter acutiſſimos dolores lectulum ſuum oſculabatur, dicens: *Hic requies mea, hic vivam, hic cum Chriſto meo moriar.* Si ægro doleant manus & pedes, cogitet de manibus & pedibus Chriſti cruci affixis. Si doleat caput, cogitet de ſpinea corona; Si palpitet pectus & cor, cogitet de anguſtiis pectoris Chriſti in cruce agonizantis; Extorquet fortaſſis vehementia doloris quoſdam gemitus & profunda ſuſpiria? cogitet de ſuſpiriis & ultimis verbis Chriſti, de illo clamore, quo exclamavit: *Deus meus, Deus meus, &c.* Languent membra? cogitet de extenſione membrorum Chriſti in cruce. An fortaſſis timor mortis lethalem exprimit ſudorem? hic ægro ſe aperit hortus oliveti; quot ibi rubent floſculi ſanguineo ejus ſudore aſperſi, tot ſanctæ germinant cogitationes cum piiſſimis affectibus.

§. 12. *Magnum ægrorum ſolatium eſt memoria* Piiſſimæ Matronæ, quam ſupra dixi, decubuiſſe per annos quinquaginta, ſummum ſolatium fuit, ſi aſtantium aliqua ex Evangeliſtis prælegeret hiſtoriam paſſionis; ob ſanctiſſimas cogitationes, quas ægris ſuggerit hæc lectio. Fructum harum cogitatio-

gitatio-

Digitized by Google

gitationum expertus fuit S. Elzear. Comes, interrogatus enim ex ſponſa ſua Delphina, quomodo tantos dolores tanta poſſet perferre patientia, reſpondit, *Mea Delphina, ſenſus dolorum non deeſt, ſed ſtatim cogito, majora paſſus eſt dilectiſſimus Jeſus meus, & in paſſionis ejus conſideratione tam diu hæreo, donec animus meus planè tranquilletur.* *Paſſionis Christi.*

§. 11. *Suadetur ægris uſus horologii paſſionis.* Singulas pene horas imò quadrantes numerare ſolent infirmi, in hoc uſui illis eſſe potuit horologium paſſionis, ſancta quoque ægri cogitatio eſt, ſi agnoſcat, ſe talia meritum per peccata. Sic ille dixit in morbo, ſcio morbos eſſe pœnas peccati. Præſtat hic pati, quàm in altera vita. Edildrida Regina Angliæ, cum collum illi putreſceret, dixit: *Hoc merui ob ſuperbiam in torquibus & catenis in juventute. Gaudeo, bonus Deus paternè talia vult punire in hac vita.* Si ſimilia in morbis ſubinde cogitaremus, multò ſine dubio illuſtrior foret noſtra patientiæ virtus. Sed quomodo ego enarrare potero omnes cogitationes, quas Spiritus S. ægris ſolet ſuggerere? Hoc moneo, ut ſint utiles, interponi debent breves actus eximiarum virtutum, v. g. Mi Jeſu credo, ſpero, amo, &c.

§. 10. *Et memoria gloriæ cœleſtis.* In tertio puncto Concionis hoc pauciſſimis attingo, ut pro ſolatio infirmi ſint memores cœleſtis gloriæ. Exempla S. Auguſtini, qui in Man. 13. cap. ait: *Infirmetur totum corpus, conſumatur corpus mortis, putreſcant oſſa, &c. modo per hos dolores aſcendam ad gloriam Domini.* Seraphico S. Franciſco in gr. doloribus dixit vox de cœlo: *Franciſce, ſi terra eſſet aurum, &c. major eſt gloria cœleſtis, quæ tibi parata eſt. Et hic dolor, hic morbus eſt tibi arrha te accepturum.* Ah mi infirme, hæc cogita, & ſenties refrigerium. Jerem. 31. v. 16. *Quieſcat vox tua à ploratu, & oculi tui à lachrymis, quia eſt merces operi tuo.* Profectò quibus ob mentis oculos verſatur gloriæ illius cœleſtis magnitudo, eorum animos non dejicit magnitudo dolorum, etſi illa corpus dejiciat. Dulcedo ſupernæ patriæ & major eſt & fortior, quàm morborum, quos patimur amaritudo. Eja infirme, hæc cogita, cœlum reſpice, quieſcat vox tua à ploratu, & oculi tui à lachrymis, quia eſt merces operi tuo. Qualis merces? ſcis dictum Salvatoris: *Merces veſtra*

§. 5. *Imaginatio ardentis Sodomæ proponere nobis poteſt ignes inferni.*

Quocirca bene dixit S. Chryſoſt hom. 8. in epiſt. ad Theſſal. *Si quis gehennam futuram non credit*, [dicam ego, ſi quis ſuæ imaginationi illam vult imprimere,] *Sodomam cogitet, Gomorrhæ meminerit, ſupplicii recordetur.* Quis dicet, quo terrore obruti fuerint miſeri incolæ, cum viderunt decidere ignes, ardere momento omnia? talis terror æternum erit in inferno? qui fuerint ejulatus, clamores, gemitus, cum parentes viderent ab igne corripi & exuri filios, econtra, cum filii cernerent ultricibus flammis concremari parentes infelices? talis muſica æternùm erit in inferno. Præter exiguam Lothi familiam non fuit, qui has flammas effugeret: in inferno nulla erit in æternum redemptio. Videre mihi videor multos Sodomæ incolas, tandem præ deſperatione & furore ſe ipſos præcipitare in ignes; talis deſperatio æternum erit in inferno. Ignea pluvia ſuper Sodomam duravit fortè aliquot horis, & tamen quot fuerint guttæ nemo numeravit; pluvia ignea in inferno durabit in æternum, quis numerare poterit guttas, cum ſint infinitæ. Verbo, pœnæ inferni ſufficienter explicari & exprimi non poſſunt.

§. 6. *Damnatis nulla prorſus erit conſolatio.*

Pondus hoc pœnarum immensùm auget circumſtantia, quam paucis verbis inſinuat Thomas Kempenſis: *Ibi nulla requies eſt, nulla conſolatio damnatis.* Adeſt quidem omnis dolor, præſens omne malum, præſens terribile tædium & agonia, &c. Simul tamen abeſt omne gaudium & omne ſolatium. Ardent ſine omni ſolatio, & ardebunt æternùm, ſimiliter ſine omni gaudio cum fame ſitique conflictandum æternum abſque ſpe ullius refrigerii; Ex mediis flammis infelix epulo ab Abrahamo unicam petit aquæ guttulam; negavit piiſſimus Abraham, ut ſciamus, damnatis ne guttulam gaudii concedi. Similiter æternum illos rodet vermis conſcientiæ, abſque ulla requie. Fateor, perquam graves ſunt, quos ſæpe in hac mortali vita perpetimur dolores! unicus dentium dolor, quam non eſt acerbus! cephalalgia ſeu dolor capitis quàm non moleſtus! quid dicam de dolore lateris aut cordis? quid de acutis podagræ cruciatibus? quid de febribus, quas ab eventu malignas nuncupamus? quid

de

Digitized by Google

de ſexcentis aliis, quibus ſubjecta eſt miſera mortalitas noſtra, doloribus, tormentisque? fateor, ſed præ doloribus inferni levia, imo quaſi nulla ſunt omnia. Hic alii ignes, alii cruciatus, alia tormenra, nimirum talia, quæ nulla ſpes ſanitatis, nulla ſecuturi gaudii exſpectatio imminet, ſpes nulla finis, heu quam acerbus dolor! æterna in flammis deſperatio, heu quàm immanis cruciatus!

Job c. 41. v. 15. miris deſcribit verbis damnatum: *Cor ejus indurabitur tanquam lapis, & ſtringetur quaſi malleatoris incus.* Ut hunc locum intelligatis, fingite vos intrare officinam aliquam ferrariam in montibus Pyrenæis, vel denſis Germaniæ ſylvis. Decidens ex præcipitio aliquo torrens, ingenti ſtrepitu movet rotam, quæ attollit hinc folles, hinc immanes malleos. Folles ſuis ventis accendunt ignem & carbones, inter quos fruſta ferri igneſcunt; mallei terribili ſono quatiunt incudem, vel fruſta ferri, dum quatuor vel quinque Cyclopes ferreis forcipibus illa ſupponunt, omnia tali loco circumſtantibus terrorem incutiunt. Secundum Jobum talis locus eſt infernus. O quam terribilis eſt illa rota æternitatis, quæ æternum movebitur, nunquam ſiſtenda. O quam terribilis ſtrepitus torrentium, quæ ex ipſis inferni montibus præcipitantur in abyſſos flammarum. O quales venti, qui ignes illos ſuccendunt. Pſ 17. v. 9. *Aſcendit fumus in ira ejus, & ignis à facie ejus exarſit, carbones ſuccenſi ſunt ab eo.* Iſ. 30 verſ. 33. *Flatus Domini ſicut torrens ſulphuris accendens.* O terribiles Cyclopes, qui ſunt ipſi diaboli! O quales ibi mallei, forcipes! ſed ubi eſt ferrum, quod cudendum eſt, ubi incudes? ipſi damnati erunt, ipſæ animæ erunt, *ut incus malleatoris.* S. Gregorio lib. 34. mor. cap. 3. debeo hunc diſcurſum: *Ad hoc namque incus ſtatuitur, ut crebris ictibus feriatur. Leviathan ergo* [vel aliquis damnatus] *ut malleatoris incus figitur, quia inferni ictibus cor aptabitur, ut æterni ſupplicii concuſſione tundatur.* Proverbiorum capite 19. verſu 29. *Parata ſunt deriſoribus judicia, & mallei percutientes corporibus ſtultum.* In Hebraico *Percuſſores dorſa ſtultorum.* Ad hanc incudem huc adeſte voluptuoſi, eja ſupponite nonnihil illas manus, quas conta-

§. 7. *Infernus! horribilis vulcania.*

minatis

minatis laſcivis tactibus, illos pedes, quibus perambulatis ſemitas Veneris, illud caput, quod coronatis roſis, illud corpus, quod ita blandè fovetis. Quid videtur? poteritisne tolerare illos ictus horrendos? ſi dubitatis, citò, citò vobis conſulite, pœnitentiam agite, & convertimini ad Dominum Deum veſtrum. Jam tempus eſt gratiæ, modo ſi vultis, periculum poteſtis effugere, in inferno erit nimis ſerò; ideo Job addit: *Cor ejus* [ſcilicet damnati] *indurabitur tanquam lapis*, *conſtringetur ut incus.* Hoc quoque de incude hîc mihi memorandum videtur, quod de ſua duritie nihil prorſus remittat, cædatur licet, feriaturque repetitis ictibus, dura manet, & quaſi pertinax incus, molleſcere neſcit. O anima damnata! te repetiti tot ictus, quot ſunt in æternitate momenta, non flectent! dura manebis atque obſtinata in malo, in odio Dei, in deſperatione. Incudem te jure dixerim, cum multæ annorum, imò & ſæculorum myriades effluxerint, ardebit tamen, & ardebis æternum; ferieris tamen, & ferieris æternum.

§. 8. *Ex doloribus Jobi colligere poſſumus pœnas damnatorum.*

Supereſt pulcherrimus locus, ex quo ſecundum ſenſus ſuo modo colligere poſſumus varietatem & gravitatem pœnarum inferni. Miſerabile ſpectaculum dolorum & tormentorum fuit Job, permittente DEO à diabolo in corpore ejus diverſiſſimi morbi compoſſibiles & incompoſſibiles conjuncti fuerunt, percuſſit inprimis ſatan corpus ejus ulcere peſſimo ſive leprâ tam terribili, ut omnia membra fuerint veluti fontes, ex quibus vermes & pus defluxerunt, hoc uxor ei objecit: *Tu in putredine vermium ſedes*, ſine omni quiete, ideo dixit c. 30. v. 7. *Et qui me comedunt, non dormiunt, nec dormire ſinunt.* Tertullian. legit: *Lacerantes me, non dormiunt.* In Græco eſt: *In doloribus convolutus ſum.* In doloribus podagræ c. 13, 27. *Poſuiſti in nervo pedem meum.* In doloribus diſſenteriæ c. 16. v. 13. *Effudit in terra viſcera mea.* In doloribus renum & colicæ - eod. cap. v. 14. *Circumdedit me lanceis ſuis, convulneravit lumbos meos.* In doloribus oculorum. c. 2. *In amaritudinibus moratur oculus meus.* In doloribus pleuritidis, anginæ, aſthmatis c. 17. v. 1. *Spiritus meus attenuabitur.* Pagninus: *Spiritus meus corruptus eſt.* LXX. *Perco ſpiritu agitatus.* In dolori-

doloribus febris. *Pulſus mei tota nocte non quieſcunt.* [hæc aliqui ponunt ex Hebræo pro illis, qui me comedunt, non dormiunt.] c. 30. v. 30. *Oſſa mea aruerunt pro caumate, in memetipſo marceſcit anima mea, & poſſident me dies afflictionis.* Denique Job fuit in doloribus cordis, cap. 17. verſ. 11. *Cogitationes meæ diſſipatæ ſunt, torquentes cor meum.* Septuaginta: *Convulſæ ſunt compages cordis mei.* Alii: *Rupti ſunt articuli cordis mei.* Cum hæc conſideravit ſanctus Gregorius, dixit: *Cum recognoſco Job in ſterquilinio, cogito qualiter Deus in futuro cruciabit, quos reprobat, qui ita durè affligit, quos amat.*

§. 9. Apoſtrophe ad impios.

Adeſte impii, habetis futuræ veſtræ calamitatis umbram aliquam. Si quid eſt in morbis omnibus, dirum, acutum; peſtilens, intolerandum; hoc vos obruet. Illæ veſtræ manus, quibus modo laſcivus amor abutitur, ſentient dolorum cumulos, lepræ fœtores. Illi veſtri pedes, quibus modò ad vanitatem tàm avidè properatis, ſentient ulcerum ſaniem exectandam: illi veſtri oculi, illa veſtra frons, illa veſtra lingua, illi veſtri humeri, illud veſtrum pectus, & illud veſtrum cor, cor impium, incaſtum, flagitioſum, ſentiet, ſentiet non eſſe puerorum ludum, circumdari vermibus, ſerpentibus involvi, flammis uſtulari ſempiternis.

§. 10. Supremæ voces morientis militis.

Finem imponent Concioni verba agonizantis militis, qui obiit Dolæ in Burgundia anno 1603. Vita illius fuit qualis eſſe ſolet militum: at in agone ſeriò pœnituit. Neſcitur an in illo revera viderit ignes inferni, an adeò vivaciter ſibi impreſſerit. Certè poſt confeſſionem, communionem, reſtitutionem iniquè ablatorum, inter ferventes contritionis actus, ad inviſentes commilitones hiſce verbis peroravit: O ſocii, vias hactenus præcipites & lubricas ambulavimus; erravimus, niſi dolore & lachrymis iram Dei in nos concitatam placare ſtudeamus, niſi mores in melius emendemus, ultrices apud inferos ſcelerum noſtrorum flammas ſentiemus! O ſi ſciretis, quæ vidi! O quales ignes! O quantos, quàm acerbos cruciatus! inter talia piè obiit. Eadem dico vobis Auditores, O ſi ſciretis! O ſi videretis! O ſi ſentiretis! ſed quid precor? avertat clementiſſimus JESUS, ne ſentiatis pœnas illas inferni horrendas! ſcire tamen illas oportet,

tet, atque utinam ſcirent & intelligerent, & noviſſima providerent cœci mortales! ſcire opotet, ut non ſit opus ſentire. Sileo modò, ſic tamen, ut toto hoc die, & corde & ore millies exclamemus, [exclamate & vos mecum piæ animæ,] Bone JESU! per paſſionem, per vulnera, per ſanguinem, per mortem denique tuam acerbiſſimam te rogo: *Ne permittas me ſeparari à te in æternùm.*

CONCIO XLIX.

DOMINICA XXI. POST SS. TRINITATEM.

Erat quidam Regulus, cujus filius infirmabatur,

Joan. 4. v. 46.

SYNOPSIS CONCIONIS.

ÆGer morbos acceptet de manu DEI; ut ferat patienter, aſſueſcat variis ſanctis cogitationibus, memor præſertim Paſſionis CHRISTI Domini Salvatotis noſtri & cœleſtis gloriæ.

§. 1. *Per tribulationem & infirmitates multi trahuntur ad Deum.*
§. 2. *Deus immittit morbos.*
§. 3. *Quos æger de ejus manu cum Iobo debet ſuſcipere.*
§. 4. *Heroicum dictum ægræ Virginis.*
§. 5. *Et ſancti Dominici.*
§. 6. *Infirmiſſimus poteſt eſſe beatiſſimus.*
§. 7. *Invicta patientia Philippi II. in morbis.*
§. 6. *Dictum Caroli V. in morbo.*

§. 9. Cum

§. 9. Cum ægri multum non poſſint orare, aſſueſcere debent ſanctis cogitationibus.
§. 10. Varias pias cogitationes ægris ſuggerit ſitis.
§. 11. Et alia in morbis circumſtantia.
§. 12. Magnum ægrorum ſolatium eſt memoria Paſſionis Chriſti.
§. 13. Suadetur ægris uſus horologii Paſſionis.
§. 14. Et memoria gloriæ cœleſtis.

ETiam potentes poteſt Deus humiliare! videmus enim in hodierno Evangelio jacentem humi ad pedes Chriſti, virum valde primarium, quem textus vocat Regulum; eò illum abjecit infirmitas amantiſſimi filii, & ſpes obtinendæ ſanitatis à Chriſto. Sic utrique fuit utile infirmari. Parenti, quia ideo confugit ad Salvatorem; Filio, quia ab illo fuit ſanatus. Ideo hodie & multis expedit infirmari; multi per pœnitentiam ad Chriſtum non venirent, niſi cogerentur per aliquam tribulationem. Admirabilis quidam Galliæ inſignis heros pro ſymbolo curavit depingi pilam de terra ſalientem in altum, cum hoc lemmate: *Concuſſa ſurgo*; vel *concuſſa volo*. Quia pila, dum concutitur, per aëra volat, vel ſurgat è terra. Quod hodie frequenter multi peccatores vel tepidi Chriſtiani, poſtquam longo tempore jacuerunt in ſomno vitiorum, &c. cum filio prodigo vel cum hodierno Evangelio ſurgant, atque ad Chriſtum feſtinent; ideo fit, quia verberibus tribulationum concutiuntur. Multi flagellis adverſitatum compelluntur ad pœnitentiam & ad Deum. Plurimi hominum non aliter quam plagis diſcunt ſapere, tum cœlum aſpirant, cum deſiſtit terra; tum mentem ad cœleſtia erigunt, cum inter fluxa illis male eſt. Concuſſi ſurgunt, ut pilæ turgentes vento, quæ quo gravius feriuntur, hoc altius volant. Unum ex præcipuis inſtrumentis, quibus Deus ad hunc finem utitur, ſunt morbi. Quamdiu Hebræi in exitu ex Ægypto per deſertum, immunes fuerunt à morbis, obliti ferè ſunt Dei creatoris & benefactoris ſui, ſed ait Pſal. 15. v. 4. *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum*, poſtea acceleraverunt. Ignei ſerpentes docuerunt illos elevare oculos in altum ad ſerpentem

§. 1. Per tribulationem & infirmitates multi trahuntur ad Deum.

pentem æneum, quem Moyſes ex cruce ſuſpendit ad Chriſtum Crucifixum, & hodie Deus habet igneos ſerpentes, quibus compellit S. Aug. tr. 7. in Joan. *Quàm multi ſcelerati ſani ſunt, quia ægrotarunt*. S. Bern. de inter. domo c. 46. *Melius eſt frangi doloribus ad ſalutem quàm remanere incolumes ad damnationem, præterquam quod juxta Plinium virtuti etiam in lectulo ſit locus, p. & - optimi ſæpè ſumus, cum infirmi ſumus*. Hanc materiam, utile eſſe infirmari, tractavi anno ſuperiori integrâ Concione; hâc præſenti aurea aliquot documenta vel regulas præſcribam, ſecundum quas morbos perferre debemus, ut ſint nobis utiles. Prima maxima erit, ut æger morbum ferat patienter, debet illum de manu Dei ſuſcipere, & unire ſuam voluntatem cum Divina, &c. Secunda, ut morbos ferat patienter æger, occupet ſe cogitationibus ſanctis. Tertia ſit memor meriti & gloriæ, quam per patientiam in in morbis meremur. Hæc tria graviſſimos etiam morbos temperabunt.

§. 2. *Deus immittit morbos.* Primi puncti documentum hoc eſt. Quamprimum homo Chriſtianus incidit in morbum, ſtatim agnoſcat illum ſubmitti à Deo. Cauſæ morborum ſunt phyſicæ & naturales, ſed quos Deus dirigit, Eccleſiaſt. 11. v. 14. *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honeſtas à Deo ſunt*. Inter flagella, quibus Deus ſuos electos & etiam peccatores in hac vita caſtigat, ſunt morbi, qui ſapit, dicat cum regio Pſalte, ex Pſ. 37. v. 18. *Ego in flagella paratus ſum*. Morbi ſunt calix in manu Domini, & amarus calix; ſed quia Dominus illum paravit, vel ut Chriſtus D. loquitur, *Calicem, quem dedit mihi Pater*, dicamus cum eodem Chriſto D. *Pater, ſi vis ut bibam illum, non mea ſed tua voluntas fiat*. Ægri ſuos morbos ſolent appellare gravem crucem; ſic eſt, ſed qui illam imponit Dominus eſt, prudentes illam exoſculantur, dicentes cum S. Andr. *ſalve O bona crux, &c.* ſalve febris, ſalve podagra, &c *Nam* [ajebat quidam S. Pater ad diſcipulum] *ſi Deus torquere te velit, & in morbo te eſſe tu qui es qui divina reſiſtas voluntati, aut eum moleſtè fers? ſuſtine & roga Deum, ut quod ipſe vult, tu quoque velis.*

§. 3. *Quos æger,* Quocirca æger dum lectulo affigitur, dicat quod dixit Job, cum permittente Domino percuſſus fuit à Satana ulcere peſſimo,

mo, cùm à planta pedis uſque ad verticem capitis non eſſet in eo ſanitas, cap. 2. v. 7. *Si bona ſuſcepimus de manu Dei, mala quare non ſuſcipiamus? Sicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum,* amice mi, fortaſſis urit febris, an pleuriſis pungit latera? an renes vellicat calculus? ſic placet Deo! dic, ſit nomen ejus benedictum, an fortaſſis pectus & pulmones rodit phtiſis? an ventrem torquet cholica, vel inflat hydrops? an cancer paſcit ubera? ſic placet Deo: Dic millies, *Sit nomen ejus benedictum.* *de ejus manu, cum Iobo debet ſuſcipere.*

§. 4. *Heroicum dictum ægræ Virginis.*

Cum tempore S. Vincentii Ferranienſis, piiſſima Virgo Nicolaa ardenter deſideraret aliquid pati pro Chriſto [ſolet hoc eſſe excelſum deſiderium filiorum Dei] bonus Deus variis illam morbis inviſit. In capite ſenſit acutiſſimas puncturas, in ſtomacho ardentiſſimum calorem; linguam obſedit turpiſſimus quidam cancer; illos toto tempore paſſa fuit dolores, ut videretur ſibi jacere in lectulo ſtrato ſpinis; vel in craticula cum S. Laurentio; & durarunt hæc tormenta per annos omnino 50. Cum circumſtantes flerent, gemerent, ſuſpirarent, ipſa dicebat, *quare fletis? nunquid Deus hos dolores & morbos ſubmiſit? quare reſiſtam Deo & ejus voluntati, qua me amat & cuſtodit velut pupillam oculi.* Sic in morbis loquuntur filii Dei.

§. 5. *Et S. Dominici.*

Morbos de manu Dei ſuſcepit S. Dominicus; inter graviſſimos dolores dicens; *deſidero mi Deus, deſidero tui cauſa quamplurimum pati.* Monitus à fratre, rogaret à Deo dolorum remiſſionem, poſt acrem increpationem abjecit ſe humi, & hunc in modum oravit. *Gratias tibi ago, mi Ieſu, pro his morbis, mi Deus, ſi augere vis, augeas & patientiam.* In vita viri ſancti fit mentio, alicujus fœminæ, cujus putrida ubera ſcatebant vermibus; petiit unum S. Dominicus, & in ejus manu vermis turpiſſimus verſus fuit in luciddiſſimam gemmam, de fœmina autem ait vita, *patiens erat, & ſolabatur ſe unicâ Dei voluntate.* De manu Dei morbum ſuſcepit alter æger, in lectulo ſuo patienti animo ſic ſuſpirans: ***Dulciſſime DOMINE IESV Chriſte, in unione illius charitatis, quâ te Patri obtuliſti in mortem, offero tibi cor meum, ut de me & per me, in hoc acutiſſimo morbo***

fiat beneplacitum tuum. Dulcis JESU tuæ voluntati me committo.

§. 6. *Infirmiſſimus poteſt eſſe beatiſſimus.*

Huc pertinet aurea illa lectio vel inſtructio, quam infirmis reliquit Epictetus epiſt. l. 4. *Ægrotavi, ſed volens, quia voluiſti. Pauper fui te volente, ſed lætus. Volo enim quod vult Deus. Hac me cogitantem occupet mors.* Deinde ait: *Oſtende mihi aliquem, qui ægrotet & beatus ſit, qui in periculo, & beatus, qui etiam moriatur, & beatus ſit.* Scitis fortaſſis Auditores, eſſe modo, dum nos hic ſumus, domi ſuæ aliquos, qui ob podagræ dolores ſe movere vix poſſunt? quæro cum Epicteto, ſuntne beati? ſunt hic forte parentes, qui filiolum aut filiolam domi habent cum febri maligna colluctantes: Iterum interrogo; illine beati? alium domi hydrops inflat & excruciat; an beatus ſit ideo? alium calculi dolores quàm acuti tam moleſti in palæſtra patientiæ exercent, quid dicemus; nunquid beatum pronunciabimus ejusmodi infirmum? Quæſtioni melius nemo reſpondebit, quàm qui propoſuit, ſapientiſſimus Epictetus ait: *Animum oſtendat aliquis veſtrum hominis, qui idem cum Deo ſentire velit. Poſthac nec Deum, nec homines culpaturus, qui nullo caſu lædatur, qui non iraſcatur, qui* [quid enim ambagibus opus eſt,] *ex homine Deus fieri deſideret, per perfectiſſimam reſignationem & unionem voluntatis propriæ cum Divina, hic beatus eſt etiam in terris, etiam in morbis inter graviſſimos dolores.*

§. 7. *Invicta patientia Philippi II. in morbis.*

Nunquam ſine admiratione legere poſſum ſupremos morbos potentiſſimi Regis Hiſp. Philippi II. fuit quædam cohors dolorum & morborum; Arthritis, ulcera manuum & pedum, apoſtemata, febris continua, hydrops, perpetua ſitis, diſſenteria, inſomnia, fœtor intolerabilis; in omnibus his fuit beatiſſimus rex, quia ex ore regio aliæ voces non fuerunt auditæ, quam hæ: *Dominus dedit, ſit nomen Domini benedictum*: Acerba res eſt dolor, immitis, horrida, triſtis, amara, contra naturam, ſenſibus odioſa; magnum tamen lenimentum & magnum ſolatium eſt, pati quia Deus vult. Hæc cogitatio, ſi dolorem non extinguit & tollit, ſaltem mitigat, tribuitque cum gratia Dei vires, ut quis fortiter patiendo etiam beatorum ſortem obtineat. Itaque infirme,

cum

cum infirmaris, ad patientiam te compone. S. Paulus ad Hebr. 10. v. 36. *Patientia vobis neceſſaria eſt, ut voluntatem Dei facientes reportetis promiſſionem.* Non ſapit cibus? patientia, hoc Deus vult. Sitis vexat? patientia! Deus vult. Dolet caput? patientia, Deus vult.

Referunt hiſtoriæ, Joachimum Electorem Brandeburgicum viſitaſſe Imperatorem Carolum V. quo tempore is valde vexabatur à chyragra; Ut ægrum conſolaretur Elector, dixit, Medicorum opera opus eſſe, reſpondit Cæſar: *Optimum hic remedium eſt patientia & voluntas Dei.* Utinam hoc dictum omnium infirmorum lectulis in aurea tabella affigere poſſem. Vel illud Stephani piiſſimi eremitæ. In morbo fœtidisſimo dicebat: *Nemo mihi compatiatur - præſtat hic pati ad tempus, quàm ibi æternum.* Finio primum punctum verbis Drexelii, *Initio ſtatim morbi, in morbo, voluntati Dei quàm integerrimè te commenda, & negotium hoc penè omne confeciſti.* Reſtat vel ſanitas, vel beata mors. §. 8. *Dictum Caroli V. in morbo.*

Alterius puncti documentum hoc eſt. Ægrorum communis querela eſt, quod non posſint orare. In promptu eſt ratio: quia operatio mentis, qualis eſt oratio, dependet ab actionibus naturalibus corporis, quæ per morbos & dolores ſummopere impediuntur & debilitantur: itaque allaboret æger, ut ſaltem ſanctis cogitationibus & brevibus ſuſpiriis ad Deum & Chriſtum Dominum ſe occupet. Ea eſt hominis felicitas, ut inter ſummos dolores posſit eſſe memor Dei ſui. Accedit, quod plurima occurrant, quæ infirmis ſanctisſimas poſſunt ſuggerere cogitationes. Vix invenietur infirmus tam pauper & egenus, qui non utatur ſtrophiolo: quàm facile eſt, ut in ejus attactu & aſpectu memor ſit ſudarii S. Veronicæ, cui Chriſtus Dominus in bajulatione crucis ſanguinolentam & vulneratam faciem impreſſit, vel illius ſtrophioli, quo B. Virgo poſt depoſitionem filii è cruce ejus vulnera, præcipuè vulnus benedicti lateris eluit, vel illius, quo B. Magdalena ſub cruce decidentes ab illa ſanguinis guttas excepit. Facile advertitis, memoriam horum ſtrophiolorum poſſe eſſe fontem ſanctisſimarum cogitationum. §. 9. *Cum ægri multum non poſſint orare, aſſueſcere debent ſanctis cogitationibus.*

Ægrorum ingens deſiderium eſt ſitis, quæ naturaliter excitat §. 10. *Variæ piæ*

tat

gitationum expertus fuit S. Elzear. Comes, interrogatus enim ex ſponſa ſua Delphina, quomodo tantos dolores tanta poſſet perferre patientia, reſpondit, *Mea Delphina, ſenſus dolorum non deeſt, ſed ſtatim cogito, majora paſſus eſt dilectiſſimus Jeſus meus, & in paſſionis ejus conſideratione tam diu hæreo; donec animus meus planè tranquilletur.*

Paſſionis Chriſti.

§. 15. *Suadetur ægris uſus horologii paſſionis.*

Singulas pene horas imò quadrantes numerare ſolent infirmi, in hoc uſui illis eſſe potuit horologium paſſionis, ſancta quoque ægri cogitatio eſt, ſi agnoſcat, ſe talia meritum per peccata. Sic ille dixit in morbo, ſcio morbos eſſe pœnas peccati. Præſtat hic pati, quàm in altera vita. Edildrida Regina Angliæ, cum collum illi putreſceret, dixit: *Hoc merui ob ſuperbiam in torquibus & catenis in juventute. Gaudeo, bonus Deus paternè talia vult punire in hac vita.* Si ſimilia in morbis ſubinde cogitaremus, multò ſine dubio illuſtrior foret noſtra patientiæ virtus. Sed quomodo ego enarrare potero omnes cogitationes, quas Spiritus S. ægris ſolet ſuggerere? Hoc moneo, ut ſint utiles, interponi debent breves actus eximiarum virtutum, v. g. Mi Jeſu credo, ſpero, amo, &c.

§. 16. *Et memoria gloriæ cœleſtis.*

In tertio puncto Concionis hoc pauciſſimis attingo, ut pro ſolatio infirmi ſint memores cœleſtis gloriæ. Exempla S. Auguſtini, qui in Man. 13. cap. ait: *Infirmetur totum corpus, conſumatur corpus mortis, putreſcant oſſa, &c. modo per hos dolores aſcendam ad gloriam Domini.* Seraphico S. Franciſco in gr. doloribus dixit vox de cœlo: *Franciſce, ſi terra eſſet aurum, &c. major eſt gloria cœleſtis, quæ tibi parata eſt. Et hic dolor, hic morbus eſt tibi arrha te accepturum.* Ah mi infirme, hæc cogita, & ſenties refrigerium. Jerem. 31. v. 16. *Quieſcat vox tua à ploratu, & oculi tui à lachrymis, quia eſt merces operi tuo.* Profectò quibus ob mentis oculos verſatur gloriæ illius cœleſtis magnitudo, eorum animos non dejicit magnitudo dolorum, etſi illa corpus dejiciat. Dulcedo ſupernæ patriæ & major eſt & fortior, quàm morborum, quos patimur amaritudo. Eja infirme, hæc cogita, cœlum reſpice, quieſcat vox tua à ploratu, & oculi tui à lachrymis, quia eſt merces operi tuo. Qualis merces? ſcis dictum Salvatoris: *Merces veſtra*

copioſa eſt in cœlis, Luc 6. v. 23. Qualis merces? illa, de qua Apoc. 22. v. 12. dicitur, *Merces mea mecum eſt*. Qualis merces? illa, de qua Chriſtus Marci 9. v. 40. *Amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam*. Qualis merces? illa, de qua Paulus 1. Corinth. 3. v. 8. *Vnusquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem*. Hujus mercedis ſpes atque exſpectatio te languentem erigat, mœſtum ſoletur, ſuſpirantem refocillet.

CONCIO L.

DOMINICA XXII. POST SS. TRINITATEM.

Miſertus autem Dominus ſervi illius, dimiſit illum,

Matth. 18. v. 27.

SYNOPSIS CONCIONIS.

IN prima parte exponitur immenſa clementia condonantis regis, ſervo, tantum debitum. In altera; nequitia & crudelitas illius ſervi nolentis condonare conſervo, debitum longè minus. In tertia, juſta vindicta Regis illius irati. Adnectuntur his varia documenta & cauſæ, ob quas quivis inimico ſuo ex corde ignoſcere debet.

§. 1. *Breve exordium.*
§. 2. *Prima pars Evangelii. Clementia Regis condonantis debita.*
§. 3. *Proſecutio.*
§. 4. *Quomodo imitari debeamus.*
§. 5. *Secunda pars Evangelii. Nequitia & crudelitas ſervi, &c. & durities fratrum erga Joſephum, Gen. 37.*

§. 6. Ter-

§. 6. *Tertia pars Evangelii. Juſta vindicta irati Regis. Tria hinc ſumo documenta: Primum eſt, qui ſe vindicat, ſibi ipſi nocet. Quod declaratur variis ſimilibus.*
§. 7. *Secundum: Deus tandem juſtè punit.*
§. 8. *Qui inimico non vult ignoſcere, fruſtra petit remiſſionem peccatorum.*
§. 9. *Proſecutio.*
§. 10. *Pulcherrimus locus ex Caſſiano.*
§. 11. *Ingens ſolatium morientis Religioſi.*
§. 12. *Miſerabilis obitus duorum Religioſorum.*
§. 13. *Epilogus.*

PRo initio Concionis placet mihi dictum S. Damaſc. ſer de die judicii: *Fratres chariſſimi, lectionem de judicio attento corde audite, & memoriter retinete*; Idem vos moneo Auditores, Evangelia & Conciones de judicio extremo & ultimis rationibus attento corde audite, & firmâ continete memoriâ. Cauſam adjungit citatus Doctor: *Nam hac ſola cogitatio ſufficere poteſt ad omne opus bonum faciendum, & ad omne opus malum effugiendum.* Opus malum eſt odium erga inimicos, & deſiderium ſe vincandi. Sed qui hodiernam parabolam conſiderat, facilè odia in amorem vertet, opus bonum eſt, inimicis ignoſcere, illos diligere, illis benefacere; ſed quia arduum ſimul eſt atque difficile, Salvator noſter in hod. Evangelio pulcherrimâ parabolâ illud nobis conatur perſuadere. Dividam illam hac Concione in tres partes, & tria inde deducam documenta. I. agam de bonitate Regis, condonantis debita. II de crudelitate ſervi erga conſervum. III. de juſta pœna barbari hujus ſervi. Documenta, quæ inde traham, audietis decurſu Concionis, quem in finem aures attentas menteſque benevolas efflagito. §. 1. *Breve exordium.*

Prima Evangelii pars eſt iſta, dum homo Rex rationem exigit à ſervis ſuis: *Oblatus eſt ei unus, qui debebat decem millia talenta, cum autem non haberet unde redderet, juſſit eum Dominus ejus venundari, & uxorem ejus, & filios, & omnia quæ habebat reddi. Procidens autem ſervus ille, orabat eum, dicens: patientiam habe in me, & omnia red-* §. 2. *Prima pars Evangelii. Clementia Regis condonantis debita.*

Digitized by Google

dam tibi. *Miſertus autem Dominus ſervi illius, dimiſit eum, & debitum dimiſit ei.* Fuit hoc conforme infinitæ miſericordiæ miſericordiſſimi regis, ob rigorem juſtitiæ potuiſſet rex hunc debitorem conjicere in carceres, potuiſſet venundare, &c. hæc eſt parabola, ſed non teipsâ fecit. Tu ô impie es ille ſervus, tu es, qui debes decem millia talenta, nec habes, unde reddas vel ſatisfacias. Tu reus es, ut in carcerem æternæ damnationis conjiciaris; Si judex tuus ex recta juſtitiæ norma procedere vellet, poſſet in te ſtatim damnationis fulmen conjicere. Quod optimus ille Rex, id eſt, Salvator tuus patientiam habeat, quod tui miſereatur, nec ſtatim puniat, infinitæ ejus bonitati aſcribere oportet. Eſt hic unus ex præcipuis effectibus magnæ Dei miſericordiæ. Sanctus Chryſoſtomus de manſuetudine tom. 5. *In eo oſtendit miſericordiam ſuam, quod non punit, ut poteſt - quippe ſunt nonnulli, qui in tantam perveniunt impietatem, ut in Deum blaſphement,* [ut eum graviſſimis ſceleribus quotidiè offendant; quotidiè augent debita] *Deus tamen fert, quamvis tantam habeat poteſtatem, ut poſſet, ſi vellet, omnes peccatores punire - & ipſe Dominus & Salvator noſter, contumeliâ affectus, verberatus, cruci clavis affixus, tulit Judæorum furorem: & licet poſſet de iis vindictam ſumere, non ſumpſit tamen; ſed ſuam virtutem oſtendit, concutiens terram, ſuſcitans mortuos, & obſcurans ſolem. Manſuetudinem autem & miſericordiam declaravit præcipuè pendens in cruce patheticè; non tantum, quia vitam pro nobis dedit, quia ſanguinem pro nobis fudit, &c. Sed quia nullum ex his, qui impiè egerant, qui illum flagellârant, qui ſpinis coronârant, punivit, ut diſcerent omnes, qui manus impias intulerant Domino, quàm non fuiſſet ei difficile ipſos punire, qui tam facile commovit terram, & ſolem repentè obſcurari præcepit. Ipſe verò adeò mitis fuit, ut non ſolùm manſuetè tulerit illos, qui crucifigebant eum, & blaſphemabant, ſed & Patrem obſecravit, ne cæleſtibus adverſus impios telis uteretur.* Hæc S. Chryſoſt, de bonitate Dei erga ſuos hoſtes & debitores.

53. *Proſecutio.* Parem bonitatem oſtendit erga Judam - Judam, etſi ejus nequitiæ præſcius, uſque ad extremam horam toleravit, neque tanquam proditorem rejiciebat, quin amplexando oſculabatur.

Hunc

Hunc labiis admittit, qui mox ſanguinem ejus fuſurus erat, & os illud impudentiſſimum fuit oſculatus. Non ego hic illam melleam verborum dulcedinem deſcribo, quâ perditum Judam allocutus eſt Salvator, conſtat quod eum amici titulo condecorârit, *amice ad quid veniſti?* quid blandius, obſecro, quid amabilius dicere quis potuiſſet vel fratri ſuo germano, vel Patri, vel alteri amicorum intimo? Nimirum ita agit cum ſuis hoſtibus Chriſtus, hæc ſunt vindictæ tela, quibus illos vulnerat, non ut ſanguinem exprimat, ſed ut amorem mutuum eliciat.

Eodem loco ait I. *Igitur cum & tibi grave aliquid & durum ferenti ſubrepunt furor & ira,* [vel deſiderium vindictæ erga tuos hoſtes,] *recordare manſuetudinis Chriſti, & ſtatim manſuetus eris & clemens.* II. ait: *Igitur, qui Deo aſſimilari vult, pro virili ſit manſuetus ac mitis, feratque fortiter, ſi quid gravius ab illis patiatur.* III. *Eſtote autem invicem benigni, miſericordes, donantes invicem, ſicut & Deus in Chriſto condonavit vobis.* Sitis igitur imitatores Dei, ſive prout Chriſtus D. monet Matth. 5. v. 4. - *Eſtote benigni, &c. - ut ſitis filii Patris veſtri, qui in cœlis eſt.* Ad virtutem, filios nihil ita excitat, ac exemplum parentum; unde Hebræos arguit Chriſtus Dominus, Joan. 8. verſ. 29. *Si filii Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite;* quaſi diceret: gloriamini, quod filii ſancti illius Patriarchæ ſitis, igitur illius virtutes, fidem, obedientiam, &c. imitamini. Iſaias c. 51. v. 1. *Attendite ad petram, unde exciſi eſtis: attendite ad Abraham patrem veſtrum, ad Saram, quæ peperit vos.* Vos Auditores, quoad vitam gratiæ exciſi eſtis ex pectore, ex latere & ex corde Chriſti, hoc quæſo attendite, cum furor & ira ſubrepunt, cum odium vos ſtimulat, [præcipuè hoc ſancto Jubilæo,] attendite Patrem & Matrem, Chriſtum Jeſum in cruce; ipſe vos genuit; ipſe ſuo ſanguine vos paſcit, verbo, eſtis filii Crucifixi, maximè vos ſodales Agoniæ Chriſti: ergo opera Chriſti facite. Quæris, quæ illa ſint miſericordiæ opera? hodiernam recole parabolam, vide, quos & quales habeas debitores; age dic, quid judicas de tuis hoſtibus? nunquid omne illis malum imprecaris? abſit hoc facias, dimitte, patientiam habe, ignoſce. Sic, mihi crede, ſic ad petram unde exci-

§. 4. Quomodo imitari debeamus.

Digitized by Google

ſus es, monente Iſaia, attendes; ſic genuinum te Chriſti ſectatorem probabis, ſic quod hodierni Evangelii pars prima exhibet documentum, reipſa magno animæ tuæ bono fructuq; oſtendes.

§. 5. Secunda pars Evangelii. Nequitia & crudelitas ſervi, &c. & duritias fratrum erga Ioſephum, Gen. 37.

Altera pars Evangelii ſic habet: *egreſſus ille ſervus, invenit unum ex conſervis ſuis, qui debebat ei decem denarios, & tenens ſuffocabat eum, dicens, redde quod debes, & procidens conſervus ejus rogabat eum, dicens, patientiam habe in me, & omnia reddam tibi, ille autem noluit, ſed abiit, & miſit eum in carcerem, donec redderet debitum.* Hæc pars parabolæ pulcherrimum ſpeculum nobis proponit, in quo videre poſſumus, quo pacto ſe gerant complures erga ſuos debitores. Servo huic ſimiles fuerunt fratres Joſephi Geneſis 37. v. 4. *Oderant eum, nec poterant ei quidquam pacificè loqui*; ob peculiarem amorem parentis, inſuper ſomnia, invidiæ & odii fomitem miniſtrârunt, v. 8. latuit hic fomes aliquamdiu in cordibus, *cogitaverunt illum occidere,* mox prorupit in linguas, nam v. 20. dicunt, *Ecce ſomniator venit, venite, occidamus eum, & mittamus eum in ciſternam veterem, & nudarunt eum tunicâ, ligatumque vinculis miſerunt in ciſternam.* Videor mihi videre innocentiſſimum juvenem comprehenſum in anguſtiis, procumbere ad pedes fratrum; nunc Judæ nunc Rubeni, nunc aliorum, videor mihi videre triſtiſſimas lachrymas ex ejus oculis profluentes, videor mihi audire lachrymabiles voces, ah fratres reſpicite pueriles annos, ah fratres mementote parentis, cujus animam trahetis ad ſepulchrum &c. Sed dura corda commoveri non poterant, primùm Joſephum miſerunt in ciſternam, deinde extractum vendiderunt Ægyptiis, poſtmodum barbariem ſuam agnoverunt Geneſis 42. v. 21. *Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem noſtrum, videntes anguſtiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audivimus.* Tales ſervos hodie invenio illos, qui dira & execranda fovent odia. Etenim licet venia ſupplex ab illis rogetur, licet ferventer moneantur à Concionatoribus & Confeſſariis, licet exemplum Salvatoris Chriſti JESU illis ſuadeat viſcera eximiæ illius virtutis clementiæ, non tamen perſuadent hæc omnia, quin potius duri in malo, in odio obſtinati ſummam & inſatiabilem ex ore & oculis ſpirant

vindictam,

Digitized by Google

vindictam, machinantur triſtia; ſi poſſent, mitterent hoſtem ſuum in ciſternam; ſi poſſent, dirâ internecione illum delerent; ſi poſſent, lavarent crudeles ſuas manus in ſanguine inimici. Verum, cùm illa non poſſint, mala quæque precantur & imprecantur, diris eum devovent, gaudent in adverſa ejuſdem fortuna, triſtantur proſpera; at quis hujus Tragœdiæ finis? patebit extemplo.

§. 6. *Tertia pars Evangelii. Iuſta vindicta irati Regis. Tria his ſumo documenta.*

Tertia pars Evangelii refert, alios converſos, hæc videntes, miſericordiâ motos & indignatos, retuliſſe Domino, quæ facta fuerant. Tunc vocavit illum Dominus, & ait illi: *Serve nequam, omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me; nonne ergo oportuit & te miſereri conſervi tui, ſicut & ego tui miſertus ſum? & iratus, tradidit illum tortoribus, quoadusq; redderet omne debitum* Patet ex hoc loco: I. hunc ſervum magis nocuiſſe ſibi ipſi, quàm nocuerit conſervo ſuo; Pari ratione, qui de inimicis ſuis vindictam quærunt, qui odia fovent, qui ignoſcere nolunt, majus damnum ſibi quàm aliis inferunt. Sanctus Chryſoſtomus hom. 44. in 1. epiſt. ad Corinth. *Qui ulciſcitur & vindictam ſpirat, ſeipſum gladio petit.* Latet ſub his verbis pulchrum ſimile. Cogitate vos videre militem ab alio læſum, qui vindicare optans, gladium ſtringit, & ut inimicum feriat, ſeipſum ſciens & volens eodem gladio transfodit & perimit. O ſtolidam & crudelem vindictam! tu es ille miles, qui te vindicas, gladium ſtringis, cum ex odio contra tuum inimicum exacuis detractoriam & contumelioſam linguam; ſed illo gladio animam tuam occidis; imò ſi vindicta gravis eſt, antequam hoſtem ferias, Filium DEI, quantum in te eſt, prius transfodis. Cogitate vos videre illam virginem formoſiſſimam, quæ venenatum poculum, quod irata amaſio præparat, coacta eſt ipſa ebibere, & cum veneno mortem. Tua, mi homo, anima eſt illa virgo; tu venenum paras capitali tuo hoſti, poculum, quod illi miſces, poculum mortis eſt; hauſtus, quem propinas, hauſtus furoris eſt, calix, quem miniſtras, calix amaritudinis eſt. Sed ebibes in perniciem tuam ipſa, quod alteri

alteri præparas; coget te Divina nemeſis, ut eundem exhaurias calicem, & ſic quod alteri paraſti venenum, tuis ipſa viſceribus infundas. Nimirum juſtus eſt Deus, & qua menſura menſi fuetis, eadem remetietur & vobis. Cogitate nunc videre vos matronam illam infelicem Romanam, quæ propriis uberibus viperam admovit. Hoc tu facis, quæ vindictam cogitas infelix anima, colubros & viperas, ſerpentes & dracones, quorum venenatos ictus paulò poſt ſenties, tuo pectori applicas. Philo Jud. *Cogitationes irati partus ſunt viperarum.* Sed illis tuam animam perimis, &c. Rubeus eſt ſpecies ſpinarum, vel germen, quod ſuis ſpinis ita ſe implicat, & replicat & connectit, ut ſeipſum pungat & lædat. Præterea tanti eſt caloris, ut ſolo aëre urente ſine applicatione alterius ignis uratur. Calor ubi quaſi ipſum accendit & comburit. Pulcherrimum ſymbolum cordis humani quod vindictam ſpirat; armatum ſpinis; ſpinæ ſunt tot amarulentæ cogitationes contra inimicum, ſpinæ ſunt tot horribiles imprecationes, ſpinæ ſunt verba, quibus detrahis, &c. Sed te miſerum! his ſpinis prius teipſum & animam tuam ſaucias, tu teipſum ſpinis implicas, imo quantum in te eſt, per odium caput Jeſu rurſum ſpinis pungis, urere vis inimicum, priores cogitationes ſunt quoque flammæ, &c. ſed iisdem uritur cor tuum, & niſi hanc flammam odii in corde tuo pretioſo Chriſti ſanguine reſtinguas; niſi debitoribus tuis condones, æternis flammis æternum uretur.

§. 7. *Secundum: Deus tandem juſtè punit.*

Patet II. ex tertia parte Evang. bene dixiſſe Eccleſiaſticum cap. 5. v. 4. *Altiſſimus eſt patiens redditor.* Et illud Vatabli in v. 3. capitis 1. Naum: *Deus non ducitur ira impotente, more hominum, ſed poteſt iracundiam cohibere, quamdiu vult, opportuno tempore puniturus.* Hoc alibi deduco.

§. 8. *Qui inimico non vult ignoſcere, fruſtra petit remiſſionem peccatorum.*

Patet III. eum, qui non remittit proximo ſuo, non poſſe à Deo petere peccatorum remiſſionem. Hoc, hoc ſacro tempore illis, qui inimicis ignoſcere nolunt, præcipuè eſt inculcandum. Eccleſiaſtici 28. v. 7. *Homo homini reſervat iram, & à Deo quærit medelam? in hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam, & de peccatis ſuis deprecatur.* Continget ſine dubio tali, quod ſervo debitori contigit in hodierno Evangelio; ideo Chriſtus D.

in

in oratione Dominica hoc modo orare voluit: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Nyſſenus: *Dimittat homo proximo, ne à juſto judice audiat; - me ad humanitatem hortaris, dicendo, dimitte - quam tu proximo non impertiris; remiſſionem debitorum petis, deleri tibi chyrographum adverſus te ſcriptum precaris, qui diligenter ſervas obnoxiorum pacta & contractus: tuus debitor eſt in carcere, & tu in oratione? exaudiri oratio tua non poteſt, ſuperat enim ſonus & ſtrepitus vocis ejus, qui cruciatur.*

Clariſſima ſunt verba Chriſti D. Marci 11. verſ. 25. *Cum ſtabitis adorandum,* [hoc Jubilæo, ut Deus ſuam vobis pacem impertiat] *dimittite, ſi quid habetis adverſus aliquem, ut & pater veſter, qui in cælis eſt, dimittat vobis peccata veſtra. Quod ſi vos non dimiſeritis, nec Pater veſter, qui in cælis eſt, dimittet vobis peccata veſtra.* S. Cyprianus de orat. dom. *Adjunxit ergo legem* [Salvator noſter] *certa nos conditione & ſponſione conſtringens, ut ſic nobis dimitti debita poſtulemus, ſecundum quod & ipſi dimittimus debitoribus noſtris:* ſcientes, impetrare non poſſe, quod petimus pro peccatis, niſi & ipſi circa debitores noſtros paria fecerimus. Idcirco & alio loco dixit: *In qua menſura menſi fueritis, in ea remetietur vobis.* Unde ſervus, qui poſt demiſſum omne debitum ipſi conſervo ſuo noluit ipſe dimittere, in carcerem relegatur, & quia indulgere conſervo ſuo noluit, quod ſibi à Domino fuerat remiſſum, amiſit. - Excuſatio tibi nulla in die judicii ſupereſt, cum ſecundum tuam juſtitiam judiceris, & quod feceris, hoc ipſe patiaris. Sanctus Auguſtinus l. 2. de ſer. Domini in monte c. 18. *Nulla alia ſententia ſic oramus, ut paciſcamur cum Domino, in qua pactione ſi mentimur, orationis totius nullus erit fructus.* Econtra ait David: *Factus ſum ſicut homo non audiens, & non habens in ore redargutiones - ideo - In te Domine ſperavi, tu exaudies me, Domine Deus meus.* §. 9. Proſecutio.

Finiam hoc punctum ſuaviſſimis verbis Caſſiani collat. 9. c. 21. *O ineffabilis Dei clementia, qua orantibus reſerat viam, qua clemens ac pium erga ſe provocent Dei judicium. Et quodammodo poteſtatem tribuit, qua judicis noſtri poſſimus ſententiam temperare, ad* §. 10. Pulcherrimus locus ex Caſſiano.

veniam delictorum noſtrorum, eum arctantes exemplo noſtræ remiſſionis, dum dicimus ei, dimitte ſicut dimittimus. Securus itaque hujus orationis fiducia de ſuis admiſſis veniam poſtulabat, quiſquis remiſſor erga ſuos extitit debitores. Quiſquis autem fratri non remiſerit ex corde, non indulgentiam ſed condemnationem hac deprecatione ſibi impetrabit, dicens, remitte mihi, ſicut remiſi. Quare ſi clementer volumus judicari, nos quoque erga illos, qui in nos delinquunt, oportet eſſe clementes.

§. 11. *Solatium ingens morientis religioſi.* Hac cogitatione animos ſibi addidit religioſus ille, cui cum angeli mali in agone oſtenderent Catalogum multarum noxarum; poſt acrem tandem luctam ad circumſtantes dixit: *Ipſa hac hora longum noxarum mearum catalogum attulerunt ad me boni Angeli, quibus ego hoc unum repoſui. Ex quo monachum indutus ſum, nullius injuriæ meminiſſe volui, quæſo igitur mihi multipliciter reo - - patrocinentur verba DEI permittentis, dimitte, &c.* Mox angeli in conſpectu judicis catalogum lacerârunt, ideo ſpe plenus lib. moriens, & piè mortuus eſt, &c. Hic rogo illum, qui inimicitias fovet, quiſquis ille ſit, ut conſcientiam ſuam ingrediatur, ut examinet atque deſpiciat, annon inveniat grandem ſcelerum ſuorum catalogum? inveniet profectò, at ubi inveneris, quid facies miſer? audi momentum ſi vis, momento boni Angeli literas inducent, momento grandis ille catalogus in mille partes diſcerpetur. Quomodo ſi & tu literas inducas, ſi & catalogum debitorum comminuas, ſi & tu ex corde ignoſcas iis, à quibus te ullo unquam tempore, vel verbo vel facto offenſum meminiſti.

§. 12. *Miſerabilis obitus duorum Religioſorum.* Diſpar fuit exitus duorum religioſorum in Polonia. Rem ubi geſta eſt, refert Paulus Zehender in promontorio malæ ſpei; dum ait: *Dicto regno ſub annum CHRISTI 1618 eadem ſub vitæ religioſa diſciplina, parum religioſè vixiſſe duos. Nam quod offenſiculus ſe mutuò laceſſiverint, magnum inde odiorum natum eſt ſeminarium, magna flamma cupientium utrinque vindictam. Accedit, ut alter lethali morbo occuparet, ſentiret notabilem virium imminutionem & propinquantia fata. Eam ob*

ob cauſam ſecuturus Chriſtianæ legis præceptum, ad ſe vocari imperat eum, quocum ſimultatem habuerat. Etenim inquit, homines ſumus, & quæ humana eſt naturæ miſeria, prona ad malevolentiam offenſamque. Ego igitur, ut qui æternitatem jam adeo, tecum olim malè ſciſſam redintegro charitatem, & quidquid à te injuriarum contra me profectum eſt, totum ignoſco tamque ſeriò quàm verè cupio religiosè mori, ac clementem pro tribunali judicem experiri. Debebant ſanè hæc ultima morientis verba & juſtiſſima poſtulata expugnare ferociam hoſtis, atque ad mititatem adducere: ſed nihil admodum profecerunt, nam vultu igneo, oculis flammam jaculantibus talia alter regeſſit: faceret æger quod luberet, ſibi decretum eſſe perſtare in vindicta, nihilque ſcire velle de condonatione culparum. Moritur ſub hac æger, ſed heu quomodo! reſumpto vindictæ ſpiritu, neque enim pulchrum eſſe putabat infelix ignoſcere illi, qui ignoſcere non cupit, ergo, ut dixi, è vivis abit, ſed ad orcum: quemadmodum ipſe poſt obitum ſuum inter querimonias atque expoſtulationes nihil profuturas teſtatus eſt. Nam quo tempore juxta uſitatum religioſis morem omnes menſa communi aſſiderant refecturi corpus: ecce tibi, is, qui nuper mortuus fuerat, velut redivivus in umbra ſua triſti ſchemate apparet, cumque univerſos oculis ſuis ſignaſſet ſpectrum, & deprehendiſſet juratum ſibi inimicum, eum è menſa evocat, præſentem ſic alloquitur: ſceleſtum caput & una unica fere interitus mei cauſa. Quia enim, quod vehementer rogavi moriens, detrectaſti mihi ignoſcere offenſas veteres, hoc effeciſti, ut exemplo ad iram exſtimulatus primùm in ſimiles ruerem vindicandæ injuriæ libidines, deinde ad proxima mala impiaque morti tartara. Hoc beneficium tibi debeo, atque ut experiaris quantum ſit, idem mecum ſenties, infelix futurus apud inferos civis. Mox ſtygia larva medium complexa hominem, velut Hercules olim caro eliſit animam, relictoque ante trepidos ſpectatores cadavere, ipſa quoque ſe oculis ſubduxit; auctior reditura ad orcum, quia animam capitalis inimici habuit in comitatu.

Diſcite juſtitiam moniti, imo diſcite remittere
Vindictam, & inimicis ex corde ignoſcere.

§. 13. *Epilogus.* Finio Concionem paucis verſiculis D. Nazianceni:

Cum tu dolore laſſus ardes maximo,
Chriſti memor ſis vulnerum; pars & quota,
Sint hæc dolorum, quos herus tulit tuus,
Sic nempe, ut undis obrutus, mæror perit.

Ad hæc Nicetas Nazianceni ſcholaſtes: *Cujuſpiam in te contumelia effervescens, - ingentem in te furoris flammam excitaret, animarumque tuam ulciſcendi cupiditatem incenderit, fac protinus, tibi Chriſtus in mentem veniat.* Amantiſſime Jeſu! ex hac hora flammas illas omnes vindictæ, quæ hactenus in cordibus noſtris arſerunt, imò omnes etiam illius ſcintillas amore tuo ſopiemus, tuorum memores vulnerum, vulnera noſtra curabimus tuo ſacratiſſimo ſanguine, extinguemus ferale incendium odii atque inimicitiæ! ad hoc tuam nobis gratiam, ſine qua boni nihil ſperari poterit, impertire digneris.

CONCIO LI.

DOMINICA XXIII. POST SS. TRINITATEM.

Cujus eſt imago hæc, & ſuperſcriptio?

Matth. 22. v. 20.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRima pars exponit excellentiam ſimilitudinis, tum naturalis, tum ſupernaturalis, quam Deus juxta ſuam imaginem animæ hominis impreſſit. Pars altera oſtendit, illam imaginem

Digitized by Google

nem violari & deſtrui à peccatore per peccatum mortale, ſed non impunè.

§. 1. *In exordio commendantur excellentes pictores & ſculptores.*

§. 2. *Varia SS. Patrum opiniones, in quo conſiſtat imago Dei, & ejus ſimilitudo, quæ eſt in homine.*

§. 3. *Eximia hominis Encomia.*

§. 4. *Explicatur ſimili, quomodo gratia perficiat ſimilitudinem Dei in homine.*

§. 5. *Similitudo per gratiam, quantum elevet animam hominis.*

§. 6. *Horrendi effectus peccati mortalis in anima hominis.*

§. 7. *Declarantur per ſimilia.*

§. 8. *Peccans mortaliter eſt ſimilis porco.*

§. 9. *Nemò impunè in anima ſua violat imaginem Dei.*

§. 10. *Capitale fuit, portare imaginem alicujus tyranni, quid erit geſtare imaginem diaboli in invidiam Chriſti.*

§. 11. *Epilogus.*

INter pulcherrimas & ingenioſiſſimas artes numero artem pingendi & ſculpendi. Conſiſtit illa in hoc, ut pictores ſculptoresque ad vivum imitentur naturam, ut res ferè omnes, quæ objectum ſunt viſus, vivis coloribus vel ſcalpris repræſentent; fecêre hoc cum omnium admiratione celebres pictores & ſculptores. Leontius ſculpſit puerum cum vulnere in pede, ita flentem & exprimentem ſenſum doloris, ut omnes inſpectores condolerent. Zeuxis pictis uvis decepit aves. Paraſius picto velo ipſum Zeuxin. Phidias pinxit piſces, ut aſtantes dicecerent: *Adde aquam, natabunt.* Apelles delineavit Alexandrum; ita ad vivum, ut teſte Plutarcho dictum fuerit, duos eſſe Alexandros, unum Philippi filium inſuperabilem, alterum Apellis inimitabilem Similes artifices & ſculptores noſtris ſæculis obſtupuêre Italia, Germania, &c. Verbo, quid non poteſt penicillus pictoris? mirâ pulchritudine natura formas, roſas, lilia, gemmas. Architectus palatia, hortulanus hortos, ſartor veſtes, &c. omnia imitatur penicillus, eſt architectus, eſt hortulanus, eſt ſartor, eſt mille artifex; propterea pictores. Sed magis Auctorem

§. 1. In exordio commendantur excellentes pictores & ſculptores.

rem naturæ Deum ter Optimum Maximum, dum cœlum & terram creavit, dum in illis omnes creaturas, ſolem, lunam, ſtellas, &c. expreſſit, oſtendit, qualis ſit pictor; univerſum eſt pictura Dei; ſed præcipuè dum hominem creavit; huic imaginem impreſſit, & quia ſibi ſimilem, perfectiſſimam. Cum verò uſus ferat, ut dum pulchram imaginem intuemur, quæramus, cujus eſt imago? quæramus, quis pinxit, meritò ex hodierno Evangelio de homine quæro, *cujus aſt imago*? reſpondeo, ſolius Dei, SS. Trinitatis. Scio ſenſu literali, quæſtionem eſſe de imagine numiſmatis, &c. ſenſu myſtico de anima hominis, quàm hæc ſit nobilis & excellens, & in quo conſiſtat hæc excellentia hujus Concionis. Prima parte fuſius oſtendam; altera parte ex dictis documenta quædam deducam.

§. 2. *Varia SS. PP. opiniones, in quo conſiſtat imago Dei, & ejus ſimilitudo, quæ eſt in homine.*

Hominem ad imaginem & ſimilitudinem DEI eſſe creatum, certum eſt ex cap. 1. verſ. 26. Geneſ. *Faciamus hominem, &c.* De aliis creaturis aliter loquitur ſacer textus: *Dixit, fiat lux, & facta eſt; dixit, fiat firmamentum, & factum eſt; dixit, germinet terra herbam virentem, &c. & factum eſt.* Verbo; fuit opus, quia ſunt opera digitorum Dei. Ly *faciamus*, innuit in creatione hominis, noſtro modo intelligendi occupatam fuiſſe totam SS. Trinitatem veluti in opere dexteræ Dei. Fecit potentiam in brachio ſuo. Tanti eſt, Deum creaſſe hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam. In quo hæc conſiſtant, variant SS. PP. S. Ambr. ait tr. de dign. hominis c. 2. *Deus unus - vivificans, movens, gubernans.* Sic anima in corpore una eſt, vivificat, movet, gubernat corpus. S. Gregorius Nyſſenus: *Illam imaginem conſtituit in ratione ſive intellectu.* Verè divina res eſt ratio, &c. donum omnium pretioſiſſimum ab eo qui creavit. In aliis multa cum beſtiis habemus communia, videmus ut beſtiæ, &c. ratione ſuperamus. Hæc domat equos, tauros ſubjicit jugo, &c. hac demum Deo ſumus ſimiles. Addit idem Greg. *Non privavit Deus hominem eo, quod eſt bonorum pulcherrimum & præſtantiſſimum* [in Deo] *quod ſit ſui juris & liberi arbitrii.* S. Aug. *Conſtituit in immortalitate:* Sicut enim Deus eſt immortalis, pari ratione in anima. Vel in hoc, quod ſicut Deus eſt unus, & tamen triplex in perſona, ſic una eſt

anima,

anima, ſed cum triplici nobili potentia, inter quas memoria refert Patrem, intellectus Filium, voluntas Spiritum S. Ex hic hoc ſequitur, ſicut Deus eſt ſummum bonum, ſic homo ad minimum eſt capax ſummi boni; Nyſſenus ſuper ly *faciamus*: *Valent illa tantundem ac ſi diceretur, humanam naturam à Deo in omnium bonorum ſocietatem vocatam eſſe*; Nam ſi Dei natura perfecta quædam copia eſt bonorum omnium; homo autem ejus eſt imago, haud dubie, ſimulachrum hoc Dei, princeps exemplum ita referet, ut & ipſum bonis omnibus abundet. In hoc homo ſuper omnes creaturas. Pulcher eſt ſol, ſed non eſt capax ſummi boni. Pulchra luna, ſed non capax ſummi boni; pulchra ſidera, pulchri montes & fontes; pulchra prata & ſata; pulchra flumina & Oceanus, pulchri flores & frutices, pulchræ arbores & plantæ; at nequaquam ſummi capacia ſunt iſthæc univerſa. In promptu cauſa eſt, nam licet creaturæ hæ ſint pulcherrimæ, non tamen poſſunt intelligere Deum, conſequenter nec amare, in quo poſſeſſio ſummi boni conſiſtit.

Ideo à viris ſapientiſſimis ſoli homini data tam præſtantia encomia: Plato vocavit: *Miraculum*; Protagoras: *Medullam rerum*; Plotinus: *Formoſiſſimum operum*; Trismegiſtus: *Divinum animal, cæleſtibus aut par aut melius*. Quid dixiſſent, ſi ſupernaturalem imaginis hujus pulchritudinem agnoviſſent? illa enim omnia, quod homo vivat, quod ſentiat, quod diſcurrat, naturalem tantùm conſtituunt ſimilitudinem; altera ſupernaturalis longè eſt nobilior. Hæc conſiſtit in gratia, charitate, aliarumq; virtutum ornamentis, &c. S. Ambr. *Sicut Deus, qui creavit nos, eſt charitas, eſt juſtus, patiens, mundus, miſericors, ita homo creatus eſt, ut bonitatem habeat, &c.* Quas virtutes, quanto quiſque in ſe habet, tanto propior eſt Deo, & majorem ſui conditoris gerit ſimilitudinem. §. 3. *Eximia hominis encomia.*

Quomodo hæc ſimilitudo priorem perficiat, explicatur pulchro ſimili Nyſſeni. Pictor picturus regem, primo format delineamenta hominis, faciē, brachia, manus, pectus, crura, pedes &c. ſed hic homo necdū apparet rex; accedit deinde color, poſtea purpuræ, imponitur capiti corona, manui ſceptrum, &c. ecce regem: ſic naſcitur homo, qui vivit, qui movetur, qui intelligit, &c. ſed in ſtatu natu- §. 4. *Explicatur ſimili, quomodo gratia perficiat ſimilitudinem Dei in homine.*

ræ; purpura virtutis amicitia, [quo cultu nil magis regium eſſe poteſt] coronatur coronâ juſtitiæ, cum ſceptro dominii ſupra inordinatas paſſiones; & ecce pulcherrimam imaginem. Impreſſa illa fuit Adamo, veluti Regi. per juſtitiam originalem, verum, quia per peccatum deſtruxit, Dei filius factus homo, venit in hunc mundum, ut renovaret imaginem, adeo in oculis Dei eſt excellens, & quidem per mortem in cruce; & ſanguine fuit opus. Admirans hoc S. Auguſtinus in Pſ. 102. exclamat: *O anima erigere: tanti vales.* S. Bern. ep. 54. *Magna res, anima, quæ Chriſti ſanguine redempta eſt, gravis animæ caſus, quæ non niſi Chriſti cruce potuit reparari.*

§. 5. Similitudo per gratiam, quantum elevet animam hominis.

Hæc ſimilitudo per gratiam; animam juſti facit ſponſam Spiritus S. Reginam, dominam, nobilem, divitem, formoſam, hæredem cœli, filiam Dei. Hæc ſimilitudo eſt ſemen gloriæ, radix unionis cum ſummo bono, fons virtutum, ſanctitatis & abundantiæ cœleſtium bonorum. Ob hanc ſimilitudinem David animam juſti comparat Reginæ in veſtitu deaurato; Salomon auroræ, ſoli, lunæ, ſtellæ matutinæ; ſponſæ pulcherrimæ. Ezechielis c. 28 verſ. 12. *Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia, & perfectus decore, omnis lapis operimentum tuum, ſardius, topazius & jaſpis, chryſolitus & onix, berillus, ſaphirus, & carbunculus & ſmaragdus, &c.* Trahit inſuper ſecum dona Spiritus S. ut anima ſit ſapiens, &c. Hanc ſimilitudinem vocant alii *Theſaurum.* Alii: *Pignus & titulum ſummi boni.* Alii: *Bonum ineſtimabile.* Alii: *Participationem divinæ lucis, &c.* Ex quibus omnibus patet primum punctum, in quo imago hæc tum naturalis, tum ſupernaturalis conſiſtat, & quàm ſit nobilis atque excellens.

§. 6. Horrendi effectus peccati mortalis in anima hominis.

Ex dictis duo deduco corollaria. Primum eſt: Quivis, qui imaginem hanc fert, caveat peccatum mortale, nam hoc macula eſt, eſt atramentum, eſt lutum, quod illam, quæ in gratia conſiſtit, momento deturpat. Gratia animam facit ſponſam & Reginam, peccatum mortale adulteram, & ſervam diaboli. Gratia animam reddit formoſam, peccatum mortale fœdam, ut in oculis Dei gratia, quia ſimilem Deo facit animam, illam ornat; peccatum mortale expoliat. Gratia facit hæredem gloriæ, pecca-

tum

tum mortale ream ignis æterni. Gratia unit cum ſummo bono, peccatum mortale ſeparat. Illum ſolem, illam lunam, illam ſtellam, id eſt, animam in gratia; peccatum mortale præcipitat in puteum, in quo fumus & ſulphur, peccatum mortale tenebræ & caligo, &c.

S. Bernardus ſer. 62. in Cant. explicat pulchro ſimili. Speculum, quamdiu mundum eſt, repræſentat pulchrè objectas imagines; ſi inficiatur pulveribus, vel luto, vel venenato halitu, nulla imago apparet. Pari ratione, cum anima munda eſt, apparet imago SS. Trinitatis, peccatum mortale pulvis eſt, lutum eſt, halitus eſt, qui, quamprimum animam inficit, imaginem Dei obfuſcat. O quàm pulchrum ſpectaculum, cum in anima devota veluti ſpeculo apparet imago v. g. Chriſti ſudantis ſanguine ad col. &c. ſed obfuſcatur citiſſimè. Verba S. Bernardi ſunt: *Sicut ſol viſibilis lumen ſuum in clarum ſpeculum ſibi objectum neceſſario effundit, atque in eo figuram ſuam efformat. Ita anima munda, & ab impedimentis libera, clariſſimus inviſibilis ſolis radiis illuſtratur, & in ea ipſius ſolis imago excellenter elucet.* Idem de aquis dicendum; cum hæ mundæ ſunt, ſpeciem quandam ſpeculi præſeferunt, quaſcumque recipiunt atque exhibent rerum hominumve præſentium imagines: at verò, ubi injecto forte luto ſunt conturbatæ, nequaquam, ut ante, repræſentant effigiem. Talis eſt tuus animæque tuæ ſtatus, mi homo! mihi non credis? Philonem audi Abbatem, cujus in Cantica hæc ſunt verba: *Imaginem Dei in te repræſentas, quamdiu non peccas; ſi verò aliquando peccato conſentis, recedente imagine Dei à te, ipſi diabolo aſſimilaris, & hoc quærit diabolus ex ira & invidia.* Quandoque contingit, ut quis hoſti ſuo in perſona meditatam diu vindictam inferre non poſſit; quocirca, cum major eſt animi exæſtuãtis furor in imaginem hoſtis, tota bilis effunditur hæc, vel ſputo coniquinatur, vel cultro diſcinditur, vel luto defœdatur. Nimirum hæc eſt rabies diaboli, qui, cum ipſi Deo nocere non poſſit [nam quis ut Deus?] conceptum invidiæ ſuæ furoriſque flammas in Dei ſaltem imaginem evomere non dubitat. Hinc animam hominis odio longè maximo proſequitur, hinc quidquid adverſus illam moliri poteſt, vel furo-

§. 7. *Declaratur per ſimilia.*

roris vel horroris nequaquam prætermittet. Non tamen hoc poteſt, niſi cum homo ultrò & liberè conſentit peccato mortali.

§. 8. *Peccans mortalis eſt ſimiliter porco.* Hoc Spiritus S. Prov. 11 v. 22. comparat eleganter porcis. *Circulus aureus in naribus ſuis*, &c. hoc latet ſimile, ſi naribus porci affigatur annulus aureus cum pulcherrima imagine, tamen immerget luto, &c. hoc facit peccator; habet aureum annulum, hoc eſt, animam, huic Deus ſui impreſſit imaginem, tamen immergit luto voluptatum, &c. tali meritò obdere poſſum illud S. Chryſologi. Homo quare tibi tam vilis es, qui tam pretioſus es Deo, quare ſic honoratus à Deo, teipſum taliter inhonoras.

§. 9. *Nemo impunè in anima ſua violat imaginem Dei.* Alterum corollarium eſt, quiſquis hoc facit, non faciet invanum; vel impunè Leges civiles hoc habent. - Eum teneri violatæ Majeſtatis crimine, qui cœno aut lapide ſtatuam Imperatoris tetigerit. Peccare mortaliter nihil eſt aliud quàm imaginem Dei in anima cœno illinere: Quiſquis facit, reus eſt læſæ Majeſtatis Divinæ. Tempore Caracallæ damnati ſunt qui coronas Cæſarum imaginibus detraxiſſent, ut alias ponerent; quiſquis peccat mortaliter, imagini ſuæ detrahit coronam Juſtitiæ (dicere liceat) detrahit coronam ſpineam Chriſti, ut reponat coronam Veneris, de qua illi, *venite coronemus nos roſis &c.* Sed quiſquis facit damnabitur; Seneca & Rhodiginus lib. 9. cap. 17. *Capitis rei erant, qui Principis imaginem intuliſſent lupunari.* O impii! & quorſum vos defertis imaginem non Auguſti Romanorum Cæſaris, ſed Auguſtiſſimi cœlorum terrarumque monarchæ Dei? quò quò illam deportatis? Heu, pudet dicere, defertis in lupunaria [hoc faciunt laſcivi, fornicantes, adulteri] defertis in forum publicum, in arcas auro argentoque plenas (hoc faciunt avari) defertis in menſas, in epulas, in pocula & calices (hoc faciunt gulæ ventriſque mancipia) defertis in ludos, popinas & ganeas (hoc faciunt quorum Deus venter eſt) ſed hac ipſa de cauſa O miſeri & infelices mortales! ſententiam mortis incurretis & quidem æternæ, niſi mox, dum licet, imaginem hanc Dei reparetis, hoc eſt, niſi dignos pœnitentiæ fructus feratis.

§. 10. *Capitale fuit, portare* Alia fuit lex, quâ cautum fuerat, ne quis defuncti tyranni imaginem portaret, maximè ſi fieret in invidiam novi Imperato-

ris.

Digitized by Google

ris. - *Hoc ſolum ſuffecit ad crucem* ait Origenes. Tyrannus eſt diabolus, & peccare mortaliter nil aliud eſt, quàm imaginem ejus portare in Chriſti invidiam, hoc ſufficiet ad æternam damnationem. Ideò Origenes. *Perſcrutetur ergo nunc ſe unusquiſque & cordis ſui arcana recenſeat, ac diligenter inquirat quas ibi imagines gerat.* Si inventus fuerit habere ibi formas diaboli, & imaginem ſatanæ, quod tibi erit vitæ refugium? quis miſerebitur tui cum de intimo conclavi cordis tui [addo ego in agone] tyrannica imago proferetur. Sin autem vis ut ejuſmodi imagines tibi deſignem, audi: Ira, imago tyrañica eſt, avaritia NN. &c. quas ſi non citius abjeceris de domo tua, ſi non detraxeris & abraſeris à ſenſibus tuis omnem fucum peſſimæ hujus picturæ, & omne figmentum venenati coloris abſterſeris, ipſæ imagines perire te facient, juxta illud S. Auguſtini in Pſ. 38. *Meritò imaginem ipſorum ad nihilum rediget Dominus in civitate cæleſti, quia ipſi in terreſtri ſua civitate* [in anima] *imaginem ejus ad nihilum redegerunt.* Et Orig. *nec conſequetur partem, inter cives cæleſtis illius civitatis, qui cæleſtis imaginis non reportat inſignia.*

imaginem alicujus tyranni. quid erit geſtare imaginem Diaboli, in invidiam Chriſti.

Claudo Concionem verbis S. Bernardi ep. 104. *Vide quid tibi ante tribunal illud terrificum reſpondendum ſit, de eo quod acceperis in vano animam tuam, & animam talem, ſi inveniaris nil egiſſe amplius de immortali & rationali ſpiritu tuo, quam quodvis pecus de ſuo, &c.* Simus denique memores dicti S. Bernardi ſer. 5. de adventu, *ſicut portavimus imaginem terrenam, ſic portemus & imaginem cæleſtis.* Sicut fuit vetus Adam effuſus per totum hominem, & totum occupavit: ita modo totum obtineat Chriſtus, qui totum creavit, totum redemit, totum & glorificabit.

§. 11. Epilogus.

CONCIO LII.

DOMINICA XXIV. POST SS. TRINITATEM.

Fides tua te ſalvam fecit,

Matth. 9. v. 22.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Aliquæ proprietates veræ fidei, per quam ſalvamur.

§. 1. *Ex certis ſignis colligere debemus, quænam ſit fides ſalvum faciens; quænam illa, in qua homo damnabitur.*

§. 2. *Quænam de fide, inter Catholicos & Acatholicos certa ſunt.*

§. 3. *Proſecutio.*

§. 4. *Proſecutio.*

§. 5. *Prima veræ fidei proprietas eſt, ut ſit ſimplex & humilis.*

§. 6. *Talis fuit fides Abrahami.*

§. 7. *Proſecutio.*

§. 8. *Admirabilis fides trium Magorum.*

§. 9. *Doctrina Lutheranorum de vera fide.*

§. 10. *Teſtimonia S. ſcripturæ, quibus nos probamus, ſolam fidem non ſufficere.*

§. 1. Ex certis ſignis colligere debemus, quænam ſit fides ſalvum faciens; quænam illa, in qua homo

DUm verba hæc Evangelii: *Fides tua te ſalvam fecit*; nonnihil conſidero, rurſum mihi occurrit quæſtio, quam & ante quatuordecim & ante octo etiam dies initio Concionum propoſui. Ante dies quatuordecim dixi cum ſancto Gregorio Nazianceno: Videamus, quid in hodierno Evangelio doceat diabolus, quid verò Chriſtus nos erudiat. Ante dies octo propoſui, quænam ſit imago Chriſti, quænam imago diaboli.

diaboli. Super citata verba Chriſti in themate: *Fides tua te ſalvam fecito*, merito quis dicere poteſt, videamus, quænam ſit fides vera, ſalvum faciens; quænam fides falſa, cum qua homo æternum damnatur. Quæſtionem hanc pulchris verbis Beatus Vincentius Lirinenſis in aureo libello contra profanas novitates: *Sæpe magno ſtudio & ſumma attentione perquirens à plurimis ſanctitate & doctrina præſtantibus viris, quonam modo poſſim, certa quadam & quaſi connaturali ac regulari via Catholicæ fidei veritatem ab hæretica pravitatis falſitate diſcernere; hujusmodi reſponſum ab omnibus fere retuli, quod ſive ego, ſive quis alius, exſurgentium hæreticorum fraudes deprehendere, laqueosque vitare, & in fide ſana ſanus, atque integer permanere velim; - attendere effectus debeamus, certaque ſigna vera fidei.* Non diſplicet reſponſum tantorum virorum. Itaque hac Concione aliqua [omnia enim, quis intra horulæ ſpatium ſtringeret] talia effecta & ſigna oſtendam, ut judicare poſſimus, quænam ſit fides ſalvum faciens, juxta verba Chriſti, & quænam illa ſit fides, cum qua homo infallibiliter damnabitur. Vos interim me benevolè, quod ſoletis, attendite. *damnabitur.*

Quod quæſtionem hanc attinet, advertendum eſt, Catholicos Romanos & Acatholicos in quibusdam convenire, quæ certa ſunt. Certum eſt I. ex cap. 11. ad Hebr. v. 1. fidem eſſe ſperandarum ſubſtantiam rerum, argumentum non apparentium. Sanctus Gregorius: *Quæ etenim apparent, jam fidem non habent, ſed cognitionem.* Et ſanctus Auguſtinus: *Quid eſt fides? niſi credere quod non vides.* Substantia idem eſt, quod ſolidum fundamentum, de quo præclare ſanctus Bernardus: *Audis ſubſtantiam? non licet tibi in fide putare vel diſputare pro libitu, non hac illacque vagari per inania opinionum, per devia errorum; ſubſtantiæ nomine aliquid tibi certum fixumque præfigitur, certis clauderis finibus, certis limitibus coarctaris.* Itaque qui hoc credit, nil aliud nunc hoc affirmat, nunc aliud, &c. non eſt hic verâ ſolidaque fide inſtructus, quia fides hæc non eſt ſubſtantia, caret ſolido fundamento. *§. 2. Quædam fide inter Catholicos & acatholicos certa ſunt.*

Certum eſt II. eſſe *donum Dei.* Ad Epheſ. 2. verſ. 8. *Gratia eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis, donum enim DEI eſt.* *§. 3. Proſecutio.*

Digitized by Google

Ad Phil. cap. 1. verſ. 29. *Vobis donatum eſt, non ſolum, ut in illum credatis, ſed etiam, ut pro illo patiamini.* 2. Corinth. c. 3. verſ. 5. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis.* Sanctus Auguſtinus: *Si non ſumus idonei cogitare, profectò non ſumus idonei credere aliquid ex nobis, ſed ſufficientia noſtra, quâ credere incipimus, ex Deo eſt.* Conſilium Arauſicanum: *Si quis ſicut augmentum, ita etiam initium fidei* [contra Pelag.] *non per gratiæ donum nobis ineſſe dicit, Apoſtolicis dogmatibus adverſarius approbatur.* Sanctus Auguſtinus: *Non enim fides nihil eſt, ſed magnum aliquid, quam ſi habes, profectò accepiſti - ſcilicet à DEO.*

§. 4. *Proſecutio.* Certum eſt III. apud Catholicos Romanos & Acatholicos; fidem veram ad ſalutem eſſe neceſſariam. Marc. 16. v. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur.* Ad Hebr. cap. 11. verſ. 6. *Sine fide autem impoſſibile eſt placere DEO.* In tribus epiſtolis, ad Romanos, ad Galathas & Epheſios ſanctus Paulus hoc multis probat. Joan. cap. 1. verſ. 12. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus.* 1. Joan. 5. verſ. 1. *Omnis qui credit, quoniam Jeſus Chriſtus ex Deo natus eſt.* Joan. 6. v. 40. *Hæc eſt voluntas patris mei, - ut omnis, qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam.* Joan. 17. verſ. 3. *Hæc eſt vita æterna, &c.* Clarè ſanctus Auguſtinus ſer. 38. *Fides eſt humanæ ſalutis initium. Sine hac nemo ad filiorum Dei conſortium poteſt pervenire, quia ſine ipſa, nec in hoc ſæculo quisquam juſtificationis conſequitur gratiam, neque in futuro vitam poſſidebit æternam.* Quia hæc certa ſunt, omitto alia SS. PP. elogia.

§. 5. *Prima vera fidei propoſitio, ut ſit ſimplex & humilis.* In his inquam omnibus Catholici & Acatholici ferè conveniunt, non ita in effectis, ſignis & proprietatibus; Prima eſt v. g. quod ſit ſimplex & humilis; [non nitatur ratione vel demonſtratione, ſed tantum auctoritate.] Fides enim facit, quod faciunt argumenta, & maximè demonſtrationes, nempe, ut intellectum convincat, & ad aſſenſum pertrahat, non evidentia rei, ſed auctoritate dicentis DEI, qua, ut loquitur Apoſt. 2. Corinth. cap. 10. verſ. 4. *in captivitatem redigit*

omnem

omnem intellectum in obſequium Chriſti. S. Aug *Turbam non intelligendi vivacitas, ſed credendi ſimplicitas tutiſſimam facit.* Rurſum: *Quod intelligimus aliquid, rationi debemus; quod autem credimus, auctoritate.* Sanctus Ambroſius: *Fidei ſimplicitas omnibus argumentis antecellit.* Ratio videtur clara, fides debet eſſe talis, ut omnis, quivis etiam ſimpliciſſimus poſſit illam habere, & per illam ſalvari, inter millenos autem vix centum, imo vix decem reperias, quorum tantum eſt intellectus acumen, ut tam ſublimia, qualia ſunt fidei myſteria, poſſint percipere; imo inveniemus mille in pagis, in vicis, in deſertis, quibus de rebus fidei vel nihil prorſus vel parum admodum innoteſcit, ſed tantum credunt, v. g. eſſe DEUM, quia hoc auditu perceperunt, & quia illis prædicatum eſt verbum DEI. Jam vero fidem, quam Acatholici requirunt, ut potiſſima myſteria intelligant, ut intelligant Scripturam, &c. ipſos inter Catholicos vix unus è centum poſſidebit. Alii cauſam hujus proprietatis ſic proponunt: Cum ſine fide nemo ſalvari poſſit, multi ruſtici & alii homines ſtupidi, qui nihil de ſublimibus fidei myſteriis capere poſſunt, puta de SS. Trinitate, de SS. Euchariſtia, ſalute excluderentur. Unde S. Greg. Naziancenus: *Nihil fide noſtra fratres iniquius fingi poſſet, ſi in eruditis tantùm, dicendique facultate ac Logicis demonſtrationibus excellentes caderet.* Et quid putatis Auditores, virum hunc ſanctitate non minus, quam eruditione præſtantem dicturum fuiſſe, ſi quis ejus tempore dixiſſet, quod hac tempeſtate noſtra dicere ſolenne eſt adverſæ parti, nimirum eſſe ſcripturam ſacram intellectu non difficilem, ſed perquam facilem, ipſam ſuis ſemet radiis non alienis humanarum interpretationum ſententiis exponi, &c. quid inquam dicturus fuiſſet ad iſta vir ille eximius.

Age nunc videamus præclarum ſimplicis humilisque fidei exemplum, quod præbuit nobis omnium credentium Pater Abraham, I. cum Deo promittenti credidit, ſe centenarium ex uxore Sara nonagenariâ pariturum filium, idq; ſimpliciter ſic enim de eo loquitur Ap. ad Rom. 4. v. 19. *Et non infirmatus eſt fide, nec conſideravit corpus ſuum emortuum, cum jam eſſet mille annorum,* §. 6. *Talis fuit fides Abrahami.*

rum, & emortuam vulvam Saræ, in repromiſſione etiam Dei ſuſcitavit diffidentia, ſed confortatus eſt fide, dans gloriam Deo, pleniſſimè ſciens, quia quicunque promiſit, potens eſt & facere.

§. 7. *Proſecutio.* Deinde, cum juberetur à Deo offerre filium Iſaac in holocauſtum; credebat enim potius filium ab eo reſuſcitandum, quàm promiſſionem de ſeminis benedictione prius facta irritam futuram. Unde idem Ap ad Hebr. 11. verſ. 17. *Fide obtulit Abraham Iſaac, &c.* S. Chryſoſt. Videamus juſti obedientiam, & quomodo fecit, quod à Domino imperatum eſt, *non quærens cauſam ſicut multi inſipientes faciunt, & de his, quæ à Deo fiunt, curioſe quærunt & dicunt, quare hoc & quare illud? & quæ hinc & quæ illinc utilitas enaſcitur?* nimirum ſic fit hodiedum, curioſi ſumus, ubi minimè oporteret, inquirimus non inquirenda, ſenſum & conſilia Dei & Eccleſiæ matris ſcrutamur; dicimus, quare hoc vel illud præcepit Eccleſia? quare tot tamque moleſta à nobis exigit jejunia? quare ad hoc vel illud obligat ſub peccato? non eſt hoc Aud. non eſt ſimplicis humiliſque fidei argumentum. Credere oportet, ſed cum ſimplicitate cordis & humilitate; nec eſt dicendum, quare, faceſſat vox illa curioſa; *Credo*, dicendum eſt, *credo Domine*, & ſimpliciter humiliterque credo, quidquid tu mihi vel immediatè per teipſum vel per Eccleſiam mediatè proponis.

§. 8. *Admirabilis fides trium Magorum.* Quàm eſt etiam illuſtre ſimplicis fidei exemplum producere, cùm reſponſo accepto in ſomnis poſt adoratum Chriſtum non redirent ad Herodem, ſed aliâ viâ regionem ſuam repeterent, audite de illis Chryſoſtomum. Conſidera hoc loco admirabilem Magorum fidem, qui in nullum hinc ſcandalum commoventur, ſed ad cuncta obedientes permanent atque flexibiles, nihilque omninò turbantur, neque ipſi ſecum diſputant, dicentes: Si magnum quoddam eſſet hic puer, & potentiæ aliquid obtineret, quid opus eſſet ejus fuga, occultusque diſceſſus, &c. Verum nihil omnino tale vel ore proferunt, vel mente concipiunt. Hoc eſt enim fidei inſigne, ut abſque controverſia ulla imperanti obediant, nec tamen mercedem repoſcant obſequii. Nunc conſi-

derate,

derate, quinam ſimplicius & humilius credant, Catholici Romani an Acatholici.

Circa aliam proprietatem fidei inter nos & Acatholicos magna eſt lis & controverſia, ſcilicet, an fides *ſola* ſine charitate & operibus, an vero fides cum charitate ſanctificet, & ſalvos nos faciat. Adverſarii, & quidem Lutherani hæc docent: I. quod dixi, *ſolam* fidem juſtificare. II. conſiſtere in hoc, ut certo credas, omnia peccata tibi remitti ob merita CHRISTI. Calviniſtæ addunt, hanc fidem dari ſolis electis, & ſemel habitam, non poſſe amitti. Verùm; nunquid Judas habuit fidem? nunquid fuit electus, ut unus eſſet ex duodecim? & tamen ſalvatus non eſt. Et quare Apoſtolus ait: *Quidam circa fidem naufragaverunt?* & ad Timoth. *In noviſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris.* Hi ergo fidem ſemel habitam amiſerunt. Adverſariorum argumenta hæc ſunt: I. S. Paulus ait ad Rom. 3. verſ. 28. *Arbitramur, hominem juſtificari per fidem ſine operibus legis.* Ad Epheſ. cap. 2. verſ. 5. *Salvati eſtis per fidem, non ex operibus.* Excludit ergo Apoſtolus omnia opera præter fidem, ergo excludit actus timoris, amoris, pœnitentiæ, &c. ſed docti ſciunt, duplicia eſſe opera, alia, quæ fidem præcedunt, alia, quæ ſequuntur, & in fide fundata ſunt; De prioribus loquitur Apoſtolus citatis locis; vult enim oſtendere, nec Judæos ex pura obſervatione legis Moſaicæ, nec Gentiles propter bona opera ante fidem ſuſceptam patrata; juſtitiam à Deo conſequi potuiſſe, ſed ex fide in Chriſtum; ideo docet Apoſtolus, fidem eſſe initium ſalutis & juſtificationis; nec dari ex præcedentibus operibus, ſed eſſe donum DEI. [Vide ſanctum Auguſtinum,] Timor ergo, v. g. qui fundatur in fide Chriſti; ſpes & ſimiles virtutes ab Apoſtolo non rejiciuntur, ſed opera legis Moſaicæ vel naturæ. Ad verba illa Apoſtoli, quibus aſſerit, nos juſtificari gratis per gratiam ipſius; reſpondemus, juſtificationem dici gratuitam, non quia fit ſolâ fide, ſed quia non meremur illam per ulla opera, quæ fidem præcedunt. Hoc Acatholicos multum movet, quod Scriptura variis locis, dum agit de juſtificatione & remiſſione peccatorum, ſolius fidei faciat mentionem. Luc. 7.

§. 9. *Doctrina Lutheranorum de vera fide.*

v. 50. *Fides tua te ſalvam fecit.* Joan. 1. v. 12. *Dedit eis, &c.* Joan. 3. verſ. 36. *Qui credit in filium, habet vitam æternam.* Matth. 9. v. 2. Videns Jeſus fidem illorum; dixit paralytico: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Et cœci! non vident, vel certè videre non volunt Scripturam, quæ aliis locis facit mentionem in hac materia ſolius ſpei, vel ſolius charitatis, vel ſolius pœnitentiæ. Luc. 7. v. 49. *Remittuntur ei peccata multa,* quoniam dilexit *multum.* Pari ratione loquitur de ſpe & aliis virtutibus.

§ 10. *Teſtimonia S. Scripturæ, quibus nos probamus, ſolam fidem non ſufficere.*

Sed jam agite Adverſarii, reſpondete ad teſtimonia Scripturæ, quæ nos adducimus, ut probemus, non ſolam fidem ſalvos nos facere, ſed & charitatem, &c. dicite, quid reſponderis ad verba Apoſt. 1. Cor. 13. verſ. 2. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Quod ſi vera ſunt, [ſunt autem veriſſima, nam à Spiritu S. ſunt,] audi mi homo, etſi credas, mortuum eſſe pro mundi ſalute Salvatorem, etſi credas, Deum totius terrarum orbis conditorem, etſi credas Spiritus S. in diſcipulos miſſionem, etſi credas Chriſti glorioſam à mortuis anaſtaſin, etſi credas, rediturum in fine mundi Judicem vivorum & mortuorum; etſi credas remiſſionem peccatorum, & vitæ æternæ præmia; ſi charitatem non habueris, quid tibi proderunt hæc omnia fidei tuæ documenta? *Nihil es, nihil es ſine charitate* ſic loquitur gentium Doctor. Epiſtolam S. Jacobi rejecit Lutherus ob hæc verba, c. 2. v. 14. *Quid proderit fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat, nunquid poterit fides ſalvare illum?* Si hæc verba Spiritus ſancti vera ſunt, hoc ſequitur; etſi Lutheranus aliquis millies credat, Chriſtum mortuum, ſi tamen adulter eſt, non ſalvabitur, ſi blaſphemus eſt, non ſalvabitur; ſi fur aut raptor eſt, non ſalvabitur; ſi ſuperbus eſt & arrogans, non ſalvabitur; ſi detractor eſt, & famæ proximi denigrator maledicus, non ſalvabitur, &c. Sed audiamus hac de re mentem Divi Gregorii: *Quid* [inquit] *fratres chariſſimi per veſtem nuptialem putatis? ſi enim veſtem nuptialem baptiſma vel fidem dicimus, quis ſine fide & baptiſmate has nuptias intravit? eo enim ipſo foris eſt, quo necdum credidit.* Quid ergo debemus intelligere nuptialem veſtem, niſi charitatem;

intrat

intrat enim ad nuptias, ſed cum veſte nuptiali non intrat, qui in ſancta Eccleſia aſſiſtens, fidem habet, ſed charitatem non habet. Sanctum Gregorium audivimus, audiamus & ſanctum Bernardum. Hic ſermone vigeſimo quarto in Cantica ſic ſcribit hac de re noſtra: *Mors fidei* [inquit] *eſt ſeparatio charitatis: credis in CHRISTVM, fac CHRISTI opera, ut vivat fides tua: fidem tuam dilectio animet, probet actio. Non incurret terrenum opus, quod fides cæleſtium erigit, &c.* Dicite Auditores, quid clarius ſimul & præclarius? at necdum finis: pergit mellifluus Doctor: *Qui te dicis in CHRISTO manere, debes, ſicut ipſe ambulavit, & ipſe ambulare. Quod ſi propriam gloriam quæris, florenti invides, abſenti detrahis, reponis lædenti te; Hoc Chriſtus non fecit. Confiteris, te noſſe DEVM,* [audite Adverſarii] *factis autem negas. Non recte planè, ſed impie linguam CHRISTO, animam dediſti diabolo.* Sed rident hæc verba una cum Doctore hæretici! rideant, per me licet, veritas ridendo non exploditur; Deridet & Jacobum Apoſtolum Lutherus cum aſſeclis, bona opera cum charitate extollentem præ fide ſibilat, aitque: *Bona opera non faciunt bonum virum, neque mala, malum, ſed ſola incredulitas.* Sic ille; ſed heus Luthere, itane eſt ut loqueris? ergo falſum loquuntur Divi Patres, falſum ſanctus Jacobus Apoſtolus, falſum ſanctus Paulus, falſum Chriſtus Dominus ipſe, quid ad hoc? non reſpondet ad iſta Lutherus, ſed pergit vociferari: *Mala opera malum non faciunt, ſed ſola incredulitas.* Et hoc ſuum placitum, ut aliis perſuaderet, ſibi primùm perſuaſit alteque impreſſit. Ideoque noluiſſet pro orbe univerſo, pro gratia, pro cœli gazis, æternaque beatitudine vel unicum opus bonum facere, etiam labore leviſſimo, ut videre eſt ex iis, quæ dixit libro de mundo fol. 70. *Quod ſi cælum* [inquit] *apertum viderem, idq; culmo ſolummodo de terra ſublato mereri poſſem, culmum nequaquam vellem tollere.* Enimverò præclara eſt iſta fides! ſed rumpo filum diſſertationis prolixæ nimis. Fides eſt, fateor, fides eſt quæ ſalvũ facit, [nam & hodie ſalvatoris eſt illud oraculũ,] at non fides *ſola*, ſed & charitas; fides, ſed

Digitized by Google

non inanimata aut mortua, ſed viva, fides: ſed quæ verbis non nititur tantùm, ſed & factis; Hanc fidem nobis atque omnibus tribuat is, qui veræ vivæque fidei & caput & finis & auctor & fundamentum eſt DEUS, cui ſit honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

CONCIO LIII.

DOMINICA ULTIMA POST SS. TRINITATEM.

Erit enim tunc tribulatio magna,

Matth. 24. v. 21.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Jeroſolyma devaſtata.

§. 1. *Terribilis terræ motus Conſtantinopoli.*
§. 2. *Jeroſolyma everſa.*
§. 3. *Proſecutio.*
§. 4. *Principium & continuatio obſidionis.*
§. 5. *Vrbis deditio, & vaſtatio etiam templi.*
§. 6. *Lamentationes Jeremiæ.*
§. 7. *Proſopopœia everſæ Jeroſolymæ ex eodem Propheta.*
§. 8. *Cauſa everſionis, ſive Divinæ punitionis.*
§. 9. *Quam Deus diu diſtulerat, ut agerent pœnitentiam. Minatur antequam puniat.*
§. 10. *Proſecutio.*
§. 11. *Deus lentè procedit ad vindictam.*
§. 12. *Quam tamen expoſcunt in cœlum clamantia ſcelera.*
§. 13. *Quam ſi velimus evadere, fugere nos oportet ad Chriſtum Dominum, & conſtanter illi adhærere.*

Tempore

Digitized by Google

TEmpore ſancti Joannis Chryſoſtomi terribilis terræ motus improviſo concuſſit, & terruit Conſtantinopolim, [erat vir ſanctus urbis Archiepiſcopus,] concuſſio terræ tanta fuit, ut brevi tempore multæ ades, palatia, templa cum ingenti hominum ſtrage corruerint. Facile eſt cogitare, quis incolarum fuerit terror & motus; ſimulatque terra exitium minari deſiit, vir ſanctus populum convocavit ad concionem, quam his verbis fuit exorſus: *Vidiſtis Dei potentiam: vidiſtis Dei benignitatem, potentiam, quod orbem terræ concuſſerit! benignitatem, quod eum cadentem firmaverit. Concuſſit, at non proſtravit - præceſſit tanquam præco terræ motus, iram Dei ante denuntians, ut timore melius effecti, ſupplicium re ipſa inferendum repellamus.* §. 1. *Terribilis terræ motus Conſtantinopoli.*

Hodiernum Evangelium urbem Jeroſolymam nobis proponit, non terræ motu tantum concuſſam, ſed ferro, igne funditus exciſam. Similis ruina à mundo condito, non urbes tantum, ſed Regna, Provincias miſerandâ ſtrage multoties involvit, & ſuis cineribus intumulavit. Horret animus, meminiſſe tragœdiarum, quas in Germaniæ theatro noſtro tempore, triginta annis luſit furibundus Mars; quievit, Deo ſint laudes, in patria noſtra aliquot annis; pace fruimur; ſed quis reſciat quàm diu? Novarum cladium & bellorum prodromus fuiſſe videtur Cometa, quem ante paucos annos vidimus. Inter Chriſtiana Regna primum aſſultum patitur Polonia; Chriſtianitatis ille murus; quo jacente, vos quid fieri poſſit, perpendite; ego verbo inſinuo; Catholica Religio in magno verſatur periculo: iratus numerus videtur de novo nova meditari ſupplicia. Ideo jubet ſummus Eccleſiæ Paſtor NN. N.N. ut afflicto regno ferventibus precibus ſuccurramus, ut flagellum, quod eminus nobis imminet, avertamus. Concionatores juſſi ſunt, dicere ad populum de pœnitentia. Hoc faciam hac Concione, & quidem citatis verbis S. Chryſoſt. *Videtis Dei potentiam*, [quomodo concutere poſſit Regna, &c.] *ſed ſimul Dei benignitatem*, præmittit præcones illarum pœnarum, quo timore melius effecti, ſupplicia inferenda repellamus. Itaque prima parte Concionis breviter excidium urbis Jeroſolymæ deſcribam. Altera oſtendam, ſimilia §. 2. *Ieroſolymæ everſa.*

DEUM nobis minari; non ut ſtatim puniat, ſed ut pœnitentiam nobis perſuadeat. Mi Jeſu, tu ſcis quid intendam, da gratiam ad id mihi neceſſariam.

§. 3. *Proſecutio.*

Non procul à Jeroſolyma ad meridiem, juxta agrum Acel-dáma oſtenditur fovea ſive antrum, in quo Jeremias dicitur ſcri-pſiſſe Threnos, quibus deflet excidium urbis, illatum à Chal-dæis, hoc antrum meis cogitationibus, his diebus ingreſſus ſum aliquòties, cum Jeremiæ threnis; ex quibus præcipuè colligere poſſumus, quomodo punita fuerit Jeroſolyma. Præparate ani-mos & aures, ut triſtia, tragica; lachrymoſa audiatis. Mementote prius elogiorum quibus civitas hæc extollitur, Pſ. 30. v. 22. voca-tur civitas *munita.* Pſ. 45. v. 5. *Civitas Dei.* Pſ. 47. v. 3. *Civitas re-gis magni*, civitas potens, magna, excelſa, murata, - civitas ſan-cta, - civitas ſolis, David; civitas quæſita, in Apoc. dilecta au-rea, gemmea, &c. ab Iſaia vocatur urbs *frequens*, *urbs fortitudi-nis, urbs tam celebrata ob montem Sion, quem elegit Dominus, cui be-nedixit Dominus, in quo regnavit Dominus, cujus miſeretur Domi-nus, in quo habitavit Dominus, &c.* Hæc verbo tamen ſedes pacis civitas juſto Dei judicio à Romanis funditus eſt exciſa.

§. 4. *Principium & continuatio obſidionis.*

Die decimâ quartâ Aprilis, quâ omnes Judæi ad celebrandũ Paſcha in urbem confluxerant, Romanorum exercitus illam cingere cœpit Primam legionem hoſtilem tempore ſcilicet, quo ipſi crucifixerunt Meſſiam, vidit Jeroſolyma in monte Oliveti, illo loco, quo Chriſtus D. ante 40. annos tot lachrymis excidium prædixit: & inſuper modũ, quo urbs à Romanis capta fuit. Luc. 19. v. 43. *Circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt, & co-anguſtabunt te undiq;.* De hoc muro ait Joſephus l. 6. c. 13. *Murus uno minus 40. ſtadiorum erat - foris caſtella 13. ædificata, eorum gyrus denis ſtadiis numerabatur.* Poſtquam hoc muro incluſi fuiſſent, ingens in urbe exorta eſt fames, fuerat magna copia frumenti pro multis annis ſufficiens, ſed juſto Dei judicio, ſeditioſi illa combuſſerunt. Tanta deinde fuit penuria, ut divites pro fruſto panis offerrent omnem ſubſtantiam, nam *dederunt pretioſa quæq; pro cibo ad refocillandam animam;* tanta fames, ut comederint

car-

Digitized by Google

carnes animalium omnium etiam lege prohibitorum, etiam immundorum, etiam fœtidiſſimorum, etiam venenatorum, tanta fames, ut & ligulas, corium, imò & ſtercora devorâriut. Thren. c. 4. v. 5. *qui veſcebantur voluptuosè interierunt in viis, qui nutriebantur in croceis- amplexati ſunt ſtercora.* Tanta fames ut parvuli præ fame expirarent in brachiis parentum. Thren. 2. v. 12. *cum exhalarent animas ſuas in ſinu matrum ſuarum.* Tanta fames, ut parentes occiderint filios, & coxerint, ècontra filii mactârint devorârintque parentes. Tanta fames, ut eruerint mortuorum cadavera, &c. tanta fames, & tribulatio fuit, ut unus transfuga retulerit Tito, ex una tantùm porta, ab Aprili ad Julium, elata fuiſſe, centum & quindecim millia, & octoginta hominum, ex aliis portis ſexcenta millia; præter illos qui præcipitati fuerunt ex muris in foſſas, quod cum aliquando videret Titus, gemens, extenſis in cœlum manibus Deos fuit conteſtatus, ſe nequaquam eſſe cauſam tam cruenti ſpectaculi. & hoc duorum menſium ſpatio: toto obſidionis tempore, undecies centena millia perierunt: præter multa millia quæ poſt captam urbem ducta ſunt in captivitatem.

Die octavâ Septembris poſt quinque menſium obſidionem urbs ſe dedidit, Titus ingreſſus cum videret muros & turres exclamavit: *Deo planè adjuvante pugnavimus*; aggratulantibus verò legatis dixit, Deum iracundiam ſuam contra Judæos demonſtraſſe. Jam verò poſtquam urbs tota fuiſſet ſpoliata, poſtquam omnes incolæ venditi, vel miſſi in exilium, poſtquam quos occideret, quidve raperet, non haberet exercitus, juſſit Cæſar totam funditus everti civitatem; & factum eſt, ut juxta verba CHRISTI non manſerit lapis ſuper lapidem. De templo lis fuit, num diruendum eſſet; Tito placebat intactum relinquere veluti templum ſanctum, templum Regis, &c. Sed dum cum proceribus deliberat, exoritur clamor, ardere jam templum; [gregarius miles injeceraa flammas,] accurrit Titius incendium inhibiturus, ſed fruſtra, intra paucas horas templum redactum fuit in cineres; DEO irato ſine

§. 5. Vrbis deditio, & vaſtatio etiam templi.

ſine dubio ſufflante ignem, juxta v. 3. c. 2. Thren. *Succendit in Iacob quaſi ignem flammæ devorantis in gyro*, juxta v. 14. c. 21. Jerem. *Succendam ignem in ſaltu ejus, & devorabit omnia in circuitu ejus.* Tanta fuit vis flammæ, ut diſperſi ſint lapides ſanctuarii in capite omnium platearum, ut quærere quis poſſit cum Egeſippo l. 5. c. 53. de excid. Jeroſ. *Vbi maxima civitas Ieruſalem? ubi decora Sion? ubi mirabile templum? ubi illud tabernaculum? ſanctitatis ſacrarium? ubi eſt civitas referta populis, venerabilis regibus, acceptabilis Deo, gratiæ ſedes? urbs tota ſepulchrum mortuorum eſt, ſolæ ſpectantibus occurrunt favillæ, via vacua viventium, repleta cadaveribus?*

§. 6. *Lamentationes Ieremiæ.*

Benè ideo in ſuo antro cum lachrymis ſcripſit Jeremias c. 1. v. 1. *Domina gentium facta eſt quaſi vidua; princeps provinciarum facta eſt ſub tributo.* v. 3. *perſecutores ejus apprehenderunt eam inter anguſtias.* v. 4. *omnes portæ ejus deſtructæ, ſacerdotes gementes, virgines ejus ſqualidæ, & ipſa oppreſſa amaritudine;* v. 5. *parvuli ejus ducti ſunt in captivitatem.* v. 11. *omnis populus ejus gemens.*

§. 7. *Propopœia everſæ Ieroſolymæ ex eodem Propheta.*

Bene Jeremias vaſtatæ urbi dat vitam, os, linguam, ſicque loquentem nobis proponit cap. 1. verſ. 9. *Vide Domine afflictionem meam, quoniam erectus eſt inimicus.* verſ. 12. *O vos omnes, qui tranſitis, &c.* verſ. 13. *Poſuit me deſolatam, tota die mærore confectam.* verſ. 18. *Audite obſecro univerſi populi, & videte dolorem meum: Virgines meæ & juvenes mei abierunt in captivitatem.* v. 20. *Subverſum eſt cor meum in memetipſa, quoniam amaritudine plena ſum, foris interficit gladius, & domi mors ſimilis eſt.* Claudit tandem primum caput Threnor. *Multi gemitus mei, & cor meum mœrens.* Ex his omnibus & aliis, quæ omitto, colligere poſſumus, eveniſſe, quæ Chriſtus Dominus diu ante fuerat minatus: *Erit tunc tribulatio magna.* Sic juſto Dei judicio tandem Jeroſolyma punita & exciſa fuit; colligimus, impletum eſſe illud Baruch. 2. v. 2. *Statuit Dominus - ut adduceret ſuper eos mala magna, quæ non facta ſunt ſub cœlo, quemadmodum facta ſunt in Jeruſalem.*

§. 8. *Cauſæ everſionis, ſive Divi-*

Cauſam ex citatis locis Jeremiæ colligere poſſumus c. 1. v. 8. *Peccatum peccavit Jeruſalem, propterea, &c.* Non unum quidem, quia repleta fuit urbs ſceleribus, ut alii Prophetæ deſcribunt, ſed unum

na punitionis.

unum fuit præcipuum, quod Meſſiam crucifixerint. Hoc peccatum implevit præſtitutam menſuram ſcelerum, & advertendum eſt, quod monet S. Joannes Chryſoſtomus hom. de ſod. *Vide, quomodo retributio peccato par, egreſſus eſt à Jeroſolyma omnis decor; juſtus eſt Dominus; abſtulit illa decorem formoſiſſimo filio hominum. Incolæ urbis repleti ſunt amaritudine; juſtus eſt Dominus; repleverunt amaritudine Meſſiam. Multa millia ſunt vendita & captiva abducta; juſtus eſt Dominus, captivum duxerunt filium Dei. Anguſtiati ſunt; juſtus eſt Dominus, retributio peccato par, anguſtiârunt Salvatorem. Multa millia periêre fame; juſtus eſt Dominus, fel & acetum obtulerunt Meſſiæ; verbo, multa millia occiſa ſunt, & quidem in cruce; juſtus eſt Dominus, occiderunt in cruce filium Dei.* Videtis Dei potentiam & juſtitiam; quovis momento nos punire poteſt; proinde timete peccatores, timete, tandem ſequitur vindicta, & aſſequitur ſceleratos.

§. 9. *Quam Deus diu diſtulerat, ut agerent pœnitentiam. Minatur, antequam puniat.*

Ex altera tamen parte Dei benignitatem videte; Pulchrè Euſebius lib. 3. hiſt. c. 8. *Benigna Dei erga Judæos providentia, quadraginta annos continuos poſt illud facinus perniciem & interitum futurum diſtulit.* Si illo tempore pœnitentiam egiſſent, urbi pepercisſet Deus, ſed quia manſerunt obſtinati, tandem punivit. Rupertus l. 2. in Apoc. c. 2. *Ordo iſte judicii Dei latè ſplendet in ſcripturis.* Geneſ. 6. minatur diluvium, *Delebo hominem, quem creavi, à facie terræ, &c. - eruntque dies illius centum viginti annorum.* D. Hier. hier. *Ne videretur, in eo eſſe crudelis, quod pœnitentibus locum pœnitentiæ non dediſſet, adjecit, ſed erunt dies, &c.* Hoc eſt, habebunt centum viginti annos ad agendam pœnitentiam, & revera mundum diluvio non punivit, niſi poſt illos annos. D. Chryſoſtomus hom. 25. *Si voluiſſet, potuiſſet omnia uno momento perdere diluvio, ſed pro ſua miſericordia tanta dierum productione uſus eſt.*

§. 10. *Protectio.*

Exodi 9. verſ. 24. minatur Ægypto grandinem, monet tamen Pharaonem per Moyſen, ut pecora ducantur ad tecta. Tali ratione nobis hodie minatur grandinem bellorum, &c. ſed oſtendit tecta miſericordiæ, vulnera Salvatoris noſtri, in quibus tuti poſſumus deliteſcere.

Digitized by Google

§ II. *Deus lentè procedit ad vindictam.* Hanc Dei in puniendo miſericordiam prædicat David Pſ. 59. v. 6. *Dediſti metuentibus te ſignificationem, ut fugiant à facie arcus.* Pſ. 7. v. 13. *Niſi converſi fueritis, gladium ſuum vibrabit.* Hic ego vos velim obſervare diſparem Dei & hominum morem in puniendo. Nos ſiquidem vindictam ab inimico petituri, arma, quæ gerimus, tantiſper occultamus: ne ante tempus incurrant in oculos illius, contra quem illa deſtinavimus. Non ſic Deus: non occultat arma furoris ſui, ſed palam oſtendit, diu ante exhibet iræ ſuæ inſtrumenta, diu ante minatur, præmonet, arma repræſentat, enſem ſtringit, niſi converſi fueritis, gladium ſuum vibrabit. Et cur hoc? quia bonus eſt & clemens, præmonet ut præveniamus. Sanctus Chryſoſtomus hom. 22. ad pop. *Non cadit,* [ſtatim] *vibrat tantum, ut ſplendorem conſpicias, & territus ad pœnam non pervenias. Non cædit gladius,* ſed terret [apparet antè ut fulgur à longè,] *ut ipſius timor ad pœnitentiam te ſuſcitet. arcum tetendit, non immiſit ſagittam, ut te forma terreat.* Et in Pſ. 50. *Quod ſi hac eſſent furoris & incandeſcentiæ, non prædixiſſet eis, quos eſt invaſurus.* Apoc. 1. v. 16. Joannes vidit filium hominis cum gladio, qui ex ore exibat. Notavit Viegas ſuper hunc locum, Deum tripliciter geſtare gladium: I. ad latus. Pſ. 44. v. 4. *Accingere gladio tuo.* II. in ore, ut citato loco vidit Joannes. III. in manu. Exodi 15 v. 9. *Evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.* Ezech. 5. v. 2. *Gladium evaginabo poſt eos.* Tali modo Deus in puniendo procedit: primo habet gladium accinctum tantum, id eſt, poteſt punire ſemper, ſed non facit; & licet cogatur per peccata, tamen antequam percutiat, oſtendit prius in lingua, id eſt, terret per Concionatores. Hoc ubi advertitur, enimvero tum tempus eſt pœnitendi. Gladius in lingua monet adeſſe ſupplicium in janua; gladius in lingua ſignificat vicinam Numinis iram, gladius in lingua vicina denuntiat ſupplicia; qui ſapit, gladium in lingua audit nuntium, ne gladium in manu experiatur juſtitiæ ſeveri oris miniſtrum. Divus Laurentius Juſtinian. de timore capite quarto: *Lento gradu ad vindictam tui Divina procedit ira, tarditatemque ſupplicii gravitate compenſat. Altiſſimus enim eſt patiens redditor, quia quos diu,*

ut convertantur, tolerat, non converſos durius damnat: & quantò durius exſpectat, ut emendentur, tantò gravius judicabit, ſi neglexerint. Aurea ſunt hæc verba, ſed materiam hanc ſæpe diduco.

§. 12. Quam tamen expoſcunt in cœlum clamantia ſcelera.

Antequam ad Epilogum decurram, hunc diſcurſum deduco ex hodierno Evangelio. Hoc nobis excidium Jeroſolymæ proponit, id eſt, bellum, famem, ſtrages, incendia, vaſtationes urbium. Experiuntur hos arcus, ſagittas, gladios præcipua Europæ Regna & Provinciæ, ſunt ſub ferula, ſub qua nos multis annis fuimus. Sed verè Auditores, per bella tam atrocia Germania non eſt emendata, non ceſſamus offendere DEUM; quales non audimus blaſphemias, quæ juramenta? etiam in juventute? qualis eſt luxus veſtium? quæ ſuperbia? quæ odia? quæ luxuria in omni ferè ſtatu hominum? quæ avaritia etiam in clero? quæ ſcandala? quæ libertas? quæ fraudes? quæ uſuræ? quæ oppreſſiones pauperum? quæ tribulationes viduarum? ſcitis hæc omnia melius; ſed putatis, hæc ſcelera non clamare in cœlum, non petere vindictam? clamant profectò, ideo iratus Deus à longè vibrat gladium, à longè minatur ſagittas, ſplendorem videmus; ut ſi volumus, tempeſtivè declinemus, per ſeriam pœnitentiam, per mutationem morum, per ardentes preces, jejunia, &c. Si hoc negligamus, ſi DEI iram per enormia ſcelera provocare non ceſſemus, prædico vobis cum Chriſto Domino: Erit adhuc tribulatio magna, qualis ante non fuit. Fame, bellis, peſte, &c. nos puniet Deus.

§. 13. Quam ſi velimus evadere, fugere nos oportet ad Chriſtum D. & conſtanter illi adhærere.

Quocirca fugiamus præcipuè ad Salvatorem noſtrum Chriſtum Dominum, ſed conſtanter, &c. ne poſt aliquam pœnitentiam rurſum offendamus. Elegantem narrat Apologum Joach. Camer. lib. fab. Cum cerva fugeret inſequentes venatores, occuluit ſe ſub vite; venatoribus & canibus prætergreſſis, quia putabat ſe tutam, cepit exire è latebris, & carpere pampinos. Hoc ſtrepitu revocati venatores, irruerunt in cervam, &c. Tum illa: merito mihi hoc evenit, quæ violare non dubitavi

Digitized by Google

bitavi ſervatricem meam. Idem contingit peccatoribus, quos dum iratus Deus inſequitur minaci gladio atque arcu,&c. confugiunt ad vitem, ad illum, qui ait: Ego ſum vitis vera. Sub illa atque in Jeſu vulneribus ſe tegunt, lugent peccata, anteactæ vitæ ſcelera deplorant. Vix Deus gladium abſcondit, & ecce vitem deſerunt, recedunt rurſum à Chriſto, imo novis ſeſe contaminant vitiis. Quis tandem finis? miſerandus. Quis exitus tragœdiæ? luctuoſus. Stat Nemeſis parata, *Qua hora non putatis, Filius hominis veniet*, quo minimè crediſſes, temporis articulo aderit, vindictas & ſcelerum pœnas expoſcet. Erit tunc tribulatio magna! merito? DEUS enim teſte Apoſtolo, non irridetur: Qui ſapit, maturè rebus ſuis conſulit, maturè ſollicitus eſt de dignis fructibus.

FINIS PARTIS SECUNDÆ.

INDEX

Digitized by Google

INDEX THEMATUM,

In omnes Dominicas totius Anni.

THEMA.
Pro Dominica I. Adventus.
Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, Natth. 21. v. 5. 3

THEMA.
Dominica II. Adventus.
Tunc videbunt filium hominis, Lucæ 21. v. 27. 11

THEMA.
Dominica III. Adventus.
Ego vox clamantis in deſerto: dirigite viam Domini, Joan. 1. v. 23. 19

THEMA.
Dominica IV. Adventus.
Ego vox clamantis in deſerto, Joan. 1. v. 23. 29

THEMA.
Dominica infra Octavam Nativitatis.
Ecce, poſitus eſt hic in ruinam multorum in Iſrael, Luc. 2. v. 34. 38

THEMA.
Dominica I. poſt Epiphaniam.
Cum factus eſſet Jeſus duodecim annorum, Luc. 2. v. 42. 46

THEMA.
Dominica II. poſt Epiphaniam.
Nuptiæ factæ ſunt Canæ in Galilaa, Joan. 2. v. 1. 55

THEMA.
Dominica III. poſt Epiphaniam.
Domine, ſi vis, potes me mundare, Matth. 8. v. 2. 62

THEMA.
Dominica IV. poſt Epiphaniam.
Aſcendente Jeſu in naviculam, Matth. 8. v. 23. 70

THEMA.
Dominica Septuageſimæ.
Ite & vos in vineam meam, Matth. 20. v. 4. 81

THEMA.
Dominica Sexageſimæ.
Semen eſt verbum Dei, Luc. 8. 11. 90

THEMA.
Dominica Quinquageſimæ.

Digitized by Google

Cæus quidam ſedebat ſecus viam, Luc. 18. v. 35. 101

THEMA.
Dominica I. Quadragnſimæ.
Cum jejunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus, Matth. 4. v. 2. 112

THEMA.
Dominica II. Quadrageſimæ.
Jeſu: fili David, miſerere mei, Matth. 15. v. 2. 123

THEMA.
Dominica III. Quadrageſimæ.
Erat Ieſus ejiciens dæmonium, Luc. 11. v. 14. 133

THEMA.
Dominica IV. Quadrageſimæ.
Abiit Ieſus trans mare Galileæ, Joan. 6. verſ. 1. 142

THEMA.
Dominica Paſſionis.
Quis ex vobis arguet me de peccato? Joan. 8. v. 46. 153

THEMA.
Dominica Palmarum.
Benedictus, qui venit in nomine Domini, Matth. 21. v. 9. 162

THEMA.
Die Veneris ſacro.
Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt, Luc. 23. v. 34. 172

THEMA.
Feſto Reſurrectionis Chriſti.
Surrexit, Marc. 16. v. 6. 211

THEMA.
Dominica in Albis.
Venit Ieſus, & ſtetit in medio, & dixit eis: Pax vobis, Joan. 20. v. 19. 219

THEMA.
Dominica II. poſt Paſcha.
Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco oves meas, Joan. 10. v. 14. 230

THEMA.
Dominica III. poſt Paſcha.
Modicum, Joan. 16. v. 16. 240

THEMA.
Dominica IV. poſt Paſcha.
Nemo ex vobis interrogat me, quo vadis? Joan. 16. v. 5. 250

THEMA.
Dominica V. poſt Paſcha.
Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis, Joan. 16. v. 23. 258

THEMA.
Dominica VI. poſt Paſcha.
Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à patre, Joan. 15. v. 26. 268

THEMA.
Dominica Pentecoſtes.
Paracletus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, Joan. 14. v. 26. 277

THEMA.
Feſto SS. Trinitatis.
Gloria Patri & Filio, & Spiritui ſancto, &c. 286

THEMA

THEMATUM.

THEMA.

Dominica I. poſt SS. Trinit.

Epulabatur quotidie ſplendidè, Luc. 16. v. 19. 296

THEMA.

Dominica II. poſt SS. Trinit.

Homo quidam fecit cœnam magnam, Luc. 14. v. 6. 306

THEMA.

Dominica III. poſt SS. Trinit.

Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat, Luc. 15. v. 6. 316

THEMA.

Dominica IV. poſt SS. Trinit.

Date, & dabitur vobis, Luc. 6. v. 38. 326

THEMA.

Dominica V. poſt SS. Trinit.

In verbo tuo laxabo rete, Luc. 5. v. 5. 337

THEMA.

Dominica VI. poſt SS. Trinit.

Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros, Matth. 5. v. 44. 345

THEMA.

Dominica VII. poſt SS. Trinit.

Miſereor ſuper turbam, Matth. 8. v. 2. 356

THEMA.

Dominica VIII. poſt SS. Trinit.

Attendite vobis à falſis Prophetis, Matth. 7. v. 15. 367

THEMA.

Dominica IX. poſt SS. Trinit.

Redde rationem villicationis tuæ Luc. 16. v. 2. 377

THEMA.

Dominica X. poſt SS. Trinit.

Flevit ſuper illam, Luc. 19. verſ. 41. 397

THEMA.

Dominica XI. poſt SS. Trinit.

Deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam ab illo, Luc. 18. v. 14. 404

THEMA.

Dominica XII. poſt SS. Trinit.

Statim ſolutum eſt vinculum linguæ ejus, & loquebatur rectè, Marc. 7. v. 35. 413

THEMA.

Dominica XIII. poſt SS. Trinit.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, Luc. 10. v. 27. 423

THEMA.

Dominica XIV. poſt SS. Trinit.

Occurrerunt ei decem viri leproſi, Luc. 17. v. 12. 434

THEMA.

Dominica XV. poſt SS. Trinit.

Ideo dico vobis, ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ, Matth. 6. v. 25. 441

THEMA.

Dominica XVI. poſt SS. Trinit.

Ecce defunctus efferebatur, unicus filius matris ſuæ, Luc. 7. v. 12. 452

THEMA.

Dominica XVII. poſt SS. Trinit.

Hydropicus erat ante illum, Luc. 14. v. 2. 461

THEMA

Digitized by Google

INDEX THEMATUM.

THEMA.

Dominica XVIII. poſt SS. Trinit.
Quid vobis videtur de Chriſto? Matt. 22. v. 42. 471

THEMA.

Dominica XIX. poſt SS. Trinit.
Confide fili, remittuntur tibi peccata tua, Matth. 9. v. 2. 479

THEMA.

Dominica XX. poſt SS. Trinit.
Ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenebras exteriores, Matth. 22. v. 13. 489

THEMA.

Domin. XXI. poſt SS. Trinitat.
Erat quidam Regulus, cujus filius infirmabatur, Joan. 4. v. 46. 498

THEMA.

Domin. XXII. poſt SS. Trinitat.
Miſertus autem Dominus ſervi illius, dimiſit illum, Matth. 18. v. 27. 508

THEMA.

Dominica XXIII. poſt SS. Trinit.
Cujus eſt imago hæc & ſuperſcriptio, Matth. 22. v. 20. 518

THEMA.

Dominica XXIV. poſt SS. Trinit.
Fides tua te ſalvam fecit, Matth. 9. v. 22. 526

THEMA.

Dominica ultima poſt SS. Trinit.
Erit enim tunc tribulatio magna, Matth. 24. v. 21. 534

ALVEI

Digitized by Google

ALVEI SEXTI,

SIVE

CONCIONUM

IN

Omnia Feſta ab Adventu uſque ad Pentecoſten,

PARS III.

Digitized by Google

CONCIO LIV.

FESTO S. XAVERII INDIARUM APOSTOLI.

Mirabilis Deus in Sanctis ſuis,

Pſal. 67. v. 36.

SYNOPSIS CONCIONIS.

HÆc Concio extollit miracula à S. Xaverio adhuc vivente patrata, quæ tot & tanta fuêre, ut Gentiles judicarint, Xaverium eſſe quendam in terris Deum: id quod olim etiam de Gentium Doctore Paulo eadem de cauſa judicarunt.

§. 1. *Optat Auctor, hanc panegyrin eſſe floſculum vel gemmam in corona S. Xaverii.*

§. 2. *Ethnici cogitarunt, ſanctum Xaverium eſſe quendam Deum in terris.*

§. 3. *Miracula primitivæ Eccleſiæ à S. Xaverio perpetrata ſunt in fundatione Eccleſiæ in Indiis. Donum linguarum.*

§. 4. *Gratia curationum.*

§. 5. *Ob efficacem eloquentiam S. Xaverius habitus fuit velut cæleſtis Mercurius aut Hercules.*

§. 6. *Miracula à S. Xaverio perpetrata in Elementis.*

§. 7. *Præſertim in mari.*

§. 8. *S. Xaverius è plurimis periculis divinitus liberatus.*

§. 9. *Præſertim in Maurica.*

§. 10. *Prædictio futurorum.*

§. 11. *S. Xaverius in diverſis locis flagellum dæmonum.*

Digitized by Google

§. 12. *Conglobatio miraculorum.*
§. 13. *Epilogus cum duplici affectu: laudis divinæ & deſiderii, ut S Xaverius nobis benedicat.*

§. 1. *Optat Auctor, hanc panegyrin eſſe floſculum vel gemmam in corona S. Xaverii.*

NIl magis volupe mihi accidere poteſt, quam laudare ſanctum Xaverium. Quæſo Domini Rhetores & Oratores; habetisne hoc brumali tempore in viridario veſtræ eloquentiæ reſiduos aliquot pulchros & virides de Oliva vel lauro ramos? ſuntne in hortis veſtris ſuperſtites aliqui floſculi, violæ, roſæ, lilia? ſi deſunt flores & rami, habetisne in theſauro veſtro pulchras gemmas & uniones? ſi ſuppetunt, eos mihi quæſo vel per horulam ſuppeditate, ut vel ex floribus vel gemmis nectam coronam, quæ glorioſum S. Xaverii, tam glorioſi Apoſtoli, verticem poſſit condecorare. Sed ſcio longè elegantiores corollas ab aliis Oratoribus illi eſſe adornatas, ideo cupio tantum, ut præſens mea panegyris, tota quanta eſt, ſit unicus floſculus, vel unica gemmula in corona Xaverianæ laudis. Rem ipſam aggredior. S Xaverii vitam diviſi in ſeptem panegyres. Prima agit de ejus converſione, & primis ſanctiſſimæ vitæ initiis Secunda de ejus navigatione in Indias. Tertia de ejuſdem laboribus in agro Domini. Quarta de profectione in Japoniam, & ibi geſtis. Quinta de itinere in Chinas, & ejuſdem morte. Sexta de miraculis in vita. Septima de miraculis poſt mortem. Pro hac die elegi ſextam. Attendite Auditores, intelligetis, veriſſimum eſſe citatum verſum 36. ex Pſalmo 67. *Mirabilis Deus in Sanctis ſuis.*

§. 2. *Ethnici cogitarunt, Xaverium eſſe quendam Deum in terris.*

Fundamentum præſentis panegyris more meo conſtituo in ſacra Scriptura. Signa, ex quibus colligere poſſumus, quantus fuerit, ſanctus Joannes Baptiſta, de quo Chriſtus Dominus Matth. cap. 11. verſ. 19. & 20. Marc. cap. 1. verſ. 2. & 3. reputo ſequentia. Redux Joannes ex eremo, in Judæa cœpit prædicare pœnitentiam tanto fervore, tantâ vi, tantâ eloquentia, tanta vitæ ſanctitate & aſperitate, eo gentium motu, ut multi ſuſpicionem conceperint, illum eſſe Meſſiam. Quid quod

quod eo uſque fama illa excrevit, ut Principes Synagogæ legationem miſerint ad ſanctum Joannem Baptiſtam, intellecturi, num eſſet CHRISTUS: Tanta erat de ſancto Joanne opinio. Idem planè contigit Xaverio, ex Europa venit in Indias, prædicans Evangelium CHRISTI, tum verbis, quæ ardebant ut facula, tum, cum neceſſe erat, miraculis adeo mirandis, *ut* [ſic loquitur Pinto Ramirez,] *Bonzij Japones non dubitarint miſſa legatione, ab eo quærere, an DEUS eſſet, & Numen aliquod cœleſte in terras deveniſſet parati pro DEO colere, quem Divinis operibus radiantem mirabantur.*

§. 5. Miracula primitivæ Eccleſiæ à S. Xaverio perpetrata ſunt in fundatione Eccleſia in Indiis. Donum linguarum.

Cum poſt CHRISTI Domini glorioſam Aſcenſionem Apoſtoli fidem novam, quam prædicabant, multis confirmarent miraculis, Actorum capite 14. verſu 10. multi ex plebe clamarunt: *Dii facti ſimiles hominibus, deſcenderunt ad nos: & vocabant Barnabam Jovem, Paulum vero Mercurium, quoniam ipſe erat dux verbi.* Ait ſanctus Chryſoſtomus homilia 31. *Hoc loco, error quidem fuit plebis. Verum & hinc Apoſtolorum virtus oſtenditur.* Tam mira patrarunt, ut rudes putarint eſſe DEOS. O magni! ô glorioſi! ô admirabiles Apoſtoli! O magne! ô glorioſe! ô admirabilis Xaveri! non ſine cauſa ſic exclamo! nam iiſdem miraculis, quibus DEUS in primitiva Eccleſia ſuos ſanctos Apoſtolos & Prædicatores glorioſos reddidit atque illuſtres, iiſdem, dum Eccleſia ſua fundaretur in Indiis, ſanctum Xaverium, magnum illum fidei Catholicæ propagatorem reddidit glorioſum. Miraculum primum fuit, cum deſcendente ex alto Spiritu ſancto, ſancti Apoſtoli inceperunt loqui variis linguis, Actorum capite 2. verſu 4. imò cum una loquerentur lingua, intellecti fuerunt à diverſiſſimis populis, Parthis, Medis, Elamitis, Meſopotamiis, Cappadocibus, Phrygiis, Ægyptiis, Libiis, &c. quod tam inſolitum viſum fuit omnibus, ut exclamarent: *Dii facti ſimiles hominibus.* Eccleſiam CHRISTI in Indiis fundavit atque erexit ſanctus Xaverius magnus ille Apoſtolus, plenus Spiritu ſancto, proinde loquebatur variis linguis, adeo, *ut*

Orientis idiomatis ferè omnibus fuerit imbutus; Præterea ſæpe, cum ad infinitum populorum cœtum de divinis rebus verba faceret, una eademque illius vox v. g. Luſitania vel Goana, ita omnium auribus illapſa eſt, ut quivis ſuum perciperet ſermonem, ut cuivis proprium ſonaret ſermonem, ut Hiſpani putarent, Xaverium loqui Hiſpanicè, Goani linguâ Goanâ, ſic de Molucenſibus, Mauricis, &c quid mirum, quod exclamarint, multi, *Deus factus ſimilis hominibus*. Hoc admirabile & fermè inauditum eſt, ut multarum nodos interrogationum genere diſſimillimos, difficultate impeditiſſimos, unius reſponſi oraculo expediret. v g. alius ex Xaverio aliquid interrogabat de myſterio SS. Trinitatis? alius, Dei ne Filius mori potuit? alius, num poſt hanc mortalem alia ſupereſſet vita, an mortalis? quid putatis? his ſimul omnibus ad diverſiſſimas quæſtiones unico reſponſo Xaverius ſatisfecit, quid mirum ad talia Indos obſtupuiſſe, & dixiſſe Ethnicos: *Novus Deus venit in Indias.*

§. 4. *Gratia curationum.*

Inter Apoſtolica miracula numeranda eſt gratia curationum. Sanabant ægros, illuminabant cœcos, ſurdis reſtituebant auditum, claudis inceſſum, imò umbra S. Petri multis reddidit ſanitatem. Cum hæc vulgus videret, exclamabat: *Dii facti ſimiles hominibus*. Eadem gratia ab omnipotenti Deo conceſſa fuit S. Xaverio, imò illa virtus veſtibus, Zonæ, capillis, baculo, roſario, ipſi etiam umbræ S. Xaverii adhæſit, Xaverius, non uno in loco, ſed Provinciis, Regnis, urbibus plurimis tot illuminavit cœcos, tot languentes ſanavit, tot mira patravit, ut legationem miſerint, rogantes: *Num Deus eſſet.*

§. 5. *Ob efficacem eloquentiam habitus fuit velut cœleſtis Mercurius aut Hercules.*

S. Paulum vocarunt *Mercurium*, quia húnc colebant ut Deum & præſidem eloquentiæ, & quia finxerunt, eſſe nuncium, legatum & interpretem Deorum, pinxerunt alatum. Quibus alis S. Xaverius magnus Sedis Apoſtolicæ & Chriſti Jeſu legatus evolârit trans maria, Provincias, Regna, alibi oſtendo; hic ajo, eam Xaverii fuiſſe eloquentiam, ut Indis & populis viſus fuerit Deus Mercurius. Eloquentia Xaverii, vel ejus vox Deo & Spiritu ſancto animata vicit Indorum Brachmanas, Turcarum Imanes, Japonum Bonzios. Neſcio, quem fingant Herculem, qui aureis catenis

Digitized by Google

catenis eloquenti ex ore naſcentibus, populum poſt ſe pertrahere potuerit. Veriſſimè India vidit, plurimorum populorum non aures modo, ſed animos etiam Chriſti jugo alligatos, efficaciſſimæ eloquentiæ auro, quod ignis charitate et Spiritu S. flamma in corde Xaverii excoxerant; Xaverii eloquentia erat veluti aureum rete, quod non gemmas ſed animas piſcabatur; erat veluti aureus hamus, quo plurimi piſces ex profundo errorum ſunt extracti; erat veluti malleus conterens petras; erat veluti magnes, qui omnes poſt ſe trahebat in odorem Chriſti. . Cum Xaverius pios recreare vellet , & voluptate quadam inſolita perfundere, lingua erat illi millea; cum terrorem incutere ſceleratis, flammea ita tonabat, ita fulminabat, ita permiſcebat omnia, ut Xaverii lingna veluti tonitru, fulgure, fulmine perſtringerentur omnes, & ſe de cœlo ſalubriter tactos faterentur. Ideo Ethnici percontari ſolebant, num Deus es?

In hoc tamen præcipuè ſtulta gentilium laboravit ſuperſtitio, quod cuivis elemento ſuum aſſignarint Deum. Igni & aëri Jovem, hujus imperio putabant ſubeſſe nubes, tonitrua, fulmina, pluvias. Mari Neptunum, & Æolum; rati, his obedire maria, aquas, fluvios, ventos, tempeſtates, piſces. Terræ Plutonem, quaſi hujus juſſu terra vel quieſceret vel tremeret. Quærite jam ex Indiæ diverſis populis, quænam viderint? Mauri, hoc eſt efferati in malo homines, viderunt, audiverunt ad preces Xaverii ſub ejusdem Concione diem involvi tenebris, mugire aëra, rumpi nubes, tonare, fulgurare, devolvi de cœlo igneos globos. Tolani non minus cœlorum quam Luſitanorum Regi rebelles , putabant, ſe intra mœnia ſua tutos, ridebant Luſitanas minas, verùm, cum contra impios S. Xaverius proceſſit cum ſalutari ſigno S. crucis, viderunt, de cœlo devolvi pluviam, non aqueam, ſed ſaxeam. Aſpiciebat Xaverius cœlum, & decidebant ſaxa, veluti globi ex tormentis, qui Tolanorum muros dejecerunt. Aſpiciebat Xaverius nubes, & hinc ingenti fremitu & mugitu reboarunt, ut militares tubæ flammæ, quæ hoſtium accenderunt turres & ædes. Inter flammas depluerunt cineres, qui profundiſſimas repleverunt foſſas. Aſpexit Xaverius imminentem urbi mon-

§. 6. Miracula à S. Xaverio perpetrata in Elementis.

tem,

tem, & ipſo Ætna vaſtius dehiſcens fremebundo cum tonitru vindices exhalavit flammas, præterquam quod non ſemel viderint Xaverii juſſu concuti montes, collidi ſaxa, tremere terram, ex terra proſilire ignes, exhalare peſtilentes vapores. Cum hæc & talia tremebundi ſpectarunt Indi, cum Virgo Fama aurea tuba illa per Orientis provincias divulgaſſet, cum viderent, audirentq; aërem, ignes, fulmina, nubes, pluvias, cineres, ſaxa, montes Xaverii eſſe miniſtros, quid mirum quod Ethnici, qui unum ignorabant Deum, exclamârint, Xaverius eſt Deus in terris, eſt Jupiter! ſed melius Chriſtiani, Magnus Xaverius Sanctus Pater, alter Joſue, cujus voci obedit Dominus, & cujus imperiis ipſa ſe ſiſtunt obſequioſa elementa.

§. 7. *Præſertim in mari.* Et inprimis quidem Mare fuit theatrum miraculorum S. Xaverii: Nam cum turbatum mare ad piorum ſolatium vellet componere, ita compoſuit, ac ſi truculentæ beſtiæ, vel ſigno Crucis, vel voce, vel pedis contactu frænum injiceret, pes ipſe ſancti Xaverii frænum fuit. Cum verò mare pacificum in impiorum pœnam terroremque voluit conturbare, movere, miſcere fluctus fluctibus, miſcuit, movit, turbavit. In manibus quaſi Xaverius erat, tempeſtates ciere & componere. Cum navibus quomodo non luſit Xaverii potentia in hoc theatro? ut periti nautæ dixerint, & ultro faſſi ſint, excogitari non poſſe periculum & diſcrimen, quàm grave etiam eſſet, è quo ſanctus Xaverius varias naves non vindicarit ac liberarit. Incurrêre fortaſſis in ſyrtes, ſanctus Xaverius eduxit, adhæſere ſcopulis? ſanctus Xaverius liberavit. Inſederunt arenæ? ſanctus Xaverius propulit. Egerunt fortaſſe rimas, & hauſerunt aquas? Xaverius impedivit, ne mergerentur, & naufragium paterentur. Jactatæ ſunt alto? Xaverius illis fuit firmiſſima anchora. Aberrârunt à recto curſu? Xaverius reduxit, fuit cynoſura. Defuerunt venti; miſit ventos ſanctus Xaverius. Incidere in pyratas? ſanctus Xaverius propugnaculum. Defuit commeatus? hunc ſancti Xaverii preces ſuppeditarunt. Defuit aqua dulcis? ſalſas maris aquas ſanctus Xaverius convertit in dulces. Ob has cauſas mercatores

præcipui

præcipui,ſe ſuaque nulli navi committebant libentius,quàm quâ veheretur Xaverius,vel certè, quæ ejus nutu & imperio navigaret. Taceo naufragia, ex quibus plurimi à Xaverio ſunt liberati. Incolæ maris, ſive piſces Xaverio fuerunt obedientiſſimi; hinc retia ultro jubente Xaverio ingreſſi ſunt, hinc ad jucunditatem comitati ſunt naves, hinc cancer perditum Crucifixum inter forfices in altum erectus, veluti arcu triumphali lætabundus retulit. Cum hæc Indiani oculis cernerent, cum audirent, cum Virgo Fama aurea tuba divulgaret, quid mirum, quod Gentiles exclamarint, Franciſcus Deus maris, ſed melius Chriſtiani, Magnus Xaverius ſanctus Pater, alter Joſue, cui obedit Dominus,& hujus imperio maria,flumina, venti, fluctus, naves, tempeſtates, ſaxa,ſcopuli obſequioſa deferunt ſervitia.

§. 8.

S. Xaverius à plurimis periculis divinitus liberatus.

Venio ad pericula,è quibus Xaverius frequenter miraculosè & divinitus fuit ereptus. Actor.28.v.3. S. Paulus venit in Inſulam Melitam, & dum ob frigus accenſæ pyræ injiceret ligna, vipera inde procedens,invaſit manum Apoſtoli,ſimulatque verò Barbari viderunt pendentem beſtiam de manu ejus, dicebant: *Vltio non ſinit eum vivere.* At ille excutiens beſtiam in ignem nihil mali paſſus eſt; & dum viderent, nihil mali in eo fieri, convertentes ſe, *dicebant,eum eſſe Deum.* Adduco hunc locum, ne quis Criticus offendatur,dum cum gentilibus Xaverium Deum voco,cum modus loquendi in S. Scripturis ſit fundatus. Jam audite pericula in quæ incidit S. Xaverius. Contigit,quod Barbari illum impetierint ſagittis,ſed nulla letaliter,una modicè & leviter læſit. Puto Xaverio non diſpliciturum, ſi dicam, O barbaræ ſagittæ,cur peperciſtis illi cordi,cui nihil in votis, quam mori pro Chriſto? Cur peperciſtis ſanguini, qui bulliebat, ut flueret pro Chriſto? Quia ſagittis ſancto viro nocere non potuerunt,apprehenderunt ſaxa,& Xaverium lapidarunt, ſed & contra ſaxa ſub ſcuto divini adjutorii tutus latuit,nullum ſaxum nocere potuit. Tentarunt rem perdicis & baculis, ſed nec his nocere non potuerunt,imò totus Barbarorum exercitus nocere non potuit. Magno numero Badagæ ſe collegerant obſtinatis animis, ut Neophytos in finibus Travanconidis omnes trucidarent. Ingens

ovicularum Chriſti trepidatio, nec aliud erat perfugium niſi ad paſtorem ſuum, Patrem ſuum Xaverium. O barbari, vertite ſigna, arripite fugam, Xaverius venit adverſum rabiem veſtram ſuas propugnaturus oviculas; hoc contigit, ſolus ſolo ſigno Crucis armatus, ſed tanta faciei majeſtate, tanto oculorum fulgore barbaris proceſſit obviam, ut ſtatim omnes conterriti in fugam ſe conjecerint; quid mirum, quod fugitivi barbari exclamarint, Xaverius DEUS in terris, ſed melius Neophyti Chriſtiani; Magnus noſter Xaverius, ſanctus noſter Pater, alter Joſue, cui ſagittæ, arcus, tela, ſaxa, gladii, hoſtium turmæ nocere non poſſunt.

§. 9. *Præſertim in Mauricâ.* In majori periculo fuit in Mauricâ: Nam cum plures copiæ furore percitæ ob confracta & proſtrata idola Xaverium inſequerentur, coactus fuit ad fluvium ſemet recipere, ſed nulla adfuit navis, quâ fluvium trajiceret, quid contigiſſe putaris? ad ripam jacebat ingentis molis arbor, vix multorum operâ loco movenda; hanc Franciſcus poſtquam ſignaſſet ſigno Crucis, apprehendit veluti baculum vel aſſerem, & fluvio veluti pontem vel navim impoſuit, quâ omnibus ſtupentibus trajecit ipſe ſibi nauta, ipſe rector, ipſe navis. Sed & Xaverius in mari velut alter Paulus, ter fundo hauſtus fuit, ter in altum redditus, quare mare ſuum Neptunum mergeret? ut nihil dicam de periculis, quæ in navigatione Japonicâ ipſe Sathan inſtruxit, ex quibus tamen ereptus fuit Xaverius. Cùm hæc & talia viderint barbari, quid mirum, &c.

§. 10. *Prædictio futurorum.* Superſunt miracula adhuc longè illuſtriora. Cognoſcere cogitationes hominum, ſcire abſentia, præſagire futura, & illa prædicere, naturæ vires longè excedit. O admirabilem Xaveriũ! vel melius, ô mirabilem Deum in S. Xaverio! cum Rex aliquid Ulyſſiponti in Luſitania, S. Ignatius Romæ in Italia pro gloria Dei decernerent, eâdem horâ in Indiis ſciebat Xaverius, & dabat executioni. Experti ſunt plurimi graves peccatores, ſua ſcelera planè occulta Xaverio à Deo fuiſſe revelata. Victorias, vel cædes, navigationes felices vel infelices, his longiorem vitam, illis mortem, his proſperam, illis adverſam fortunam, his morbos, illis ſanitatem, Dei pœnas & flagella prædixit toties, ut tabula Canonizationis

zationis númeret 150. illuſtria vaticinia. Quod ſequitur, perquam celebre fuit. Anno vitæ ultimo, dum cum ſex aliis amicis in uno ſtaret circulo, vir ſanctus improviſo dixit, hoc anno pleriq; qui hic ſtamus, morientur, ex illis 7. mortui ſunt anni ſpatio 5. & inter hos ipſe Xaverius. Cum Luſitana claſſis cum Acenis prælio confligeret, Xaverius erat Malacæ, 300. inde Leucis. Tempore pugnæ Xaverius in Concione publica raptus fuit in ectaſin, paulo poſt exclamavit; Vicimus bone Jeſu, vicimus, Io victoria! & auditoribus narravit totum prælii ſucceſſum, captas naves ex toto Luſitanorum numero non niſi tres deſiderari. Elapſis ſub hæc diebus pauculis, redeunte victorioſo exercitu, compertum eſt, Xaverium dixiſſe veriſſima. Cum hæc cernerent Barbari, quid mirum, &c.

§. II. *S. Xaverius in diverſis locis. Flagellum Dæmonum.*

Uno eodemq; tempore duobus eſſe locis, miraculum eſſe eximium quis neget? O mirabilem Deum in S. Xaverio! Cum Sinas peteret, ſeptimo die exoritur tempeſtas, vis ventorum à majori navi fractis rudentibus abripit minorem, in qua undecim erant nautæ. Xaverius interim in conclavi in oratione defixus verſatur! majorem navim tales cooperiunt fluctus, ut omnes conclamarent, omnium una vox ſit, O Maria, Maria. Corruerant præ timore nautæ, jam navis abſorbenda videbatur. Excitus his vocibus, accurrit S. Xaverius, videns periculũ, elevat oculos, hæc verba ex ardente & amore in proximum inflammato pectore profatus: *O Jeſu Chriſte, Deus cordis mei, obſecro te per quinq; illa vulnera, quæ tibi in cruce noſtri amor inflixit, ſubveni famulis tuis, quos pretioſo ſanguine redemiſti.* Mirum dictu! repente navis emergit, atq; ex periculo præſentiſſimo unà cum iis, quos vehebat, vindicatur. In majori periculo fuit navis parva, in majori conſternatione illi 19. nautæ, ſed & his fuit præſens Xaverius conſolans timidos, qua ratione fuerit in utraque navi, an per ſui reproductionem quodammodo geminatus, [qua de re Philoſophi,] an velut novus Habacuc ab Angelo è loco uno deportatus in alium; an nube delatus, an ventorum miniſterio circumvectus, aut ſi quid èſt aliud ejusmodi, non diſputo. Mihi ſufficit rei veritas; fuit ſanè uno eodemque tempore pluribus in navibus Xaverius, quæ res ipſos etiam nautas in admirationem non mediocrem ra-

puit; cum hi dicerent; nobis adfuit in noſtra claſſe Xaverius! alii reponerent, nobis id temporis præſens fuit: nos illum vidimus, audivimus, ſuſpeximus. Sed vana eſt iſta veſtra contentio; ceſſate nautæ, ceſſate, inquam, ſcrutari mirabilia Xaveriana; Magnus eſt in Xaverio Deus, & magnus in Deo Xaverius! Quid mirum, quod ad hæc Saraceni qui aderant, dixerint, eum eſſe Deum, ſed melius, &c. Imperium verò S. Xaverii in dæmones quam fuit mirabile. Multos ex Idolis in fugam conjecit, multos ex obſeſſis hominibus. Cæſus quidem ab illis fuit, ut clamaret? O JESU! O MARIA opitulare, nocere tamen non potuerunt, hoc rarum eſt. In prima Concione, quam habuit in Inſula Mauricâ, ſub terræ motu, de quo ſupra dixi, per aëra volitaverunt dæmones, ululantes. *Tu nos uris Franciſce, tu noſtra nos ditione ſpoliatos exterminas.* Cum hæc Barbari viderunt, &c.

§. 12. *Conglobatio miraculorum.* O Xaveri, quam illuſtris, quam glorioſa eſt tua virtus, undique & ubique non in terra modo, ſed & in unda, in igne, in aëre thavmaturga. Et quid dicetis Auditores, ſi dicam, ego viſum non ſemel Xaverium, dum ad aram ſacram operaretur, à terra ſublime habuiſſe corpus in aëre? Habuit Xaverius, quid ſi affirmem viſum eſſe Xaverium, dum vel luſtrali aqua gentiles tingeret, vel faceret verba ad populum, ſtaturâ referre gigantem? ſic viſus eſt Xaverius, quid ſi aſſeverem, oculatos teſtes produci poſſe, qui confirment, Xaverium varios mortuos à tumba vel tumulo ſuſcitaſſe ad vitam? poſſunt produci. Quid ſi graves fideque longè digniſſimi Auctores perhibeant, in una Diœceſi Malacenſi octingenta facilè miracula ab uno Xaverio patrata? hoc perhibent auctores. Quo circa hæc & ſimilia, cum viderent barbari, quid mirum &c. Sed miraculum omnium illuſtriſſimum fuit ipſe Xaverius, miraculum gratiæ, & omnipotentiæ Dei. Miraculum ejus humilitas, miraculum ejus Zelus, miraculum puritas virginalis, verbo mirabilis fuit Deus in ſancto ſuo Xaverio, & his omnibus dum viveret. Miracula poſt mortem ſunt æquè illuſtria, ſed hæc alterius definiunt Concionis materiam.

§. 13. *Epilogus cum duplici* Nunc duo ſuperſunt. Primum eſt, ut ex toto corde laudemus Deum, qui ſe glorificantem ſic glorificavit, ut dicamus, flumina,

mina, maria, quæ obediſtis S. Xaverio, *Laudate DEVM.* Ventorum flabra, nubium inter ſe ſe colliſarum fragores, quæ ad nutum Xaverii terruiſtis mortales; *laudate Deum.* Vos pelagi fluctus exundantes, vos vaſtæ procellæ ad arbitrium Xaverii, jam molles & placidæ, jam horridæ atque iratæ; *laudate Deum.* Vos mugientia tonitrua, quibus uſus eſt Xaverius ceu bellicis tormentis ad expugnanda ſceleratorum propugnacula, *laudate Deum.* Vos æquoris fluminumq; piſces, quos ad Dei obſequium vel legatos habuit vel miniſtros Xaverius, *laudate DEVM.* Et vos potiſſimum vos felices infantes, quos S. Xaverius luſtrali baptiſmatis aquâ tinctos, & paulò poſt mortuos, cœlo aſſeruit (ô terq; quaterq; felix ætatula) *laudate Deum.* Vos denique gentiles, numero prope innumerabiles, ferocia barbari, ſcelere abominandi, quos Xaverii charitas Chriſto lucrata eſt, laudate Deum, & in Deo divum Patronum, vindicem, Magiſtrum, Apoſtolum Xaverium collaudate. Alterum eſt, ô Xaveri, ô ſancte Pater, ut illo brachio, illaque manu, quâ tam mirabilia patraſti, mihi & meis Auditoribus benedicas. Tuam dextram ornavit Deus ſtellis, quæ veluti ardentes faces, illuminarunt & accenderunt Orientem, benedic nobis Xaveri, ut tales ſtellulæ in noſtra quoque pectora illabantur. O Xavarianæ ſtellulæ urite nos. Tuam manum cœleſtis ſponſus ornavit hyacinthis virtutum, hi hyacinthi divitem fecerunt Orientem, benedic ô Xaveri, ut tua manu tales hyacinthi & ſuper nos cadant, ô Xaveriani hyacinthi ornate noſtras animas. Tuam manum Deus ornavit aureis guttis cœleſtium voluptatum, quibus Orientem veluti aureâ pluviâ felix Jupiter irrigaſti. Benedic nobis ô Xaveri, ut ſimilibus guttis irrigemus. O Xaverianæ guttæ irrgate nos. Tuas manus ornavit liliis & roſis cœleſtium deſideriorum, benedic ô Xaveri, ut dum benedicis, tam pulchri flores ſuper nos cadant. O Xaveriani flores recreate nos. Manus tuas Deus replevit igneis ſagittis, quibus tot corda amore Chriſti vulneraſti. Benedic Xaveri, O Xaverianæ ſagittæ lædite nos, ut nos quoque tam beato divini amoris vulnere ſauciemur. Sed & cruces & ſpinas in tuis manibus video Xaveri, nil intereſt, benedic

affectus: laudis divinæ & deſiderii, ut S. Xaverius nobis benedicat.

 nobis,

nobis, ut & cruces, pro Chriſto tolerandæ depluant. Ite Auditores, faveo vobis ex corde has ſtellas, has faces, has gemmas, has guttas, hos flores: Me quod attinet S. Xaverium tam ardentibus interpellabo deſideriis, ut peculiari adhuc benedictione mihi benedicat; & pro me erit aliqua ſtellula, forte & aliqua crucula, hanc deſidero, in hac veluti nidulo moriar, ut cum ſancto Xaverio in æternum laudem Patrem, Filium & Spiritum ſanctum, Amen.

CONCIO LV.

FESTO IMMACULATÆ CONCEPTIONIS.

Quaſi Oliva ſpecioſa in campis,

Eccl. 24. v. 19.

SYNOPSIS CONCIONIS.

COntinet duas partes; Prima aſſerit, decuiſſe Dei Matrem concipi ſine peccato originali. Altera proponit pulcherrimum immaculatæ Conceptionis ſymbolum, Olivam ſpecioſam in campis, præſertim ejus ramum, à columba poſt diluvium allatum in arcam Noë.

§. 1. *Variæ figuræ immaculatæ Conceptionis ex S. Scrip.*
§. 2. *Propoſitio.*
§. 3. *Quomodo Deus elegerit fieri homo, & ex qua voluerit naſci.*
§. 4. *Ex qua terra Deus formaverit corpus Adami in Paradiſo.*
§. 5. *Imagini Protogenis defuit gratia, non Mariæ.*
§. 6. *Chriſto Domino liberum fu-*
it

it, eligere matrem cum macula conceptam, vel non.
§.7. *Decuit eligi mundiſſimam, & totam pulchram.*
§.8. *Ita Dei Filius cuſtodivit cor ſuum.*
§.9. *Vnde patet vis & efficacia divinæ gratiæ.*
§.10. *Ramus Olivæ à columba illatus arcæ, eſt ſymbolum immaculatæ Conceptionis.*
§.11. *Deſcriptio univerſi diluvii ex doctiſſimo Patre Avancino.*
§.12. *Cui ſuperfuit ramus Olivæ.*
§.13. *Quo modo.*
§.14. *Eodem modo B. Virgo præſervata fuit à macula peccati originalis.*
§.15. *Aliæ variæ analogiæ inter Olivam & immaculatam Conceptionem.*
§.16. *Proſecutio.*
§.17. *Navis Minervæ ornata ramo Olivæ.*
§.18. *Oliva Omen victoriæ.*
§.19. *Immaculatam Virginis Conceptionem Dei Filius meruit ſua paſſione & ſanguine.*
§.20. *Proſecutio.*

§. 1. *Varia figura immaculata Conceptionis ex S. Script.*

HOdierna eſt aurea illa dies, quâ in ſpinoſo loco roſa vel lilium inter ſpinas ſine ſpinis prodiit, neque enim huic roſæ vel lilio ulla ſpina nocere potuit. Hoc eſt, in utero Annæ concepta eſt Beata Virgo, illæſa à ſpina omnis peccati, etiam originalis. Primo conceptionis momento hanc roſam Divina charitas purpureo rubore tinxit, hanc roſam, hoc lilium, ſive lectulum Salomonis, roſis & liliis floridum, puritatis amator DEI Filius, ita cœleſtis militiæ, omniumque virtutum coronâ munivit, Divinæ cuſtodiæ ſepe ita cinxit; portas hujus horti, vel palatii, vel templi, vel civitatis ita concluſit, hunc fontem ita ſignavit cœleſtis ſponſus, ut venenatus ſerpens peccati originalis nec minimam rimam etiam primo conceptionis momento invenire potuerit, per quam ingrederetur. Mirabilis fuit tranſitus electi populi per mare rubrum, ut in multis, ſic in hoc, non tantum aquas diviſit DOMINUS, ut populo pateret via per ipſum mare, ſed paravit viam commodam & pulchram, ne eſſet lutoſa, ne Judæorum pedes macularentur, *Ex aqua* [Sapientiæ 19. verſ. 7.] *quæ ante erat, terra arida apparuit, & in mari rubro via*

via ſine impedimento : & campus germinans de profundo nimio , per quem omnis natio tranſivit, quæ tegebatur manu tua, talem viam ſuo populo Deus parare potuit & paravit; Ægyptii verò omnes ſubmerſi ſunt. Terribile quoddam mare eſt peccatum originale, per hoc omnes homines ingredi debent in hunc mundum; in hoc mari miſerabili naufragio omnes intereunt. Unicæ electæ Matri, dum in hunc mundum ingreſſa eſt, mundiſſimam paravit viam. Fluctus diviſit, ut fugerint, viam ſtravit roſis & liliis, ſic ſponſa Spiritus ſancti, ſic Mater Filii, ſic Filia Patris, ſic Regina Orbis pulcherrimis greſſibus in hunc mundum fuit ingreſſa.

§. 2. *Propoſitio.* Pergam in ampliſſima materia, & diſcurſu, ab aliis, quibus frequenter probavi immaculatam Conceptionem, diverſo, oſtendam, quàm æquum fuerit, B. V. præſervari à peccato originali, ita tamen, ut ingens hoc privilegium debeat Filio, & peculiariter ejus paſſioni & ſanguini Chriſti. In teſſeram immaculatæ Conceptionis pulcherrimum ſymbolum ſive figuram vobis proponam; Ramum ſcilicet Olivæ à columba apportatum ad Noë in arcam, in ſignum præteriti diluvii; attendite.

§. 3. *Quomodo Deus elegerit fieri homo, & ex qua voluerit naſci.* Cum Deus ab æterno ſtatuit, in tempore fieri homo, ſimul [ſi æternitatem reſpiciamus,] in alio ſigno, ut Theologi diſcurrunt, elegit modum, quo voluit fieri homo, ſcilicet concipi, naſci ex Virgine, & ex millibus elegit hanc, cujus hodie conceptionem celebramus; cum itaque Dei perfecta ſint opera, non dubito, ſimul placuiſſe SS. Trinitati, ornare illam illis donis & gratiis, quibus æquum erat, ut tantæ dignitatis Mater ornaretur. O ruinoſum primum fundamentum tanti ædificii, ſi illas gratias præceſſiſſet peccatum originale. Ego puto, ut clarè loquar, Patrem fuiſſe ſolicitum per ſuam omnipotentiam, Filium per Sapientiam infinitam, Spiritum S. per bonitatem, ut talis filia, talis Mater, talis ſponſa crearetur, conciperetur mundiſſima: hoc decuit.

§. 4. *Ex qua terra Deus formaverit corpus A-* Pulcher eſt diſcurſus Philonis. Cum Deus in paradiſo ex limo terræ voluit formare corpus Adami, velut, ſi opus magni momenti eſſet facturus, non quamlibet obviam terram pro hoc opere accipere voluit, ſed cum exquiſita diligentia puriſſimam quan-

quandam terræ portionem elegit & præparavit, & ſic formavit ex illa corpus Adami. Verba Philonis de opificio mundi ita habent: *Non ex quavis terra parte ſeu humo ſumpta, videtur DEVS hanc humana ſpecie ſtatuam formare voluiſſe; puto illum ſumma cum diligentia, & ſelecta undequaque optima, ex pura materia, & id quod inerat puriſſimum, excolaſſe accuratè, quod maximè ad hoc opus erat congruum.* Sed quid opus tantâ induſtriâ & curâ? ut pro corruptibili corpore, eſcâ vermium, redigendo in cinerem, terra tam pura eligatur: quæſtioni reſpondet Philo, Deum in hoc non reſpexiſſe tantum ad corpus, ſed ad animam, quam in illo corpore veluti templo & palatio quodam erat collocaturus, itaque, ut dignus eſſet locus ad continendam ſpiritualem hanc ſubſtantiam, quæ vivum quoddam divinitatis eſſe debebat ſimulachrum, terram ſelegit puriſſimam, *Domus enim ac templum ſacratum fabricabatur rationali animæ, quo illa Divina imago circumferri debebat.* Bene, ſi ob reſpectum animæ Adami, quæ paulò poſt erat futura inobediens, rebellis, peccatrix, læſa Majeſtatis Divinæ, tantâ puritate fuit formatum ejus corpus, quid dicemus de Virgine? quale fuerit paratum corpus illi animæ, quæ non tantum DEI erat futura imago, ſed templum, domus & habitatio ipſius Divinitatis. Quæſo hoc privilegium, quod primi parentes creati ſint in gratia, in ſtatu innocentiæ, puri, immaculati, concedamus Virgini omnium creaturarum nobiliſſimæ; illi animæ, quæ deinde nunquam fuit rebellis, nunquam ſerva diaboli, & illi, quæ futura erat mater Dei; Meminerimus aurei dicti S. Chryſ. *Quiddam amplius matribus tribuendum.*

dami in paradiſo.

Protogenes celeberrimus pictor 7. annos impendit, ut pingeret imaginem, cujus artificio imortale ſibi nomen compararet. Allata deinde Romam ex Inſula Rhodo, in templo Pacis fuit collocata; quam cum Apelles conſpexit, dicitur exclamaſſe: *O eximium opus! O rara res! ſummus labor! artificium maximum!* ſed ſimul fuit Momus, dum dixit: *Deeſt illi gratia ſive vita;* quam ſi habuiſſet, procul dubio fuiſſet immortalis. Pro Sponſa ſua MARIA, veluti elegantiſſima ſtatua & imagine, quam tota ſanctiſſima Trinitas, veluti eximium opus maximo

§. 5. Imagini Protogenis defuit gratia; non Mariæ.

ximo artificio ab æterno elaboravit, Spiritus ſanctus magis fuit ſollicitus, dum primo conceptionis momento illam à turpiſſima macula peccati originalis præſervavit, ne dici poſſet, vel momento huic virgini defuiſſe gratiam.

§. 6. *Chriſto D. liberum fuit, eligere matrem cum macula conceptam, vel non.*

In quo hoc benè notandum eſt, nos fato & neceſſitate ex parentibus naſcimur, bonis vel malis; nos eligere matrem non poſſumus; Chriſto D. Filio Dei fuit id liberum; quo poſito, ſic diſcurro, Chriſto D. fuit liberum, eligere matrem, vel conceptam ſine peccato originali, vel non; neque Adverſarii negare poſſunt, quod potuerit fieri, jam quæro ex vobis, quid vos faceretis, ſi talis vobis eſſet libertas, qualem eligeretis? ſine dubio perfectiſſimam, pulcherrimam; quare ergo putabimus, Filium Dei non feciſſe? ſi potuit, & non fecit, non ita perfectè ſuam matrem amavit, imo impuritas peccati originalis in ipſam aliquo modo redundat, ſic enim ait D. Thomas: *Honor aut dedecus parentis redundat in prolem* Et hinc S. Thomas probat, B. Virg. nunquam peccaſſe actualiter, dum ait: *Virgo non eſſet idonea Mater DEI, ſi peccaſſet aliquando, quia honor parentis redundat in prolem.* Pulchrè & angelicè de B. Virg. ſed nos eodem modo diſcurrimus de peccati originalis turpiſſima macula, & dicimus: *Non eſſet idonea, &c.* [repete ſuperiores propoſitiones,] maneat ergo, B. V. immaculatè eſſe conceptam, quia eſt mater Dei.

§. 7. *Decuit eligi mundiſſimam, & totam pulchram.*

Alia ratio, quâ S. Thomas probat, B. Virg. actualiter nunquam peccaſſe, eſt hæc: *Decebat maximè, ut Dei Sapientia mundiſſimam ſibi domum eligeret, cui ne leviſſimi peccati venialis fax & turpitudo adhæreret.* Idem dicimus de peccato originali, &c. ut verè dicere ſponſus potuerit: *Tota pulchra es amica mea, tota pulchra es, & macula non eſt in te*, Cant. 4. v. 7. Super hæc verba tenerè ait S. Th. *Et ideo ſimpliciter fatendum eſt, quod B. Virgo nullum peccatum actuale commiſit, nec mortale, nec veniale, ut ſic in ea impleatur, quod dicitur Cant. 4. tota pulchra es.* Eadem ratio, videtur probare non fuiſſe conceptam in peccato originali, quia ſi in macula tam turpi concepta fuit, non eſt tota pulchra; pulchrior eſſet, ſi immaculatè fuiſſet concepta.

§. 8. *Ita Dei filius*

Et cur Filius Dei cor ſuum non cuſtodiret? quam interrogationem

Digitized by Google

gationem elucidabit eximium Mariæ elogium, quo vocatur cor corporis myſtici, cujus caput eſt Chriſtus D. Ita Heſychius ſuper v. 2. Pſ 44. *Eructavit cor meum verbum bonum*, ait; *dicuntur hæc in perſona Eccleſiæ, quæ Mariam habet pro corde; nam quemadmodum cujuslibet animantis pars præcipua eſt anima, ſive cor, vitæ principium: ita B. Virgo Dei Mater, myſteriorum omnium eſt pretioſiſſimum; in qua tanquam in corde, omnium fidelium vita, Chriſtus habitavit; eructavit verò dulciſſimum hoc cor Verbum bonum, cum Virgo Mater Deum hominem genuit.* Jam conſiderate, an non æquiſſimum fuerit, Filium Dei ſuum cor, etiam in primo Conceptionis momento à macula originali, ſive morte animæ præſervare, & in ejus defenſione ſervare illam legem, latam Proverb. 4. v. 23. *Omni cuſtodiâ ſerva cor tuum, quoniam ex ipſo vita procedit.* Quod & Filio & Matri valde eſt glorioſum. *cuſtodivit cor ſuum.*

§. 9. *Vnde patet vis & efficacia divinæ gratiæ.*

Ut ſubinde Medicus oſtendat vim, virtutem & efficaciam medicinæ vel theriacæ, quam præparavit contra venenum, permittit, ſervum morderi à venenoſo ſerpente, ſi tum ſumptâ theriacâ, venenum per exteriora membra humani corporis tantùm diffundatur, nullum vero damnum inferatur cordi, patet ingens virtus talis medicinæ. Talis Medicus fuit Chriſtus D. Salvator noſter, ut oſtenderet vim & virtutem peculiaris gratiæ, quam paraverat in gratiam matris, permiſit, infernalem draconem in omnes alios Adæ poſteros exſpuere virus originariæ labis, ſed non in cor, non in animam immaculatæ Virginis, quæ in primo conceptionis momento cum Regio Pſalte ſuſpiravit ex Pſ. 118. v. 80. *Fiat cor meum immaculatum, ut non confundar.* Ingens profectò & Filio & Matri fuiſſet confuſio, ſi cor peccati originarii veneno vel momento fuiſſet infectum. Gratulor ex animo omnibus immaculatæ conceptionis patronis & aſſertoribus, dum ſtylo, voce, calamo & doctiſſimis rationibus ex S. Scriptura, ex SS. Patribus & exquiſitiſſimis rationibus illam propugnare non ceſſant. Gratulor ex multis ardentiſſimo juveni Joanni Berchman, qui miro quodam zelo abreptus, auſus fuit palam edicere & ſcribere, ſeparatum eſſe, ſuo ſanguine ſubſcribere & teſtari, Virginem fuiſſe immaculatè conceptam: gratulor, inquam, quia hoc

Digitized by Google

nil aliud eſt, quam cor Dei cuſtodire. Quod caput præſtitit, præſtant membra, quibus omnibus in humano corpore hæc lex eſt impoſita, ut cuſtodiant cor.

§. 10. Ramus olivæ à columba illatus arcæ, eſt ſymbolum immaculatæ Conceptionis.

Progredior ad alteram Concionis partem. Modum, quo B. V. à peccato originali præſervata & liberata fuit; pulchra figura nobis ponet ob oculos. Gen. 8. v. 10. dicitur, *Exſpectatis autem ultra ſeptem diebus aliis, rurſum dimiſit Columbam ex arcâ, & illa venit ad eum ad veſperam, portans ramum olivæ virentibus foliis in ore ſuo.* Quiſquis intelliget, quâ ratione ramus olivæ, quem Columba Noëmitica ſervatrici generis humani onerariæ, ſive arcæ intulit, à diluvio intactus manſerit, ille virginem in ſua conceptione à peccati originalis illuvie præſervari potuiſſe, & præſervatam eſſe, non dubitabit.

§. 11. Deſcriptio univerſalis diluvii ex Doctiſſimo Patre Avancino.

Adeo omnis caro corruperat viam ſuam, ut irritata juſtiſſimi Judicis ira fulminatricem manum, ultrà continere non poſſet, ergo impletâ iniquitatis menſurâ, (permittite mihi Auditores, ut univerſale mundi diluvium paucis, ſed elegantiſſimis elegantiſſimi Oratoris verbis vobis deſcribam) impletâ, inquam, humanæ iniquitatis menſurâ carcere ſuo laxantur venti, quâ data porta ruunt, coguntur nubes, fugatur dies, turbatur cœlum, corruſcat fulgur, libratur fulmen, rumpuntur abyſſi, erumpunt maria, univerſæ cœli catarractæ recluduntur, intumeſcunt undique fatales aquæ, affluunt impetu, defluunt rapiditate, ſuperfluunt tumore, circumfluunt vaſtitate, implentur valles, operiuntur tecta, exciduntur turres, obruuntur colles, ſepeliuntur montes, rapiuntur cum populis urbes, ſorbentur cum urbibus regna, interit orbis, quaqua patuit natura, unico pelago tumulatur.

§. 12. Cui ſuperfuit ramus olivæ.

Unica naufragantis mundi onuſta reliquiis, compendiati totius humani generis habitatio, unica in ſalo ſalus Noemi oneraria, indomitum hunc Oceanum felix inambulabat, donec enubilato tandem furore Nemeſis, exhauſtis abyſſi fontibus, extinctis per diluvium ultionis divinæ flammis, paſſa eſt demerſis omnibus terram emergere, & ſuffocatis flagitiis, emundatũ orbem reſpirare. Itaq; in alium orbem jam deſcenſurus Noë, ex-

Digitized by Google

exploratricem columbam, primam pacis interpretem dimiſit ex arca, quæ cum benè ominatum virentibus foliis olivæ ramum attuliſſet, planè intellexit eum fauſtiſſimum indeptæ pacis argumentum.

Hic enimvero curioſum animum quærendi ſubit ambitio, quâ tandem regione, quâ ſede, quo naturæ vel artis ingenio unus in comuni rerum omnium interitu ramus innocente virore triumpharit. Dices, involutum quidem, jactatumque funeſtiſſimis aquarum procellis, aſpirante tamen iterum cœlo evolutum, ſuos ad vernam jucunditatem virores explicuiſſe. Sed ex ſacris oraculis intelligo, voraci aquarum ingluvie deletam omnem ſubſtantiam, & quidquid ab iis contactum contagio periiſſe. Dices poſt diviſum pelagus, terramque ex undarum ſepulchro evocatam, eam fuiſſe ſoli, ſolisque benignitatem, ut pene momento educaret oleam; ſed non ignoro ex Plinio, lentis omnino annis oleam concipere & germinare. Itaque cum D. Hier. magnificè & liberè dico ego, cum naufrageretur orbis, unum procellis ac toto furentis pelagi furore ſuperiorem ramum divinâ manu fuiſſe conſervatum à Spiritu Domini, qui ferebatur ſuper aquas, & olim ſuperventurus erat in MARIAM. §. 13. *Quomodo.*

Itaque Spiritus Domini, qui columba eſt, ore ſuo ſupra aquarum inundationes olivæ ramum intactum tenuit, ne fluctibus raperetur. Idem Spiritus Domini tenuit MARIAM, ne primo conceptionis momento raperetur fluctibus peccati originalis. Spiritus Domini, qui ignis eſt, cum aquis iniit prælium, ut ab earum contagio præſervaret olivam. Idem Spiritus Domini Spiritus S. prælium iniit cum infernali ſerpente, ne MARIAM peccati originalis flamma adureret; Spiritus Domini, qui eſt mutuus Patris, Filiique reciproco ſe amore diligentium halitus, blandiſſimo afflatu olivam fovit, ne mergeretur. Idē Spiritus fovit MARIAM, ne novo diluvii fœtore contaminaretur. Spiritus Dom. qui ventus eſt, procellarum inſultui fuit obluctatus, ne ſuos in olivam furores exonerarent. Idem Spiritus obluctatus fuit ſathanæ ſive draconi magno, ne originariæ labis venenum evomeret in Mariam. Spiritus Domini, qui eſt digitus dexteræ Dei, ſe por- §. 14. *Eodem modo B. V. præſervata fuit à macula peccati orig.*

 rexit

rexit in Olivam, ut eam à diluvio intactam conſervaret. Idem Dei digitus intactam conſervavit Mariam, ideo [verba ſunt S. Ambr. l. de Noë & arca c. 19] vir juſtus gaviſus eſt, fructum de veteri ſemine aliquem reſervatum, & inde collegit miſericordiæ inſigne divinæ, quod jam diluvium removiſſet, quæ fructum demonſtraret, cui non potuiſſent nocere diluvia, multò minus Dei Matri diluvium peccati originalis nocere potuit.

§. 15. *Alia varia analogia, inter Olivã & immaculatam conceptionem.*

Plurima alia myſteria ſub Olivæ foliis involuta immaculatam V. conceptionem pulcherrimis analogiis evolvunt. Superſtitioſæ Romæ Quirites in ſacras tabulas retulerunt, ut ſi quã Cœlo delapſa fulmina olivam afflaſſent, ea nunquam ad ſacras Deorum ædes adhiberetur. Jam ante naſcentis mundi prima exordia ſanctiſſimæ Triados ſenatus conſulto ſancitum fuit, ut Filii Dei habitaculũ & aula à Spiritu S. præpararetur ex oliva ſpecioſa ex campis, ſed quæ nullo fulminis, ſive peccati originalis afflatu, unquam vel uno momento fuiſſet violata. Pari ratione ſuperſtitioſi Deorum myſtæ ſacrâ lege edixerunt, ne Deorum ædibus inferretur oliva, ſi forte aliquo cadavere contacta fuiſſet; teſtante quoq; Plinio apud Romanos nefas fuit, oleam profanis uſibus contaminare. Multò minus Sanctus Sanctorum olivam ſpecioſam, ſive ſanctam ſuam permiſit videre corruptionẽ, vel peccati originalis labe contaminari. Poëtarum fabula eſt, olivam primam ab ipſo Jove fuiſſe plantatam, & ab ejus manibus contraxiſſe æternitatem viroris. Olivam ſpecioſam Mariam plantavit altiſſimus, adeo ut nec momento virore gratiæ fuerit viduata.

§. 16. *Proſecutio.*

Si Plinio & aliis rerum naturalium inveſtigatoribus credimus, olivæ umbra necat ſerpentes. Et puella, quæ oliva ſpecioſa in campis à Spiritu S. pronuntiatur, caput ſerpentis contrivit, & quidem illo primo momento, quo turpis beſtia violento peccati originalis halitu intemeratã Virginem voluit afflare. Oliva nunquam contrahit putredinem, & in oliva ſpecioſa originalis luis turpiſſimæ putredinem quiſquam vel uno momento imaginari poteſt? abſit, abſit putredo à pulcherrima Virgine. Fingunt rurſum Poëtæ illam clavam, quâ Hercules leones & hydras, ac ſerpentinam Nemeææ ſylvæ propaginem confecit, fuiſſe ingentem ramum olivæ. Verius eſt, pulcherrimam Virginem, quæ dicitur oliva ſpecioſa, in primo in orbem ingreſſu pulcherrimis greſſibus & auratis calceis, ſuper aſpidem & ba-

Digitized by Google

baſiliſcum ambulaſſa, & conculcaſſe leonem & draconem peccati originalis.

Cum Minerva, prima argonavis architecta, audaci cymbâ per nunquam domitos inſanientis Oceani furores inambularet, virentis olivæ ramum prætuliſſe fertur. Hoc certius eſt; cum univerſus mundus eſſet Oceanus, & Immaculata Virgo, veluti navis Inſtitoris in illum ingrederetur, in ſignum pacis prætuliſſe ramum olivæ, cui mare non nocuit. Non omittam figmentum Rabinorum, qui referunt Noëmiticum olivæ ramum nullâ ignis violentiâ deinde comburi potuiſſe. Credam ego potius Olivam noſtram ſpecioſam omnis ignis fuiſſe expertem. §. 17. *Navis Minervæ, ornata ramo Olivæ.*

Daldianus diligentiſſimus Interpres ſomniorum, ſcribit, oleam viſam in ſomno alicui virgini, præſertim ſi floreat, & fructibus ſit gravida, protendere illi nobilem de hoſtibus victoriam. Floreat oliva myſtica Mariana! vivat virgo, impugnata à dracone ſed victrix primo momento, celeriter illũ vicit & triumphavit. Poliænus l. 8. ſtratag. miris laudibus extollit duas heroinas & Amazonas à celeritate, quâ hoſtem vicerunt; dũ Semiramis lavaret pedes, audivit, Siſaces defeciſſe, repente ſine calceis, nudis pedibus hoſtibus occurrit, & vicit. Rhodogenæ lavanti crines nuntiatum fuit, adventare hoſtem, non abſterſis capillis, equum conſcendit, eduxit exercitum, jurans non ante ſe crines compoſituram, antequã viciſſet, & vicit, poſt victoriam crines collegit. Victricis hujus Reginæ imago vel effigies inſculpta deinde fuit ſigillis Perſarum. Pari celeritate, imò majori, & pari modo, nudis pedibus, & in uno crine colli hoſtem teterrimum, ſive peccatum originale vicit Virago, & Heroina Maria, Cœli terræq; Regina ac Imperatrix. Ingreſſa quidem fuit hunc mundum nudis pedibus, concepta fuit, ut alii mortales, ſed primi ejus greſſus, ita cuſtoditi fuerunt, ut ſerpens peccati originalis illi nocere non potuerit. Quod mirati fuerunt SS. Angeli illi accinentes; quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis. Ingreſſa fuit hunc mundum, ſed crinibus tam pulchris, ut pulchritudine hâc vulneravit cor ſponſi, ut fatetur Cant. 4. v. 9. Vulneraſti cor meum Soror ſponſa, & ſimul vulneravit caput ſerpentis, §. 18. *Oliva, omẽ victoria.*

ut

ut dicere potuerit cum Juditha c.13. v. 20. Vivit autem ipſe Dominus, quoniam cuſtodivit me Angelus ejus, & hinc euntem, & ibi commorantem - & non permiſit me Dominus ancillam ſuam coinquinari, ſed ſine pollutione peccati revocavit me vobis, gaudenter in victoria nunc & in liberatione veſtra confitemini illi omnes, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia ejus. [Poterit hîc formari affectuoſa B. Virgini aggratulatio de tali victoria & collata gratia.]

§. 19. *Immaculatam Virginis Conceptionem Dei Filius meruit ſua paſſione & ſanguine.*

Reſtat, ut id, quod in Concionis propoſitione inſinuavi, ſcilicet gratiam & privilegium immaculatæ Conceptionis, fuiſſe peculiarem fructum Paſſionis & ſanguinis Chriſti, paucis oſtendam, patebit id modo ex pulcherrimis ſymbolis. Ezechiel c. 1. ſuper cœlos vidit thronum Saphirinum: *Et ſuper firmamentum, quaſi aſpectus lapidis Saphirini ſimilitudo throni.* Hugo Cardinalis: Thronus Saphirinus eſt B. Virgo, ſuper firmamentum, id eſt, omnes Angelorum choros exaltata. Saphirum unam ex gemmis pretioſiſſimam natura hac ornavit pulchritudine, ut rubeat lucidiſſimis ſanguinis maculis. Ab his ingens in gemma decor. Summa Mariæ Virginis pulchritudo eſt, quod ſit immaculatè concepta, ut ſuo tempore Filio Dei eſſet Saphirinus thronus; ſed aſperſus ſanguineis carbunculis, ſive guttis pretioſiſſimis Filii ſui ſanguinis. Non ſine myſterio v. 1. c. 2. in Cant. in perſona Sponſæ, ſive Mariæ: *Ego flos campi, & lilium convallium*, alii ita legunt: *Ego roſa campi.*; quaſi diceret, agnoſco, me lilium & roſam, lilium v. g. fui in prima Conceptione, candore gratiæ, & immaculati pudoris, ſed ſum ſimul ardens & rubicunda roſa ob roſeum filii mei ſanguinem, cujus pulcherrimis guttis Filius meus in primo Conceptionis inſtanti me aſperſit.

§. 20. *Proſecutio.*

Myſterium hoc clarius nobis exponet revelatio facta ſancto Anſelmo, in qua B. Virgo illi dixit: *Ego* [ſcilicet ſtans in monte Calvariæ juxta crucem,] induta fui quadam veſte, quâ mulieres regionis illius uti ſolent, quâ tegitur caput & totum corpus. Et fuit veſtis iſta aſperſa tota ſanguine. Nihil eſt frequentius, quàm ut B. Virgo immaculatè concepta, & puriſſimis pedibus conterens caput ſerpentis, depingatur in candidiſſima

veſte;

veſte; ego hodie ornatum illum aſpergo roſeis guttis pretioſiſſimi ſanguinis Filii Dei; ut ſciamus, tantum immaculatæ & integerrimæ Conceptionis privilegium debere aſcribi efficaciæ ſanguinis Chriſti, quo modo, ab eodem Filio ſuo nobiliſſimo modo fuit redempta, de quo piè & ſubtiliter Valent. Epiſcop. Conſtantinop. in 2. Cant. *Quia illa gratia Sanctificationis, qua fuit ſanctificata, non fuit ipſi collata, niſi per merita paſſionis Chriſti, ſed per alium modum: nam in omnibus nobis fuit purgativa peccati, ſed in Beata Virgine MARIA fuit illa gratia ab omni peccato præſervativa.* [Iterum fiat affectuoſa gratulatio B. Virg. cum repetitione Concionis.]

CONCIO LVI.

FESTO S. THOMÆ APOSTOLI.

Thomas autem unus de duodecim,

Joan. 20. v. 24.

SYNOPSIS CONCIONIS.

AD ſacroſancta Chriſti Vulnera, & ad cor JESU dulciſſimum cum S. Thoma invitantur peccatores. In his vulneribus deliciæ, divitiæ, bona omnia, & æternæ beatitudinis arrha.

§. 1. Converſio pertinacis Thomæ fuit peculiaris effectus Divinæ bonitatis.

§. 2. Quàm ſuaviter Chriſtus Dominus ad ſe attraxerit Thomam, oſtenditur eleganti ſymbolo.

§. 3. Chriſtus Dominus convertendo

de Thomam, longè ſuperavit clementiam Cæſaris.

§. 4. *Et benevolentiam Trajani, Alexandri Magni, &c.*

§. 5. *Regia Chriſti D. fuit liberalitas, offerre Thomæ SS. Vulnera, & præſertim cor ſuum.*

§. 6. *Deliciæ Vulnerum Salvatoris longè ſuperant voluptates hujus mundi.*

§. 7. *Proſecutio.*

§. 8. *Affectuoſum dictum B. Ubertini.*

§. 9. *Et Ludovici Bloſii.*

§. 10. *Devotio erga Vulnera Chriſti D. eſt arrha futuræ beatitudinis.*

§. 11. *Suaviſſima mors pii Sacerdotis è Soc. Jeſu.*

§. 12. *Dulce monitum Landtspergii.*

§. 13. *Neque peccatoribus deſperandum eſt.*

§. 1. *Converſio pertinaciæ Thomæ fuit peculiaris effectus Divinæ bonitatis.*

INcredulus, pertinax, ſuperbus, irreverens, præſumptuoſus, obſtinatus fuit Thomas circa myſterium reſurrectionis Dominicæ. Non miror, Thomas interpretatur abyſſus, cor Thomæ abyſſus tenebrarum erat, ô Thoma! quid ſi Beata Virgo dicat? *non credam*! quid ſi Magdalena? *non credam*! Quid ſi univerſus Apoſtolorum chorus? *non credam*. Et certè perquam credibile videtur reliquos Apoſtolos conatos fuiſſe, perſuadere Thomæ Magiſtri reſurrectionem, ſed aliud extorquere non potuerunt quàm non credam, niſi, &c. tales ſunt hæretici, increduli, ſuperbi, pertinaces, hæreſis excœcat & indurat, intellectum denſis involvit tenebris, voluntatem reddit pertinacem. Verùm bene dixit Regius Pſaltes Pſ. 36. v. 24. *Cum ceciderit, non collidetur*, ſic exponit Origines: *Non collidetur, id eſt, non permanebit in peccato, ſed ſicut in agone contingit, ut qui ab adverſario dejectus, denuo aſſurgat & vincat; ita, ſi quem in noſtro agone adverſus principem hujus mundi vinci ac cadere contigerit, nunquid ſi ceciderit, non adjiciet, ut reſurgat.* Certè ſancto Thomæ cecidiſſe utile fuit, ut altius aſſurgeret, ſuoque caſu ſibi ac Eccleſiæ plus emolumenti quam nocumenti contulit. Thomæ exemplo edocemur, ut qui toties ac tam fœdè prolapſi ſumus è terra, in qua jacemus proſtrati, & è limo profundi, in quo infixi hæremus, quantocyus exilientes, cautius, humilius, ferventiusque incedamus, illud ſerio & attento animo recolentes, peccatorem, ubi

ubi per veram pœnitentiam aſſurrexerit, longè cumulatiori, quam antea, gratiâ donari. Hugo Card. in Pſ. 57. *Dominus facit quandocunque de veneno theriacam, ut de peccatis patratis ſit homo cautior, & fortior poſt lapſum, & in amore Dei ferventior.* Nimirum Chriſtus D. ad ſua vulnera reducem, velut benigniſſimus pater prodigum filium chariorem plerumque habet, tenerius amplectitur, ac cœleſtibus favoribus uberius loclupetat, præſertim acceptabili hoc tempore Adventûs Dominici. Quem in finem conabor vobis in hac Concione exponere ſuavia quædam puncta, de ſuaviſſima Chriſti erga Thomam charitate, quam illi exhibuit, offerendo veluti Paradiſum & theſaurum immenſum, ſanctiſſima ſua Vulnera, quibus ſit laus & gloria, Amen.

§. 2. *Quàm ſuaviter Chriſtus D. ad ſe attraxerit Thomam, oſtenditur eleganti ſymbolo.*

Ingenioſum eſt ſymbolum Areſii: Dum longius avolat falco, & per aëra evagatur, venator illi oſtendit cor alicujus volucris, adjecta epigraphe: *Vt redeat*, & facit id falco, viſo corde quamprimum revertitur. Suaviſſimo hoc modo Chriſtus Salvator noſter ad ſe revocavit S. Thomam, falco erat, alis ſuperbiæ longiſſimè avolans à reliquis Diſcipulis, ſed venator Jeſus, non cor volucris, ſed ſuum illi oſtendit, nec oſtendit tantùm, ſed dixit: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum*, ſic rediit S. Thomas. l. 5. revel. c. 13. exclamat S. Gertrudis: *Tota illa cæleſtis arca, in qua habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, ſcilicet dulciſſimum cor amatoris mei Jeſu Chriſti eſt mihi reſeratum!* O Thoma, agnoſce bonitatem Jeſu! en tibi tota illa patet ſacratiſſima, en tibi Thoma reſeratum eſt theſaurarium illud cœleſte, en tibi aperta ſunt Divinæ viſcera charitatis: Exulte beatiſſime Thoma, recluſum eſt tibi cor dulciſſimum Salvatoris tui meique JESU. In hoc corde habitat plenitudo Divinitatis corporaliter, & non gaudeas? In hoc corde omnium ſedes eſt & thronus deliciarum; & non exultes? in hoc corde divini centrum eſt amoris; & non exilias præ gaudio? in hoc corde latet omnis tuæ beatitudinis compendium, & non tibi de illo gratuleris? in hoc corde

Digitized by Google

latet tuæ ſymbolum victoriæ, & non triumphes? Jam verò, triumpha in hoc ſymbolo, gratulare tibimet ipſe in hoc compendio, quieſce in hoc centro, reſide in hoc throno, vive in hac plenitud.ne, denique in hoc diviniſſimo corde habita & regna.

§. 3. *Chriſtus D. convertendo Thomam longè ſuperavit clementiam Cæſaris.*

Rufus vir Ordinis Senatorii, cum in Cæſarem peccaſſet, inductus à ſervo, ut Cæſarem adiret, animumque occuparet, hoc eſt uſus conſilio: Deſcendenti Cæſari occurrit, illatam injuriam ſibi condonari precatur, ſecumque in gratiam ut redeat, rogat Cum dixiſſet Cæſar, ſe facere libentiſſimè, *Nemo*, inquit Rufus, *credet O Cæſar, te graviſſimam poſt acceptam injuriam mecum in gratiam rediiſſe, niſi magnum aliquod mihi contuleris beneficium.* Fecit id Cæſar, admiſit illum inter regni proceres, & variis inſuper donis locupletavit. Ingens clementia Cæſaris! ſed major fuit bonitas JESU erga Thomam, ipſe prior occurrit, prior veniam offert, &c. & magnum addit beneficium, cor ſuum, vulnera ſua offert. Pulchrè ſanctus Chryſologus ſermone 84. *Affer manum tuam, & mitte in latus meum, ut effundant iterum te aperiente, hæc vulnera fidem* [& gratiam] *quæ aquam in lavacrum, & ſanguinem in omnium pretium jam fuderunt.* His beneficiis delinitus Rufus mira deinde egit pro Cæſare. Idem fecit ſanctus Thomas - factus deinde, ut Nicephorus eum appellat, vehementiſſimus CHRISTI amator. Rupertus l. 4. in Joannem ſanctiſſima Chriſti Vulnera vocavit - *noſtri amoris æterna incitamenta.* Talia fuerunt Thomæ.

§. 4. *Et benevolentiam Trajani, Alexandr. Magni, &c.*

Trajanus Imperator, cum poſt prælium militum vulneribus deeſſent ligamina, ſuam purpuram in tenues lacinias conciſam, inter vulneratos milites diſtribuit. Alexander proprio diademate ſaucii Lyſimachi vulnus obligavit, ingens Ducum benevolentia! majori benevolentia Chriſtus Dominus ſanavit vulnus Thomæ, ſcilicet, non purpurâ, non diademate, ſed ſuis vulneribus, ſuo ſanguine, de quibus Eccleſiaſticus c. 6. v. 31. *Vincula ejus alligatura ſalutis.*

§. 5. *Regia Chriſti D. fuit*

Mira narrant hiſtoriæ de Regia domo Regis Chinenſis; inter ſeptuaginta novem elegantiſſimas aulas celebrantur quinque,

Digitized by Google

que, áb arte, à materia, forma,&c. Prima ſupra & infra tecta & ornata eſt optimo aurichalco, ſecunda puriſſimo argento, tertia auro, quarta inſuper ornata gemmis, in quinta permixta ingenti artificio hæc omnia, gemmæ, aurum, argentum; In hac quinta aula reconditur præcipuus theſaurus Regis. Has quinque elegantiſſimas aulas ſenſu myſtico invenio in benedicto corpore Salvatoris, ut animæ piæ tanquam Reginæ in illis habitent, & cœleſtibus paſcantur deliciis. Aurichalcum invenio in aula pedis ſiniſtri. Apocal. cap. 1. verſ. 15. *Pedes ejus ſimiles aurichalco.* Argentum in aula pedis dextri. Eccleſiaſt. capite 40. verſu 15. *Argentum conſtituo pedum ejus.* Aurum & gemmas in ſanctiſſimis manibus. Canticorum capite 5. verſu 14. *Manus ejus tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis.* Hæc omnia in aula benedicti lateris, & in illa theſaurum pretioſiſſimum, cor ſcilicet benedictum Salvatoris, de quo ſanctus Bernardus: *Bonus theſaurus, bona margarita cor tuum bone Ieſu, quam foſſo agro corporis tui invenimus.* Ludovicus Bloſius: *Apertum eſt Chriſti latus, ut nobis acceſſum aditumque pius IESVS ad cor ſuum patefaceret - ipſum cor ſuum tanquam ſecretiſſimum cubiculum nobis reſeravit, nobis præbet cor ſuum, ceu lectulum purpurei ſanguinis ſui rubentibus roſis adornatum.* O bonitatem JESU! eja animæ piæ, vos præcipuè peccatores, ſi poſt ſeriam converſionem veras delicias quæritis, ecce apertum eſt CHRISTI Domini latus, ecce patet aditus ad cor JESU, ingredimini cum ſancto Thoma, latus JESU nil aliud eſt, quam ſecretum cubiculum, ſive ſolitudo pœnitentiæ, in qua piis lachrymis laxantur habenæ, ecce lectulum ſtratum roſis offert, hic dormite & requieſcite. Suadet hoc aliis verbis ſanctus Bonaventura prima parte ſtim. capite quinto; *Faciamus tria tabernacula in Vulneribus Salvatoris,* [unum in pedibus NN.] *in quibus planè bonum eſt nos eſſe, omnia opera noſtra peragere, & cælo in terra frui.* Hic cœlum invenit S. Thomas, ideo exclamat: *Deus meus, & omnia,* quaſi diceret, aliud, quod jam deſiderem, non video.

liberalitas; offerre Thomæ SS. Vulnera, & præſertim cor ſuum.

Digitized by Google

§. 6. *Deliciæ vulnerum Salvatoris longè ſuperant voluptates hujus mundi.*

Quiſquis Cœlum hoc invenit in vulneribus Salvatoris, mundum facilè contemnit, deſipiunt tali omnia vana & caduca. S. Ludgardis formoſiſſima Virgo, cum annorum eſſet duodecim, deſponderi debuit nobili adoleſcenti, ſed intus in corde alios ſentiebat ignes, alios erga alium ſponſum amores nutriebat: hærebat dubia, cui ex duobus ſuum conſecraret amorem, maximè dum nobilis juvenis offerret gemmas, annulos, &c. ſed vicit ſponſus cœleſtis, vicit Chriſtus Salvator, qui illi apparens, oſtendit cruentum ſuum latus, & ſaucium cor, cum ſuaviſſimis verbis, *me diligas, qui ſum formoſus, bonus, dulcis & generoſus.* Sic jugiter contemplare quid diligas, hic ego totius puritatis delicias tibi polliceor obtinendas. Aliàs illi dixit: *Vide mea Ludgardis, ut vulnera mea clament ad te, ne fruſtra fuderim ſanguinem, mortemque ſuſtinuerim.* Tales ex aſpectu hujus vulneris ſancta Ludgardis ſenſit delicias, ut ex illo momento, ſpreto mundo, Chriſto ſervire inceperit, cum incredibili cordis ſolatio & guſtu. O animæ piæ, amores veſtros procatur mundus, ad iſtum finem offert gemmas, roſas, mel, ſaccarum, ſed prætioſiora offert Chriſtus, qui vobis vult deſponſari, nimirum ſaucium latus & benedictum cor ſuum; hîc latent gemmæ, roſæ, mel, ſaccarum, hunc amate, formoſus eſt, bonus eſt, dulcis eſt.

§. 7. *Profectutio.*

Cum juvenis quidam ob auſterum vivendi modum ob jejunia & continuam mortificationem, religioſum, quem ingreſſus fuerat, ſtatum deſerere cogitaret, jamque cœnobio pedem efferret, ecce tibi obviam habet Salvatorem, qui detecto vulnere lateris illi dixit: *fili, cum cibus minus ſapidus eſt, cum lectus durior* (cum gravis eſt ſolitudo, cum durum videtur, hærere tam diu in templo, &c.) *ingredere vulnus hoc, & intinge illa in divino ſanguinis mei condimento, & cæleſti ſuavitate tibi dulceſcent omnia,* fecit juvenis, & in vulneribus Chriſti veram pacem, cœleſteſq; invenit delicias.

§. 8. *Affectuoſum dictum B. Vbertini.*

B. Ubertinus ex Ordine S. Franciſci, ut in auſtera vita viveret lætus, ſe ipſum his verbis alloqui ſolebat: *Veni anima mea, & ingredere benedictam domum tuam; quid foris manes? profuge ad*

locum

Digitized by Google

locum tabernaculi admirabilis, ad terram promiſſionis; ad ſanctiſſima Domini Jeſu Vulnera, non jam lacte & melle, ſed Divina benignitate & ſuavitate manantia. Ingredere, & caveto egredi cor Divinum & amabile Salvatoris tui. In hoc cubiculo te contine, bonum eſt hic habitare.

Ad idem nos hortatur Bloſius ſuaviſſimis verbis: *Ore ad patulum vulnus lateris ejus apposito, cœleſtem ſuavitatem ex corde ipſius manantem guſtabo, revera enim torrens voluptatis illinc erumpens, te abundanter ſatiare poterit.* Satiatus fuit S. Thomas, dum exclamat: *Deus meus, & omnia*; pergit deinde: ſaluto Domine Jeſu roſea ac ſuaviſſima Vulnera tua, quæ ſuſcepiſti pro me, & in quibus deſcripſiſti me; ſalvete, ſalvete, ſalvete vernantes & ſalutiferæ plagæ Redemptoris ac Amatoris mei. Hoc facite animæ meæ, ſalutate ſæpiſſimè SS. Vulnera ſuaviſſimis verbis, torrentem voluptatis invenietis. §. 9. *Et Ludovici Bloſii.*

Ingens animæ in hoc mundo ſolatium eſt, cum fundamento ſperare æternam beatitudinem. Seraphico S. Franciſco cum revelatum fuiſſet ſuæ prædeſtinationis myſterium, per octiduum aliud non dixit, quàm *Benedictus DEUS.* Si ſolatii hujus participes eſſe volumus, amemus Vulnera Chriſti, in his aliquo modo intelligemus, num beatitudine ſimus donandi æterna. Refert Pauſanias in Ach. l. 7. n. 50. in templo Cereris fuiſſe expoſitum ſpeculum, ante quod, qui Deæ obtulerat preces & odores, in illo videre poterat, quæ ſors ſibi eſſet eventura, an felix, an infelix. Fabula eſt, dæmonis fuit ludibrium, ſed revera talia ſpecula ſunt ſanctiſſima Vulnera Salvatoris, quiſquis hæc intuetur piè, devotè, inveniet in illis ſcriptum nomen ſuum veluti libro vitæ, unde futura pendet felicitas in gloria æterna. Lud. Bloſius Mag. ſpec. c. 19. *Mellíflua Redemptoris noſtri Vulnera revera mundiſſimum ſunt ſpeculum, ſi quis illa cum Apoſtolo penetrare ſciret, inveniret in eis, quidquid divinitus exhibere poteſt, quod eſt omnis beatitudinis & felicitatis complementum.* Ex manuum notis & lineis & angulis ſolent prædici futura. Eſt ſuperſtitio: ſed in manibus Salvatoris, in ſanctiſſimis Vulneribus ſunt notæ, ex quibus colligere poſſumus, nos fore felices, ideo David §. 10. *Devotio erga Vulnera Chriſti D. eſt arrha futuræ beatitudinis.*

Pſal.

Pſ. 30. v. 15. *In te ſperavi Domine, dixi, Deus meus es tu, in manibus tuis ſortes meæ.*

§. 11. *Suaviſſima mors Sacerdotis è Soc. Ieſu.* Cum pius Sacerdos è Societate JESU in agone (teſte P. Nirenbergio) admirabilem quandam præ ſe ferret lætitiam, rogarunt aſtantes ex illo cauſam, quibus reſpondit: *Si alicujus oculis obverſaretur ingens auri vis, vel gemmarum copia, vel quicunque alius theſaurus, eſſetque certus, poſſe ſe acquirere illum theſaurum, nunquid talis merito gauderet? Ego modo oculis fidei cerno gaudia æterna, & certus ſum, me meritis Chriſti, præcipuè pretioſo ſanguine & ſanctiſſimis vulneribus emere poſſe, & non gaudeam?* hæc dicens animam in amplexibus Crucifixi emiſit. Quis ex nobis eſt, qui cœlum non ſperet? qui ſalvus eſſe non cupiat? quis eſt, qui ſubinde non cogitet, erone ſalvus? qui ſecurus eſſe vult, ingrediatur cum S. Thoma ſanctiſſima vulnera Chriſti, in illis habemus merita, ſanguinem Chriſti, verbo divitias, quibus cœlum emere poſſumus. S. Edmondus in agone exſoculans vulnera Chriſti, dicebat: *amodo hauriam aquas, in gaudio de fontibus Salvatoris.*

§. 12. *Dulce monitum Landſperg.* Utinam proinde faceremus, quod ſuadet Landſpergius hom 54. de Paſſ. *Diſce habitare in hoc vulnere lateris. Si amica & ſponſa eſt anima tua, ubi ſuavior thalamus, quam in hoc vulnere? ſi columba es, ubi locus ad nidificandum aptior? ſi paſſer eſſe decreviſti? ecce tecta; ſi turtur es, & caſtis gemitibus ad Deum ſuſpiras? hic locus eſt.* Expertus eſt S. Thomas: *Turtur fuit*: Sed non niſi in SS. vulnerum maceriis ſedit & gemit. O dulces gemitus! *Paſſerculus fuit*, ſed ejus tectum in quo ſedit ſolitarius, fuit latus Salvatoris. Fallor, non ſedit ſolitarius, qui ſedit inter Angelos, cœleſtes illas philomelas. *Columba fuit*: ſed nidulum neſcivit alium, quam cor JESU. O nidulum mollem, nidulum ſpecioſum, nidulum delicatum! In hoc nidulo meo moriar, dixit & vixit. *Sponſa fuit*: ſed nuptialem thalamum adornavit in benedicto JESU latere. O thalamum dulcem! Thalamum divini amoris ignibus ferventem! Thalamum roſis ſtratum & liliis, non ſpinis & loliis! vultis plura? & *floſculus fuit*, ſed in nullo alio viſus hortulo, quam illo, qui quinque diſtinctus eſt ſacratiſſimorum vulnerum

Digitized by Google

nerum areolis. Dicite an non terque quaterque felix eſt S. Thomas Apoſtolus?

Sed quid ad hoc vos animæ peccatrices? benè ſperate, nam & vobis patet oſtium ad hunc hortulum, & vobis patet ingreſſus in hunc thalamum, & vobis ſuppetit locus in hoc nidulo. Deſperet nemo? Eadem, quæ D. Thomæ, omnibus & ſingulis peccatoribus obvenire poteſt felicitas, quando eadem omnibus & ſingula patent Sacroſancta vulnera Redemptoris. Præclara ſunt in hanc rem & lectu, audituque digniſſima Præſulis Hipponenſis verba ſerm.74. ad fratres in eremo, *Noli dicere, in cælo non ero; tenemus mortem Chriſti - deſperarem utique, ſed non deſpero, quia vulnera Chriſti recordabor*. Et S.Bern. ſ.61. in Cant. *Peccavi peccatum grande, turbatur conſcientia, ſed non perturbatur, quoniam vulnerum Domini recordabor.* Quid ſuavius obſecro? eja anima peccatrix, ſi vitæ perperam actæ conſcientia te flagellat, recordare vulnerum Jeſu tui, ſi terret orcus, ſi ſathanas minatur, ſi apertis faucibus hiantem vides Tartarum, ſi iratum metuis ſupremum Judicem, ſi te mortis incertæ triſtia fata percellunt, recordare vulnerum JESU tui, cum recordaberis, animaberis, cùm animaberis, lætaberis, cùm lætaberis, triumphabis. §.13. *Neq; peccatoribus deſperandum eſt.*

CONCIO LVII.

FESTO NATIVITATIS CHRISTI DOMINI.

Evangelizo vobis gaudium magnum,

Luc. 2. v. 10.

SYNOPSIS CONCIONIS.

IN præſepio deliciæ exhibentur cœleſtes. Apud JESUM ſiquidem & MARIAM omnia dulcia, lactea mellea.

§. 1. *In exordio lætiſsimo Ave vel Salve ſalutatur IESULUS.*

§. 2. *Partum Virginis in ſtabulo praceſſit ineffabile gaudium mentis.*

§ 3. *Virgineus partus plenus deliciis.*

§. 4. *Gaudium nati Ieſuli.*

§. 5. *Dies Nativitatis fuit Beatæ Virgini dies lætitiæ cordis ejus.*

§. 6. *Quantis gratiis Maria in Virgineo partu fuerit impleta.*

§. 7. *Quantæ Virginis parientis deliciæ.*

§. 8. *Ieſulus Virgini Matri fuit lac & mel.*

§. 9. *Ipſa quoque Virgo eſt lac & mel.*

§. 10. *Impii ſunt incapaces cœleſtium conſolationum.*

§. 11. *Si tamen velint, non excluduntur ab uberibus miſericordiæ.*

§. 1. In exordio lætiſſimo Ave vel Salve ſalutatur Ieſulus.

NArrant hiſtoriæ, Amiterris natum recenter ab ancilla infantulum, ut primum matrem aſpexit, ſuaviſſimâ hac voculâ eam ſalutaſſe: *Ave.* Ancilla Domini, Virgo pulcherrima hac nocte genuit Salvatorem mundi, genuit infantulum formoſiſſimum, belliſſimum. Hunc puto,

non

non quidem ore, ſed corde, ſed ſuaviſſimis oculis & ſuaviſſimâ hac voculâ: *Ave*, matrem ſuam ſalutaſſe. In matre, hac voculâ amator hominum ſalutavit ſuam ſponſam, ſive totum genus humanum, ut bene hodie dicere poſſim: *Auditores, ſalvete*, non meo ſed Jeſuli nomine. *Avete* nomine infantis ſuaviſſimi. *Avete* nomine pueruli formoſiſſimi! ſed æquum eſt, ut viciſſim hunc puerum ſuaviſſimè ſalutemus: æquum eſt, ut dicamus omnes, ut dicamus millies & ore & corde: *Ave, ſalve Ieſule*! ave puer ſuaviſſime! ave infans mellee, &c. Cæſar Auguſtus ſalutatus fuit à corvo hac voculâ: *Ave Cæſar*; & ſalutatio illi fuit acceptiſſima. Nos columbæ ſumus, luſciniæ ſumus, &c. dicamus, cantemus, pſallamus millies: *Ave Ieſule*, nec dubitate, amat natus puerulus has ſalutationes. Hæc & ſimilia ſuſpiria in meditatione myſterii Nativitatis toties repetiit B. Margareta, adeo illa memoriæ & cordi ſuaviſſimas ſpecies & formam JEſuli, & puriſſimæ puerpuræ impreſſit, ut poſt ejus obitum, aperto pectore & corde, in illo repertus fuerit unio magnus & pulcher, in quo ſculpta videbatur Virgo Mater, flectens ante præſepe, in quo puerulus jacebat. Alias dono vobis ſimilem gemmam cum Jeſulo, in hac offeram unionem cum Virgine Matre, hæc, id eſt, puriſſimus ejus partus, gaudium, dulcedo, &c. & ſimilia erunt materia hujus Concionis, vos veſtro illam favore & ſilentio proſequamini, rogo.

§. 2. Partum Virginis in ſtabulo præceſſit ineffabile gaudium mentis.

Poſt pauculas horas, quibus Beata Virgo cum S. Joſepho fuit in ſtabulo in altiſſima contemplatione inque precibus ferventiſſimis defixa, perſuaſum mihi habeo, illam ob affluentiam cœleſtium deliciarum advertiſſe, inſtare partum pueri, quem jam novem menſibus in Virgineo utero portaverat. Pulchrè S. Auguſtinus, cum hanc circumſtantiam ſerm. 20. de tempore expendiſſet, exclamat: *Expandat nunc fides ſplendentis uteri pulchra tentoria, ſibilet ſpiritus - tenuis Virginem aura refoveat, & flante refrigerio, ſpiramentis cœleſtibus ventiletur, alvus Virginalis verecundiæ ſertis coronetur, flammeus ibi roſæ fulgor anhelet, albens lilium candicet, mollis viola rutilet, purpurei ſpargantur flores, & vario nitore depictus Chriſti thalamus exornetur.* Inter hos flores, inter cœ-

leſtium voluptatum Zephyros, jam novem menſibus quievit Salvator mundi in thalamo virginalis uteri. Adeſt jam hora, adeſt jam momentum, ut ex illo egreſſus, in alium lectulum reclinetur, vel brachia virginis, vel præſepe; itaque adeſte Angeli, deſerite ad tempus cœlum, paradiſo excedite, ut portentum novum videatis ſuper terram, natum puerum, ſed puerum Deum! puerum, qui creator & Rex veſter eſt; ex paradiſo afferte roſas! roſis inſternenda eſt terra, in quam decidet. Afferte violas! violis ornandus eſt ſinus & brachia matris, quæ natum excipient. Afferte lilia, ſerta, coronas, flores! hos præſepio inſternite, floridus debet eſſe lectulus, in quem Jeſulus reclinabitur.

§. 3. *Virgineus partus plenus deliciis.*

Fortè ſimilia fuerunt deſideria puerperæ Virginis; inter quæ plena deliciis, momento genuit Unigenitum ſuum, jam mater Dei ſimul & Virgo. Virgineum hunc partum plenum deliciis meo judicio explicat v. 10. cap. 2. Gen. *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradiſum.* D. Petrus Dam. ſer. de Annunt. *Locum voluptatis uterum Mariæ intelligo, in quo cumulavit omnes delicias deliciarum Dominus.* Deliciarum fluvius eſt Jeſulus, hic locum deliciarum ingreſſus eſt, cum in utero virgineo factus eſt homo, ab hoc fluvio & torrente voluptatum virginalis paradiſus adeo irrigatus fuit, ut præ jubilo exclamarit: *Magnificat anima mea Dominum - fecit mihi magna, &c.* Ingreſſus fuit delicioſus, ſed æquè delectabilis egreſſus. Egreſſus eſt Jeſulus ex utero virgineo, non jam inſtar roris vel pluviæ, ſed fluvii & torrentis, qui hodie in egreſſu ſuo ſive Nativitate cœlum & terram deliciis irrigavit cœleſtibus. Adeſtum hodie amantes animæ; ad paradiſum approperate; paradiſus eſt Maria: ad fluvium è paradiſo manantem contendite; fluvius eſt Jeſulus. O qualis fluvius! O qualis paradiſus! paradiſus deliciarum eſt, fluvius gratiarum eſt. Paradiſus honoris eſt, fluvius amoris eſt. Paradiſus jucunditatis eſt. fluvius amœnitatis eſt. Hîc omnia dulcia, jucunda, amœna, delectabilia ſunt hîc omnia.

§. 4. *Gaudium nati Ieſuli.*

Inprimis Puerulo à tali Virgine & tali Matre naſci jucundum fuit, eſt hic pulcher diſcurſus citati Petri Damiani: *Nunquid in Angelis voluptatem habet Altiſſimus? in quibus reperit*

pravita-

pravitatem. Nunquid in conſtellatione ſtellarum, quarum aliæ convertentur in ſanguinem, aliæ cadent de cœlo, aliæ in tenebras obſcurabuntur [quaſi dicat in ſtellis altiſſimus non habet voluptatem, in illis non invenit delicias, quas quærit] *Nunquid in aere, vel igne, vel ventis, ſed- non in igne Dominus, non in commotione Dominus, non in ſpiritu Dominus. Nunquid in aquis* [quibus deletus eſt mundus] *nunquid in terra? quæ ſub maledicto Adæ ſpinas emittit & tribulos.* Tandem ait Dominianus. *Non eſt locus voluptatis, niſi uterus Virginis.* Ergo emendemus diſcurſum. Hodie filius DEI ſummam voluptatem in ſtella, id eſt illa Virgine, quæ eſt ſtella Jacob. Habet voluptatem in igne, in rubo incombuſto. Habet voluptatem in aqua, in Virgine, quæ fons eſt ſignatus, quæ puteus eſt & dicitur aquarum viventium &c. Hodie dicere poſſumus; locus voluptatis JESULO eſt ſinus Matris, locus voluptatis ejus manus & brachia, locus voluptatis, pectus & ubera; locus voluptatis cor Virginis. De primo momento conceptionis ait Richardus de S. Victore: *Certè ex quo cœpit homo eſſe, ab ipſa hora Conceptionis ſuæ repletus eſt totius dulcedinis, totius ſuavitatis plenitudine.* Pari prorſus ratione de hodierna dicere poſſumus feſtivitate. Momento, quo natus eſt JESULUS, repletus eſt totius dulcedinis plenitudine: *vere repletus eſt*, atque ita repletus, ut de plenitudine acceperint, quotquot aderant Angeli & homines, imò & bruta ipſamet. *Repletus eſt*, accedite triſtes animæ, & ex hoc fonte haurite non aquas doloris, ſed vinum lætitiæ cum gaudio. *Repletus eſt*, hinc dimanare cœperunt deliciæ à JESULO ad MARIAM, à MARIA ad Joſephum, à Joſepho ad Angelos, ab Angelis ad Paſtores, à Paſtoribus ad Magos, à Magis ad mundum denique univerſum.

Verum, ut jucundum fuit Jeſulo, à tali Virgine, à tali Matre naſci, ſic Virgini, ſic Matri jucundiſſimum fuit, talem Filiolum parere, & partu tam admirabili, partu virgineo, quem tota ſtupet natura. Cant. 1. ait Sponſa: Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuavitatis. Primam partem hujus verſûs ſic explicat Cardinalis Alanus apud

§. 5. Dies Nativitatis fuit B. Virgini dies lætitiæ cordis ejus.

 Delrium:

Delrium. *Poſtquam glorioſa Virgo, non ſolum mente, ſed etiam ventre concepit, factus eſt ſpiritualis Chriſti recubitus, ubi ſpecialiter & plenè recubuit.* Sed hic recubitus velatus fuit hactenus, cortinis & cancellis virginalis uteri incluſus: hodie ſinus quoque B. V. eſt floridus lectulus, in quo Jeſulus recumbit, & brachia ſunt talis lectulus. O quam ſuavitèr in his puerulus recubuit! ſed quis explicet illas delicias, illas ſuavitates, quas in mente & corpore Virginis hic nardus, hic floſculus expreſſit? Guilhelmus apud Delrium ſuper citatum verſum inducit Beatam Virginem hoc modo loquentem: *Toto tempore, quo Rex in accubitu ſuo in meo utero permanſit - in magnis degebam deliciis devotionis meæ, & confitebatur jugiter cogitatio mea, & reliquiæ cogitationis meæ diem feſtum agebant illi.* Gratulor Partheniis tuis affectibus Virgo tota Parthenia! dum erat rex in accubitu tuo; erat & in eodem paradiſus; verè diem agebas feſtum, quo exultabat anima tua in Deo ſalutari tuo. Sed quid nos interim Auditores? an non & noſtrum hoc feſtum eſt? an non & noſtra voluptas; an non & noſter Jeſulus? Egredimini ô egredimini filiæ Sion, & amantes animæ, egredimini ad ſtabulum Bethlemiticum, & videte Regem veſtrum, ſponſum veſtrum, Deum veſtrum, Jeſum veſtrum. Egredimini cum paſtoribus, & videte infantulum Divinum! Egredimini cum tribus Regibus, & videte Regem Regum, Dominum dominantium, videte & gaudete, ſpectate & amate.

§. 6. *Quantis gratiis Maria in Virgineo partu fuerit impleta.*

Pulchrè ait Dion. Carthuſ. ſerm. 3. de Annunt. *Cùm Maria Dei filium concepiſſet, & portaret eum in utero,* [dico ego, cum illum genuit in ſtabulo, cum in brachiis deferret Virgineis,] *quis cogitare queat, quantis ſupernarum chariſmatibus gratiarum implebatur quotidie?* Vere D. Ambroſius ait ſerm. 3. de Conc. Mariæ: *Incomprehenſibilis incomprehenſibiliter operatur in matre, & Sol juſtitiæ, Sol ſapientiæ in mente genetricis ſuæ clariſſimè ſplenduit, & calefecit - Implebat animam ejus* [I.] *ſapientiæ ſalutaris ſplendoribus,* [II.] *charitatis divinæ odoribus,* [III.] *divinarum contemplationum ſuavitatibus.*

§. 7. *Quantæ Virginis pa-*

Guilhelmus in c. 7. Cant. *Quàm pulchra es & quàm decora, chariſſima in deliciis! ſi quæris de iſtis deliciis quales? dico, quod materna*

terna quadam deliciæ erant, ſed Virgini Matri ſingulares, nulli Virgini vel matri ante eam, nulli poſt eam datum eſt, experiri illas delicias. Materna deliciæ erant, matris ſuper prole gaudentis. Quantis putas illa maternæ ſuavitatis diffluebat deliciis, cum ei ad conceptum virtus Altiſſimi obumbravit, dum corporatum DEVM in utero geſtaret, dum novo partu æternum Lumen in lucem ſæculi funderet? - in quantis agebat ſanctæ jucunditatis deliciis, cum DEVM VERBVM maternis amplexibus ſtringeret, & ſacra illi oſcula materni oris imprimeret. Cum illum, qui in cœlo de ſe paſcebat Angelos, maternis uberibus aleret, & cætera maternæ pietatis efficacia pro tempore miniſtraret. Denique in his omnibus Divini myſterii & ſui privilegii non ignara, optimè noverat, ſe eſſe Matrem Majeſtatis, & hoc noſſe, ſingulares & jugæ illi deliciæ erant. Hæc omnia ſuaviter Guilhelmus. *rientis deliciæ.*

Cant. 4. v. 11. dixit ſponſa. *Mel & lac ſub lingua tua.* Beatæ Virgini hodie dicere poſſumus: O mater, mel & lac in manibus tuis, in pectore tuo, in corde tuo, nam bene dixit S. Richardus à S. Laur. l. 1. c. 8. *Ipſe - JESVLVS - favus eſt mellis - qui, ſi bene compreſſus fuerit, tactu labiorum devotè orantis, dulcedinem melleam facilè diſtillabit. Ipſe JESVLVS - vellus Gedeonis madefactum rore gratiarum, quod compreſſione leviſſima, devotæ ſalutationis & orationis largè diſtillabit ſtillicidia* [mellis & lactis] *ſuper terram cordis humani.* Itaque ex una parte cogitate Auditores, quibus modis Virgo Mater ſuum favum, ſuum vellus, ſuum Jeſulum compreſſerit labiis, oſculis, brachiis, pectore, corde, devotis ſalutationibus, oratione, amplexibus, ego mihi hæc facilè ob oculos ſtatuo: Ex altera parte cogitate, quam melleam dulcedinem diſtillarit! quæ mellis & lactis ſtillicidia deciderint ſuper virgineam terram virginei cordis! Pulchrè Rupertus in citat. v. *Mel & lac, &c.* inducit Jeſulum filiolum, ſic loquentem Matri: *Favus tuus ego ſum, & lac tuum ego ſum, quia DEVS tuus ego ſum. Hoc tua ſentit anima, hoc tua ſonant labia, aliud loqui non potes, quam id, quod in pectore habes; ex abundantia cordis tui labia tua loquuntur.* Non dubito, Beatam Virginem inter alia dixiſſe: O Jeſule meum mel! O Fili mea dulcedo! O mellee Jeſule! *§. 8. Ieſus Virgini Matri fuit lac & mel.*

piæ Matris, uſque ad oblivionem veterum delictorum ſanctæ conſolationis vino inebriantur - Primo ergo de uberibus ejus lac ſugunt neceſſariæ conſolationis, deinde & vinū ſanctæ congratulationis (JESULO) *& ſic ubera ejus aſſimilantur botris.*

Verùm inter hæc dulcia & mellea verba me affligit, quod inter vos ſint capræ, quæ aliis inhiant uberibus, uberibus voluptatum carnalium; hæ capræ procul arceantur à ſtabulo Bethlemitico, cum Paſtoribus admittuntur agniculi. Hoc agniculus ſitibundus habet mirabile, vel inter centum oves matres diſcurrit, nec tamen ullius ubera ſugit, niſi matris propriæ; hanc unam inter omnes ſollicitè inquirit, nec niſi inventâ quieſcit. Et nos ad alia anhelabimus ubera, quam ubera matris noſtræ, ubera gratiæ divinæ, ubera MARIÆ, ubera miſericordiæ? quiſquis hoc agit, hodiernæ turbat feſtivitatis lætitiam, nec dignus eſt cœleſti dulcedine, quam nobis offert hodie cum filio Mater, cum matre filius. §. 10. *Impii ſunt incapaces cœleſtium conſolationum.*

Denique moneo pro communi ſolatio, neque peccatores ab his uberibus miſericordiæ excludi, ſolatio plena ſunt verba Hailgrini. *Nam poſtquam* (filius DEI) *de uberibus Matris bibit, ac ſi cum lactis dulcedine, dulcedinem bibiſſet miſericordiæ, projecit ab oculis ſuis peccata noſtra poſt tergum, & factus eſt largus ad dandam peccatorum veniam.* Richardus à S. Laur. l. 5. in c. 7. Cant. ait in perſona Sponſi: *Recordabor enim, quod de te carnem ſumpſerim, quod lac de tuis uberibus ſuxerim, & iſta recordatio - irritationis & indignationis oblviſci me faciet, ne feſtinem ad vindictam.* Si cœleſtium dulcedinum his feſtis cupimus eſſe participes, ante omnia opus eſt, ut peccatorum veniam obtineamus. Poſt ſuaviſſimam conſiderationem de lacte, quod Jeſulus ſuxit de uberibus matris, converſo in ſanguine ejus, exclamat S. Bonaventura in ſtimulo amoris c. 1. *O ſalutarem! O ſummè amabilem lactis & ſanguinis conjunctionem! miſcebo lac Matris cum ſanguine filii, & inde faciam mihi unam ſalutiferam & dulciſſimam potionem. O ſacratiſſima! amantiſſima & dulciſſima vulnera JESV - O dulciſſima ubera Matris.* Rectè tu quidem Bonaventura, & dum ad tuas ego partes accedo, finio: Accedite & vos Auditores hinc §. 11. *Si tamen velint, non excluduntur ab uberibus miſericordiæ.*

hinc ubera matris, hinc vulnera filii invitant: accedite, nectar eſt, quidquid hinc & inde offertur; nectar eſt, quod mater, nectar eſt, quod filius offert: accedite, & cum lacte virgineo puritatem bibite virgineam: accedite, & cum ſanguine divino amorem bibite divinum: accedite, & diem agite feſtum hodiernum, cum Jeſulo laudate Mariam, cum Maria Jeſulum commendate, & amate utrumque.

CONCIO LVIII.

FESTO S. STEPHANI PROTO-MARTYRIS.

Et lapidabant Stephanum,

Actor. 7. v. 57.

SYNOPSIS CONCIONIS.

TRia S. Stephani elogia. I. Quod Martyr. II. Quod cœlos ſpectârit apertos. III. Quod orarit pro inimicis. Excurritur per digreſſionem in laudem amoremque nati Jeſuli.

§. 1. *Exordium*

§. 2. *Primum punctum. S. Stephanus Proto-Martyr.*

§. 3. *S. Stephanus 19. fructus arboris crucis.*

§. 4. *Pulchra digreſſio & deſideria ad Jeſulum, cui offertur.*

§. 5. *Secundum punctum. Vidit cœlos apertos, & Jeſum.*

§. 6. *Quanta fuerit gratia, videre Jeſum.*

§. 7. *Applicatio ad Jeſulum.*

§. 8. *Tertium punctum. Ignovit inimicis.*

§. 9. *Vt imitemur.*

§. 19. *S. Stephanus, ignoſcendo inimicis,*

Digitized by Google

micis, pulcherrimam factus eſt ſpectaculum. Quale olim fuit Abel.
§. 11. *Proſecutio ex D. Chryſoſtomo.*
§. 12. *Proſecutio ex Hugone Cardinale.*
§. 13. *Proſecutio ex Cardinale Cajetano.*
§. 14. *Et Iſaacus.*
§. 15. *Epilogus.*

PIè ſerm. de S. Stephano hac die ait B. Petrus Damianus: *Filium Virginis habemus in manibus, ducit nos Virgo ad venerandæ cunabula, & ſpecioſa præ filiis hominum, ad ſpecioſum formâ præ filiis hominum, benedicta inter mulieres, ad benedictum inter homines nos conducit.* Ecce, dum oſculatur nos oſculo oris ſui, [addo ego, dum noſtros ad ſe oculos convertit, dum ſuis nobis innuit ocellis, dum ſua ad nos extendit brachiola, dum ſuo nobis corculo palpitat,] *Stephanus plenus gratiâ & fortitudine, facit ſigna in populo.* Nunquid æquum eſt, derelinquere Regem, & ad militem oculos torquere. Difficilis eſt quæſtio; difficilis electio pro Concionatore, utrum hodie peroret de Jeſulo vel de S. Stephano? Ne ego errorem committam, nec Jeſulum nec S. Stephanum deſeram; tria de hoc Martyre elogia vobis proponam. Primum erit: S. Stephanus primus eſt Martyr. Secundum: In agone vidit cœlos apertos, & Jeſum ſtantem à dexteris Dei. Tertium: Inter lapidum grandinem oravit pro inimicis. Sed in his tribus punctis hujus Concionis non obliviſcar Parvuli de Bethleem; ut & Jeſulus & S. Stephanus ſint objectum meæ Concionis, &c. Vos illam benevolâ veſtrâ attentione ad amborum, quos modo dixi, honorem & gloriam promovere. §. 1. *Exordium.*

Prima prærogativa S. Stephani eſt, quod in Novo Teſtamento fuerit primus, qui pro Chriſto ſanguinem ſuum fudit. Primus ante omnes apprehendit bravium & coronam martyrii; ipſe primus eſt Dux & Vexillifer heroum, qui pro amore Chriſti vitam dederunt. Ideo S. Petrus Damianus de S. Stephano, illum appellavit *Primum & Primicerium purpuratæ cohortis.* S. Petrus Chryſologus ſer. 154. *Petrus Apoſtolici ſui chori vetuſtum teneat* §. 2. *Primum punctum. S. Stephanus Proto-Martyr.*

Digitized by Google

principatum, aperiat intrantibus regnum cælorum, reos poteſtate vinciat, pœnitentes clementer abſolvat. Nihilominus Stephanus Martyrum purpuratum ducit exercitum, qui pro Domini ſui adhuc calente ſanguine ſanguinem ſuum avidus bellator effudit. Primus fuit, qui in terris lapidibus, in cœlis verò cœleſtibus gemmis fuit coronatus. Unde ex ſpeciali Dei providentia nomen Stephani eſt ſortitus, quod in græco ſignificat coronam, quia ut dixi, primus coronam Martyrii obtinuit. In Hebraico Stephanus idem eſt, quod exemplum vel exemplar, quia primus aliis exemplum dedit patiendi & moriendi pro CHRISTO. Sanctus Auguſtinus ſermone 96. de diverſis: *Quando beatus Stephanus pro CHRISTO primus ſanguinem ſuum fudit, quaſi corona proceſſit de cœlo, ut eam ſumerent ſequentes in præmio, qui præcedentis pietatem imitarentur in prælio; ideo ab Eccleſia univerſa non Martyr ſed Proto-Martyr, ideſt, Martyrum primus & quaſi princeps nuncupatur.*

§. 3. *S. Stephanus fructus 29. arboris crucis,*

Ex radice pullulant pulchri ſurculi elogiorum S. Stephani, v. g. I. Primi & novelli fructus arboris, quam Rex aliquis vel hortulanus ſua manu plantavit, ſunt gratiſſimi: Pulcherrima arbor eſt lignum crucis, quam Rex noſter & cœleſtis agricola vel hortulanus plantavit primum in monte Calvariæ, deinde in agro Eccleſiæ vel horto Sponſæ: primum hujus arboris pomum & pulchrum & maturum, quod decidit, fuit S. Stephanus, pomum amabile in oculis cœleſtis ſponſi. II. Inter generoſos milites; in exercitu præ reliquis ille æſtimatur, qui primus ſauguine ſuo purpuratus, & vulneribus conſpicuus, vexillum ducis in hoſtili figit aggere; tali heroi peculiaris debetur, atque etiam offerri ſolet corona. S. Stephanus fuit miles, ipſe primus vexillum S. Crucis contra Synagogam extulit; cum hoc vexillo inter hoſtilem lapidum grandinem vulneribus & ſanguine conſpicuus cecidit, ſed ſimul glorioſè vicit: proinde nec dubito, quin Rex cœli pulcherrimam in cœlis illi obtulerit coronam. III. In Regno poſt Regem primo loco & honore gaudet filius primogenitus, ut eſt v.g. Infans in Hiſpania, Delphinus in Gallia &c. hos utpote proximè contingit hæreditates & jus ſucceſſionis; In Regno Eccleſiæ

Primoge-

Primogenitus crucis Chriſti, ſive primus, qui regali purpura effuſi pro Chriſto ſanguinis fuit indutus, fuit S. Stephanus: ſine dubio in regni hujus, ſive in cœli hæreditate veluti primogenitus inter tot myriades filiorum Dei, qui fuerunt partus crucis, peculiarem obtinet locum. O ſi regiam videre liceret purpuram, & veſtem gloriæ, quâ invictiſſimus hic Martyr eſt ornatus in cœlis, veluti Proto-Martyr & anteſignanus tot invictiſſimorum ducum, atque hoc primum fuit S. Stephani, cujus in propoſitione mentionem fecimus, elogium.

Verum, quia in hoc diſcurſu in laudem S. Stephani mentionem feci purpuræ, coronæ, gemmarum, horti, arborum, ſponſi, pomorum, vexilli, dulciſſima in corde meo ſentio deſideria. Permittet mihi S. Stephanus, ut parvulâ morâ ſecedam in ſtabulum ad præſepe, in quo Jeſulum meum intueor, quem heri puriſſima Virgo in ſtabulo peperit, & in præſepio reclinavit. Quæ hic cogito, ſunt ejusmodi. O ſi mihi eſſet purpura, quâ in cœlis indutus eſt S. Stephanus, confeſtim induerem meum nudum Jeſulum; confeſtim illam pro ſtramine & fœno vellem ſupponere. Rex eſt hic puer, purpurâ veſtiatur. O ſi mihi eſſet corona S. Stephani, quantocyus illâ coronarem meum Jeſulum. O ſi mihi eſſent gemmæ, quibus in cœlis radiat S. Stephanus, mox illis ornarem præſepe mei pupuli, ipſe gemmis non eget, quia gemma eſt pretioſiſſima. O ſi mihi pateret aditus ad hortum cœli, mox colligerem roſas, violas & lilia, mox illis lectulum Jeſuli redderem floridum. O ſi folia, ſi flores, ſi poma de arbore paradiſi liceret decerpere, ſtatim illis fulcirem & ſtiparem dilectulum meum in præſepio, quia amore languet. O ſi mihi denique eſſet vexillum amoris ſancti, ſtatim illud figerem ad præſepe. Hoc facio mi Jeſule, & juro, me ſub hoc vexillo amoris, tuo amori victurum & moriturum. Sanguinem ſi exigis, offero lubens. Si pro ſanguine cor petis, ecce illud, utinam in illo vivat tuus amor, utinam illud in agone aliquando rumpatur tui amore.

§. 4. *Pulchra digreſſio & deſiderium ad Ieſulum, cui offertur.*

Alterum elogium ſuppeditant verba illa S. Stephani: *Ecce video cœlos apertos, & Filium hominis ſtantem à dexteris Dei.* Amœniſſimâ hac viſione inter lapidum ictus recreatus fuit ſanctus Stepha-

§. 5. *Secundum punctum. Vidit cœlos apertos.*

Stephanus. De militibus Alexandri Magni ait Juſtinus Hiſtoricus; ipſo præſente, nec hoſtes nec tela timebant. Idem fecit S. Stephanus; ipſo Jeſu præſente, quem videbat, non timuit ſaxa, imò torrens lapidum ipſi dulcis fuit. Ut athletæ apud Rom. animoſius pugnarent, teſte Plutarcho, ante eorum oculos de marmoreis columnis pretioſæ gemmæ ſuſpendebantur. Non miror, S. Stephanum tam animosè pugnare, non gemmam ſed Filium Dei habebat præ oculis, & ſtantem; quod eſt pugnantis & juvantis. S. Bern. *Stabat Chriſtus, adjuvans illum.* Chriſtus illi fuit adjutor & conſolator. Aſpectus hic Chriſti Domini ineffabilis lætitiæ fuit cauſa in corde S. Stephani.

§. 6. *Quanta fuerit gratia, videre IESVM.*

Geneſis 9. v. 13. Noë egreſſus ex arca, vidit in nubibus cœli formoſiſſimum arcum in ſignum fœderis inter Deum & homines. Geneſis 37. v. 9. Joſeph vidit ſe àdorari à ſole, lunâ & ſtellis. 3. Reg. 18. v. 12. Elias vidit Dominum in igne. Amœnior longè fuit viſio S. Stephani, non arcum, non ſolem, non ignem, ſed ipſum Filium Dei vidit. Cap. 9. verſ. 3. Iſaias vidit cœleſtes Seraphin, qui ante thronum Dei jugiter ingeminant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Cap. 1. v. 14. Ezechiel vidit in cœlo nubes, ignem, ſplendorem, fulgura, currum & rotas, & firmamentum & thronum, ſimilem lapidi Saphiro. Amœnior fuit viſio S. Stephani: vidit cœlos apertos, & Jeſum ſtantem à dexteris Dei. In Apocalypſi vidit S. Joannes c. 12. v. 1. mulierem amictam ſole, c. 20. v. 11. thronum magnum & candidum, c. 5. v. 6. Agnem ſtantem ut occiſum. Apoc. 21. v. 1 cœlum novum & terram novam; ſanctam civitatem & lucernam, quæ eſt Agnus. Jucunda ſpectacula! amœnior tamen fuit viſio S. Stephani, vidit cœlos apertos.

§. 7. *Applicatio ad Ieſulum.*

Sed hæc viſio, ſive S. Stephanus me denuo ducit ad præſepe, ad meum Jeſulum; huc currite animæ piæ, hic videre poteſtis pulcherrimam nubem; nubes candida, nubes cœleſtis, nubes lucida, nubes plena gratiis eſt Maria; in hac nube, in brachiis virginis videtis Jeſulum, qui arcus eſt amoris, qui iris eſt pulchritudinis, Eccleſ. 43. v. 12. *Vide arcum, & benedic eum, valde ſpecioſus eſt in ſplendore ſuo.* In hoc ſtabulo videtis pulcherrimum

Digitized by Google

rimum Joſeph, quem ſol, luna & ſtellæ cœli adorant. In præſepio ardet ignis, in puero, qui Deus eſt. Coram præſepio ſtant Seraphim, velantes facies ſuas, & clamantes: *Sanctus, ſanctus eſt hic puer!* hoc ſtabulum cœlum eſt, præſepe thronus eſt, præſepe currus eſt, in quo habitat, reſidet, triumphat Amor! In ſtabulo heri apparuit ſignum magnum, mulier amicta ſole. Stabulum eſt civitas ſancta, cujus lucerna eſt Agnus. Agnus verò, qui in cruce occidetur, qui tollit peccata mundi, eſt hic puer, quem S. Stephanus vidit ſtantem è dexteris Dei in cœlis, nos videmus jacentem in cunis. Felix eſt Stephanus! felices ſumus nos! quia ſumma felicitas eſt Jeſum conſpicere.

Tertium elogium S. Stephani eſt, quod in agone tam ferventer orârit pro inimicis: inſiſtens veſtigiis ſui Magiſtri; de hoc ait S. Matthæus c. 27. v 46. *Et clamans voce magna IESVS,* ſcilicet pro ſuis crucifixoribus: Similiter S. Stephanus clamavit voce magna, ne ſtatueret illis Deus hoc peccatum. Pulchrè B. Petrus Dam. Serm. de S. Stephano. *Clamor lapidantium furoris erat, ſtrepitus lapidantium crudelitatis: obruendus erat iſte clamor illo clamore; maximum peccatum, ſumma commiſeratione & ardentiſſima precatione.* S. Gregorius Nyſſenus orat. de S. Stephano: *Oratione peccatum eorum, quod ſceleratis manibus ſuis ſanguinarii quaſi exarabant, delebant.* Venerabilis Beda obſervavit, quod verba illa: *Suſcipe Spiritum meum*; dixerit ſtans, erecto corpore; illa verò, *ne ſtatuas, &c.* poſitis genibus - *quia majus & excellentius ſupplicandi genus exiſtimavit pro inimicis, quàm pro ſe ipſo exorare.* Notate hoc ex hoc elogio: *Magnum & excellens genus orandi eſſe, orare pro inimicis.* His Feriis ſolicitæ ſolent eſſe animæ piæ, ut JESULO in præſepio offerant preces gratiſſimas.

§. 8. *Tertium punctum. Ignovit inimicis.*

Rectiſſimè hinc & ego vos quæſo Auditores, [arbitror enim, vos amare Parvulum de Bethleem,] hoc, hoc ejus amori date. Audite; ſuggeram, quid his Feriis in ſtabulo coram præſepio facere oporteat: Quo die Ludovicus XII. Rex Galliæ fuit coronatus, fuêre, qui ſuggererent, nunc eſſe commoditatem vindictæ de hoſtibus, ſed regia verba repoſuit: *Regem* (hac die)

§. 9. *Vt imitemur.*

Digitized by Google

die) *non decet vindicta.* Cum ab eodem rege duo proceres rei læſæ Majeſtatis libello ſupplici veniam petiviſſent; cum eodem libello ad judices eos remiſit, adjecto ſigno ✠ terruit hæc nota reos; quod ubi regia Majeſtas advertit, dixit: *Nolite timere, crux non mortis, ſed vitæ & miſericordiæ eſt ſignum.* Hoc coram præſepio facite; ſcribite libellum, ſcribite nomina inimicorum, ſed quæſo ſignum crucis apponite, &c. Sed deſideriis noſtris votiſque facillimè poterit fieri ſatis: Siquidem nec purpura deſideratur, nec diadema, nec gemmæ deſunt, ne violæ, nec roſæ nec lilia, nec poma, nec vexilla. Purpuram amor cordis noſtri repræſentabit; amemus JESULUM, & ecce purpurâ illum veſtiemus. Coronam dabit fortitudo; patiamur fortiter, agamus fortia pro Jeſulo; ſic coronam exhibebimus. Gemmarum loco variæ occurrunt virtutes; fides, ſpes, pietas, temperantia, &c. Studeamus his virtutibus, & Jeſulus oblatas ſibi gemmas interpretatur. Lilia ſunt puræ mentes, caſtæ animæ, munda corda: his JESULUS delectatur. Sed quod vexillum? amor amor vexillum eſt, ſub hoc milita: & vinces, & triumphabis, & coronaberis. Quia S. Stephanus hoc fecit, de illo dicitur, *Obdormivit in Domino.* S. Auguſt. ſer. 1. de S. Stephano. *O ſomnum pacis! quid illo ſomno tranquillius? Quid illo ſomno quietius?* B. Petrus Dam. eodem ſer. *Felix ſomnus, cum requie! requies cum voluptate! voluptas cum æternitate!* ſi tali modo obdormire vultis in Domino, exemplo S. Stephani offenſas remittite, orate pro inimicis, factus fuit ſpectaculum pulcherrimarum virtutum.

§. 10. *S. Stephanus ignoſcendo pulcherrimum factum eſt ſpectaculũ. Quale olim fuit Abel*

Et certè ſpectaculum admirandum! De Abele ait Tertull. l. adv. Jud. c. 2. *Pulcherrimum namque ſpectaculum in corde ſuo, auguſto theatro Abel divinis oculis offerebat, innocentiam nempe, quâ plus quàm oblatis muneribus Deo placebat.* Jucundius adhuc ſpectaculum divinis oculis in auguſto generoſiſſimi cordis theatro exhibuit Stephanus, dum appetitum vindictæ jugulans, cor caritate plenum erga inimicos obtulit. Talem victimam, tale holocauſtum imponite altari præſepii in honorem parvuli, jucundiſſimum pulcherrimis illius oculis præbebitis ſpectaculum, & coronabit vos infans.

De

Digitized by Google

De eodem Abele ait D. Chryſoſt. l. 2. de providentia Dei: *Devotus juvenis, qui dum & ſeipſum cum primogenitis ſuis Deo ſacrabat; ut ſpectaculum gratum Deo, Dei oculos alliciebat, quod in oppoſitione Caini figura larvati invidiæ deformati pulchrius apparebat.* Quid pulchrius de agone vel ſpectaculo ſancti Stephani dici poteſt. Cogitate vos videre in campo juxta Jeroſolymam Judæos figura larvali invidiæ & furoris indutos. Sub hac larva lapidarunt, occiderunt, crucifixerunt Prophetas, &c. Sub hac larva parant lapides in ſanctum Stephanum. Sed devotus juvenis ſub imbre ſaxorum ſe ipſum DEO conſecrat, offertque cor ſuum plenum dilectione etiam erga inimicos. Ex hac oppoſitione ſpectaculum ſancti Stephani fuit longè pulchrius, & oculis Divinis gratius. Rupertus Abbas in Geneſin: *Gratum ſpectaculum Deo cor Abelis fuit, ad quod proinde Dominus Divinos oculos placidus direxit, dum intra Abelem cor, & extra Abelem munera reſpexit.* Novi Teſtamenti Abelem agnoſcite Divum Proto-Martyrem Stephanum. Gratum Deo ſpectaculum cor Stephani, ſed quale cor? non invidum, non odiis æſtuans, non furiis ardens, non ſpirans vindictam, ſed cor mite, humile, manſuetum; cor amans & amabile, cor, quod non irritatur injuriis, non exacerbatur offenſis. Tale cor, cor Abelis eſt, imò cor Stephani, [utinam & noſtrum,] verbo, gratum Deo ſpectaculum cor Stephani. §. 11. *Proſecutio ex D. Chryſ.*

Hugo Cardinalis de eodem Abele ait elegantiſſimè in Geneſin: *Reſpexit Dominus ad Abel. Ad eum enim dirigebatur Dei aſpectus, ad quem Dei inclinebatur affectus. Erat adoleſcens Abel, virtutum theſaurus, cum Divinus oculus inſpectabat, in quo Deus ipſe cor Divinum ut in theſauro proprio collocaverat.* Nimirum cor diligens inimicos theſaurus eſt Jeſuli. Aureus planè theſaurus, quem DEUS amat: aureus theſaurus, in quo gemma mille mundis pretioſior ſervatur; Quæris, quæ gemma? cor DEI, cor JESU. Aureus theſaurus, quippe quem aurea charitatis virtus cuſtodit. Talis fuit theſaurus cor Stephani, cor pretioſum, cor eximium, cor cœleſte. Cor diligens inimicos theſaurus eſt Jeſuli. §. 12. *Proſecutio ex Hugone Cardinale.*

Digitized by Google

§. 13. *Proſecutio ex Card. Cajetano.* Cajetanus Card. in Gen. putat, ideò ſacrificium Abelis divinis oculis tam jucundum fuiſſe ſpectaculum, ut illud reſpexerit - - *Quia in Agno - ab Abele - oblato, Agnum Dei - in altari - Crucis - ſibi offerendum introſpiciebat, &c.* - In S. Stephano vidit exempla Agni in cruce jam oblati, &c. ideo Stephanus jucundiſſimum fuit ſpectaculum, cœli aperti ſunt, ut Jeſus & Angeli clarius ſpectarent.

§. 14. *Et Iſaacus.* De Iſaaco jam jam jugulando à Patre exclamat S. Ambroſ. l.1.de Abr.c.8 *O patientiæ miraculum, ſpectaculum patientis! cum ſe manibus & pedibus videret ligatum, in ara poſitum ſuper ligna, ut victimam gladio jugulandam, - quaſi mutus nullum omnino verbum proferebat, qui Dei agnum, qui coram tondente ſe, obmuteſceret, præmonſtrabat* Simile hodie ſpectaculum apertis cœlis & Chriſto luſit S. Stephanus, cujus lingua in prædicatione fuerat tonitru, &c. cum ſe ligatum videt, cum ſaxa ſentit, tacet, nullum verbum profert contra hoſtes, exemplo Agni pendentis in cruce, &c. imo contrarium facit, loquitur, ſed ſuaviſſimè: *Domine, &c.* O patientiæ miraculum, &c. Sacrificium Iſaaci divinis oculis gratum fuit, quia in illo quaſi in ſpeculo viderunt Iſaacum cœleſtem in ara crucis immolandum. S Stephanus fuit ſpeculum, in quo divini oculi viderunt exemplar ſacrificii & ſpectaculi jam parati in ara crucis. Similia ſpectacula à nobis exigit Jeſulus.

§. 15. *Epilogus.* Ad finem jam decurrit oratio. Ob triumphalem hunc agonem, ob auguſtiſſimum hoc ſpectaculum Deo exhibitum, ob victoriam tam nobilem ab hoſtibus reportatam S. Stephanus à pulcherrima corona fuit redimitus. Judæi illum coronarunt coronâ lapideâ, cœlum aurea & gemmea. At Jeſus illum coronat coronâ gratiæ: Non coronabitur, niſi qui legitimè certaverit: legitimè profectò certavit Proto-Martyr noſter, hoc ex corona conjicimus. Poſuit in capite ejus coronam pulchritudinis cœli Monarcha, nam athletam vidit triumphantem, hanc ſibi quiſquis vovet coronam, in eandem cum S. Stephano arenam deſcendat neceſſe eſt: Certamen non refugiat, qui diadema deſiderat: Non coronabitur, niſi qui legitimè certaverit. Remittere offenſas, eſt vincere; Orare pro inimicis, eſt triumphare.

CON-

CONCIO LIX.

FESTO S. JOANNIS EVANGELISTÆ.

Converſus Petrus, vidit Diſcipulum illum, quem diligebat JESVS,

Joan. 21. v. 20.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EX Divo Thoma de Villa nova, ſanctus JOANNES Evangeliſta quatuor accepit dilectionis præcipua indicia; ſecretorum revelationem, pretioſorum commiſſionem, beneficiorum collationem, familiaritatis exhibitionem. Frequens inter hæc eſt ad JESULUM digreſſio.

§. 1. *Gratiarum maxima eſt, diligi à Jeſu.*

§. 2. *Quatuor indicia dilectionis peculiaris. Primum: Secretorum revelatio.*

§. 3. *Quare S. Ioanni appingatur aquila.*

§. 4. *Ob cognitionem, præſertim Altiſſimi myſterii Incarnationis.*

§. 5. *Secundum: Pretioſorum commiſſio.*

§. 6. *Tertium: Beneficiorum collatio.*

§. 7. *Quartum: Familiaritatis exhibitio.*

§. 8. *Petrus Ieſu reclinatorium S. Ioannis.*

§. 9. *Si à IESV velimus amari, amemus. Elegans hiſtoria.*

§. 1. *Gratiarum maxima eſt, diligi à Ieſu.*

Hodie dilectiſſimi [inquit Petrus Damian. ſerm. 1. de Joanne] *nobis lætitiæ gaudia geminantur; quia recenti adhuc Dominica, beati Joannis occurrit ſolennitas glorioſa.* Ante biduum Puerulo nato cœleſtes chori accinuerunt: *Gloria*; heri coronam gloriæ impoſui vertici Proto-Martyris Stephani, nunc de laudibus, gloria & elogiis ſancti Joannis dicendum eſt. In magna encomiorum copia in unum maximè intentus, quod mihi occaſionem præbere excurrendi ſubinde ad præſepium, ad Parvulum de Bethleem; & elegi illud, quo ipſe Joannes citato themate gloriatur, quod fuerit diſcipulus ille, quem diligebat JESUS. Thomas de Villa Nova ſermone de Joanne: *Valde ponderandum eſt, quod Joannes Evangeliſta cum tot titulis & cognominibus clarus eſſet, in ſuo Evangelio non Apoſtolum, non Evangeliſtam, non Prophetam, non Virginem aut alio quolibet cognomento dignitatis; ſed diſcipulum, quem diligebat Ieſus, frequenter ſe ſolet nuncupare.* Exiſtimavit enim & meritò vir ſapiens, omnium gratiarum hanc præcipuam & maximam reputandam eſſe, quod à Domino dilectus ſit; neque poſſe ampliori aut digniori titulo quenquam decorari. Sanctus Auguſtinus apud Divum Thomam in cat. *Tacito nomine diſcernitur Ioannes à cæteris, non quod ſolum eum, ſed quod plus cæteris diligeret Dominus eum.* Hunc peculiarem Chriſti Domini erga Joannem amorem ſanctus Thomas de Villa Nova probat quatuor rationibus, ſic ait: *Sunt quatuor dilectionis præcipua indicia: ſecretorum revelatio, pretioſorum commiſſio, beneficiorum collatio, familiaritatis exhibitio.* Ubi hæc quatuor punctis hujus Concionis oſtendero fuiſſe in Joanne, clarum erit, fuiſſe diſcipulum, quem diligebat Jeſus. Præſepii & Parvuli non obliviſcar. Attendite.

§. 2. *Quatuor indicia peculiaris dilectionis. Primum: ſecretorum revelatio.*

De primo, quod Chriſtus Dominus Joanni revelârit magna ſecreta, ait ſæpius citatus Encomiaſtes Joannis, Thomas de Villa Nova: *In illo ſomnio, quando in Cœna ſupra pectus Domini recubuit, cum recubuit in ſinu Ieſu, mire de illius dignitate ſecreta cognovit, à quo evigilans ſtupendum illud Evangelii exordium: In principio erat verbum, mirabiliter eructavit. - hæc Evangelii ſecreta de*

ſacro

ſacro pectoris Domini fonte potavit. S. Antoninus parte 1. 6. c. 7. *Ioannes magis dilectus, quantum ad quadam familiaritatis indicia, quæ illi Chriſtus magis quam aliis oſtendit. Vnde - ſolus, - ſuper pectus in Cœna recubuit. In ſignum, quia de fonte divinæ ſapientiæ maximam verbi profunditatem debebat haurire.* Petrus Damian. ſerm. 1. *Quia in pectore Ieſu ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi, ex illo cæleſti gazophylacio ſummam traxit - nimirum ſcientiam, &c.*

Ob altiſſimam hanc cognitionem ſancto Joanni appingitur aquila, quod ſupra omnes Evangeliſtas evolarit ad intuendam Divini verbi generationem. Divus Thomas capite 13. in Joannem: *Cæteris altius divinitatis arcana intuitus eſt.* Petrus Damian. *Ecce aquila Dei [potata de fonte ſapientiæ, abſcondito in pectore Chriſti] ad verticem* [ſive ut ait Ezechiel cap. 17. verſ. 3. *In apicem montis Libani ad altiſſimam cedrum, ex qua intimam medullam eruit & tulit*] *ſublimiter* [Ezechiel, magnis alis] *evolat; ſed ad eſcam carnis neceſſe eſt, ut preſſis alis aliquando deſcendat. Vnde poſtquam ait: In principio erat Verbum, quid ſubdat, audite: & Verbum caro factum eſt.* - Hujus utriusque excellentiſſimi ſacramenti quodammodo miniſtrum ſe eſſe teſtatur, cum per omnem Evangelici textûs ſeriem ſic ſtyli modum temperat, & quadam viciſſitudine myſticæ varietatis alternat, ut modo humana pronuntiet, modo divina: modo quæ humanitatis ſunt, hiſtorialiter inferat, modo quæ ſunt Divinitatis, quadam ſublimium ac ſubtilium verborum majeſtate depromat.

§. 3. Quare S. Ioannis appingatur aquila.

Illa tantum Evangelii ejus verba perpendite: *Verbum caro, &c.* De Parvulo Bethlemitico loquitur. *Verbum*, id eſt, Filius Dei. *Verbum*, id eſt, ſecunda Perſona SS. Trinitatis. *Verbum*, id eſt, increata ſapientia, & divina imago Patris. *Verbum*, id eſt, Deus immenſus, æternus, omnipotens, &c. carnem humanam aſſumpſit, in illa carne natus eſt in ſtabulo, eſt parvus puer, jacet in præſepio, involutus eſt pannis, habitat nobiſcum, frater noſter, nobis per omnia ſimilis. Hoc eſt altiſſimum & profundiſſimum myſterium, quod hiſce diebus recolimus; ejus cognitionem

§. 4. Ob cognitionem, præſertim altiſſimi myſterii incarnationis.

 hauſit

hauſit S. Joannes ex pectore Chriſti. Et cum hæc cognitio ſit vita æterna, nobis planè eſt neceſſaria; ſed unde hauriemus? Ecce fontem in ſtabulo, ecce Jeſulum, in quo omnis habitat plenitudo ſapientiæ; Joannes recubuit in pectore Jeſu, cum in ſtabulo, in ſtramine, in præſepio puer ſit, quæſo nos illum pectoribus apprimamus, illum includamus cordibus, illum teneris paſcamus affectibus, illum ſanctis delicati amoris actibus foveamus, illum mille oculis diſſuaviemus, illi offeramus, quidquid eſt nobis in pretio & amore: viciſſim ille ſuum nobis exhibebit amorem; ille ſuum nobis corculum reſerabit, ille nobis ſapientiæ ſuæ Divinæ theſauros, quantum quidem capax mortalis noſtræ vitæ conditio, impertiet.

§. 5. *Secundum: Pretioſorum commiſſio.*

Quoad ſecundum, dico, Chriſtum D. ex peculiari dilectione tradidiſſe & commendaſſe rem pretioſiſſimam, quia Matrem ſuam illi tradidit & commendavit. Pulchrè idem Thom. *Pendebat in cruce moriturus, diſpoſuit teſtamentum electis ſuis, Patri Spiritum, Eccleſiæ corpus, peccatoribus ſanguinem, regnum latroni, militibus veſtem, Petro Eccleſiam, Apoſtolis Paracletum, - omnia - liberaliter diſtribuit. Quid verò tibi ait, O dilecte legabo? Ecce Mater tua! hæc omnium quæ poſſideo, chariſſima & pretioſiſſima gemma, hanc tibi trado, hanc dono, - & ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua, gaudens, quia talem ſibi hæreditatem reliquiſſet.* Arnoldus Carnot. de lament. Virg. *Joannes piæ hæreditatis ſuſcipiens teſtamentum, eligitur, & in hoc præponitur omnibus.* Sanctus Thomas de V. N. *O magnum dilectionis indicium! ſuo loco Matrem ſubſtituit eum, & pro ſe Virgini in filium reliquit! hæc omnium gratiarum maxima fuit, hoc maximum & præcipuum illius dilectionis indicium.* S. Idelph. ſer. 5. de Aſſ. *Qui ab ipſa cruce eam ſuſcepit in ſua ſolicitudine & cura. Videlicet, ut Domino reſponderet ſervitutis & dilectionis obſequium, qui eum præ cæteris fecerat ſua dilectione dignum.* Theophylactus: *Concredit diſcipulo præfecturam Matris! quomodo honorat diſcipulum, fratrem ſuum illum faciens.* S. Dam. *Nemo jure videtur major eo, qui ſpeciali quadam gloria eſt frater Salvatoris - & - hunc quaſi alterum filium ſuppoſuit apud matrem.* Quæſo Auditores, excitet hoc elogium vel felicitas ſancti

Joannis,

Joannis, quod fuerit frater Jeſu, quia filius fuit Virginis, his feriis Natalitiis ingens in cordibus noſtris deſiderium, ut & nos magnæ matris ſimus filii. Magni illius teſtamenti in cruce conditi, ſive hæreditatis, qua Chriſtus moriens Joanni matrem ſuam legavit, & nos ſumus hæredes; non Joannis tantum, ſed noſtra quoque eſt genetrix; in dolore cordis ſub cruce nos genuit. Proinde amemus illam ut matrem; ſemper, ſed præcipuè his diebus ad cunas, hoc fine, ut ſimus fratres Parvuli de Bethleem. Hoc fuit deſiderium Sponſæ c. 8. v. 1. *Quis mihi det te fratrem meum, ſugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, & deoſculor te.* Ita quidem ſponſa. Et quidni nos cum eadem ſic loquimur! Quis mihi det te fratrem meum mi Jeſule! quis mihi det, ut te meis perpetuò ſtringam amplexibus? quis mihi det, ut te dulciſſimum, dilectiſſimum, ſuaviſſimum infantulum pectori meo apponam! quis mihi det, ut te cordi includam meo? O ſi! ô ſi! mi Jeſu, fratercule mi, mi Benjamin, amore tui langueo! de te uno & ſomnio vigilans, & ſomnians vigilo! ſine te nec vivere placet, nec mori delectat.

III. Peculiaris amor Chriſti erga Joannem fuit liberalis & munificus. Illa dilectio in Joanne operata eſt magna. Sic amor Chriſti fertilis fuit ager, qui Joanni nobiles protulit fructus. Ille amor benignum fuit ſidus & aſtrum, à quo in Joannem ſalutares defluxerunt influxus, ille amor fuit torida nubes, quæ Joannem fluentis irrigavit gratiarum; Ille amor fuit fons, ex quo Joannes aquas hauſit chariſmatum. Fuit ſol, qui pretioſiſſimas in anima Joannis generavit gemmas virtutum. De Virginitate ait Rupertus prol. in Joan. *Hanc margaritam dilector Deus dilectæ Joannis animæ pro monimento dilectionis præcipua fixit in pectore.* Talis margarita fuit ſapientia; hanc Chriſtus fixit in pectore Joannis. Talis eſt margarita Jeſuli humilitas; gaude Joannes; hanc è tuo collo geres ſuſpenſam; Talis eſt margarita Jeſuli manſuetudo; exulta Joannes; hoc te inſigni decorabit ille, cujus olim eris dilectus diſcipulus: Talis eſt margarita Jeſuli patientia; lætare Joannes; hoc & tu ornamento decoraberis. Tales ſunt margaritæ ſeptena Spiritus ſancti dona: iterum gaude, iterum

§. 6. *Tertium: Beneficiorum collocatio.*

Digitized by Google

rum exulta Joannes pro monimento dilectionis præcipuæ præcipuis hiſce amoris Divini prærogativis ornaberis. Ubi nos Auditores hos theſauros vel beneficia liberalis amoris poterimus invenire? ecce locum, ecce ſtabulum Bethlemiticum, ecce in illo parvulum, hunc amemus. Redamat nos, amore liberali, hic amor ager eſt, in quo metere poſſumus ſpicas gratiarum. Hic JESULI amor ſtella eſt: micat in tenebris. Hic amor Jeſuli ſol eſt; dominatur affectuum planetis. Hic Jeſuli amor Rex eſt; ſedet in throno charitatis, & dum imperat amat; dum amat imperat: Hic Jeſuli amor magnes eſt, ferrum attrahit, & ferreas peccatorum mentes ſibi devincit. Hic Jeſuli amor Doctor; ejus Cathedra præſepe eſt, ejus lectio amor eſt, denique ut ad priora me recipiam, hic Jeſulus Margarita eſt; ô utinam non meo tantum, ſed omnium quotquot in orbe degunt, mortalium cordibus apprehenderetur.

§. 7. *Quartum. Familiaritatis exhibitio.*

Supereſt quartum peculiaris dilectionis indicium, familiaritatis exhibitio, cujus ſignum maximum & evidentiſſimum fuit, quod in cœna ultima coram omnibus ſupra pectus Domini recumbere auſus ſit. D. Chryſoſt. hom. 14. *Neque anderet, ſi ſervus eſſet, ſi unus ex multitudine eſſet, in ſinu Domini verſari hoc namque filii eſt, qui multum genitori confidit.* Dion. Carth. *Erat recumbens tanquam filius in ſinu Patris.* Riquelius, *fecit eum recumbere ſupra pectus ſuum, & in ſinu, quemadmodum fieri ſolet cariſſimis pueris.* Thomas de Villa Nova. *Videas aliquando puſillos tenerrimè dilectos à matribus, eorum pectora, ora, facies, oculos audacter attingere, ſuper gremium volutare, amplexari, &c. omnia audet.*

Itaque Joannes ſacrum Chriſti pectus contingere non auderet, niſi fiduciam illi præſtaret amor, qui ipſo latebat in pectore. De Benjamino dicitur Deuter. 33, v. 12. *Benjamin amantiſſimus Domini, quia inter humeros illius requieſcit.* Joannes requieſcit in ipſo pectore Chriſti, amantiſſimus Benjamin.

§. 8. *Pectus Ieſu reclinatorium S. Ioannis.*

In ferculo Salomonis, Sponſa laudat reclinatorium aureum Cant. 3. v. 10. fuit pulvinar confectum ex ſerico, vel corio, aureis limbis ornatum, vel aureâ telâ confectum. Reclinatorium

Joannis

Joannis fuit pectus JESU. Rurſum rapior ad ſtabulum: in quo ferculum veri Salomonis eſt præſepium, reclinatorium, fœnum & ſtramen, vel pallium ſancti Joſephi. Ah amantiſſimo puellulo aliud obſecro pulvinar ſupponamus, nimirum corda noſtra, in his ſuaviter quieſcit. Inter imagines, quibus exprimitur dominium & poſſeſſio CHRISTI in corde hominis, ſæpe illa mihi placuit, in qua, in corde hominis, veluti throno ſuave jacet pulvinar, cui inſidet JESULUS. En, mi Jeſule, en ſtrata tuæ quieti tot pulvinaria, quot corda: O nos beatos, ſiquidem eo nos honore dignabere. Veni Jeſule, & quieſce in cordibus noſtris, ſcio enim, quod deliciæ tuæ ſunt, eſſe cum filiis hominum; ſcio, quod tu ſis cordium Rex & Dominus; ſcio, quod ſuſpiravit David: *Deus cordis mei, & pars mea in æternum!*

Sed advertamus hoc, ſi cum Joanne diligi volumus à JESU, neceſſe eſt, ut & nos illum diligamus. Actus aliquos amoris docebit nos brevis, ſed elegans hiſtoria. Mancipium erat mundani amoris; amator creaturarum, Raimundo nomen erat, præ aliis adamavit formoſam, ſed caſtam & piam matronam. Raro ſtratagemate hæc correxit impuros Reimondi amores. Quodam die ad ſe evocavit Reimondum, ſed ſolum! quis illo lætior? adeſt in puncto præſtitutæ horæ. Illa ſtatim nudavit pectus & ubera, quæ turpis depaſcebat cancer: Nidus erat vermium, pediculorum, putredinis: attonitum Reimondum, paucis, ſed efficacibus verbis fuit allocuta: *Stulte, quid amas? cur IESVM non amas? qui ſolus eſt amandus.* Aſpectus fœdi cancri ſanavit cancrum amoris. Ab illo momento Reimondus totus fuit alius; verbo, amator JESU. Hæc de illo memorat hiſtoria. I. Sæpiſſimè amariſſimè deflebat tempus, quod dediſſet amori creaturarum, deteſtabatur horas, quibus JESUM non amaſſet. II. Quoties aſpiciebat CRUCIFIXUM, videbatur ſibi, audire hanc ſuaviſſimam & omni lætitiâ plenam vocem ex benedicto ore JESU: *Reimonde, me ama, amo ego te.* III. Exſtruxit ſibi antrum vel conclave quoddam, in quo de die per aliquot

§. 9. Si à Ieſu velimus amari, amemus. Elegans hiſtoria.

quot horas ſe includebat, nec aliud faciebat, quam quod in amorem JESU ſemeteffunderet. IV. Cum quæretur, cur ſolus viveret, reſpondit: *Nunquam ſum ſolus, mecum eſt amor meus JESUS meus.* V. Antequam decumberet, tenerè flebat, quod dormiens non poſſet amare ſuum JESUM; Somnia tamen erant ſomnia amoris de ſuo amore. VI. Triſtiſſimus erat, quoties recordaretur, CHRISTUM Dominum offendi. VII. Habuit aliquando hanc revelationem, ex mille hominibus vix eſſe centum, qui ament DEUM, ex illis centum amare nonaginta DEUM ob infernum; ex reliquis decem pleroſque ob paradiſum, itaque ex mille vix unum eſſe, qui amet ob infinitam pulchritudinem, &c. VIII. Cum ex illo quæreretur: *Cujus es?* reſpondebat: *amoris. Unde venis? ab amore. Quò vadis? ad amorem. Quid quæris? meum amorem. Unde vivis? amore. Quid ſomnias dormiens? amorem. Quid loqueris vigilans? amorem. Cui tuos dedicas labores? amori. Cui moreris? amori.* Bene habet: Ergo omnia ſibi vendicat amor? Ita. Tuus nimirum amor mi dulcis JESULE; amore tui vivam & moriar, amore tui & vigilabo & dormiam, amore tui & ludam & canam; amore tui & laboribus me impendam, & ſtudiis addicam; amore tui & loquar & ſilebo; verbo, tuus ſolus & unus amor me meaque omnia poſthac ſibi vendicabit in æternum. Ita ſit.

CON-

CONCIO LX.

FESTO CIRCUMCISIONIS DOMINI.

Vocatum eſt nomen ejus JESUS,

Luc. 2. v. 21.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRo ſpirituali Xenio varias inter varios ſtatus Auditorum diſtribuit roſas.

§. 1. *Roſeus imber ex Japonia.*
§. 2. *Variæ roſæ hyemales.*
§. 3. *Roſa ſanctiſſimæ Trinitatis; oblata Reverendiſſimo & Illuſtriſſimo Principi.*
§. 4. *Proſecutio.*
§. 5. *Adduntur variæ roſæ ſymbolicæ.*
§. 6. *Roſa è manu IESULI; oblata Clero & Religioſis Ordinibus.*
§. 7. *Proſecutio.*
§. 8. *Roſæ fontis Beatæ Virginis; oblatæ Cameræ Spirenſi.*
§. 9. *Roſæ conjugales.*
§. 10. *Roſæ ſanctæ Ludvvinæ pro Viduis.*
§. 11. *Roſæ ſanctæ Dorotheæ Virginibus.*
§. 12. *Roſæ ſancti Franciſci Seraphici, oblatæ Adoleſcentibus.*
§. 13. *Roſæ ſanctæ Cathildæ, ſanctæ Roſæ, ſanctæ Eliſabethæ divitibus.*
§. 14. *Roſa aurea B. Virginis Pauperibus.*
§. 15. *Aliæ Roſæ S. Seraphici P. Franciſci Peccatoribus.*
§. 16. *Roſæ Alexandri Bertii & ſanctæ Muſæ hoc anno morituris.*

Digitized by Google

§. 1. *Roſeus imber ex Japonia.*

REfert in ſuis ex Japonia epiſtolis, Aloyſius Troes Meaci, [quæ regni metropolis eſt;] moris eſſe, ut nonnulli in procerum nuptiis, aliiſq; ſolennitatibus, inter cæteros pompæ apparatus, prælongis haſtis chartaceos præferant caniſtros, quibus chartaceæ itidem roſæ, variis tinctæ coloribus, continentur. Caniſtros, qui geſtant, tardiori procedentes gradu, ſic haſtilia ſubinde concutiunt, ut flores illi & roſæ, paulatim in ſpeciem pluviæ delabantur; quem imbrem, omen eſſe atque argumentum præcipuæ felicitatis exiſtimant. Celebramus nos hodie magni feſti ſolennitatem, diem nuptialem, diem deſponſationis, in quâ cœleſtis ſponſus, Filius Dei, naturæ humanæ ſponſus ſanguinis eſt deſponſatus; impoſito illi glorioſiſſimo nomine JESUS. Et hac eadem die novi anni 1663. primitias auſpicamur. Utinam mea hodiernæ diei Concio eſſet caniſter, non ex charta & papyro, ſed argento auroque contextus; utinam eſſet repletus floribus & roſis, ſed gemmeis; confeſtim ſanè gratiſſimum roſarum imbrem in vos effunderem. O ſi pluviam ejusmodi gemmeam ex hac cathedra deſtillare liceret! in ſignum & omen illius felicitatis, fauſtitatis, illarum benedictionum, quas meis Auditoribus pro xenio novi hujus anni animitus apprecor.

§. 2. *Variæ roſæ hyemales.*

Nemo miretur, me tempore iſthoc hyemali cogitare de roſis, non equidem ignoro, etiam in hoc Januario menſe in hortis quasdam etiam pulcherrimas & fragrantiſſimas roſas creſcere. Vita S. Franciſcæ ait, 8. Januarii ſuper illius tumulum roſetum exortum eſt, in quo paulò poſt, menſe Januario roſæ exquiſiti odoris eximiæque pulchritudinis repertæ ſunt. B. Rithæ Viduæ, quæ devotiſſima fuit ſpineæ coronæ; aliquando Chriſtus D. unam ex ſpinis in gravi morbo fronti ejus impreſſerat, petivit tum roſas ex horto; & quod petivit, obtinuit. Repertæ fuerant recentes & florentes roſæ. Sed quid ego in hortis quæro roſas; cum in ſtabulo Bethlemitico, in præſepio, in ſinu Virginis, in hyeme exorta ſit roſa pulcherrima, quæ dicitur Jeſulus: præſertim hodie, roſeus Jeſulus, ob pretioſum ſanguinem, quem in circumciſione effudit; quot ſanguinis guttulas, tot nobis offert roſas. Roſas itaque

que elegi, ut illas vobis hodie offeram pro xenio anni hujus novi. Gratum erit ut ſpero munus, quia roſeum. Cui unquam diſplicent roſæ? Agite Aud. dum roſæ ex hac cathedra defluent, vos interim non manus, ſed cordium ſinus explicate.

§. 3. *Roſa SS. Trinitatis, oblata Illuſtriſſimo Principi.*

De S. Guthlaco Auctor eſt Surius, tantam de ore ejus inter dicendum prorupiſſe ſuavitatem, ut viderentur ſpargi roſarum flores. Utinam, ô utinam illa me quoque hodie bearet felicitas! Bene ſpero; jam me afflat cœleſtium odor roſarum. At quales roſæ? varias, inter quas ex diverſis hortis, atque nationibus & hiſtoriis pro hac Concione ſelegi, odore, pulchritudine, colore, ſupereminet illa, quæ vocatur Roſa ſanctiſſimæ Trinitatis. Cum rurſum florebunt roſæ, non indiligenter attendam, an & apud nos ſuccreſcant. Præter illa, quæ cum aliis roſis dicitur habere communia, in forma, in odore, in colore duo habet peculiaria. I. Fôlia præ ſe ferunt ſpeciem vel formam humani cordis. II. Hoc mirum eſt, quod hic roſeus frutex unam habeat radicem, [fortaſſis in una radice natura nobis proponere voluit unitatem Deitatis in tribus Perſonis,] ſed ex una radice tres oriuntur caudices, ſibi in omnibus æquales, in magnitudine, altitudine, rotunditate; deinde quivis caudex in tres alios ſe explicat; & ita deinceps, donec hic roſeus frutex quaſi in arborem evadat, ſuo tempore odoratiſſimis roſis quaſi fructibus onerandam. In qua ramorum trinitate exhibere voluit natura Perſonarum in unitate DEITATIS Trinitatem. Unde hic flos non incongruè dictus eſt: *Roſa ſanctiſſimæ Trinitatis.*

§. 4. *Proſecutio.*

Hæc roſa inter roſas dignitate nominis præcipua debetur haud dubiè Reverendiſſimo & Illuſtriſſimo Principi S. R. I. Lothario Friderico, Sedis Spirenſis Epiſcopo, &c. Nec deſunt, quæ hunc meum conceptum exornant rationes. Hortulorum ornamentum eſt roſa; Regnorum Provinciarumq; præcipua ſunt decora Principes; Nobilitatis eſt ſymbolum roſa, colore præfulgens quaſi ſanguineo: aſpice avita Principum ſtemmata, longa ad poſteros ſerie traducta, aſpice nobilisſimam inclytæ Domus

Metternichianæ propaginem! Roſa, velut arderet, flammulaſque ſpecioſo ſinu nutriret, divinæ gloriæ zelum repræſentat, hæc, hæc laus eſt orthodoxorum Principum. Et quis in noſtra Principali roſa non videt has flammulas, quis non animadvertit hunc zelum? Roſa, dum odorem exhalat ſuaviſſimum typus eſt clementiæ, hæc virorum Principum propria eſt virtus; nunquid hæc undique emicat in noſtra roſa? Nunquid Clementiſſimum Principem nobis largitæ ſunt Cœlites? Quamobrem patere Reverendiſſime, atque Illuſtriſſime Princeps, ut liceat mihi hiſce tuis roſis, quibus Te Deus & natura decorâtunt, illam quoque quæ à SS. Triade nomen ſibi vendicavit, adjungere: patieris profectò; novi enim Principalis tui cordis benignitatem, perſpectam habeo clementiam; quæ & animos mihi addit, ut adhuc quaſdam alias ex ſymbolis roſas, hunc in finem conferam.

§. 5. *Roſa ſymbolica.* Et prima quidem ſit illa, quæ dum in imagine Clariſſimi Viri Petri Bembi vertitur ad inſtar heliotropii ſolis amica, hanc habet epigraphen; *Dum volvitur iſte* vel - *Deo & Cæſari.* Altera ſit, quam Henricus Angliæ Rex Octavus in ſymbolum ſibi delegit ſupra coronam, cum lemmate: *Rutilans roſa ſine ſpina*! Tertia ſit, quam Maſenius vir omni humaniore literatura clariſſimus una cum radice adhibuit & adſcripſit: *Pulchriora latent.* Nunquid hæc mera ſunt, virtutum laudumque tuarum ſigna, ſymbola, ornamenta? Quare cum fortunæ quoque ſymbolum ſit roſa; omnem ego tibi fortunam Illuſtriſſime Princeps, omnem ego tibi felicitatem cum ipſo anno novo, ac feliciſſimo precor: cum lætitiæ ſignum ſit roſa, lætiſſimum; cum fœcunditatis index, fœcundiſſimum; cum ſanitatis omen, ſaniſſimum item annum ex animo voveo, precor, exopto. Unum adhuc de roſa mea Principe ſilentio involvere nec poſſum, nec debeo; quod ſcilicet ea, quæ ſanctiſſimæ Triados roſa dicitur, folia ſua & ramos triplicata diſtendat, magno numero ſerieque gratioſa. Hoc eſt, quod animitus opto, Princeps Illuſtriſſime; ſint anni regiminis tui, alius ex alia, gratâ & diuturnâ ſerie ſpectabiles; unam annorum triadem excipiat alia, hanc tertia, tertiam quarta; & ſic deinceps

Digitized by Google

deinceps, donec tandem felicior fiat, roſæ hujus in æternæ gloriæ viridarium, transſplantio. Addo tandem Illuſtrisſime Princeps, quod inſinuavi, roſæ hujus folia, præferre formam cordis humani, in ſignum, quod hæc omnia voveam, & velim ex fundo cordis.

§. 6.

Roſa è manu Ieſuli oblata Clero & Religioſis Ordinibus.

Sed nunc aliam è corbe meo roſam expono. Cujus nominis? miri & ſpecioſi. Vis dicam? non abnuo. Roſa eſt è manu Jeſuli. An non ſpecioſum roſæ nomen? Religioſisſima quædam Virgo Anna, pœnitens S. Viri Henrici Suſonis ex Ord. S. Dominici; rapta aliquando in extaſin, ſpectaculum vidit jucundiſſimum. Pulcherrimus erat hortus, in quo varias inter & per amœnas arbores pulcherrimum quoque roſarum fruticem, ſeu potius, ut ſic loquar, roſarum arborem eximiis & rubicundis roſis conſpicuam ſpectavit. Vidit quoque in hac arbore ſedentem Jeſulum, venuſto de roſis ſerto coronatum. Sub ipſa arbore vidit ſedentem Henricum; & Jeſulum multas carpentem roſas, easque ſupra illum conjicientem, donec quaſi totus contectus eſſet roſis. Sciſcitanti itaque Virgini, quid ſibi roſæ iſtæ vellent, reſpondit Parvulus: *Roſæ iſtæ ſignificant cruces, quas Deus Henrico permittet evenire; quas ille ſuaviter & comiter excipiet ex Dei manibus, & feret patienter.* Sic eſt, frequenter dum patimur, putamus, in nos devolvi imbrem ſpinarum, & eſt roſarum pluvia; quam amantiſſima Dei manus ſive ſanctiſſima ejus voluntas in nos deſtillat. Has roſas deinde Anna vocavit roſas è manibus Pueri Jeſu.

§. 7.

Proſecutio.

Hortus, cujus mentionem feci, ponit mihi ob oculos Clerum urbis Spirenſis. Quid enim? an non pulcherrimi horti ſunt Eccleſia Cathedralis, Collegiatæ S. Guidonis, S. Germani, & Omnium Sanctorum? Quot Reverendiſſimi Prælati, Præpoſiti, Decani, Canonici, &c. tot video pulcherrimas palmas, olivas, &c. plantatas in pulcherrimis his hortis. Pulcherrimi præterea horti ſunt quinque Religioſiſſimi Ordines: amœniſſimus mons Carmeli; fœcundum pomarium S. Auguſtini, ſuaviſſimum Roſetum ſancti Dominici, odoratiſſima vinea ſancti Franciſci, & minima Societas Jesu. Quales arbores in his hortis hactenus

Digitized by Google

hactenus floruerint & floreant, notum eſt orbi univerſo. A Jeſulo meo coronato roſis amplam nactus ſum facultatem, ut roſas è manu ejus diſpergam: ſed ut gratioſiores ſint, age tu mi Jeſule, aperi aureas manus & aureis roſis tuæ charitatis inflamma totum Spirenſem Clerum, ut annus hic illis decurrat feliciſſimus. Ni fallor, in manibus Jeſuli, video roſas, in quibus natura pulcherrimis coloribus adumbravit Virginem cum parvulo in brachiis, qualis depingi ſolet in imagine Scapularis. Mi JESULE, has roſas projice ſuper capita Adm. RR. PP. Carmelitarum. Ni fallor, in aliis roſis video depictum cor ardens S. Auguſtini, mi Puſio, has ardentis in Deum cordis roſulas aſperge guttis pretioſi tui ſanguinis, & conjice in Divi Patriarchæ Auguſtini filios; ſi facis, annum illis das feliciſſimum, quia das annum cordis ardentis, annum amoris, annum gratiæ. Contigit frequenter, ut ſalutationes Angelicæ caſto corde & ore Virgini oblatæ, in Roſario, converſæ fuerint in roſas; O JESULE, has conjice ſuper capita Religioſorum S. Dominici; Devotio Roſarii ipſis & toti Chriſtianitati annum novum reddet fortunatiſſimum. In hac arbore roſacea video roſas, notatas quinque punctis, veluti ſtigmatibus quinque SS. Vulnerum; quibus roſis olim à Seraphino Crucifixo reſperſus fuit S. Franciſcus, cum roſea vulnerum ſtigmata ipſi fuêre impreſſa. O Jeſule has roſas conjice ſuper capita Religioſorum S. Franciſci; ſymbola erunt anni feliciſſimi: O quam pulchras rurſum conſpicio roſas, in quibus cœleſtis hortulanus, aureis coloribus ſuum deſcripſit nomen auguſtiſſimum, JESUS! Jeſule has roſas dona filiis minimæ tuæ Societatis, ut ipſis quoque & mihi annus hic ſit feliciſſimus. A nomine Jeſu omnis beatitudo.

§. 8.
Roſa, fontis B. Virginis, oblata Spirenſi Camera.

Venio ad roſas fontis beatæ Virginis. Inveniuntur hæ roſæ in regno Chile. In amœniſsima valle reperta fuit Virginis ſtatua; brachio ejus ſiniſtro inſidet Jeſulus, manu dexterâ geſtat Roſeum ramum. Enimverò hoc eſt mirabile, in ardentiſsimis caloribus, hiantè terrâ, ardente ſole, accurrunt incolæ ad hoc aſylum, cum roſeis ramis, quibus ſe putant obtinere neceſſariam pluviam; & hinc appellatio, *Roſa fontis.* Habet ſcilicet

MARIA,

MARIA, & roſas & aquas, quibus afflictos conſolatur. Regnum Chile ob oculos mihi ponit Regnum Juſtitiæ in S. R. Imperio, ſive Cameram, ut vocant Spirenſem. Hæc dum commemoro, ob oculos mihi verſantur ſpecioſiſſimi , quos unquam oculis uſurpaſſe curioſis memini, fontes, ut ſunt in variis Imperri Urbibus magnifici, viſu digni, & præaltas virorum heroumque ſtatuas, aut leonum vultus effigiati; In reliquis non infimus eſt ille, qui Francofurti ad Mœnum, columnam in medio præfert erectam, cui inſiſtit Juſtitia velatis oculis, nudato ferro, dubiâ librâ, ad viri altitudinem ſpectabilis. Frequenter hæ ſtatuæ, præſertim virtutes, juſtitiæ comites, ſunt coronatæ roſis. Vobis, Nobiliſſimi & Clariſſimi Cameræ Imperialis Aſſeſſores, Præſides, Advocati, Procuratores, &c. pro xenio has offero roſas; Viduæ, pupilli afflicti à vobis ſperant roſarum pluviam. Agite, ſpargite has roſas; agite, ut jugiter fluat fons juſtitiæ, & roſeus fluet annus. Utinam gladius juſtitiæ pulchris ſit coronatus roſis; qualem depingi curavit Carolus Sapiens, Rex Galliæ cum lemmate: *Recte & fortiter*. Talis debet eſſe gladius juſtitiæ, rectus & fortis. Vel roſis Caroli IX. & Ferdinandi III. cum epigraphe: *Pietate & juſtitiâ*. Vel roſis Henrici IV. qui gladium coronavit roſis, cum his voculis: *Pro ara, & Regni cuſtodia.* Eugenius Papa II. bilancem ornavit roſis, & aſcripſit: *Redde cujusq; ſuum*. Pretioſius xenium pro Regibus & miniſtris juſtitiæ reperire non potui. Pergo ulterius.

Ad conjuges: Apud Antiquos in more poſitum fuit, ut ſponſus & ſponſa coronarent ſe roſis candidis & purpureis inter virentia arborum folia. Colore albo oſtendere voluerunt amorem conjugalem, purum & caſtum eſſe oportere. Colore rubro: amorem illum debere eſſe ardentem, ſive intenſum & magnum. Colore foliorum viridi, debere eundem eſſe lætum & hilarem, etiam inter onera matrimonii. Atq; hæc ex hiſtoria profana. Ex ſacra verò jam ante dictum memini, ſalutationes Angelicas frequenter fuiſſe commutatas in roſas; imo fuerunt, qui aſtantes orantibus Roſarium, viderunt Angelos, qui illas roſas aureo filo in ſertum concinnârunt, ad auguſtiſſimum Mariæ verticem

§. 9. *Roſa conjugales.*

coronandum. Has roſas offero Conjugatis, ut illorum corda, candida & rubicunda aureo conjugalis amoris filo conjungantur. Sic roſeus illis quoque fluet annus. Refert Pierius, Indos cum accedere vellent Principem, aliquid petituri, prius accipere ſolitos phialam, plenam roſaceo, quam prius obvertebant ſoli, conceptis verbis illum conſalutantes, perſuaſum ſibi habentes fore, ut corda Principum, & aureo ſolis jubare, & dulci roſarum odore delinita ad clementiam principe dignã commoverentur. Subdit Pierius: Addebant illud nomen, quod amores ac amicitias vivificat, & amantium corda in unum conflat; ad eundem finem, cum aliquem vellent accedere, cujus exſpectabant amorem, prius oleo roſaceo faciem inungebant. Ita Imperator Ferdinandus & Anna Regina Hungariæ in die nuptiali, elegerunt conjunctas dexteras, tenentes faſciculum roſarum, cum his voculis *Sic in perpetuum.* Utinam omnium conjugatorum corda ſint tales phialæ, coronatæ roſis! utinam dulce nomen matrimonii, vel dulcis JESUS, illorum amorem vivificet, conflet que omnes in unum cor. Et hæc in perpetuum, per multos roſeos annos.

§. 10. *Roſa Sancta Ludvvina pro viduis.*

Sed nunc tempus monet ut properem. Adeſte viduæ, pulcherrimis & vos roſis conſpergam. Dignum eſt, ut ex ſpinis, quæ vos pungunt, amœnæ creſcant roſæ. Ex innumeris pro vobis ſelegi roſas S. Ludwinæ, cui cor Jeſu fuit veluti Paradiſus & viridarium, in quo roſas invenit electas. Tam enim tenerè & tantâ compasſione meditabatur myſteria Pasſionis Chriſti, ut inter ſuſpiria cordis, adeò uberes funderet lachrymas, ut illis deficientibus ſanguineæ ſuccederent. Ita oculos aperto Chriſti lateri immerſerat; ita ſanguine atque aquâ manans cor Jeſu oculis imbiberat, & ferebat in oculis, ut etiam ex illis flueret ſanguis & aqua. Illas autem lachrymas amore Chriſti fuſas, appellabat ſuas Roſas, & eaſdem ut tales, Chriſto Crucifixo offerebat. Candidas in lachrymis, rubicundas in ſanguine. His candidum & rubicundum ſuum ſponſum coronabat. Ideo ipſa pingitur coronata roſis, cum Crucifixo in manibus. Dicite afflictæ viduæ, quid vobis videtur de his roſis? de hoc veſtro Xenio?

Digitized by Google

nio? roſas Veneris ex pratis hujus mundi nolite à me exſpectare, darem ſpinas, dum roſas cupio offerre. Talis eſt ſtatus veſter, ut ſubinde ſuperſit ſolatium in lachrymis! Bene habet, flete! ſed coram Crucifixo; cogitate, veſtras lachrymas eſſe roſas candidas, quia ex puro corde profluunt: rubicundas, ſi roſeo illas immergatis ſanguini. Athenienſes lachrymas ſacrificabant Diis; offerte veſtras ſponſo ſpinis coronato; nunquam eſtis pulchriores, nunquam ornatæ magis quam cum his roſis & cum Crucifixo; licet vos modo pungat ſpinis, coronabit tamen roſis. Hoc animitus opto.

§. 11. *Roſa S. Dorothea Virginibus.*

Non dubito, & Virgines, ut florum ſunt amantes, elegantes roſas ex meo corbe exſpectare. Et ecce, quas offero, non ſpero fore ingratas. Siquidem S. Dorothea ſuum mihi corbem dedit, ex quo roſas affero Paradiſi. Et quæ roſæ poſſunt eſſe pulchriores illis, quas tale germinat viridarium. Ducebatur victrix Virgo ad mortem, cum Theophylus illi dixit: *Eja Sponſa Chriſti, mitte nobis de paradiſo ſponſi tui fructus aut roſas.* Et promiſit illa ſe facturam. Vix gladio cæſa ceciderat Dorothea, & ecce cœleſtis puſio cum tribus malis, totidem alieni temporis & loci roſas in calatho, Theophylo obtulit dicens: *Ecce, quæ à jam modo cadente Dorothea petebas.* Vidit Theophylus, & ſenſit; fortis fuit harum odor roſarum, nam ad ipſius animam penetravit. O Virgines! quàm ſponſus veſter pulchras habet roſas. Sed loquar clarius; ſi ſponſum hunc amatis; amate & virginitatem. Vos eſtis roſæ paradiſi, vos eſtis roſæ in manibus Jeſuli, vos flores pudicitiæ; ut tales ſitis, & roſeus vobis decurrat annus, uſque ad optatiſſimum annum feliciſſimæ æternitatis animitus apprecor.

§. 12. *Roſæ S. Franciſci Seraphici, oblata Adoleſcentibus.*

Venio ad Adoleſcentes, tum artium bonarum, tum Juris praxeos Studioſos: jure merito ſuum & illi xenium deſiderant. Macti animis, præclari juvenes, ſunt & mihi roſæ ad veſtras delicias. Offeram illas, quas in Italia jucundiſſimis oculis conſpexi; ſed quæ & quales? roſas S. Franciſci accipite. Non ignoratis, quid vir hic ſanctiſſimus fecerit, cùm graves carnis tentationes ſuo in corpore perſentiſceret; ad ſpinas ſe mox contulit;

veſtibus exuit, nudum injecit in ſpinas corpus, in ſpinis ſe volutavit, in ſpinis decertavit pro laurea caſtitatis, in ſpinis triumphavit. Siquidem [O rem miram!] ſplendor de cœlo allapſus in mediis brumæ furoribus, inter ſpinas roſas oſtendit Heroi, atque ex his ſpinis hodiernum in diem uſq; pulcherrimæ ſuccreſcunt roſæ. Ite nunc mei adoleſcentes, & modum formamque decertandi cum carne ac ſathana condiſcite; amatis victoriæ roſas? ſpinas prius quærite mortificationis. Sed iſta fortaſſis ſtrena vobis non placet: malletis roſas, quas elegerunt quondam, qui clamarunt Sap. 2. verſ. 8. *Venite, coronemus nos roſis, antequam marceſcant.* Nolite, nolite roſas quærere ante ſpinas: periculoſæ plenæ opus aleæ eſt iſtud; nam ab his roſis pervenitur ad ſpinas damnationis æternæ! O quàm præſtat, cum Divo Franciſco in hac vita complecti ſpinas; ut in altera vernantis paradiſi roſas poſſimus colligere. Ergo accipite has B. Patriarchæ Franciſci roſas, ſed non ſine ſpinis: accipite ſimul ſpinas, ſed non ſine roſis; & hunc, quem auſpicamur anni circulum, felices decurrite.

§. 13. *Roſa S. Cathildæ, S. Roſa, S. Eliſabetha, oblatæ divitibus.*

Corbis meus necdum eſt evacuatus: Laudetur Deus: reperio adhuc roſas S. Cathildæ. Fuit hæc Mauri in Hiſpania Regis filia: quæ cum in carcerem ad captivos Chriſtianos vellet deportare panes, quos clam acceperat, deprehenſa à patre, ſinum jubetur explicare; explicat, & ecce inter pulcherrimos floſculos amœniſſimas roſas. Paulò poſt illæ in pauperum manibus converſæ ſunt in candidiſſimos panes. Tales panes & roſas in ſuis manibus viderunt S. Roſa & S. Eliſabetha? appellatæ à SS. PP. *Roſa miſericordiæ.* Illas pro ſtrena offero divitibus. O! quam ſunt hi hac in parte felices; quotidie poſſunt patrare miracula; nam ſi velint, panes, nummos, laceras veſtes, & illa omnia, quæ Chriſto Domino in pauperibus offerunt, poſſunt convertere in roſas, in ſerto cœleſtis gloriæ, perennaturas in omnem æternitatem.

§. 14. *Roſa aurea B. V. pauperibus.*

Modò non decet, ut pauperes ſine roſis à me dimittam. Quare roſam auream B. Virginis illis exhibeo. Solent Summi Pontifices Dominicâ *Lætare* in Quadrageſima ſub introitu

Miſſæ

Miſſæ conſecrare auream roſam; ſive faſciculum ex variis aureis roſis, quæ deinde à Pontifice, Reginis vel Perſonis in dignitate conſtitutis, transmitti ſolent. Gregorius XIII. pretioſiſſimam obtulit Virgini Lauretanæ, unde dicta fuit aurea roſa B. Virginis. Si roſarum harum ingens mihi eſſet faſciculus, omnes inter pauperes erogarem. Sed cum reipſa non poſſum, affectu ſaltem bono id præſtitum volo, & annum ſimul pauperibus opto feliciſſimum.

§. 15. Roſæ Seraphici S. Franciſci peccatoribus.

Quas nunc offeram roſas iis, quos graviorum ſcelerum reos, propria damnat conſcientia? accurrite, accurrite peccatores, non unius, ſed duplicis generis roſæ ſuppetiunt, quibus vos impertiam. Et primùm quidem illas iterum D. Franciſci roſas habetote, quas à Divinis Chriſti manibus accepit, quo tempore in templo Angelorum Aſſiſiis magnum illum de Portiuncula dictum indulgentiarum theſaurum ſuſcepit; juſſusque eſt, ad faciendam rei fidem, Summo Pontifici has offerre roſas cœleſtes. O verò nobiles, ô raræ charæque roſæ! Ite peccatores cum his roſis veſtris ad ſacra tribunalia, ite, oſtendite vos ſacerdoti; pœnitentiam agite, expiate commiſſa ſcelera; non deerit indulgentiarum theſaurus, audietis illam amabilem Chriſti vocem: *Remittuntur tibi peccata tua.* Quod ſi hæ roſæ non ſufficiant, addo & illas, quas Jerichontinas appellant, & in nocte Salvatoris natalitia in aquis ſolent efflorere. Vos! vos in aquis lachrymarum; vos, vos in ſalſo pœnitentiæ mari florebitis; imò & in purpureo ſanguinis Divini liquore, quem hodie pro veſtra mundique ſalute fudit innocens amoris roſula! JESULUS, Parvulus de Bethleem.

§. 16. Roſa Alexand. Bertii & S. Muſæ hoc anno morituris.

Tandem fundum corbis perſpicio. Duas adhuc video ſupereſſe roſas; alteram cum nomine Alexandri Bertii; alteram Muſæ puellæ titulo inſcriptam. Huic, cum animam ageret, & ultimum jam ſpiritum exhalaret, ſpectabilis facta florum roſarumque omnium decus VIRGO Mater, coronam impoſuit è roſis contextam. Illum in agone pariter extremo conflictantem, aſtantes ponè Angeli roſis conſperſerunt. Quibus has ego roſas offeram? Auditores, ſunt de nobis [quis dubitat?]

bitat?] ſunt forte non pauci de hoc numero, qui vitam hanc mortalem hoc ipſo, quem hodie auſpicamur anno, cum immortali mutari cogentur. O Angeli! fulcite hos floribus, ſtipate roſis; quia dolore mortis languebunt. O Virgo! roſarum decus Maria, hoc roſarum ſertum, in ſolatium tuorum clientum. O ſi hæc, ô ſi & meis Auditoribus, ô ſi mihi, ô ſi toti denique civitati hæc gratia obtingeret; ut obtingat, opto, ſuſpiro, deſidero. Valete nunc Auditores mei, ite domum, evacuatus eſt corbis meus, exhauſtus eſt. ſervate, quas accepiſtis roſas, & hoc anno terque quaterque felices vivite.

CONCIO LXI.

FESTO EPIPHANIÆ.

Ecce venerunt Magi ab Oriente,

Matth. 2. v. 1.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRima pars oſtendit, quomodo tres Reges à Parvulo per ſtellam fuerint tracti ad præſepium. Altera agit de thure devotionis.

§. 1. *Non ſtella tantùm, ſed multò magis Parvulus per ſtellam traxit Reges ad præſepium.*

§. 2. *Profectio.*

§. 3. *Parvulus omnipotens potuit trahere Reges, prout voluit.*

§. 4. *Parvulus de Bethleem prædator.*

§. 5. *Quare à ſponſa comparetur hinnulo.*

§. 6. *Apoſtrophe ad Auditores & JESULUM.*

§. 7. Mi-

Digitized by Google

§. 7. *Mirabilis vis Magnetica.*
§. 8. *Parvulus illuminavit Magos.*
§. 9. *Thus peculiaris devotionis.*
§. 10. *Eximia illius encomia, fructus & utilitas. Prima.*
§. 11. *Secunda.*
§. 12. *Tertia.*
§. 13. *Proſecutio.*
§. 14. *Cur frequentes ad DEUM aſpirationes comparentur thuri.*

NOcte Nativitatis, cœlum non Angelos tantùm miſit, qui illam nuntiarunt Paſtoribus, cœleſti muſicâ: *Gloria in excelſis DEO*; quâ delibuti Paſtores, accurrerunt ad ſtabulum, quæſituri natum Salvatorem, ubi etiam pannis involutum invenerunt, & humilibus votis adorarunt? inſuper polus in Orientem miſit lucidiſſimum ſidus, quod mutâ vel aureâ lingua perſuaſit, movit traxitque Reges, ut per longa itinera venerint in Bethleem, natumque DEUM adorarint. Sic inverſus fuit ſiderum ordo. Inſolitus & novus Cometes Regis vel Principis alicujus obitum ſolet prænuntiare, tales funeſtæ ſtellæ ſæpe regnorum interitus, famem, bella, ſterilitatem terræ, tempeſtates maris portenderunt. Inſolita & nova ſtella exorta eſt nocte Nativitatis, ſed procul auguria infauſta. Radians illa ſtella non obitum, ſed ortum nuntiavit ſummi Regis: non occaſum & interitum, ſed vitam generis humani, non morbos, ſed ſalutem, non bella, ſed pacem, non ſterilitatem, ſed gratiæ abundantiam & ubertatem, non deniq; tempeſtatem, ſed ſereniſſimam tranquillitatem. Erigite oculos mortales, aſpicite pulcherrimam ſtellam. Novus per aëra ignis ſcintillat, novus Regis ſupremi anteambulo & præco! Perſæ & Ægyptii ſuis Regibus in aurato feretro præferebant ignem, in ſignum Regiæ Majeſtatis: Regi Regum, dum in orbe naſcitur, ignem ſive lucidiſſimam ſtellam præfert cœlum. Suſpendit illam in cœrulis iſtis cœleſtium globorum fornicibus, ut nato Imperatori veluti lampas luceat, & ſimul Reges ad incunabula trahat. Materiam, naturam, locum, ſplendorem, motum, officia hujus ſtellæ explicui aliàs. Hac Concione in prima parte

§. 1. *Non ſtella tantùm, ſed multò magis Parvulus per ſtellam traxit Reges ad præſepium.*

Digitized by Google

te oſtendam, ipſum Parvulum de Bethleem fuiſſe, qui occultâ ſed forti vi per ſtellæ hujus radios tres Magos ex Oriente ad ſua traxit incunabula! & ſi velimus, trahit & nos. In altera vobis proponam, quale thus debeamus offerre Jeſulo. De auro & myrrha alibi mihi ſermo eſt.

§. 2. *Proſecutio.* Primis ſex diebus in creatione mundi duplicis lucis fit mentio. Prima die facta eſt lux, quæ in modum globi ſe gyrans, ſuo motu primum diem diſpeſcuit à ſecundo, hunc à tertio, quem ſecutus fuit quartus, quo demum creatus eſt ſol, qui pulcherrimis ſuis radiis mundum illuminavit. Duplici hac luce hodiernâ die illuſtrata eſt gentilitas, primum quidem à radiante ſtella, quæ teſte Divo Auguſtino *inſtar ignei globi fulgentes ſparſit radios, per quos tres Magi natum Regem agnoverunt.* Stellâ illâ duce pervenerunt ad ipſum ſtabulum, ubi deinde à ſole ipſo, ſcilicet JESU longè magis ſunt illuſtrati. Vide lect. 2. ſecundi nocturni ſecunda die Epiphan. Puer enim ipſe fuit, qui interna & occulta ſed forti vi Reges ad ſe traxit. Non ſtella ſolùm, ſed Jeſulus auream habuit linguam, quâ Majeſtatem ſuam annuntiavit; fortaſſis ideo quorundam refert relatio, in medio ſtellæ viſam Regibus venuſtiſſimam Virginem cum venuſtiſſimo Puerulo, cujus ſpecie & pulchritudine illecti Reges itineri, puerulum iſtum quæſituri, ſe accinxerunt. Fortaſſis ideo quæſivit S. Fulgentius ſer. 5. de Epiphan. *Quis eſt iſte, qui portatur ut parvulus, adoratur ut Deus? parvus in præſepio, immenſus in cælo: vilis in pannis, pretioſus in ſtellis.* Addo ego, formoſus & ſpecioſus in ſtella? & ſua pulchritudine fortis & omnipotens in ſtella. An non fortis, qui ex ultimis Orientis plagis Reges ad ſe traxit? Vocavit ob hanc vim Puerulum Salvianus libro quarto de providentia: Magnetem: *Admirabilis naturæ gemma, Magnes, ſicut propius admotus, duriſſimum licet chalybem, affectu quaſi ſpirante ſuſpendit: ita CHRISTUS omni gemmâ pretioſior hoc voluit, ut dum ſe licet duriſſimis nobis deſcendens de cælo propius adjungeret, affectu ſuo quaſi amoris manibus admoveret, &c. ut nos vinculis charitatis ad ſe trahat.*

Nonne

Digitized by Google

Nonne traxit Reges, dum ſua deſerunt, dum tam ardua, tam longinqua & gravia itinera in ſe ſuſcipere non reformidant, ut hunc radiantem, & adeò fortiter illos ad ſe trahentem magnetem oculis cernerent.

§. 3. *Parvulus omnipotens potuit trahere Reges, prout voluit.*

Quid facitis O Magi, quid facitis? [S. Bern. ſer. 1. de Epiphan.] *lactantem puerum adoratis in tugurio vili, in vilibus pannis?* adorant: puer in pannis illos trahit. *Ergone Deus eſt iſte? Deus certè in templo ſancto ſuo, Deus! in cælo ſedes ejus! & vos eum quæritis in vili ſtabulo, in Matris gremio?* quærunt! puer natus in ſtabulo ſic vult. *Quid facitis, quod & aurum offertis? ergo Rex eſt ipſe? & ubi aula Regia, ubi thronus, ubi curia Regalis frequentia? nunquid aula eſt ſtabulum, thronus præſepium, curia frequentia, Joſeph & Maria?* ſic eſt; nihilominus puer eſt omnipotens, qui quos vult ad ſe trahit.

§. 4. *Parvulus de Bethlem prædator.*

Ut impleretur illud Iſaiæ capite 8. verſ. 3. *Voca nomen ejus, accelera, feſtina prædari, ſpolia detrahe, qui antequam ſciat puer vocare patrem ſuum & matrem ſuam, auferetur fortitudo Damaſci, & ſpolia Samariæ.* Sanctus Auguſtinus ſermone 4. de Epiphan. *Spolia Samariæ - ipſi Magi erant - ligati erant vinculis Idololatriæ, in ſervitute Sathanæ, ſed ſolvit aheneas illas catenas fortiſſimus Puer, & aliis catenis irretitos traxit ad ſe, ex tenebris ad lucem, ex ſervitute ad libertatem, ex carcere Sathanæ ad ſua incunabula.*

§. 5. *Quare à Sponſa comparetur hinnulo.*

Intellexit Sponſa, cum dixit Canticor. capite 2. verſu 9. *En iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles: ſimilis eſt dilectus meus capreæ, hinnuloque cervorum.* Cur JESULUS caprea, cur hinnulus. Reſpondet ſanctus Theodoretus: *Capreæ viſus eſt acutiſſimus, è longinquo conſpicit. Hinnuli verò cervorum inſidiantur venenatis animalibus, præcipuè ſerpentibus; quos, dum in cuniculos terræ ſe recipiunt, ſpiritu ſuo educunt & deglutiunt.* O Deus infans! ſimilis capreæ & hiñulo; in obſcura ignorantiæ nocte, in denſiſſimis idololatriæ tenebris, in longinquis Orientis Regionibus verſabantur Magi, nihilominus natus infans à longinquo illos benigniſſimis miſericordiæ ſuę oculis intuitus conſpexit; viſuales hi

Digitized by Google

radii ex pulcherrimis Jeſuli oculis tam fuerunt efficaces, ut ad ſe in Bethleem traxerint. Infecti erant veneno, turpiſſimæ viperæ, id eſt, Idololatriæ, ſed ex ejus cavernis Jeſulus ſua vi illos extraxit. O ſancti Reges, gratulor vobis ex animo, quod ſitis præda potentiſſimi hujus hinnuli.

§. 6. Apoſtrophe ad auditores Jeſulum.

Quod nos attinet Auditores ſpero pleroſque his feſtis natalitiis, cum Angelis, cum Paſtoribus, cum Regibus veniſſe ad præſepe, incidiſſeque in rete diviniſſimi hujus venatoris. Scio corda quorundam fuiſſe cavernas, in quibus hoc anno latuerunt venenatæ viperæ gravium ſcelerum, ſed gratia Jeſuli extractæ alliſæ ſunt ad petram pœnitentiæ. Sed quid ſi fortaſſis adhuc aliqui longiſſimè ſunt diſſiti? quid ſi in quorundam cordibus veluti cavernis latent ſerpentes N N? O Jeſule tuis viribus opus eſt, eja feſtina, prædari, &c. aſpice illos oculis miſericordiæ, extrahe ex tenebris ad lucem, &c. Eſto magnes.

§. 7. Mirabilis vis Magnetica.

Hic lapis alium in materia hac diſcurſum ſuggerit. Refert S. Auguſtin. veluti ſummum naturæ miraculum, vidiſſe ſe Magnetem tantæ virtutis & efficaciæ, ut digeſtos vel poſitos in ordinem longa ſerie annulos plurimos omnes attraxerit, & inter ſe unierit ſuo contactu, trahebat ad ſe lapis annulum primũ, hic virtute Magnetis ſecundum, hic tertium, donec integra catena coaleſceret. Pulcherrimam amoris catenam conſpicio in ſtabulo Bethlemitico, annulus pretioſus eſt puriſſima puerpera, annulus S. Joſeph, annuli Angeli, annuli paſtores, annuli Reges! Deum bonum! quam inter ſe diſſiti? Beata Virgo & Joſeph in ſtabulo, Angeli in Cœlis, Paſtores in campis, Reges in Oriente; ſed ad unum ſtabulum, ad præſepe, è cœlis trahuntur Angeli, è campis paſtores, ex Oriente Reges! ibi inter ſe uniuntur omnium corda admirabili vinculo dilectionis! unde illa vis attractiva! ab uno Jesulo, hic magnes eſt qui Angelos è cœlis, paſtores è campis, Reges ex Oriente ad ſe divinitùs attraxit: O catenam amoris, in virtute amoris, à magnete amoris. O Auditores, quam hic cupio, ut mecum & veſtra corda ſint annuli, ſcio ſunt ex ferro & chalybe, ſed trahe mi Jeſu, attinge manibus amoris, momento erunt aurei, pars catenæ

tui

Digitized by Google

tui amoris; O Jeſule, eſto nobis magnes! traxiſti Reges, trahe & nos, & curremus ad tua præſepia, ut cum Regibus te adoremus, &c. Hic eſt modus trahendi, de quo S. Auguſtinus in Pſal. 102. *Quosdam - vocat per flagellum corruptionis* [idem l. confeſſ.] *multa, quæ in hac vita nos premunt, ad Deum nos ire compellunt, - alios - vocat per miſericordiam conſolationis, longanimis & multæ miſericordiæ.* Hoc ultimo modo vocati ſunt Reges, &c. - ſi placet primum punctum hoc - dilata ex P. Drex. p. 1. de Chriſto naſcente c. 10. §. 1.

Pulchrè S. Aug. ſer. 2. de Epiph. *In præſepio jacebat, & Magos ab Oriente ducebat, abſcondebatur in ſtabulo, & agnoſcebatur in cœlo, ut agnitus in cœlo, manifeſtaretur in ſtabulo.* S. Chryſoſt. in opere imperfecto homil. *Nunquid viderunt palatium marmoribus ſplendidum? nunquid matrem diademate coronatam? nunquid puerum purpurâ involutum? ſtramen! &c.* viderunt, nihilominus à Puero ita fuerunt illuminati, ut ſtatim agnoverint in paupertate divitias, in infantia ſapientiam, in humilitate altitudinem, in imbecillitate potentiam, in præſepio Dei thronum, in pannis Majeſtatem. In ſignum tam excellentis cognitionis illi præter aurum & myrrham obtulerunt thus, de quo promiſi, me pauca dicturum in puncto ſecundo. §. 8. *Parvulus illuminavit Magos.*

Per thus ego intelligo devotionem, non generatim & confusè, ſed illam, quam deſcribit Dion. Carth. ſer. 4. fer. 3. Paſchæ, dum ait: *Sentiet, ſibi non ſolum poſſibile, ſed etiam facile & dulce eſſe, mentem ad Deum elevare, & ita, ſive eat ad Miſſam, ſive ad lectulum, memor erit Domini Dei ſui, ſive hominem alloquatur, aut humanæ interſit collocutioni, frequenter tamen mente loquetur cum Deo per orationes internas, & laudes ſecretas, &c. tandem tam facilè Deo rebusque divinis intentus eris, quàm facilè ſpiras aut vivis, &c.* Si his feriis dulce vobis fuit, intrare ſtabulum de Bethleem, ſi millies ad Jeſulum elevaſtis mentem veſtram, ſi millies ſuſpiraſtis: *Jeſule, amo te, &c.* quot ſuſpiria, quot cogitationes, quot affectus, tot grana thuris illi obtuliſtis. §. 9. *Thus peculiaris devotionis.*

De hoc thure, de hac devotione, de frequentibus cogitationibus, de Jeſulo vel Deo dico cum Landspergio: *Multa præ-* §. 10. *Eximia illius enco-*

 ſcribun-

mia, fructus & utilitates. Prima. *ſcribuntur media ad placendum Deo, & ad augmentum meriti & ſanctitatis, ſed unum ex præcipuis eſt, ut per flammigeras affectiones anima ad Deum continuò ſe levet, ad ipſum aſpiret, eidem loquatur, ipſum attingere, eique inhærere geſtiat.* Hoc exercitium eſt ſtudium ſapientiæ, quod non multitudine librorum, nec diſputationum argutia addiſcitur, *ſed extenſio affectus in Deum, quâ excitetur juge deſiderium* [in oratione, in laboribus,] *vehementius amandi Deum, perfectiusque illi placendi.* p. hoc. S. Dionyſ. appellat hanc devotionem, Theologiam myſticam, *quæ Divina irradiatione in animam humanam infunditur.* & q. à Jeſulo; hic verus ſol, unus effectus, elevare animam, &c. illuminare, ut quavis hora, &c.

§. 11. Secunda. Dico ſecundo cum Bloſio inſtit. Spirit. c. 5. *Aſſidua aſpirationum ſive orationum jaculatoriarum, & ferventium deſideriorum ad Deum emiſſio - certiſſimum eſt compendium, quo cito facileq́; pervenitur ad perfectionem unionemq́; divinam; nam hujusmodi aſpirationes efficaciter penetrant ac ſuperant omnia media, quæ ſunt inter Deum & animam.*

§. 12. Tertia. Dico tertio cum S. Bonav. *Amor divinus cito, facile obtinetur - - ſcintillantibus affectionibus, inſatiabilibus deſideriis, unitivis aſpirationibus.* S. Bern. inſinuat, Angelos cuſtodes peculiare percipere gaudium, quoties clientes tale ſuſpirium emittunt, fundatur in Apoc. ubi de illis dicitur, *quod, &c.* Idem D. comparat tales cervis, de quibus Pſ. 41, 1 *Sicut cervus deſiderat ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.* S. Bonav. de myſt. Theol. c. 3. p. 3. dat hoc ſimile; *qui, &c. - - ſolis ſpiritualibus radiis exurentibus ſe exponit, & velut ſtuppa ſolaribus radiis expoſita, & ab igne deſuper immiſſo accenditur, &c.* applica. S. Ant. dicebat diſcipulis: *Diabolus odit vigilias, jejunia, &c.* omnia bona opera, ſed præcipuè ardentem amorem Chriſti D. qui amor nunquam quieſcit.

§. 13. Proſecutio. Horum deſideriorum hic ingens eſt fructus. Conſervant animam in quodam vigore & bona diſpoſitione, ut ſemper benè operetur; faciunt, ut creſcat quaſi quovis momento theſaurus meritorum, ut multiplicentur coronæ, hæ orationes conſervant ſpiritum, ideo vocantur aſpirationes, non tantùm, ut ſicut materialiter ſemper reſpiramus, ſic quoque anima noſtra quaſi quavis hora

Digitized by Google

hora reſpiret, ſed ideo etiam ſicut reſpiratio conſervat vitam, ſic quoq; &c unde ſæpe, &c. Levit. 6. v. 10. *Ignis in altari ſemper ardebit, quem nutriet ſacerdos ſubjiciens ligna mane, per ſingulos dies, ignis eſt iſte perpetuus, qui nunquam deficiet in altari.* S. Gregor. l. 25. mor. c. 7. *Altare Dei eſt cor noſtrum, in quo jubetur ignis ſemper ardere, quia neceſſe eſt, ex illo ad Dominum charitatis flammam indeſinenter accendere,* ſcilicet per ſuſpiria & breves orationes. Dion. Carth. de inord. cordis art. 30. ait: *Qui ſe dat huic devotioni, cito ſentiet, ſe planè mutatum, facilem ad omne bonum, non facilè peccabit.* Pergit deinde inflammare uſum horum ſuſpiriorum, & concludit: *Cito incipies fructum hujus exercitii ſentire.*

Cauſæ verò, ob quas hæc deſideria comparantur thuri, non deſunt. Thus eſt ſuccus arborum, hæc deſideria ſuccus cordis, quod nunc deſiderat, nunc dolet, nunc amat, nunc laudat. Thus eſt odoriferum, ſimiliter hæc deſideria, ut etiam Angeli imponant aureis thuribulis. Thus exſiccat frigidos humores, calefacit caput, ſimiliter hæc deſideria pellunt frigus in cultu Dei, calefaciunt, accendunt. Thus eſt ſignum intimæ adorationis & reverentiæ erga Divinam Majeſtatem, hæc etiam ſunt ipſa adoratio, quâ intellectus agnoſcit, voluntas inclinatur, ut amet, &c. proinde debemus eſſe liberales in oblatione thuris hujus; Deus remuneratur. Alexander Magnus, dum nimis eſſet in, &c. monitus ne, &c. reſpondit: *Dii redderr poſſunt.* Cum poſtremum Aſiæ eſſet Dominus, &c. longè liberalior Deus noſter.

§. 14. *Cur frequentes ad Deum aſpirationes comparentur thuri.*

Tali thure plenum erat cor Danielis, ideo c. 6 vocatur *Vir deſideriorum.* Cor Davidis; die ac nocte, &c. Seraphicus Franciſcus totis noctibus: *Deus meus & omnia.* S. Xaverius: *Amplius Domine, &c.* ſic de aliis, &c. ſed præcipuè Regum, &c.

CONCIO LXII.

FESTO PURIFICATIONIS BEATÆ VIRGINIS.

Tulerunt JESUM in Jeruſalem, ut ſiſterent eum Domino,

Lúc. 2. v. 22.

SYNOPSIS CONCIONIS.

HÆc Concio animos addit peccatoribus, ut ad Mariam Matrem miſericordiæ confugiant. Id quod tum figuris è S. literis, tum aliis ſacris hiſtoriis declaratur.

§. 1. *Quanta ſit Mariæ dignitas & excellentia.*

§. 2. *Concionis Propoſitio.*

§. 3. *Væ peccatoribus, ſi deſerantur à Maria.*

§. 4. *Achar plorans pro moriente filio, Gen. 21.*

§. 5. *Fuit figura Mariæ, ſuccurrentis peccatori.*

§. 6. *Eccleſia Chriſti comparatur agro, fideles ſpicis.*

§. 7. *Ruth colligens relictas ſpicas, figura fuit Mariæ.*

§. 8. *Etiam in fine vitæ Maria opitulatur peccatoribus.*

§. 9. *Apoſtrophe ad peccatores, ut diligant Mariam.*

§. 10. *Sola pronuntiatio auguſtiſſimi nominis Mariæ quam ſit utilis.*

§. 11. *Tragica & affectuoſa hiſtoria.*

§. 12. *Quomodo CHRISTUS Dominus à ſanctis Patribus vocetur Filius cordis Mariæ; ideo erga peccatores ſit totus miſericors.*

DEO

Digitized by

§. 1. *Quanta ſit Mariæ dignitas & excellentia.*

DEo permittente S. Thomæ Aquinati apparuit aliquis è beatis Paradiſi incolis, tum, cum multa cogitaret de magnitudine cœleſtis gloriæ; itaque, quanta illa eſſet, à beata illa anima interrogavit, & reſpondit: *Ego Deum video, nec de hoc amplius requiratur.* Si quis fortaſſis hodierna Virginis ſolennitate ex me quærere velit, quanta ſit excellentia MARIÆ! idem reſpondebo. Ante menſes circiter decem concepit in utero Filium Dei, ante menſem & aliquot dies eundem peperit in ſtabulo, hodie illum offert in templo æterno Patri; pro ſalute humani generis, in ſuaviſſimum holocauſtum, *neque de hoc amplius requiratur.* Nihil eximium magis pronuntiari poteſt: quod videtur voluiſſe inſinuare in ſuo Cantico, cùm cecinit: *Fecit mihi magna qui potens eſt & ſanctum nomen ejus*, Luc. 1. v. 49. ſed quænam illa magna? illa eximia? tacet, reticet, ſilet, quia agnovit tam eſſe magna, ut non tantum nos illa concipere & proferre non poſſimus; ſed nec ipſa Virgo. Ita ſenſit Hugo de S. Vict. ſuper Magnificat: *Tali ac tanta Divinitatis præſentia plena, quid viderit, aut quid ſenſerit, quis dicere poteſt? audacter pronuntio, quod nec ipſa explicare potuit, quod capere potuit.* Et proinde merito hoc obſtupuit Venerab. Beda in cap. 2. Lucæ: Fecit mihi magna. *Magnum, quia Virgo! magnum, quia Mater! majus, quia utrumque; maximum, quia Dei mater! majus! quia cum tanta ſit, putavit ſe nihil eſſe.*

§. 2. *Concionis propoſitio.*

Quamprimùm audivit ab Angelo, ſe fore matrem DEI Altiſſimi, ipſa reſpondit Lucæ 1. v. 38. *Ecce ancilla Domini!* Hodie toti mundo majus humilitatis propoſuit portentum, dum cum Filio templum ingreditur oblatura illum Patri, perinde ac ſi alicui fuiſſet noxæ obnoxia. Multa circa hodiernum Feſtum occurrunt myſteria. Oſtendi aliàs; meruiſſe Virginem hodiernâ oblatione eximium titulum matris miſericordiæ; oſtendam hodie, talem præcipuè eſſe erga peccatores, cum plurimi, etiam in fine vitæ converſi ad Deum, illam gratiam converſionis & veræ pœnitentiæ non alteri, quàm Mariæ, matri miſericordiæ poſſint aſcribere. Quod dum fuſius & ut ſpero affectuoſius conabor demonſtrare, vos interim benevolè audiendo dicenti aſſiſtite.

Omnes

§. 3. *Væ peccatoribus, ſi deſerantur à B. Virgine.* Omnes, ſed vel maximè peccatores cauſam habent amandi & colendi B. Virginem. Væ illis, ſi jaceant in tenebris & denſâ caligine ſcelerum, & hæc clara Cynoſura illis non luceat. Væ illis, qui jactantur in alto mari tempeſtuoſi hujus mundi, niſi ſequantur ductum & lucem ſtellæ maris. Væ illis, quibus divina Nemeſis triſte minatur diluvium, niſi pateat arca miſericordiæ. Væ illis, qui per latrones peregrinantur, & truculentas beſtias, niſi MARIA dux ſit & protectrix. Væ illis, qui igneis à carne, mundo & diabolo vexantur ſagittis, ſi hoc clypeo non protegantur. Væ illis, qui fugiunt à facie mortis & inferni, ſi fortiſſima turris David illis ſit clauſa. Væ illis, ſuper quos fulminat grando iræ Divinæ, niſi refugium inveniant ſub tecto aureæ hujus domûs. Væ illis, qui coram tremendo CHRISTI tribunali ob varia ſcelera ab adverſario diabolo accuſantur; niſi ſimul aſtet MARIA, advocata noſtra, & mater miſericordiæ. Væ peccatori, qui æterno Patri, multa debet talenta, enormis debiti, niſi in pretium, & ſatisfactionem MARIA illi offerat unigenitum ſuum Filium. Verbo mentem meam exponam, & clarè, timeo peccatori, quiſquis ille ſit, timeo ne actum ſit de æternâ ejus ſalute, ſi MARIA illi non ſit propitia. Benè illi, ſi faveat MARIA; ſi hæc ſit illi Mater.

§. 4. *Achar plorans pro moriente filio, Gen. 21.* Geneſis 21. v. 16. Abraham è domo ejecit ancillam ſuam Achar, cum filio Iſmaële. Dum mater cum illo vagatur per ſylvas & nemora, defecit aqua, adeo ut præ ſiti puer animam agere inciperet. Noluit afflicta mater intueri triſte ſpectaculum, depoſuit itaque filiolum ſub arbore, & ipſa - *ſedens contra levavit vocem ſuam & flevit. Exaudivit autem Deus vocem pueri, miſitque Angelum, qui matri oſtendit fontem, cujus aquâ revixit puer.* Quæri poteſt, cui aſcribenda ſit hæc gratia exhibita à Deo, an puero, an matri? textus quidem ſignificat: *Exaudivit Deus vocem pueri*, ſed quomodo loqui vel clamare potuit puer, qui præ ſiti moriebatur? puer, qui neſciebat, quid eſſet oratio. Reſpondent ſubtiles Interpretes, vocem ejulantis ma-

Digitized by Google

tris pro filii incolumitate vocari vocem filii, ipſa oravit, ipſa clamavit, mater ſuſpexit in cœlum, mater flevit, mater obtinuit filii vitam.

Ecce pulcherrimam figuram Mariæ, ſive matris miſericordiæ erga miſerum peccatorem. Omnes Mariæ ſumus filii adoptivi, in perſona ſancti Joannis Evangeliſtæ ſub cruce, cuivis ex nobis dixit Chriſtus Dominus: *Ecce Mater tua*! eheu! cum homo ſuâ malitiâ incidit in peccatum mortale, profugus ejicitur è domo & à facie Patris cœleſtis. Quamdiu peccator permanet in ſtatu peccati mortalis, jacet quodammodo in agone, in periculo mortis & æternæ damnationis! ſed unde fit, ut frequenter mittantur Angeli, qui ſuis clientibus oſtendant fontem lachrymarum, fontem pœnitentiæ, fontes ſanctiſſimorum Vulnerum Salvatoris, quorum roſeo liquore pœnitentes animæ reviviſcunt. Cujus precibus tantam aſcribemus gratiam? voci vel lachrymis alicujus peccatoris? ſed Deus peccatores non exaudit. Triſtem & afflictam Achar aſpicite in monte Calvariæ ſtantem ſub arbore crucis; O Iſmael! ô peccator! hæc pro te flevit lachrymas ſanguineas! hæc ſuſpiravit! clamavit, & exaudita eſt pro reverentia ſua. Hæc à filio ſuo per merita ſuæ mortis, tibi obtinuit fontem miſericordiæ, ſive gratiam ſeriæ converſionis. Hoc tamen puto feciſſe Iſmaëlem in ſuo agone, puto Parvulum conjeciſſe oculos in cœlum, puto anhelaſſe, puto illum jam fractos à morte oculos conjeciſſe in Matrem, puto illum, cum linguâ non potuerit, ſaltem oculis nictuque ac nutu materni amoris opem efflagitaſſe, & lachrymando quaſi hunc in modum locutum: O mater! mater! ſuccurre ſi potes, ſuccurre filiolo cum morte conflictanti; O mater! ſi quæ tibi materna viſcera, miſero tuo nato ſuccurre. En morior! mater! en morior! ſic ego quidem de Iſmaële. At quid de vobis, animæ peccatrices? nihil profectò minus. Et vos, vos peccatores cum morte conflictamini, vos ſub arbore mortis poſiti in ſingula momenta cataſtrophen exſpectatis, vos relegati à paterna DEI gratia, vos acti in exilium, animum agitis, eheu morituri æternum, quid ſupereſt? Matrem, ah matrem

§. 5. *Fuit figura Mariæ ſuccurrentis peccatori.*

aſpicite, illam nimirum matrem gratiæ, matrem miſericordiæ, illam dulciſſimam Virginem, illam amantiſſimam Dominam Mariam. Hæc ſuis obtinebit precibus, quod veſtris vos impetrare non poteſtis, Hæc mortem arcebit, reducet vitam, ſalutem refundet.

§. 6. *Eccleſia Chriſti comparatur agro, fideles ſpicis.* Eccleſia Chriſti, ut notum eſt, comparatur Agro; fideles ſpicis; Evangelici prædicatores, meſſoribus. Metaphora fundatur in cap. 4. v. 37. S. Joannis, ſed quid contingit in meſſe? hoc, licet meſſores attentiſſimè invigilent, licet optent colligere omnes ſpicas; tamen multæ fugiunt illorum manus, relictæ in agro: malo ſuo, nam vel devorantur à beſtiis, vel collectæ in manipulos projiciuntur in ignem. Idem fit in agro myſtico Eccleſiæ, licet ſummus Agricola Chriſtus Jeſus, ejuſque meſſores Apoſtoli & Concionatores, deſiderent colligere omnes ſpicas pro horreo cœleſtis gloriæ; licet velint & optent omnes ſalvari, ſalvantur tamen pauci; integri verò manipuli ſpicarum, congregati in faſciculos projiciuntur in ignem. Quis efficiet, ut aliquæ ex his ſpicis ſalventur?

§. 7. *Ruth colligens relictas ſpicas figura Mariæ.* Iterum eximiam oculis veſtris propono figuram ex cap. 2. v. 2. libri Ruth. Booz vir dives emiſerat in agrum meſſores ſuos, illos comitata Ruth ait ad Booz, *ſi jubes, vadam in agrum, & colligam ſpicas, quæ fugerint manus metentium*. hoc fecit, *abiit & collegit ſpicas poſt terga metentium.* Elegantiſſimis S. Bonaventura in ſpeculo Virg. cap. 5. hæc applicat Mariæ, dum ait; *Ruth ergo in oculis Booz, MARIA in oculis Domini hanc gratiam invenit, ut ſpicas, id eſt, animas à meſſoribus derelictas colligere ad veniam poſſit. O verè magna MARIAE gratia, quâ multi ex eis ad miſericordiam colliguntur, qui à Doctoribus & Rectoribus, tanquam incorrigibiles relinquuntur.* Fare amice mi! ſaltem in corde tuo: nunquid aliquando fuiſti talis ſpica? cur infernalis draco te hactenus non devoravit? cur non projectus es in ignem inferni? Cœleſtis Ruth, mater miſericordiæ, à cœleſti Booz, à Filio ſuo, hanc obtinuit gratiam, ut te colligerit, ut te addiderit faſciculo electorum, ut ſpem habeas intrandi horreum cœleſtis gloriæ.

Auget

Auget in immenſum Mariæ miſericordiam erga peccatorem hæc circumſtantia, quod frequenter, tandem in fine vitæ ſuccurrat impio; tum cum jam ſtat ad portas mortis, inferni & æternitatis. Quod Spiritus S. aliquibus promiſit in c. 6. Sap. v. 15. ubi dicitur? *Qui de mane vigilaverit ad illam, non laborabit, aſſidentem enim illam pro foribus ſuis inveniet.* Scio hæc dici de incarnata ſapientia, cum verò à SS. Patribus accommodentur B. V. quæſtio eſt, quænam ſit illa porta, ad quam ſedet tam officioſa & ſollicita. Dicunt quidam, eſſe portam mortis, per quam omnis homo ingredi debet æternitatem. Lyranus ait, ſermonem eſſe de porta judicii; *In porta*, ait, *id eſt, in judicio, quia judices antiquitus in porta ſedebant.* Favet verſus 5. Pſalmi 126. *Beatus vir, qui implevit deſiderium ſuum ex ipſis: non confundetur, cùm loquetur inimicis ſuis in porta.* Senſus eſt: Veniet dies & hora, qua peccator deducetur ad portam mortis, cum moriendum illi erit, eadem hora ducetur ad portam judicii, cum morientis anima ſiſtetur Judici Chriſto; non deerunt inimici, qui loquentur dura, accuſabunt nos dæmones, conſcientia erit teſtis, loquentur SS. Angeli cuſtodes, clamabunt vulnera & ſanguis Chriſti; & multi magno ſuo damno confunduntur, condemnantur, traduntur inimicis. Cui aſcribendum, ut aliqui evadant? & quinam illi ſunt peccatores tam felices, ut liberentur tum temporis ex illis anguſtiis & doloribus inferni? Illi, illi ſunt, qui ad illas portas inveniunt ſedentem matrem miſericordiæ; Dicite ô beati in cœlis latrones, dicite pœnitentes Magdalenæ, per quam portam vos intraſtis in cœlum? quis illam vobis oſtendit? quomodo poſt tranſactam vitam tam ſceleratam liberati eſtis à pœnis inferni? Maria! Maria! illis fuit porta cœli.

§. 8. *Etiam in fine vitæ Maria opitulatur peccatoribus.*

O peccatores! ô animæ piæ! vel ideo diligite, colite, amate Mariam, ut olim ad portas mortis illam inveniatis aſſidentem, pro vobis ſollicitam & vigilantem. Ut in nobis quoque verificentur aurea illa verba S. Ignatii Martyris: *Quos non ſalvat Dei juſtitia, ſalvat ſua intereſſione Mariæ miſericordia infinita.* Ut verificetur illud Hildeberti: *Clementia* [Mariæ] *eſt, aliquid ultrici detrahere ſententiæ.* O quot ultrix irati Judicis ſententia: Ite male-

§. 9. *Apoſtrophe ad peccatores, ut diligant Mariam.*

Digitized by Google

dicti, fulminaſſet in infernum, niſi Maria mater miſericordiæ ſe oppoſuiſſet, & fulmen illud avertiſſet. Ideo ille benè, *aſtitit à dexteris tuis, tanquam noſtra patrocinatrix, gladium evaginandum peccatori impediens.* Fortè ideo dixit ſponſa Cant. 3. v. 4. *Tenui eum, nec dimittam.* Richardus de ſancto Laurent. *Tenui eum, ne ſcilicet percuteret peccatores, nec dimittam, ſed continuâ precum inſtantiâ furorem ipſius retinebo.* O peccatores, quod irata Divinæ Majeſtatis Juſtitia hactenus in vos non animadvertit bene meritis Tartari ſuppliciis, cui vos obſecro tribuendum putatis? audite. *Tenui eum, nec dimittam.* Cujus eſt hæc oratio? Matris miſericordiæ. Cujus hæc verba? Mariæ, dulciſſimæ Virginis. *Tenui eum*, conſtrinxi brachia, ictum inhibui, fulmen averti. *Tenui eum*, ut mater filium, ut ſponſa ſponſum, ut filia patrem. *Tenui eum*, & niſi tenuiſſem, væ tibi miſerande peccator! *Tenui eum, & non dimittam*, quoad mihi tibique benedixerit. O mater amabilis! Maria mater gratiæ! mater miſericordiæ.

§. 10. *Sola pronuntiatio auguſtiſſimi nominis Mariæ, quàm ſit utilis.*

Solum auguſtiſſimum nomen Mariæ, in agone pronuntiaſſe, multis peccatoribus profuit. Quod jucundâ declaro hiſtoriâ. Refert S. Milito, ſuo tempore vixiſſe quendam, cultui B. V. valde addictum, itaque ſuos domeſticos ita inſtruxit, ut ſalutati, vel alios ſalutantes dicerent: *Ave Maria.* Habuit in cavea ſuper menſam pendulam aviculam, quæ eadem verba cantillando itentidem ingeminabat: *Ave Maria*! ſub auroram prima cantiuncula erat: *Ave Maria.* At neſcio, quo caſu avicula è ſua cavea aliquando evolarit in aëra, & ecce mox rapax milvus unguibus eam ſuis apprehendit. Rem miram! inquit hic ſanctus, ad repetitas aviculæ voces: *Ave Maria! Ave Maria!* mortuus in terram ruit accipiter, inſonante avicula per aera: *Ave Maria!* O aviculæ! ô peccatores! ab infantia inſtructi ad cultum magnæ matris, cur nidum, cur ſinum tam dulcis matris deſeruiſtis? cur evolaſtis è nidis SS. Vulnerum! cavete! inſidiatur vobis infernalis milvus! væ vobis! niſi Maria vobis ſuccurrat, ut ſuccurrat, amate, diligite, invocate matrem miſericordiæ. S. Bonav. in Pſalt. *Glorioſum & admirabile eſt nomen tuum O Maria; qui illud retinent, non expaveſcent*

in

in puncto mortis. Nam dæmones audientes hoc nomen Mariæ, relinquunt animam. Sed age.

§. 11. Tragica & affectuoſa hiſtoria.

Quomodo peccatoribus patrocinetur, ex alia hiſtoria intelligite. Contigit Anno 1612. in Hiſpania; Cum maritus intellexiſſet, ſuæ conjugi fuiſſe objectum adulterium, [ſed falſo & innocenti,] furore accenſus, nocte illam rapuit in hortum, collo injecit funem, & ex arbore ſuſpendit: cum illa in corde inclamaret: *O Maria! O Maria!* duo contigêre mirabilia. I. Senſit, ſe levari in aere. II. Funis fuit ruptus, perinde acſi quis illum novaculâ præſcidiſſet. Obſtupuit maritus, non tamen ideo factus mitior, intempeſtâ nocte duxit conjugem in altiſſimum præcipitium, inde in ſubjectam foſſam & præterfluentes aquas præcipitandam. Impulit illam ſemel, bis, ter; ſed fruſtra, cum inclamaret: *O Maria! O Maria!* ſtetit illa immobilis inſtar rupis. Taceo alia inſtrumenta, quibus fruſtra uxori conatus fuit vim inferre. Omni vi potentior auxiliatrix Maria. Sed altior hic mihi occurrit cogitatio. O ſceleſte! dum in ſtatu verſaris peccati mortalis, an non fatalem funem infeliciſſimæ mortis in collo circumfers? & cur diabolus non hoc momento fauces tibi præcludit? Eheu! in quo ſtas præcipitio! cur non hoc momento ruis in tartara? invocaſti fortasſis ſæpius nomen Mariæ? recitaſti fortaſſe frequenter roſarium? nomen dediſti cœtui cuidam vel confraternitati Marianæ? ejus honori quandoque carnem maceraſti jejuniis? in ejus feſtis ſacrâ te ſynaxi reficere ſolenne tibi fuit? Ejus amori ſubinde ſtipem erogaſti in pauperes? O te felicem! Hæc, hæc tua felicitatis origo, ex hoc fonte tibi ſalus, ex hac radice tuæ fructus proſperitatis. Tanti refert, fuiſſe atque etiamnum eſſe ſervulum & clientulum Mariæ.

§. 12. Quomodo Chriſtus D. à SS. PP. vocatur Filius cordis Mariæ; ideo erga peccatores ſit totus miſericors.

Addo aliquid plenum ſolatio. Quod Chriſtus D. ita amet peccatores, quod adeo illis ſit clemens & miſericors, ſuo modo Beatisſimæ Virginis clementiæ aſcribere poſſumus. De fide certum eſt, Filium Dei fuiſſe incarnatum in utero Virginis; dum in illo Spiritus S. ex aliquot guttis Virginei ſanguinis efformavit perfectisſimum corpuſculum, quod animâ animatum, unitum fuit naturæ Divinæ. Quærit P. Salmeron, [vid. T. 3. tract. 9.]

ex qua parte Mariani corporis Spiritus S. ſumpſerit ſanguinem pro formatione illius corporis; an ex capite? an ex pectore? an aliunde? Arbitratur doctiſſimus Abulenſis, ſumptas fuiſſe illas guttulas ex ipſo corde, in quo ſanguis ſolet eſſe puriſſimus & delicatiſſimus, & addit hanc rationem: *Par erat, ut Chriſtus D. foret benignus, mitis, ſuavis, amans, compatiens, miſericors:* & hi corporei affectus vel inclinationes ſuam ſedem habent in corde: Ideo etiam Chriſtus, qua Deus, [teſte Tertull. de Trinit. c. 7.] prodiit ex corde Patris. Verba Tertull. ſunt: *Unigenitus, ut ſolus ex Deo genitus, prodiit de vulva cordis ipſius, ſecundum quod & Pater ipſe dicit* Pſal. 44. v. 1. *Eructavit cor meum Verbum bonum.* Itaque, qui ab æterno prodiit è corde Patris, etiam in tempore, quà homo prodire voluit ex corde Virginis Matris; & ideo S. Bonav. in Pſalt. illam eleganter vocavit: *Venam miſericordiæ.* Quippe quæ è virgineo corde ſtillavit guttulas ſui ſanguinis, ex quibus Spiritus ſanctus in incarnatione formavit corpus Chriſti. Et quomodo fieri poterit, ut filius dulciſſimi & miſericordiſſimi cordis in Maria erga peccatores, non etiam ſit dulcis, ſuavis, clemens, benignus & miſericors Salvator & Pater. Vin' tibi ſuggeram ſuaviſſimas has cogitationes affectibus & ſolatio plenas? Neſcio quî fiat, cum miſericordiam Dei imploramus, plerumque id facimus obteſtando cœleſtem Patrem per pretioſum Filii ſui ſanguinem. Id facite animæ piæ! ecce ſanguinem, qui fluit è SS. Vulneribus Pedum Chriſti Crucifixi, cogitate, hunc ſanguinem pro nobis à Patre efflagitare miſericordiam & veniam omnium peccatorum. Ad ſuaviores effectus concitandos, hoc ſimul cogitate, prima vena hujus ſanguinis in incarnatione ebulliit ex ſuaviſſimo corde Mariæ! & idem ſanguis novo titulo à Patre petet pro nobis miſericordiam. *Chriſtus Dominus eſt Filius cordis Mariæ.* Quid amabilius? pretioſus eſt ſanguis Jeſu? à Maria hauſit. Divinus eſt ſanguis Jeſu? hauſit à Maria. Vivificans eſt ſanguis Jeſu: hauſit à Maria, *Chriſtus Dominus eſt Filius cordis Mariæ.* Proinde non poteſt non eſſe ſanguis hic ſymbolum clementiæ, quia eſt ſanguis virgineus. O vos benedicta CHRISTI vulnera! vos quinque roſei fontes ſalutis!

tis! ſcio jam, ſcio jam veſtram ſcaturiginem! *Chriſtus Dominus eſt Filius cordis Mariæ.* Ex hoc corde dulcia omnia, omnia lactea, omnia amabilia. Ex hoc corde gratia, ſalus, vita. Ex hoc corde clementia, miſericordia, beatitudo. O pœnitentes peccatores, quod itaq; in cruce ex Vulneribus Jeſu pro vobis fluxerit pretioſus ille ſanguis, in redemptionem, in remiſſionem peccatorum, in lavacrum animarum, debemus etiam B. Virgini, quod guttulas ſui ſanguinis ex corde ſuo ſubminiſtravit efformando corpori Salvatoris. Quod Jeſus peccatoribus ſit tam miſericors, pius, bonus; [O bone! ô pie! ô miſericors Jeſu! amo te, diligo te,] hæc omnia debemus Jeſu & Mariæ. Jeſu! Patri miſericordiarum, Mariæ! Matri miſericordiæ.

CONCIO LXIII.

FESTO S. MATTHIÆ APOSTOLI.

Venite ad me omnes, qui laboratis,

Matth. 11. v. 28.

SYNOPSIS CONCIONIS.

OCcaſione horum verborum, ſive ſuaviſſimæ hujus invitationis agit de infinito affectu & miſeratione Chriſti D. erga impios & peccatores.

§. 1. *Reprobatio Judæ: Electio Matthiæ.*

§. 2. *Concionis propoſitio.*

§. 3. *Natura Chriſti Domini eſt, ut etiam peccatores ad ſe vocet.*

§. 4. *Piiſſimus affectus Chriſti Domini vocantis exponitur ſimili*

mili & affectuoſis verbis ſancti Dionyſii.

§. 5. *Proſecutio.*

§. 6. *Similitudo & affectuoſa verba Clementis Alexandrini.*

§. 7. *Chriſtus Dominus Crucifixus gallina, ut recipiat peccatores; Pelicanus, ut vivificet & paſcat.*

§. 8. *Vocat omnes.*

§. 9. *Præſertim oneratos jugo peccatorum.*

§. 10. *Quod eſt duriſſimum, fœdiſſimum, &c.*

§. 11. *Obturamus Chriſto vocanti corda & aures, quia ejus amorem non cognoſcimus.*

§. 12. *Alia affectuoſa circumſtantia illius amoris.*

§. 13. *Oſculum Chriſti D. quod offert peccatoribus, eſt ſuavis ejus inſpiratio.*

§. 14. *Oſcula à Chriſto D. oblata S. Gertrudi.*

§. 15. *Oſculum æternæ gloriæ.*

§. 16. *Præcedere debent oſcula crucis.*

§. 1. *Reprobatio Judæ, electio Matthiæ.*

IN reprobatione Judæ, & electione S. Matthiæ ad Apoſtolatum impletum eſt, quod Dominus dixit ad Prophetam Jeremiam c. 18. v. 1. *Deſcende in domum figuli, ubi audies verba mea. Et deſcendi*, ait Propheta, *Et ecce ipſe faciebat opus ſuper rotam, & diſſipatum eſt vas, quod ipſe faciebat è luto manibus ſuis. Sed converſus fecit vas alterum, ſicut placuit in oculis ejus*; - & hoc poſitum fuit in menſa Regis. Ecce Judam & Matthiam; elegit illum Chriſtus D. ut eſſet vas gratiæ & gloriæ, ſed quia datus in reprobum ſenſum, maluit eſſe vas abominationum & ignominiæ, confregit illum Deus, de arbore ſuſpenſus, crepuit medius. Hodie converſus Dominus, fecit vas aliud, dum elegit S. Mathiam in locum Judæ, ut Dei perfecta eſſent opera. Duodecim elegerat Apoſtolos, qui duodenarius numerus variis ſymbolis exponitur in S. Scrip. Exodi 15. v. 27. per duodecim fontes in deſerto. Lib. 3. Reg. c. 10. v. 20. per duodecim leones throni Salomonis. Exod. 28, 17. & 18. per 12. pretioſos lapides ſive gemmas in rationali ſummi ſacerdotis. Apoc. 21, 14. per duodecim fundamenta civitatis Dei. Apoc. 12, 2. per 12. ſtellas. Verum dum Judas in abyſſum tot ſcelerum, & deniq; deſperationis ſe præcipitavit; ſiccatus fuit unus fons; corruit unus leo regii throni, obſcurata fuit una ex

Digitized by Google

ex pulcherrimis gemmis, dirutum fuit unum fundamentum, cecidit in puteum tenebrarum una ex lucidiſſimis ſtellis, ſed hodie potens fuit Deus ſuſcitare alium fontem, novum & generoſum Eccleſiæ dedit leonem, novam gemmam, novam ſtellam dum ſors ſuper Matthiam cecidit, ut in locum Judæ ſuccederet, quod etiam eſt factum, S. Matthias novus fons doctrinæ, cujus aquis ager Eccleſiæ latè irrigabitur. S. Matthias novus leo; qui hoſtibus Eccleſiæ ſe fortiter opponet. Nova lux & ſtella, cujus radiis aureum eccleſiæ candelabrum pulcherrima luce irradiabitur.

§. 2. *Concionis propoſitio.*

Eximias ejus laudes, virtutes, mortem pro Chriſto, & egregia encomia ſæpius vobis propoſui. Cogito hac concione in ejus honorem fuſius exponere ſuaviſſima hæc Chriſti D. verba ex hodierno evangelio, *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Si placet attendite.

§. 3. *Natura Chriſti D. eſt, ut etiam peccatores ad ſe vocet.*

Perpendite hanc Dei, ſive ſummi boni & conſequenter etiam Chriſti D. eſſe naturam, eſſentiam & proprietatem, prout eleganter loquitur D. Dionyſius l. de d. nom. cap. 4. p. *Vt ad ſe omnia vocet & colligat - vel trahat ad ſe inſtar magnetis: & ideo ſummum bonum etiam dicitur pulchritudo, à græco* κάλλον, *quod ſignificat omnia ad ſe vocare, omnium animos & amores ſibi conciliare.* Cùm itaque Chriſtus Dominus ſit ſummum bonum, & infinita pulchritudo, non debemus mirari, quod in hodierno Evangelio etiam peccatores ad ſe vocet, & quidem tam ſuavibus verbis, *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos:* quibus clare oſtendit, ex phraſi S. Pauli, quod velit omnes ſalvos fieri.

§. 4. *Piiſſimus affectus vocantis Chriſti D. exponitur ſimili; & affectuoſis verbis S. Dionyſii.*

Perpendite 2. vigilantiſſimum illum affectum, ſive ſollicitudinem & curam, quâ Chriſtus Dominus hæc verba protulit: quē S. Bern. ſer. 4. in Pſ. 90. expoſuit his verbis. *Sicut videns accipitrem mater*, ſive gallina, *expandit alas ſuas, ut pulli ſubeant, & habeant tutum refugium; ſic nobis parata, & quodammodo dilatato ſinu, extenſa eſt, ſumma illa & ineffabilis pietas Domini noſtri.* Cujus affectus & pietatis magnitudinem, valde auget illa circumſtantia quam advertit citatus S. Dionyſius, *Quid quod ſæpè reſilientes*, [reluctantes, recalcitrantes] *ipſe DEVS amatorie inſequitur*, quod ſponſus feciſſe videtur in Cant. cap. 6. v. 12. cum

ſponſæ abeunti poſt veſtigia hœdorum, *Revertere, revertere revertere Sulamitis*, quæ repetitæ voces nil aliud ſignificant, quàm vehementiam deſiderii & amoris, quo vult Chriſtus D. ut ad ſe revertantur etiam graviſſimi peccatores.

§. 5. *Proſecutio.*

Verbo inſequitur, S. Dionyſius adjungit aliud æquè affectuoſum verbum, dum ait, *ac deprecatur*, [Chriſtus D. his verbis,] *venite ad me omnes*, non obiter tantum ad ſe vocat impios, ſed precatur, orat, addit obteſtationes ut convertamur. Eja peccatores! cum hoc ſacro tempore Quadrageſimæ pios oculos conjicitis in aliquam imaginem Crucifixi, cum cernitis hiantia vulnera, clavos in manibus & pedibus, ſpinas in capite, lanceam in corde; cogitate hæc omnia habere linguas & voces, quibus clamant, *venite* ad optimum JESUM Salvatorem. Clarius ſecundum mentem S. Dionyſii, Chriſtus Dominus per ſua vulnera, per pretioſum ſanguinem, per mortem crucis nos deprecatur, ut convertamur, ut hoc ſacro tempore veniamus ad fontes ſalutis.

§. 6. *Similitudo ac affectuoſa verba Clement. Alexandr.*

Eleganti ſymbolo utitur Clemens Alexandrinus adhort. ad gentes. *Sicut cum pullus è nido excidit, mater avis à nido advolat;* ita Chriſtus Dominus ſollicitus eſt, ut peccatorem lapſum è nido gratiæ, ac SS. vulnerum, mox advolet & reducat. *Si verò*, pergit Clemens Alexandr. *Si quando ſerpens pullos devoraturus inhiat, quomodo mater cariſſima circumvolat, quomodo cariſſimos natos protegit & defendit. Si verò aliquis pullus lapſu pereat, vel à ſerpente devoretur, quo mœrore, qua triſtitia damnum videtur deflere.* Hoc ſenſu puto Tertullianum l.2 de reſur. carnis cap. 8 voraſſe cor humanum, ſive peccatorum, *Curam ingenii divini*, addo ego, Chriſtus Dominus ita vigilat, ita ſollicitus eſt, ut lapſum peccatorem erigat, ut eum eruat è faucibus infernalis ſerpentis, ſi peccatoris culpa non fiat, ſed pereat; cum lachrymis miſerum deflet, ut quondam ſuper ingratam flevit Jeroſolymam; & jurat, *Nolui ego mortem peccatoris.* Benigniſſimus JESUS pœnitenti ſtatim occurrit, ita ait S. Auguſtinus in perſona peccatoris ad Chriſtum Dominum in libro medit. cap. 2. *Si pœnitceo, parcis; ſi revertor, ſuſcipis; inſuper dum differo, præſtolaris.*

laris. Revocas errantem, incitas repugnantem, exſpectas torpentem, complexaris redeuntem. Propter hæc omnia clamat, *Venite, nec voce tantùm,* (S. Auguſt.) *ſed dictis, factis, morte, vita, deſcenſu, aſcenſu; omnia hic clamant, ut ad eum redeamus, ut pœniteamus.*

De gallina dixit Plutarchus; *quotidie ante oculos habemus, quomodo gallinæ foveant pullos: ſi forte à matre nonnihil abierint, & mox ob imminentem accipitrem redeant ad matrem, quomodo illa illis aperiat alas, quomodo tegat, quomodo cum aggratulatione & læta blandaque voce accurrentes recipiat.* [Vide in Bibl. Scriptorum Soc. Franciſcum Bentzium,] Longè excellentius ſpectaculum habemus ante oculos in Chriſto Salvatore noſtro crucifixo? nam cur ita expandit brachia affixa cruci? cur roſeum aperit latus? cur ſinum dilatat cordis? cur ſanguineas genas offert ad oſculum? quid ſignificat vocula *Sitio*; niſi has voces, O animæ piæ! ô peccatores! ô David! ô pie latro! ô Petre! ô S. Paule! ô filii prodigi! ô Magdalenæ! venite ad me omnes; ecce alas! huc fugite; amplectar vos. En tutum aſylum in latere, in corde meo, huc venite! hic protegam vos. En hiantia Vulnera pedum! huc fugite; hic vos abſcondam. Ecce umbram arboris vitæ, ſanctiſſimæ meæ crucis! huc venite, hic refrigerabo vos. Ecce fontes vitæ! huc venite; meo ſanguine potabo vos. Ecce ſum pelicanus! patet pectus, ſcaturit ſanguis, huc venite; hic ſugite, lambite cruorem meum. Potus iſte eſt potus vitæ. Ecce ciſtas theſaurorum meorum; Venite, & ſumite aurum charitatis cum denario æternæ gloriæ. Quam affectuoſas cogitationes nobis ſuggerunt, hæc ſuaviſſima CHRISTI Domini verba: *Venite ad me omnes.* §. 7. *Chriſtus Crucifixus gallina, ut recipiat peccatores & pelicanus, ut paſcat.*

Perpendite III. quos vocet, nimirum omnes, nemine excepto; juxta illud S. Timoth. ep. 1. c. 2. v. 4. *Qui omnes vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire* & illud S. Dionyſii: *Quemadmodum ſol iſte, non cognitione vel electione, hunc vel illum,* [valles vel montes, arbores vel plantas, aërem vel terram,] *ſed omnia illuminat; ita & ſummum illud bonum, ſolem ſuperans, omnibus totius bonitatis injicit radios.* Quod ſi quid eſt, quod illos non §. 8. *Vocat omnes.*

 hauriat,

hauriat, quod non illuminetur; id non imbecillitati aut brevitati luminoſæ iſtius diſtributionis imputandum eſt, ſed iis potius, qui percipiendæ luci minus idonei ſunt, neque ſe ad conſortium lucis extendunt. Mirari certè ego ſatis non poſſum, etiam hoc quadrageſimali tempore filios hujus ſæculi ambulare in tenebris, hærere inſepultos denſæ nocti graviſſimorum ſcelerum; nunquid veluti ſoles radiant quinque SS. Vulnera in aureo candelabro S. crucis; ut illuminentur impii, ut veniant ad agnitionem veritatis, &c. & omnes, nemine excepto. Sed hæc eſt cauſa; non ſunt idonei recipiendo tanto lumini; claudunt valvas obſtinati cordis, nolunt, nolunt inquam accedere ad conſortium lucis, nullum cupiunt commercium cum Jeſu crucifixo. Clamat ille: *Venite omnes*; reſpondent illi: *Nolumus*. Hinc impœnitentia, hinc perſeverantia in malo, hinc obſtinatio, hinc deſperatio, hinc æterna damnatio.

§.9. *Præſertim oneratos jugo peccatorum.* Addit Chriſtus D. *Venite omnes, qui onerati eſtis*: Quoſnam intelligat, expoſuit S. Chryſ. hom. 40. in Matth. *Nullo pondere gravius premitur anima, nihil magis illam dejicit atq; proſternit, quàm malè actæ vitæ, & peccatorum conſcientia & recordatio.* Quod ſenſit David inter regias delicias, cum ingemuit Pſ. 37, 5. *Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me.* Senſit hoc pondus Jerem. Thren. c. 1., 14. *Vigilavit jugum iniquitatum mearum; in manu ejus convolutæ ſunt, & impoſitæ collo meo; infirmata eſt virtus mea; dedit me Dominus in manu, de qua non potero ſurgere* Inſinuat Propheta, quamvis iniquitatem, vel quodvis peccatum mortale eſſe graviſſimum pondus & jugum.

§.10. *Quod eſt duriſſimum fœdiſſimum, &c.* Illud jugum, quo Pharao preſſit Hebræos in Ægypto, fuit tam grave, ut gemitus illorum aſcenderit ad cœlum. Exodi 3. v. 9. *Clamor filiorum Iſrael venit ad me, vidiq; afflictionem eorum, quâ ab Ægyptiis opprimuntur.* Lev. 26, 13. Jugum hoc vocatur: *Catena cervicum.* Deut. 4, 20. ferrea fornax: *Vos eduxit de fornace ferrea Ægypti.* Varias jugi hujus circumſtantias exprimit ſacer textus, fuerunt coacti conquirere paleas, coquere lateres, tractare lutum, ducere foſſas; hæc omnia ſine mercede, imo addebantur flagra & flagella; & quotidie ſine intermiſſione & quiete: Qualis ſervitus? quæ miſeria? longè tamen miſerior eſt ſtatus peccatoris; premitur

jugo

Digitized by Google

jugo duriſſimo, quot ſcelera, tot catenæ, jugo tam ſpurco, fœdo & abominabili, ut Joël dixerit c. 1, 17. *Computruerunt jumenta in ſtercore ſuo.* Lib. 1. Mach. c. 1, 2. *Gloria eorum ſtercus & vermis eſt*; [vide pulchra in Thren. Jer.] Itaq; hoc jugum deſiderat Chriſtus D. excutere è dorſis noſtris, ideo clamat: *Venite ad me omnes, qui onerati eſtis*; ego illud onus humeris meis imponam, ut ſubmergam cum Pharaone in mari pretioſiſſimi mei ſanguinis, vos eritis liberi. Aſtringet tamen nos aliis funibus, de quibus ait David Pſ. 15. v. 6. *Funes ceciderunt mihi in præclaris*; alii legunt: *In jucundis, in elegantibus, in amœnis.* S. Hieron. *In pulcherrimis*; ut ſciamus, illos funes, quibus alligamur jugo Chriſti, non eſſe ferreos, vel duros & graves, ſed jucundos, amœnos, pulcherrimos; ſive, nihil dulcius, nihil pulchrius, nihil amœnius eſt, quàm ſervire Chriſto. Sed timeo ne locum habeant verba Salomonis in Prov. c. 1. v. 24. Vocat nos Chriſtus D. & renuimus; extendit manum ſuam, ut tollat tam durum jugum, & non eſt, qui aſpiciat. LXX. Vocat Chriſtus D. [immuto nonnihil verba S. Script. ad meum ſenſum,] & non audimus; extendit ſermones ſuos, & non attendimus. Hoc loquitur ſuaviſſimè; eloquia ejus ſunt dulcia gutturi noſtro, &c. nihilominus multi non audiunt. Pſal. 57. v. 5. *Furor illis ſecundum ſimilitudinem ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas. Quæ non exaudiet vocem incantantis*, id eſt, Chriſti D. ſuaviſſimè nos vocantis. Imo aliqui pejores ſunt his ſerpentibus, ſaltem ſubinde aſpides, ex ſolo vocis ſono, vel ſopiuntur, vel ex cavernis extrahuntur. Hæc eſt intentio Chriſti D. in hodierno Evangelio; ſono horum verborum: *Venite, &c.* conatur è cavernis ſcelerum peccatores [ſed prô dolor, fruſtra!] extrahere.

§. II. Obturamus vocanti Chriſto D. corda & aures, quia ejus amorem non cognoſcimus.

Aperiremus corda & aures ſuaviſſimis Chriſti vocantis verbis, ſi infinitũ illius erga nos affectũ, ut oportet, cognoſceremus. Mirantur Interpretes, ſponsã ſuũ canticũ exorſam eſſe, tam audaci, ut apparet, petito, *Oſculetur me oſculo oris ſui*, c. 1. v. 1. Reſpondent Theodor. Appon. & Beda: *Cum ſponſi pulchritudinẽ, robur, divitias, regnũ, quod in omnes habet; vim ejus æternã incorruptibilẽ, nullũ habiturã finẽ, intellexerit; cum videre concupiſcit, & in complexũ ipſius ruere, atq; illi oſcula dare ſpiritualia.* Cum quodã ſolatio legimus vel audimus impudentem quaſi charitatem pœnitentis Magdalenæ, quod irruerit

in domum Simonis, penetraverit conclave convivii, acceſſerit ad menſam, proſtraverit ſe humi, lachrymis rigaverit pedes, abſterſerit capillis, inunxerit balſamo, & ſuaviſſima dederit oſcula; omnium cauſam inſinuat ſacra hiſtoria, cum cognoviſſet; quis nimirum eſſet Chriſtus D. quàm gratioſus, quàm affabilis, &c. Cum cognoviſſet, quod eſſet Filius Dei; ſe totam illius amori conſecravit, *Venite*, ait Chriſtus D. ad peccatores, *Venite ad me omnes*; ſi inquam & nos cognoſceremus; quis nos vocet; ille ſpecioſus præ filiis hominum; ille dives, ille potens, qui nos poteſt damnare vel ſalvare, &c. nunquid quivis ſuſpiraret cum ſponſo, Ah! oſculetur me oſculo oris ejus, nunquid rueremus in amplexus, &c [Eſt locus pro piiſſimo affectu.]

§. 12. *Alia affectuoſa circumſtantia illius amoris.*

Quanto amore & gaudio Chriſtus D. Salvator noſter impios ad ſe revertentes excipiat, quàm promptus ſit ad deſiderata oſcula pacis & reconciliationis, graphicè depingit S. Dionyſius ep. ad Demophilum: *Quid quod deliciis quoque reſolutos, ac per id redire differentes benigniſſimè tolerat, imo & promiſſionibus relevat, blandiisque demulcet.* Cumque adhuc procul ſint, quæ ad ſe redeunt, lætus occurrit, atque obvius fit, & totus, totos complexus oſculatur, nec prioris illos averſionis culpant, [ſi ipſi cum filio prodigo dicant: *Pater peccavi*,] verùm præſenti converſione [id eſt, dolore, contritione, &c.] contentus, & diem feſtum agit, & convocat amicos. Quid affectuoſius hoc tempore Quadrageſimæ de infinito amore vocantis Jeſu erga peccatores dici poteſt, quam quod redeuntes, totus; id eſt, manibus, brachiis, pectore, corde; totos complectatur. Ad hos amplexus, ad hæc oſcula nos invitat, his verbis: *Venite ad me omnes, &c. Eja animæ piæ* [S. Bern.] *proſternite vos ad oſcula pedum, lachrymisque illos rigate, nec inde ſurgite, priusquàm audiatis, remittuntur vobis peccata veſtra.* Quantum doletis; tantùm in fiducia dilatamini; & forſitan audebimus [pavens, ac cum tremore dico] ad manus, ad benedictum cor, ad ipſum os, caput & ardentiſſima deſideria tollere. Ecce pedes! ecce manus! ecce cor! ecce caput! ecce genas! ecce labia Crucifixi; ut nos totus, totos amplectatur.

Ne

Digitized by Google

Ne miremini, me in explicatione horum verborum Chriſti: *Venite ad me, &c.* facere mentionem oſculi; nam, Chriſtum D. hoc tempore dicere ad peccatores: *Venite ad me*, & offerre illis oſculum pacis, amoris, reconciliationis, idem ſunt. Dico hoc ex S. Gregorio Magno hic, qui ita ait: *Os ſponſi inſpiratio Chriſti.* Verba hæc Chriſti Domini *Venite*; nil aliud ſunt, quam ſuaviſſima inſpiratio, vocatio, allocutio; proferendo ergo illa, Chriſtus Dominus oſculum nobis offert. *Oſculum oris*, pergit ſanctus Gregorius: *Dulcis amor inſpirationis. Dicit ergo ſponſa deſiderio æſtuans, & in amplexum ſponſi ſui inardeſcens, oſculetur me oſculo oris ſui, quaſi diceret, ille, quem ſuper omnia, imo ſolum diligo, veniat, qui dulcedine ſua inſpirationis me tangat; quia, cum ejus oſculum ſentio, ſubita mutatione me derelinquo, & in ejus ſimilitudinem illico, liquefacta transformor.* Addit deinde S. Greg. cauſam, ob quam ſponſa hæc deſideret. *Quia ſi ille gratiſſimi amoris vinculo hanc non trahit, hæc vi ſua moleſtiſſima gravedinis detenta, quomodo ſe ad illum conferat, omnino non invenit. Sed pius ſponſus anxietatem ejus ſentiens, amorem diligens, votum exaudiens, oſculum porrigit, & ne deſiderio laſſeſcat, guſtu ſua ſuavitatis lenit, & dum ſuam præſentiam exhibet, eam ad majus dilationis oſculum accendit.* Ex hoc diſcurſu S. Greg. ſuper illa verba: *Venite ad me omnes, &c.* perpendite ulterius finem, ad quem v. g. hoc tempore Chriſtus D. de cruce illa proferat ad peccatores; quare dicat: *Venite ad me omnes, &c.* ſubitam ſcilicet immutationem, ut v. g. deſeramus vana, &c. [Eſt locus pro pulchra inductione.] Sed mi Jeſu! aliud inſuper requiritur, ut gratiſſimi amoris tui vinculo trahas, ut nos diligas, &c. §. 13. *Oſculum Chriſti D. quod offert peccatori. eſt ſuavis ejus inſpiratio.*

O obſtinate peccator! ô ſaxum! adhuc reluctaris? adhuc reſiſtis, ne Jeſus de cruce te oſculetur? S. Gertrud. l. 2. revel. c. 21. gloriata fuit: *Quadam vice, cum pſalmodiæ tota intenderem, tu Domine dediſti decem vicibus & amplius dulciſſimum oſculum ori animæ meæ.* O oſculum longè exſuperans omnem aromatum fragrantiam, & omnem mellis dulcedinem! fare tu impie! ab annis 10. 20. &c. quoties Salvator tuus de cruce tibi obtulit oſculum; quoties tibi inſpiravit: *Convertere, &c.* quoties dixit: *Veni fili!* §. 14. *Oſcula à Chriſto D. oblata S. Gertrudi.*

audi!

audi! etiamnum offert hoc oſculum! &c. quid hæres, quid reluctaris? eja ſurge, feſtina, abjice te tandem ad ſanctiſſimos Crucifixi pedes, & clama cum filio prodigo: *Peccavi, peccavi*, Luc. 15. v. 21. abjice veſtes ſuperbiæ, devita domus luxuriæ, ſolve compedes peccatorum, quibus te hactenus infernalis venator vinctum tenuit atque circumduxit, & curre ad Chriſtum Jeſum, qui te tam ſuavibus & melleis invitat verbis: *Venite, &c.* O vocem amabilem! ô vocem jucundam! ô vocem omni ſolatio plenam!

§. 15. *Oſculum æternæ gloriæ.* Hoc oſculum ſequetur oſculum æternæ gloriæ & beatitudinis. Refertur de anima cujusdam Sancti, qui multas in hac vita ærumnas ſuſtinuerat, quod cum poſt mortem amico appareret, illeq; percunctaretur, num tantis doloribus condigna illi reddita forent gaudia, reſponderit: *Ipſa prima cælitum ſalutatio, quâ me cælum ingredientem complexi ſunt, ac præſertim primum Chriſti oſculum, quo me deoſculatus eſt; ita mihi ſuave accidit, itaque intima mea pervaſit, ut illicò omnium laborum oblíviſci fecerit, omniumque dolorum memoriam mihi ademerit & abſterſerit;* juxta illud Apoc. 21. v. 4. *Abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, mors ultra non erit, &c.*

§. 16. *Præcedere debent oſcula crucis.* O beatum oſculum! quis non dicat cum Sponſa: *Oſculetur, &c.* Sed animæ piæ; neceſſe eſt, ut præcedant oſcula Crucifixi, &c.

NB. Pro Auctario hujus materiæ (amore & affectu CHRISTI *Domini erga peccatores,) incipe percurrere P. Cornelium à Lapide in Cantica à fol. 14. reperies pulchra & aurea, quæ ad hanc Concionem illuſtrandam & dilatandam ſummoperè ſervient.*

CON

EXHORTATIO

FESTO S. JOSEPHI, SPONSI B. VIRGINIS.

Jacob genuit Joſeph, virum Mariæ,

Matth. 1. v. 16.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

SAnctus Joſeph, quorum peculiaris ſit Patronus, Advocatus & Pater: miſcentur variæ praxes illum colendi.

§. 1. *Pium votum Gerſonis & Auctoris.*

§. 2. *Sanctus Joſephus illorum patronus, qui per confeſſionem ſe præparant ad ſanctam mortem.*

§. 3. *Sanctus Ioſeph illorum patronus, qui in periculis conſtituti, piè illum invocant.*

§. 4. *Illorum, qui ejus feſtum piè celebrant.*

§. 5. *Illorum, qui per ejus manus* DEO *offerunt ſuas orationes.*

§. 6. *Illorum, qui in omni neceſſitate illum invocant.*

§. 7. *Illorum, qui devotè meditantur mortem ſancti Ioſephi.*

§. 8. *Illorum, qui memores ſunt dolorum & gaudiorum ſancti Ioſephi.*

§. 9. *Illorum, qui illum eligunt in Patrem.*

§. 10. *Piiſſima promiſſio de propagatione cultus ſancti Ioſephi.*

Digitized by Google

§. 1. *Pium votum Gerſonis & Auctoris.*

PRo exordio præſentis exhortationis utar ex corde verbis piiſſimi Gerſonis ſerm. de Nat. Virginis: *Cuperem, ut mihi verba ſuppeterent, ad explicandum tantum myſterium, tam admirandam venerandamque Trinitatem, Jeſum, Mariam & Joſephum.* Cum ante biduum hujus feſtum celebravimus, merito opto ut mihi verba ſuppeterent ad explicandum, qualis & quantus Sanctus ſit S. Joſeph; & præſertim, quàm beneficus patronus & advocatus, & amabilis pater. Ex materia vaſtiſſima proponam hoc, quorum S. Joſeph ſit peculiaris patronus, advocatus & pater, & ſimul praxes illum colendi. Opto, ut accedat ad majorem cultum magni hujus Sancti.

§. 2. *S. Ioſeph illorum patronus, qui per confeſſionem ſe præparant ad ſanctam mortem.*

Ita habet Manuale Sodalitatis Tyrnavienſis, devotiſſimus libellus, ſervabo ordinem, quem habet libellus, S. Joſephus, patronus illorum, qui benè volunt confiteri, in ordine ad obtinendam ſanctam mortem. Stengelius in ipſius vita cap. ult. refert, S. Joſephum nobili Veneto, cujus devotio erat orare coram ejus ſtatua, in morbo apparuiſſe, & monuiſſe, eſſe tempus confitendi, acceptis SS. Sacramentis: *Æger in manibus D. Joſephi animam exhalavit, qui eam ad æternam hæreditatem ſecum tulit.* Hinc illud ardens pii clientis ſuſpirium, *O innocentiſſime Joſeph! tu mihi ad ſanctiſſima pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramentum eunti, comes & magiſter eſto, tu omnes dies & horas meas, ſed ultimam potiſſimum ita dirige, ut in agone fidelem opem tuam ita experiar, ut in tuis manibus exhalem animam, quam tu ad æternam hæreditatem feras, & reponas in ſinu IESV & MARIÆ.*

§. 3. *S. Ioſeph illorum patronus, qui in periculis conſtituti, piè illum invocant.*

S. Joſeph eſt patronus illorum, qui verſantur in magnis periculis, ſi pio corde invocetur. Teſte Gratiano Carmelitâ lib. 5. de S. Joſeph. Religioſus quidam cliens S. Joſephi, in itinere aberravit ad montem feris infeſtum, ibi à nocte depræhenſus, obviam habuit amabilem virum, qui jumentum ducebat, cui modeſtisſimæ pulchritudinis fœmina cum pulcherrimo in ſinu parvulo inſidebat. Simul ambulantes, de divinis rebus collocuti, Religioſi cor mirabili devotionis affectu, & amoris flammulis ita incaluit, ut cœleſtibus deliciis fuit delibatus, ut ſibi videretur

deretur ambulare, non in monte, non inter feras, ſed in quodam paradiſo. Ubi ad rectam ſemitam pervenit, evanuere tam amabiles comites JESUS, MARIA, JOSEPH. Hinc hoc ſuſpirium. *O S. Ioſeph, O præfecte itinerum Ieſu & Mariæ, tu mihi manuductor eſto, tu meorum itinerum per viam crucis, per ſemitam à S. Ignatio monſtratam, eſto ſolatium & præſidium, præſertim in agone, in longiſſimo itinere ad æternitatem.* Ex priori hiſtoria hoc adhuc avertite, S. Joſepho gratiſſimum eſſe, libenter loqui de rebus piis.

S. Joſeph patronus illorum, qui diem ejus feſtum celebrant confeſſione, communione, & aliis devotionibus. Solatur me promiſſio facta à Chriſto Domino S. Joſeph, prout refert Iſolanus ad Adrianum VI. Pontificem, in Orient. hiſtor. p. 3. c. 9. hæc fuiſſe ultima verba Chriſti Dom. ad morientem S. Joſephum. *Ero auxiliator omni homini in Eccleſia juſtorum, qui in die memoriæ tuæ, O Ioſeph, DEO ſacrificia obtulerit, & qui meditabitur in laboribus & vita tua.* Hinc ardens propoſitum in clientibus S. Joſeph, ut diem ejus feſtum tranſigant ſanctiſſimè. §. 4. *Illorum, qui ejus feſtum piè celebrãt.*

S. Joſeph peculiaris patronus, advocatus & benefactor eſt illorum, qui, ut orationes vocales faciant ardentius, illas Deo, JESU, & MARIÆ, offerunt per manus S. Joſephi, qui ſibi perſuadent S. Joſephum eſſe magnum Magiſtrum benè orandi. Non miror, ejus Magiſtri fuerunt JESUS & MARIA. Wilhelmus piiſſimus Sodalis Dilingæ (ita habet Mercius in ejus vita anno 1627.) ſub cibo præ oculis habebat ſanctum Joannem recumbentem in pectore JESU, in aliis occupationibus alios ſanctos, *pro vocali oratione devotè fundenda Patronus electus ſanctus Ioſeph Beatiſſimæ Virginis Sponſus.* Cum recitaret roſarium, cogitabat ſe recitare cum S. Joſepho (eſt locus pro pulchra inductione) adeò verò oravit ardenter, ut Angeli cum illo recitarint horas Canonicas; & denique coram Crucifixo orantem, Angelus de inſtanti hora mortis monuit, & morienti aſtitit Beatiſſima Virgo, cum ſancta Catharina & ſancta Barbara. *O ſancte Ioſeph* (ita ſuſpirant ejus Clientes) §. 5. *Illorum, qui per ejus manus Deo offerunt ſuas orationes.*

Digitized by Google

quia excellentiſſimam artem orandi à Jeſu & Maria didiciſti ; ab iiſdem eandem gratiam mihi & tuis clientibus impetra, ut oremus quaſi oremus cum Angelis, ſi mane ſurgeremus, quaſi ſurgeremus cum S. Ioſepho, ſi meditaremur &c. eſt locus pro pulchra inductione, ut denique in agone, magno nobis ſit ſolatio ſumma cum devotione oraſſe.

§. 6. *Illorum, qui in omni neceſſitate illum invocant.* Sanctus Joſeph patronus eſt illorum, qui non tantum ſubinde, & in aliquibus caſibus, ſed in omni neceſſitate ad illum fidenter recurrunt. Cauſam advertit S. Thomas Aquin. cujus hæc fuit maxima, omnium ore & calamis celebratam. *Quibuſdam Sanctis datum eſt, in aliquibus præcipuè patrocinari, ſicut S. Antonio ad ignem, S. Apolloniæ ad dolorem dentium, SS. Sebaſtiano & Rocho ad peſtem, &c. at Sanctiſſimo Ioſepho, in omni neceſſitate, & negotio conceſſum eſt, opitulari, & omnes ad ſe piè confugientes defendere, fovere, & paterno affectu proſequi.* O S. Joſeph fidem adhibebo tanto Doctori, ab hoc die iterum ſtatuo, poſthac in omni neceſſitate corporis & animæ ad te confugere, præterea omnes meas cogitationes, verba, opera in tuas trado manus, ut tu illa cum JESU & MARIA, præſentes ſanctiſſimæ Trinitati, ad ſummam ejus gloriam. Hoc cogitabo manè evigilans, hoc cogitabo ſæpius per diem, hoc cogitabo veſpere vigilans, hoc ſomniabo dormiens, ut in omnibus Patronus, Advocatus & Pater, & protector meus ſit S. Joſeph!

§. 7. *Illorum, qui devote meditantur mortem S. Ioſephi.* S. Joſeph peculiaris patronus eſt illorum, qui frequenter meditantur felicem mortem S. Joſephi, & ſuam illi unicè commendant. Stengelius in vita S. Joſeph. c. 14. Cum aliis ajunt, fide digniſſimum eſſe, quod hiſtoria quædam Orientalis narrat, ipſum Chriſtum Dominum narraſſe Apoſtolis multa de morte S. Joſephi, aſtitiſſe illi S. Michaelem & Angelum Cuſtodem, obiiſſe inter dulciſſima colloquia, jam cum JESU, jam cum MARIA, capiti ad dexteram aſtitiſſe filium, ad ſiniſtram ſponſam, oculos clauſiſſe eoſdem, & tum à filio factam promiſſionem, cujus ſuperius mentio facta fuit. O Sancte Joſephe cum ſummo jubilo & cordis lætitia tibi de tam felici morte gratulor, ſed ſimul per eandem ſumma animi devotione rogo ac precor,

ut

Digitized by Google

ut mihi & tuis clientibus hanc impetres gratiam, ut tuo exemplo Jeſum filium tuum, MARIAM ſponſam tuam, tam tenerè & ardenter amemus, ut in horâ mortis tu nobis adſis, & tecum Jeſus & Maria! ut Jeſus & Maria nobis omnibus benedicant. Ob multas & varias cauſas illa ultima & extrema hora erit deſolatiſſima, ſed dulciſſima ſi &c.

Sanctus Joſeph peculiaris eſt patronus illorum, qui quotidie vel ſaltem die ſabbathi, præcipuè per Octavam ejus feſti ſæpius orant 7. ſalutationes Angelicas in honorem ſeptem gaudiorum & dolorum ejus. Joannes Fanus in hiſtoria Seraphica, & alii referunt, duos ſancti Franciſci Religioſos, pereuntibus in naufragio triginta ſociis tabulæ adhæſiſſe, tres dies & noctes per maris procellas jactatos fluctuaſſe. Invocatus ab illis ſanctus Joſephus amabili quadam pulchritudine coram illis reſplenduit, benignè ſalutavit, ſolatus eſt, & ad portum deduxit incolumes. Petentibus quis eſſet, *Ego*, inquit, *ſum ſanctus Ioſeph*, & poſteaquam illos docuit, ut Dominicam, & Angelicam orationem ſepties dicerent in memoriam ſeptem ſuorum dolorum & gaudiorum, è clientum oculis evanuit, ſed non è cordibus. Terribilis nobis omnibus imminet tempeſtas! jactabitur noſtra cymba inter fluctus, &c. Timeo, horreo, ſed timerem adhuc magis, niſi ſperarem, non deſerendum me à ſancto Joſepho, &c. ut ſimus certiores, conemur majori adhuc devotione eſſe memores dolorum & gaudiorum beati Joſephi. Diffluo gaudio, dum perpendo hæc amabilia verba mei ſancti Patroni, *Ego ſum Ioſeph*, nam, ego ſum Joſeph, hoc eſt, ego ſum amabilis pater (eſt affectuoſus locus.)

§. 8. *Illorum, qui memores ſunt dolorū & gaudiorū S. Ioſephi.*

Sanctus Joſephus peculiaris & ſingularis eſt patronus atque Advocatus illorum, qui illum non aliter nominant, colunt, amant, diligunt, ad illum in omnibus ſuis neceſſitatibus atque anguſtiis, quibus in hac vita premuntur, tanquam ad firmiſſimum aſylum confugiunt, illi fidunt, illum ſuaviter alloquuntur, prout amantiſſimi & chariſſimi filii nominare, colere, amare, &c. ſolent dilectiſſimum patrem. P. Ribera

§. 9. *Illorum, qui illum eligunt in Patrem.*

Digitized by Google

bera refert in vita ſanctæ Thereſiæ libro 4. capite 13. Sanctam Thereſiam parvulam, cum in locum demortuæ Matris in Matrem elegiſſet Beatiſſimam Virginem, hæc illi apparuit cum glorioſo ſancto Joſepho in magna gloria, & oſtendit, ſibi placere hanc electionem, fore ſe Matrem, ſed ſimul oſtendit, fore ſibi ſingulariſſimè gratum, ſi ſancta Thereſia in patrem eligeret dilectum ſuum ſponſum ſanctum Joſeph, & ſingulari illum complecteretur dilectione. Quod fecit. Omnibus notiſſima eſt Seraphicæ Virginis ſanctitas, &c. ſed teſtata fuit, peculiari revelatione ſe accepiſſe, tantam à CHRISTO Domino, à ſanctiſſima Trinitate collatam ſibi ſanctitatem, tantas gratias, tam ſublimem perfectionem, verbo, omnia dona ſibi collata eſſe precibus Deiparæ & ſancti Joſephi; ut merito eadem ſancta Thereſia dixerit: *Perſuadere omnibus vellem, ut mirificè erga glorioſum hunc virum & amabiliſſimum patrem afficerentur*; & addit: *Neminem novi, qui peculiaribus obſequiis huic devinctus, in virtute, ejus ope, non profecerit.* Scio omnes præſentes peculiari devotione ferri erga Beatam VIRGINEM, & nunquid ſi ſciamus, illam aliquid peculiare à nobis exigere, id libenter faciemus? Nunquid toties illam eligimus in Matrem, quæſo ſimus memores, fore illi gratiſſimum, ſi ſanctum Joſephum eligamus in patrem, ſi tenerrimè illum amemus, ſi altè cordibus noſtris inſcriptum ſit nomen amabiliſſimi Patris ſancti Joſephi. Utinam favor nobis obtingat Beatæ Margaretæ à Caſtro, Ordinis ſancti Dominici, Anno 1320. In corde aperti corporis reperti fuerunt tres pretioſi lapilli, in quorum primo naſcens JESULUS, in ſecundo MARIA Deipara, in tertio JOSEPH aureis ornati paludamentis amicti fuerunt viſi. O ſi ego hæc eadem ſanctiſſima nomina omnium cordibus poſſem inſcribere JESUS, MARIA, JOSEPH.

610. Finio Exhortationem, ſolatur me quædam prophetia, quam ex ſæpius citata Orientali hiſtoria refert Iſiodorus Iſolanus. SPIRITUS ſanctus non deficiet à movendis cordibus fidelium, donec omne imperium militantis Eccleſiæ exaltans,

Piiſſima promiſſio de propagatione cultus S. Ioſephi.

altans, Divinum Joſephum novâ proſequatur veneratione, condat cœnobia, Eccleſias & Altaria in ejus erigat honorem. Feſta celebrabuntur, & ei vota vovebunt, & ſolvent cuncti populi; aperiet DOMINUS aures præcordiorum intellectûs, & viri magni ſcrutabuntur interiora dona DEI abſcondita in ſancto JOSEPHO, & invenient theſaurum optimum, &c. pinguedo enim & abundantia donorum Spiritualium in ſancto JOSEPHO micuerunt. Benedicite igitur ô populi [ô chariſſimi Auditores] ſanctum Joſephum, ut benedictionibus repleamini, qui enim benedixerit illi, erit & ille benedictus; qui maledixerit ei, in maledictione reputabitur.

Ego ſum JOSEPH, *hoc eſt, Sponſus Mariæ.*
hoc eſt, Nutritius Ieſu,
hoc eſt, vir ſecundum cor Dei,
hoc eſt, ſolatium Mariæ,
hoc eſt, in virginitate mundiſſimus,
in humilitate profundiſſimus,
in charitate ardentiſſimus,
hoc eſt, advocatus,
patronus, clemens, pius, dulcis,
hoc eſt, pater, &c.

CON-

CONCIO LXIV.

FESTO ANNUNTIATIONIS B. VIRGINIS.

Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum,

Luc. 1. v. 38.

SYNOPSIS CONCIONIS.

AGit de doloroſæ Virginis & Matris immenſis doloribus.

§. 1. Feſtum Annuntiationis eſt feſtum ſuaviſſimum.

§. 2. Dolores Beatæ Virginis inceperunt hodierno feſto à primo momento Conceptionis.

§. 3. Futuram paſſionem filii annuntiavit Gabriel.

§. 4. Primi dolores aucti fuerunt in Nativitate.

§. 5. Teſtimonium Ruperti.

§. 6. Rara gemma.

§. 7. Aliud incrementum illorum dolorum ex incremento cognitionis & amoris. Beata Virgo fuit roſa inter ſpinas.

§. 8. Dolores illi fuerunt continui.

§. 9. Utile eſt colere & amare Matrem doloroſam.

§. 10. Dolores Virginis explicantur 1. per ſciſſionem cordis. 2. per gladium. 3. per ſagittam.

§. 11. 4. Lanceam.

§. 12. 5. Compreſſionem Chriſti.

§. 13. 6. Per agoniam.

§. 14. 7. Crucifixionem.

§. 15. 8. Per

§. 15. 8. *Per dereliquium.*
§. 16. *Præſertim in depoſitione Filii de cruce.*
§. 17. *Proſecutio ex Henrico Suſone.*
§. 18. *Proſecutio ex ſancta Brigitta.*
§. 19. *Proſecutio ex Taulero.*
§. 20. *De Beata Virginis lachrymis.*

INter encomia hodierni Feſti mihi placet, quod à ſanctis Patribus vocetur *Dies affectuoſiſſimus & ſuaviſſimus.* Inprimis Beatæ Virgini, deinde nobis clientibus magnæ Matris. S. Gertrudis, cum hoc die in choro caneretur: *Ave MARIA*, vidit à Patre, Filio & Spiritu ſancto procedere tres rivulos, & defluere in cor MARIÆ; ex corde MARIÆ vidit eosdem refluere in tres Perſonas ſanctiſſimæ Trinitatis. Et Divinitus illi fuit ſignificatum, ſalutatione Angelica à nobis prolatâ mirificè delectari in cœlis, DEUM, Beatam Virginem, Sanctos omnes, ſanctos Angelos, & præſertim Archangelum Gabrielem, qui primus hodierna die MARIAM ita ſalutavit. Cogitate, qualis ſuavitas fuerit in corde Virginis hodiernâ die, in terris, cum DEUS Pater miſit Archangelum Gabrielem cum tam dulci ſalutatione; cum Filius DEI in ejus utero fuit factus homo, & id operatione Spiritus ſancti, ſine dubio dies hodierna Virgini fuit dies affectuoſiſſimus & ſuaviſſimus. Ut talis nobis quoque ſit, in noſtra eſt poteſtate: hoc quondam Beata VIRGO promiſit ſanctæ Gertrudi, quod verè ſe matrem præſtare velit illi, qui ſibi de diei hujus gaudiis gratulatur. O dulcis Virgo! Ave! de illo gaudio, quod hæc vocula in tuo corde cauſavit, ex corde gratulamur; eſto Mater noſtra! Cauſa magni jubili fuerunt illæ voculæ, *Gratia plena*, gratulamur tibi ex animo! eſto Mater noſtra. [Ita perge per ſalutationem Angelicam, & myſteria Conceptionis.] Sed hæc gaudia, & dulces meas cogitationes turbat præſens tempus Dominicæ Paſſionis; præſertim, dum mente & animo perpendo, Beatam Virginem hodierno die eodem momento, quo facta eſt mater Dei, factam quoque fuiſſe matrem dolorum, & jam tum quoq; gladium Simeo-

§. 1. *Feſtum Annuntiationis eſt feſtum ſuaviſſimum.*

Simeonis pertranſiiſſe cor ejus. Cum materia futuræ Concionis Paſſionis die Paraſceves ſit futura doloroſa mater ſub cruce, cupio, ut hæc Concio illius ſit præambulum ob circumſtantias, quæ conveniunt hodierno feſto.

§. 2. *Dolores B. V. incepe-runt hod. feſto à primo momento conceptionis.*

Plerique, qui dolores afflictiſſimæ matris meditantur, putant, illam illos non ſenſiſſe, niſi ultimis diebus vitæ filii ſui, & præcipuè ſub cruce, tum putant, impletum illud vaticinium Simeonis Luc. 2. v, 35 *Tuam ipſius animam, &c.* Sed certum eſt, B. V. à primo inſtanti, quo hodierno feſto, facta eſt mater Dei, ab anno decimo quinto ætatis uſque ad ſeptuageſimum ſecundum [juxta probabilem opinionem] ſenſiſſe ſemper in corde intenſiſſimos dolores, ob paſſionem filii tum futuram, tum factam, quam ſemper ſuis oculis propoſitam habuit. Sic inquit ad S. Brig. l. 6. revel. c. 57. *Dolor iſte* [ex paſſione filii mei] *uſque dum aſſumpta fui corpore & anima in cœlum, nunquam defuit à corde meo.* Cauſa continua dolorum fuit perfectiſſima cognitio, & ſcientia Theologica infuſa, de futura filii paſſione, quæ teſte Suarez in B. V. excellentior longè fuit, quàm omnibus aliis Prophetis, quibus à Spiritu ſancto plurima de illa revelata fuerunt. Hujus mentis videtur fuiſſe S. Ambr. ſuper Lucæ c. 2. *Iſtum gladium cor & anima Virginis profundè immerſum habuit, quia Dei myſteria cæteris profundius penetravit, & verba Dei de Chriſti paſſione - ſemper in corde medullitus portavit, juxta illud, Maria autem conſervabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo.* Cum itaque ſapientisſima Virgo in pſalmis v. g. legit, Mesſiam flagellandum, conſpuendū, &c. cum in Iſaia, reputandum illum cum iniquis. &c. cum legit figuras, &c. clarisſimè cognovit, dicta illa eſſe de ſuo filio, & fore, ut ille flagelletur, &c. cum inquam hæc conſideraret, acutisſimos ſine dubio ſenſit dolores.

§. 3. *Futuram paſſionem filii annuntiavit Gabriel.*

P. Euſebius Nierenberg. de amore erga B. Virg. c. 15. refert ex P. Corn. in c. 1. Lucæ v. 38. revelaſſe B. Virginem viro ſancto, colloquium ſuum cum Archangelo Gabriele in Annuntiatione, ſive præterita hac nocte tenuiſſe novem integras horas, quibus cœleſtis Nuntius Virgini non tantùm declaravit, quomodo obumbranda eſſet à Spiritu S. quantus futurus eſſet ille Filius, & ſimilia, &c.

milia,&c.ſed narraſſe inſuper de curſum totius Paſſionis; v. g. fore illum, qui tradendus ſit inimicis, qui flagellandus, qui cruci affigendus, quæ licet ſentiret cor matris; nihilominus approbavit, & conſenſum ſuum dedit. Diſcurſus Archangeli fortè fuit talis: O Virgo, ille, quem concipies, erit filius Altisſimi, & redimet populum ſuum Iſrael, ſed voluntas patris eſt, ut id faciat ſanguine ſuo. Conſideravit hoc Virgo, ſenſit, nihilominus dixit, *fiat*. O mater! effundet ſanguinem terribili modo, flagellabitur NN. *fiat*, ſic de crucifixione. Ob hunc Virginis & Matris conſenſum ait nobilis Concionator P. Hier. Florentia: *Quemadmodum Chriſtus primo conceptionis ſuæ inſtanti crucis ſacrificium acceptavit, pro redimendo genere humano*, In capite libri ſcriptum eſt, &c. *ita Mater eodem inſtanti in illud conſenſit*; & proinde, ut cum S. Bernardino t. 3. c. 6. loquar: *Cum Chriſto crucifixa eſt in hora ejus conceptionis, tum enim obtulit ſe, & prompta fuit ad exponendum ſe morti & martyrio*; & martyrium fuerunt novem illi menſes, quibus filium ſuum in utero geſtavit.

Aucti fuerunt dolores, incrementumque ſumpſerunt in filii Nativitate; cum enim hinc pulchritudinem illius contemplaretur; hinc vero cogitationes de futura pasſione itentidem memoriæ occurrerent, fieri illud non potuit ſine acutisſimo doloris ſenſu in virgineo corde. Ideo S. Brigittæ l. 6. revel. c. 24. dixit: *Ego plena fui tribulatione à Nativitate filii mei - tribulationem & dolorem cordis ſupra omnem creaturam patiebar.* Subditur affectuoſisſimus diſcurſus. Eum lactans cogitabat, vel quod aliquando felle & aceto eſſet potandus, vel quod illud lac verteretur in ſanguinem, quem effuſurus eſſet in ſudore ſanguineo, in flagellatione, &c. Cum manibus & brachiis impoſuit, memor fuit brachiorum crucis, quibus clavis ſciebat affigendum. Inter ſuavisſima oſcula & amplexus memor fuit oſculi Judæ. Cum pannis involvit, vinculorum & funium, quibus prævidebat conſtringendum, [eſt locus pro pulchra inductione,] dormiente pupulo, conſiderabat ſomnum mortis in cruce. Lib. 2. revel. c. 24. ait ad S. Brigittam: *Ego habui oculos meos plenis lachrymis, quando conſiderabam horrenda in membris filii mei loca clavorum*; [NB. pulcher

§. 4. *Primi dolores aucti fuerunt in Nativitate.*

cher locus, puto B. Virginem manibus filioli impreſiſſe ſuaviſſima oſcula, ſed &c.] *& paſſionem ejus futuram.* Cogitate vos, quales dolores conſiderationes tales in anima Virginis concitarint.

§. 5. *Teſtimonium Ruperti.* Confirmat hæc omnia Rupertus ſuper verſum illum Cant. 1. v. 12. *Faſciculus myrrhæ, &c.* in perſona ſponſæ vel Virginis, ſic loquens: *Nolite ſolùm attendere horam vel diem illam, in qua vidi talem dilectum ab impiis comprehenſum, illudi, ſpinis coronari, &c. nam tunc quidem gladius animam meam pertranſivit, ſed antequam hic pertranſiret, longum per me tranſitum fecit: Propheteſſa namque eram, & ex quo mater ejus facta ſum, ſcivi eum iſta paſſurum; cum igitur talem filium in ſinu meo foverem, ulnis geſtarem, uberibus lactarem, & talem ejus futuram mortem præ oculis haberem; qualem, quantamque prolixam me putatis Matrem doloris,* pertuliſſe dolorem? *hoc eſt, quod dicit, faſciculus myrrhæ.* Infert ex his omnibus P. St. Jure, & P. Nierenberg. Beatam Virginem in ſtabulo ſolùm Bethlemitico majora intus pertuliſſe tormenta, quam Martyres in atrociſſimis tormentis. Jacuit Laurentius in craticula & prunis, ſed per aliquot horas! Cor hujus Matris per ſexaginta fermè annos. Jacuerunt alii inter ſpinas, inter vitra, inter aculeos, ſed per aliquot dies! Cor matris per tot annos. [Eſt locus pro pulchra induct.]

§. 6. *Rara gemma.* Perhibent hiſtoriæ, in theſauro Marchionum Badenſium fuiſſe olim gemmam vel lapidem, à ruſtico in agris repertum, ideo rarum, quia in illo exquiſito naturæ miraculo, quacunque ſui parte inſpiceretur, certis lineis, & venulis, & maculis, & punctis Crucifixum, diſtinctiſſimè ſpectantium oculis objiciebat. Talis gemma fuit cor doloroſæ matris, à primo Conceptionis Filii Dei momento, uſque dum poſt felicem mortem in cœlos fuit aſſumpta. Ut benè dixerit Rupertus in Cantica: *Tu quoque O Maria, longum in cogitationibus tuis, præſcia futuræ Paſſionis filii, pertuliſti martyrium.*

§. 7. *Aliud incrementum illorum dolorum, ex incremen-* Et quia in B. V. quotidie crevit tum cognitio, tum amor tam amabilis filii, eadem quoque menſura aucti ſunt dolores. Circumſtantiam hanc explicuit Angelus S. Brigittæ pulchro ſimili. Congruenter hæc Virgo vocari poteſt *florens roſa*: nam ſicut

hic

hic flos creſcit inter ſpinas, ita hæc venerabilis Virgo in hoc mundo crevit inter tribulationes: & quemadmodum, quando roſa in creſcendo ſe plus dilatat, tantò fortior & auctior ſpina efficitur, ita & hæc electisſima roſa Maria, quantò plus ætate creſcebat, tantò fortiorum tribulationum ſpinis acutius pungebatur. Cum autem plenisſima illa roſa in ſua pulchritudine magis dilatari ac creſcere videbatur; ac tribulationum ſpinæ ipſam acriter ſtimulantes, fortiores ac acutiores indies efficiebantur. O verè roſam inter ſpinas! ô Matrem Dei, Filii Altisſimi, ſed ſimul dolorum, qui tanti fuerunt, ut teſte ſancto Anſelmo, *per ſingula momenta vitam ei ademiſſent, niſi peculiari eam miraculo DEVS conſervaſſet.*

to cognitione & amoris. B.V. roſa fuit inter ſpinas.

Ex circumſtantia incrementi dolorum oritur alia, nimirum illos tot annis fuiſſe continuos; quemadmodum enim à cognitione & amore filii, etiam in ſomno, nunquam ceſſavit Beatisſima Virgo, ita à doloribus nunquam fuit libera, ſed ſemper memor futuræ pasſionis. Hoc ſenſu Hailgrinus Card. explicat illud Cant. 7. v. 5. *Comæ capitis tui ſicut purpura Regis*; id eſt: *Cogitationes tuæ intinctæ fuerunt in ſanguine Dominicæ Paſſionis; ſic enim ſemper affectæ fuerunt, quaſi recenter viderent ſanguinem de vulneribus profluentem.* Mementote ſanguinis, quem Salvator noſter effudit alligatus ad columnam! hunc B. V. 18. annis ante pasſionem, & 33. ferè poſt pasſionem, continuò habuit præ oculis, memoria vel imaginatio ejus fuit ſpeculum, in quo continuò flagellationem filii, illa vulnera, illum ſanguinem fuit intuita; quis explicabit, quos tot annis ſenſerit dolores? eſt locus pro pulchra inductione per alia myſteria Pasſionis, præcipuè crucifixionis, &c. Et ſi à primo momento Conceptionis, ſi diu ante pasſionem tantos pertulit, quanti erunt, quos Virgineum cor aliquando ſub cruce in monte Calvariæ perferre debebit?

§. 8. *Dolores illi fuerunt continui.*

Itaque Auditoribus meis ſuadeo, ut horum dolorum peculiari devotione frequenter ſint memores, veriſſimum enim eſt, quod B. Virgo alicui ſibi devotæ olim dixit: *Illis oculis, quibus cum lachrymis toties filium meum aſpexi - - nunc reſpicio* omnes

§. 9. *Vtile eſt colere & amare matrem doloroſam.*

omnes,qui in mundo ſunt, ſi forte ſunt aliqui, qui compatiantur mihi, & recogitant dolorem meum, & valde paucos invenio, ideo filia mea, licet à multis neglecta ſim, tu tamen non obliviſcaris mei. Simus Auditores, inter hos paucos [pulchrè] piis affectibus compaſſionibus conſolemur ſæpiſſimè afflictiſſimam matrem, ut in agone audiamus aliquando illa verba, quæ quondam dixit pio Sacerdoti, inter anguſtias mortis, & metum æternitatis valde ſolicito: *Fili mi, cur mærore conficeris? qui in mærore meo me toties ſolatus es? animos ſume, lætus veni mecum, intra in gaudium Domini tui.* Inter hæc ſuaviſſimè expiravit: O afflictiſſima mater, ecce hodierno feſto, quo me tibi in juventute peculiariter obligaſti, affectu humillimo cor meum tibi dedico, offero & conſecro. Sed hoc rogo, facta ut ſit gemma, quæ gladio dolorum tuorum elaborata, referat filium tuum crucifixum. Fac, ut ſit ſpeculum, in quo dies & noctes dolores tuos contemplari poſſim, &c. [Eſt locus pro pulchra & affectuoſa Apoſtrophe.] Sed redeo ad dolores B. Virg.

§.10. *Dolores Virginis explicantur primo per ſciſſionem cordis. Secundo per gladium. Tertio per agittam.*

Ut SS. Patres, & pii Auctores explicent dolores B. V. variis modis loquendi utuntur. Dicunt primò, cor Virginis fuiſſe quaſi ſciſſum in partes, ſic ait Taulerus: *Totâ vitâ ob cognitionem, quam Virgo de futura paſſione filii habebat, ſed præcipuè tempore paſſionis, ſinceriſſimum cor ejus, non tantùm ſemel, ſed plus centies ſciſſum eſt, neque aliquid ſub ſuo aſpectu filio moleſtiæ illatum eſt, quod non ſecuerit cor tuum,* [eſt locus pro pulchra inductione,] v. g. ſpinæ ſecuerunt cor matris, &c. Hæc ſectio fuit effectus gladii doloris, de quo Simeon dixit: *Tuam ipſius animâ doloris gladius pertranſibit,* & tam multiplex, *quantis confoſſum corpus filii vulneribus aſpexit, & ita aſpexit, ut medullitus in corde ſuo ſentiret, quidquid filius in corpore patiebatur.* Hunc gladium doloris S. Brigitta in revel. c. 15. vocat ſagittam: *Stabat mater juxta crucem, aſpiciens filium ſuum, tota ſtupore ſuſpenſa, & velut mortua vivens gladio doloris transfixa, benè cernebatur in geſtu ejus, & voce,* [& lachrymis & ſingultibus,] *quod cor ejus penetrabatur acutiſſimâ ſagittâ doloris immenſi.* Hæc ſagitta animam Mariæ non tantum confixit, ſed pertranſivit, ut nullam in pectore Virginali particulam vacuam à morte relinqueret.

Citatus

Citatus Taulerus hunc gladium, hanc ſagittam vocat *lanceam* c. 53. *At quis cogitando conſequi poſſit, quàm dirè lancea hæc devotiſſimam piæ matris animam confixerit ac ſauciarit, cujus utique anima & cor, in dilecti filii, qui erat tot us amor & theſaurus illius, corpore demorabatur*; ſi enim Auguſtino credimus, magis eſt anima ubi amat, quàm ubi animat. Conſentit ſanctus Bernardus: *Revera mater dulciſſima doloris gladius ſcidit animam tuam, quando lancea crudelis filii tui confixit latus; non enim ſua illic*, [eſt pulcher locus,] *ſed tua potius anima erat, itaque præcipua es Martyrum omnium, quandoquidem immenſus dolor tuus internus externa Martyrum vicit cruciamenta* — §. 11. Quarto: Lanceam.

Alii pii Auctores, qui meditantur dolores Virginis, explicant illos per compresſionem cordis. Taulerus: *Dolor omnis ex amore naſcens, pro amoris modo magnus eſt; amor autem ejus erga filium modum exceſſit, idcirco dolor immenſus fuit.* Amor & dolor, veluti duo ingentia ſaxa cor ejus ita compreſſerunt, atque lethalibus coarctarunt anguſtiis, quot v. g. in corpore filii fuerunt vulnera, tot cogitare debemus torcularia, quæ animam Virginis compreſſerunt, cum jam gladio, ſagittâ, lanceâ eſſet læſa, quid mirum, quod innumeræ effluxerint lachrymæ? — §. 12. Quinto: Compreſſionem cordis.

Cum peculiari motu legi ſententiam Erneſti primi Archiepiſcopi Pragenſis in Mariali ſuo c. 69. qui dolores Virginis explicat per agoniam, ſic ait: *In corde Virginis agoniam mirabilem faciebat amor filii, & amor filiorum, quia fortis ut mors, dilectio, quâ filium amabat eam uſque ad mortem torquebat.* [in pasſione filii dicere ſolemus, eum tam atrocia eſſe paſſum, ut niſi virtute de cœlo fuiſſet corroboratus, ſæpius mori debuiſſet, v. g. in ſudore ſanguineo, ad columnam, &c. idem de B. V. dicere debemus, eſt locus pro pulcherrima applicatione.] Pergit citatus Erneſtus: *Sed dura ſicut infernus æmulatio*, [id eſt, amor eſt quidam infernus, vexat, cruciat,] *ideo amor Virginis excedens* [& immenſus] *ipſam atrociter cruciabat, & viſcera ejus, quaſi infernus immiſericorditer corrodebat.* Cum aliquando explicui agoniam Chriſti, dixi, fuiſſe imaginem pœnarum inferni, ob metum, fletum, triſtitiam, tædium, & præcipuè terribilem agoniam; hæc omnia ſuſtinuit B. V. quantum potuit. — §. 13. Sexto: Per agoniam.

Sæpius

Sæpius citatus Taulerus, c. 53. ait: Matrem cum filio eſſe
§. 14. 7. Crucifixionem. crucifixam. B. V. MARIA Jeſum dilectum filium ſuum, ut talem decebat matrem prorſus medullitus dilexit, vicitque omnes amando, eapropter vi amoris & efficacia tota extra ſe abſtracta, in Chriſtum dilectum filium ſuum rapta fuit, adeoque ab eo transformata, ut omnino illi ſimillima fuerit: tota namq; inſtar mollis ceræ, in extinctam atque crucifixam illam filii ſui imaginem impreſſa eſt, eique aſſimilata, ut pariter cum unigenito ſuo crucifixa, ſauciata, occiſa & ex omni parte cruciata fuerit. Guerricus Abbas: *Stabat juxta crucem, cujus mentem crucis dolor ſimul crucifigebat.* S. Bonav. in ſtim. amor. c. 4. *O Domina mea ubi ſtas? nunquid juxta crucem, imo in cruce cum filio, ibi enim crucifixa es ſecum, hoc ſolum reſtat, quod ipſe in corpore, tu verò in corde es paſſa, & ſingula vulnera per corpus ejus diſperſa in tuo corde ſint unita: tu Domina in corde es lanceata, tu clavis inclavata, tu ſpinis coronata, tu crucifixa, nunquid ſufficiebat nobis Chriſti paſſio, niſi crucifigeretur & mater.*

§. 15. 8. Per deliquium. D. Henricus Suſo in dial. Sap. c. 17. *quantò quiſpiam alicui charior, amabilior, ſuavior eſt, eò illius mors eſt amiſſio intolerabilior ac acerbior, quis verò unquam in terris natus eſt amabilior, quis uſpiam extitit ſuavior, quam Filius Mariæ, dilectus cordis ejus, &c. ideo cum illum mori cerneret, ipſa quoque pariter defecit.* Omitto multa ſimilia, ut hæc in particulari doloribus B. V. applicem, & hærebo modo apud unicam filii de cruce depoſitionem.

Cum ſanctorum Martyrum icones nobis proponuntur, ſui
§ 16. Præſertim in depoſitione filii de cruce martyrii inſtrumenta exhibent; v. g. SS. Petrus, Andreas, Philippus crucem, ſanctus Paulus gladium, Simon ſerram, ſanctus Laurentius craticulam, multi rotas, multi ignes &c. Virgini matri Reginæ martyrum alia inſtrumenta non tribuuntur, quàm filius in materno ſinu exanimis! adverto cauſam, non opus eſt crucibus, non gladiis, non &c. omnia hæc tormenta ſenſit in præſentia cadaveris filii, cor matris crucifixum eſt, cor matris pertranſivit gladius, cor matris jacuit in craticula, in rota, cor matris uſtum eſt &c.

§ 17. Proſecutio D. Henricus Suſo cap. 9. in perſona Virginis ait: *Poſtquam filius*

filius meus ſpiritum reddidit, & coram me pependit mortuus, mihi omnes vires cordis & ſenſuum defecerunt; & quia aliud non potui, oculos tantùm in eum conjeci modo ſanè miſerabili; at ubi adveniſſe ſenſi, qui eum de cruce deponerent, videbar mihi velut à morte excitari, tum verò, quanta materni animi pietate & affectu, emortua ejus brachia exceperim, quo modo eadem ſanguinolentis genis meis appreſſerim; quanto etiam amore & deſiderio ipſum de cruce mihi redditum materno pectori meo, brachiis meis complexum mihi adſtrinxerim, recentesque & cruentas plagas extincti vultûs ejus deoſculata fuerim; non poſſunt corda hominum comprehendere. Ego hic, qui mihi vivaciter imaginor, quàm hic afflicta fuerit doloroſiſſima Mater, meritò exclamo; O ſciſſionem cordis! ô gladium! ô ſagittam! ô lanceam in corde Virginis! ô compreſſionem! ô agoniam! ô crucem! ô deliquium! non quidem arbitror, eam cecidiſſe corpore, quia ſtabat, ſed anima fuit in deliquio.

S. Brigitta ait: *Filium de cruce depoſitum pia Mater recepit inter brachia ſua, & inclinavit eum ſedens in genu ſuum, totum vulneratum, laceratum, lividum appreſſit pectori, & tunc terſit mater ejus mæſtiſſima cum linteo ſuo totum corpus ipſius, & vulnera, clauſitque ejus oculos, deoſculando eos, & involvit eum in ſindone munda, cum planctu & dolore maximo.* Lib. 4. revel. c. 70. ipſa B. Virgo dixit S. Brigittæ: *Aliis recedentibus ego recedere non potui, ſed jam quaſi conſolata ſum, quod corpus ejus de cruce depoſitum contingere potui,* [ô ſolatium!] *& in ſinum recipere, vulnera explorare,* [pulchrè hoc,] *& extergere ſanguinem: deinde os ejus digiti mei clauſerunt, & oculos pariter compoſui: brachia vero rigentia flectere non potui, ut ſe ſupra pectus componerent, ſed ſuper veſtem; genua quoque extendi non potuerunt, ſed eminebant, ſicut in cruce obriguerunt.* Meditantur aliqui, B. V. cum peculiari reverentia exterſiſſe illum ſanguinem & aquam, quæ ex corde & latere effluxerat; non dubito, quin peculiariter illud vulnus pectoris & cordis exploravit, ſed ô ſciſſionem cordis Virginei! ô compreſſionem! ô anguſtias! ô gladium! ô ſagittam! ô lanceam in corde & anima matris.

§. 18. Poſitio ex S. Brigitta.

Digitized by Google

§.19. *Proſecutio ex Taulero.* Taulerus exclamat: *O quam veneranda illa parens, per ſingula quæque membra ac vulnera diſcurrens*, (eſt pulcher locus) *eadem ſcrutata & oſculata eſt, plorans ſuper ſingula*, (ſuper manus NN.) *& lachrymis ea lavans: quin & ſingula cordi ſuo inſcribens, doloresq́ membrorum ſingulorum expendens, ac trutinans ſecum in corde ſuo, & ad ſingula dans gemitus incomprehenſibiles, ſimulque pro voto ſuo, de ſanguine ac medullis cordis ſui unguentum in ardenti amore ſuo conficiens, eodemque cuncta illius membra, vulnera, plagasque perungens.* O quam inter hæc ſuaviſſimum cor amoris converſum eſt in cor doloris! dolor hic tantus fuit, ut Didacus de Bäaza l. 1. c. 22. putet, Mariam in hoc ſæculo magis torqueri non potuiſſe, quàm torta eſt. Quis triſtiſſima explicabit ſuſpiria & verba, quibus filium ſuum alloquebatur, forte tamen aliud non dixit, quam, O fili mi Jeſu. O Jeſu fili mi, trahe me poſt te, tecum vivere, tecum mori volo! in cruce oſculo tibi valedicere non potui, jam vale mi Jeſu!

§.20. *De B. Virg. lachrymis.* Lachrymas, quas Virgo inter hæc officia matris quod attinet, ita flevit, & tot lachrymas effudit, ut toto cerebro in illas reſoluto, deficiente jam humore aqueo, effluxerit ex oculis ejus humor ſanguineus. In vulnera ſangninea pedum permiſit decidere lachrymas ſanguineas, &c. Hoc modo poteſt fieri pulcherrima inductio. Sic loquitur S. Germ. *B. V. adeo amarè flevit, ut poſt uberrimum lachrymarum effuſum imbrem: tandem ſanguineas lachrymas fuderit.* Sic obſcurato ſole, mortuo Jeſu, luna verſa eſt in ſanguinem! Et ita finiti quidem ſunt dolores Chriſti, flagella non amplius flagellant carnem ejus, ſpinæ non amplius pungunt caput, non ſentit clavos, &c. ſed affligunt, penetrant, cruciant doloroſiſſimum cor matris! quæ transmutata in ipſum dolorem, & transfigurata in filium crucifixum, aliud non repræſentabat, quam flagella, quam ſpinas, quam clavos, quam crucem. Ah animæ piæ! in his, his diebus imitamini doloroſam matrem, arripite ſubinde in meditatione Paſſionis, præcipuè crucifixionis imaginem Crucifixi; In illum oculos conjicite, amplectimini brachia, apprimite genis, adſtringite pectori, deoſculamini plagas, extergite vulnera, ſcrutamini quàm ſint lata, profunda,

Digitized by Google

funda, claudite oculos, involvite ſindone cordium; per omnia membra & vulnera diſcurrite, [pulcher locus,] rigate lachrymis, ſingulorum expendite dolorem, gemite, dicite: O mi Jeſu! &c.

CONCIO LXV.

FERIA II. PASCHATIS.

Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis?

Luc. 24. v. 32.

SYNOPSIS CONCIONIS.

QVàm ſuave ſit, amare JESUM reſurgentem à mortuis.

§. 1. *Amor Jeſu Reſurgentis eſt dulciſſimus.*

§. 2. *Amore hoc nihil pretioſius.*

§. 3. *Cui hoc Paſchali tempore pii ſe totos dedunt.*

§. 4. *Felix nobis erit Paſcha, ſi Chriſtum amemus.*

§. 5. *Ab amore hoc omne pretium.*

§. 6. *Hoc CHRISTVS intendit in glorioſa Reſurrectione, ut illum amemus.*

§. 7. *Amor hic nos facit unum quid cum CHRISTO reſurgente.*

§. 8. *Gloria Chriſti, ſi illum amemus noſtra eſt.*

§. 9. *Amor & gaudium Mariæ Magdalenæ de Chriſto reſurgente.*

§. 10. *Varii affectus erga Jeſum reſurgentem.*

§. 1. *Amor Ieſu reſurgentis eſt dulciſſimus.*

LÆtiſſimo hoc Paſchali tempore cupio hac Concione tractare materiam lætam, ſuavem, amabilem; & quid dulcius, ſuavius, amabilius amore, præſertim illo, quo Chriſtum Salvatorem noſtrum proſequimur. Cupio ego illum amare ex toto corde. Sed non ſum ille amator, qui experientiâ, vel expertus [ut loquitur S. Bern.] loqui poſſim, quam dulce ſit illum amare; & quid ſit illum diligere. Hoc tamen adverti, ſi dulce eſt, amare Jeſum parvulum in utero Virginis; ſi ſuave eſt illum diligere, involutum pannis, jacentem in præſepio, vel pendentem ab uberibus Matris; ſi volupe eſt illum diligere ſuaviſſimè converſantem cum hominibus, ſi deliciæ ſunt, amare illum pendentem in cruce, & in aliis myſteriis Paſſionis; certè dulciſſimum eſt, diligere illum glorioſè reſurgentem à mortuis, ubique, in utero, in ſtabulo, in præſepio, in ſinu matris, in cruce, ſed præcipuè in lætiſſima reſurrectione, dulcis eſt ejus memoria, dat vera cordi gaudia, ſuper mel ejus præſentia. Hoc tempore nil canitur ſuavius, nil auditur jucundius, nil cogitatur dulcius, quàm Jeſus reſurgens à mortuis. In hoc myſterio Jeſus eſt dulcedo cordium, eſt fons vivus omnis ſuavitatis. Eſt Rex admirabilis, eſt triumphator nobilis, eſt dulcedo ineffabilis, totus deſiderabilis. Dum hodie nos viſitat, dum pulcherrimam ſuam faciem nobis oſtendit, dum glorioſiſſimas ejus intuemur cicatrices, mundi mihi vileſcit vanitas, & intus fervet charitas. Sentio Auditores, ardens eſt cor meum, ut ardeant & veſtra, ſuaviter tantum narrabo, quàm ſuave ſit, Jeſum reſurgentem à mortuis diligere. Sic materiam lætiſſimam de amore Salvatoris ad unum contraham reſurrectionis myſterium.

§. 2. *Amore hoc nihil eſt pretioſius.*

Quam eſt ille, quo Chriſtum Salvatorem noſtrum complectimur, pretioſus amor? ſatis dives eſt, qui illum amat; non eſt, quod ultra quærat & deſideret, in hoc amore poſſidet omne bonum, felicitatem univerſam, hic unus & ſolus amor Chriſti à morte reſurgentis feliciſſimum nobis reddit Paſcha. Felix, feliciſſimum Paſcha precor omnibus meis Auditoribus; & tale vobis erit ſanctiſſimum hoc tempus, ſi aliquam ſaltem ejus partem impendamus pretioſiſſimo amori Salvatoris. Tempore nihil

nihil eſt pretioſius ſolet dici, addo ego, præſertim illo, quod damus amori. Ipſe Deus, non aliunde eſt infinitè beatus, niſi quia ſe ipſum infinitè amat, & hoc ab æterno, ſemper, & in æternum. Amor, Deum conſtituit. Ipſe Deus pretioſius occupari non poteſt, quam ut amet, amor eſt principium omnium operum, quæ DEUS fecit ad extra, principium & cauſa Incarnationis verbi Dei, amor. Vita ejus ſanctisſima triginta trium annorum amor. Cauſa mortis amor. Cauſa glorioſisſimæ hodiernæ reſurrectionis amor. Infinita ejus pulchritudo eſt pulchritudo amoris. Lucidisſimi illi oculi, oculi amoris. Illa labia, illæ genæ, ſuavisſima illa facies, ſunt labia, genæ, facies amoris. Quinque radiantia vulnera ſunt vulnera amoris. Formoſior longè fuit & eſt amor Chriſti interior in memoria, in intellectu, in voluntate, in anima ſanctisſima, quæ tota fuit & eſt in poſſesſione amoris infiniti. Hodie amorem aliter nobis non imaginemur, quam qualis fuit Chriſti ſalvatoris noſtri in glorioſa reſurrectione; Occupatio Chriſti, dum reſurrexit, dum glorioſus prodiit è ſepulchro, dum apparuit Matri, dum ſpectandum ſe dedit Magdalenæ, &c. occupatio ejus, inquam, fuit amare. O amate piæ animæ! amate Salvatorem! pretioſius vos occupare non poteſtis.

Principium & cauſa omnium noſtrarum actionum ſit hic amor! jubilamus? jubilemus amori Chriſti reſurgentis. Cantamus *Alleluja*? cantemus noſtro amori: pulſantur organa, ſonant fiſtulæ, reboant tympana, clangunt litui. *Alleluja* clangant, reboent, ſonent, pulſentur amori, quo Chriſto Victori & reſurgenti à mortuis aggratulamur *Alleluja*! Occupatio Dei ab æterno, Verbi Incarnati à primo momento Conceptionis fuit amare. Occupatio pretioſisſima eſt, amare. Occupatio pretioſisſima Dei in æternum erit, amare. Et ſe amando ad intra, in ſe, ad extra ſimul Beatis communicat, aliquos ſaltem radios infinitæ pulchritudinis, aliquos radios infinitæ ſapientiæ, infinitæ bonitatis, &c. quo amando & ipſi ſunt, & æternum erunt beati. *§. 3. Cui hoc Paſchali tempore pii ſe totos dedunt.*

Glorioſisſimo, formoſisſimo, ſpecioſisſimo corpore inſignitus Chriſtus D. ſurrexit à mortuis; Hoc corpus pulcherrimum ſanctisſi- *§. 4. Felix nobis erit Paſcha, ſi Chriſtum amemus.*

Simeonis pertranſiiſſe cor ejus. Cum materia futuræ Concionis Paſſionis die Paraſceves ſit futura doloroſa mater ſub cruce, cupio, ut hæc Concio illius ſit præambulum ob circumſtantias, quæ conveniunt hodierno feſto.

§. 2. *Dolores B. V. inceperunt hod. feſto à primo momento conceptionis.*

Plerique, qui dolores affliƈtiſſimæ matris meditantur, putant, illam illos non ſenſiſſe, niſi ultimis diebus vitæ filii ſui, & præcipuè ſub cruce, tum putant, impletum illud vaticinium Simeonis Luc. 2. v, 35 *Tuam ipſius animam, &c.* Sed certum eſt, B. V. à primo inſtanti, quo hodierno feſto, facta eſt mater Dei, ab anno decimo quinto ætatis uſque ad ſeptuageſimum ſecundum [juxta probabilem opinionem] ſenſiſſe ſemper in corde intenſiſſimos dolores, ob paſſionem filii tum futuram, tum factam, quam ſemper ſuis oculis propoſitam habuit. Sic inquit ad S. Brig. l. 6. revel. c. 57. *Dolor iſte* [ex paſſione filii mei] *uſque dum aſſumpta fui corpore & anima in cœlum, nunquam defuit à corde meo.* Cauſa continua dolorum fuit perfectiſſima cognitio, & ſcientia Theologica infuſa, de futura filii pasſione, quæ teſte Suarez in B. V. excellentior longè fuit, quàm omnibus aliis Prophetis, quibus à Spiritu ſancto plurima de illa revelata fuerunt. Hujus mentis videtur fuiſſe S. Ambr. ſuper Lucæ c. 2. *Iſtum gladium cor & anima Virginis profundè immerſum habuit, quia Dei myſteria cæteris profundius penetravit, & verba Dei de Chriſti paſſione ſemper in corde medullitus portavit, juxta illud, Maria autem conſervabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo.* Cum itaque ſapientisſima Virgo in pſalmis v. g. legit, Mesſiam flagellandum, conſpuendũ, &c. cum in Iſaia, reputandum illum cum iniquis. &c. cum legit figuras, &c. clarisſimè cognovit, dicta illa eſſe de ſuo filio, & fore, ut ille flagelletur, &c. cum inquam hæc conſideraret, acutisſimos ſine dubio ſenſit dolores.

§. 3. *Futuram paſſionem filii annuntiavit Gabriel.*

P. Euſebius Nierenberg. de amore erga B. Virg. c. 15. refert ex P. Corn. in c. 1. Lucæ v. 38. revelaſſe B. Virginem viro ſancto, colloquium ſuum cum Archangelo Gabriele in Annuntiatione, ſive præterita hac nocte tenuiſſe novem integras horas, quibus cœleſtis Nuntius Virgini non tantùm declaravit, quomodo obumbranda eſſet à Spiritu S. quantus futurus eſſet ille Filius, & ſimilia, &c.

milia,&c.ſed narraſſe inſuper decurſum totius Paſsionis; v.g. fore illum,qui tradendus ſit inimicis,qui flagellandus,qui cruci affigendus, quæ licet ſentiret cor matris; nihilominus approbavit, & conſenſum ſuum dedit. Diſcurſus Archangeli fortè fuit talis: O Virgo,ille,quem concipies,erit filius Altisſimi,& redimet populum ſuum Iſrael, ſed voluntas patris eſt, ut id faciat ſanguine ſuo. Conſideravit hoc Virgo, ſenſit,nihilominus dixit,*fiat*. O mater! effundet ſanguinem terribili modo, flagellabitur NN. *fiat*, ſic de crucifixione. Ob hunc Virginis & Matris conſenſum ait nobilis Concionator P. Hier. Florentia: *Quemadmodum Chriſtus primo conceptionis ſuæ inſtanti crucis ſacrificium acceptavit, pro redimendo genere humano,* In capite libri ſcriptum eſt,&c. *ita Mater eodem inſtanti in illud conſenſit*; & proinde, ut cum S. Bernardino t. 3. c. 6. loquar: *Cum Chriſto crucifixa eſt in hora ejus conceptionis, tum enim obtulit ſe, & prompta fuit ad exponendum ſe morti & martyrio*; & martyrium fuerunt novem illi menſes,quibus filium ſuum in utero geſtavit.

Aucti fuerunt dolores,incrementumque ſumpſerunt in filii Nativitate; cum enim hinc pulchritudinem illius contemplaretur; hinc vero cogitationes de futura pasſione itentidem memoriæ occurrerent,fieri illud non potuit ſine acutisſimo doloris ſenſu in virgineo corde. Ideo S. Brigittæ l. 6. revel. c. 24. dixit: *Ego plena fui tribulatione à Nativitate filii mei - tribulationem & dolorem cordis ſupra omnem creaturam patiebar.* Subditur affectuoſisſimus diſcurſus. Eum lactans cogitabat, vel quod aliquando felle & aceto eſſet potandus, vel quod illud lac verteretur in ſanguinem,quem effuſurus eſſet in ſudore ſanguineo, in flagellatione,&c. Cum manibus & brachiis impoſuit, memor fuit brachiorum crucis,quibus clavis ſciebat affigendum. Inter ſuavisſima oſcula & amplexus memor fuit oſculi Judæ. Cum pannis involvit, vinculorum & funium, quibus prævidebat conſtringendum, [eſt locus pro pulchra inductione,] dormiente pupulo, conſiderabat ſomnum mortis in cruce. Lib. 2. revel. c. 24. ait ad S. Brigittam: *Ego habui oculos meos plenis lachrymis, quando conſiderabam horrenda in membris filii mei loca clavorum*; [NB. pul-

§. 4. *Primi dolores aucti fuerunt in Nativitate.*

cher locus, puto B. Virginem manibus filioli impreſſiſſe ſuaviſſima oſcula, ſed &c.] *& paſſionem ejus futuram.* Cogitate vos, quales dolores conſiderationes tales in anima Virginis concitarint.

§. 5. *Teſtimonium Ruperti.* Confirmat hæc omnia Rupertus ſuper verſum illum Cant. 1. v. 12. *Faſciculus myrrhæ, &c.* in perſona ſponſæ vel Virginis, ſic loquens: *Nolite ſolùm attendere horam vel diem illam, in qua vidi talem dilectum ab impiis comprehenſum, illudi, ſpinis coronari, &c. nam tunc quidem gladius animam meam pertranſivit, ſed antequam hic pertranſiret, longum per me tranſitum fecit: Prophetiſſa namque eram, & ex quo mater ejus facta ſum, ſcivi eum iſta paſſurum; cum igitur talem filium in ſinu meo foverem, ulnis geſtarem, uberibus lactarem, & talem ejus futuram mortem præ oculis haberem; qualem, quantamque prolixam me putatis Matrem doloris*, pertuliſſe dolorem? *hoc eſt, quod dicit, faſciculus myrrhæ.* Infert ex his omnibus P. St. Jure, & P. Nierenberg. Beatam Virginem in ſtabulo ſolùm Bethlemitico majora intus pertuliſſe tormenta, quam Martyres in atrocisſimis tormentis. Jacuit Laurentius in craticula & prunis, ſed per aliquot horas! Cor hujus Matris per ſexaginta fermè annos. Jacuerunt alii inter ſpinas, inter vitra, inter aculeos, ſed per aliquot dies! Cor matris per tot annos. [Eſt locus pro pulchra induct.]

§. 6. *Rara gemma.* Perhibent hiſtoriæ, in theſauro Marchionum Badenſium fuiſſe olim gemmam vel lapidem, à ruſtico in agris repertum, ideo rarum, quia in illo exquiſito naturæ miraculo, quacunque ſui parte inſpiceretur, certis lineis, & venulis, & maculis, & punctis Crucifixum, diſtinctiſſimè ſpectantium oculis objiciebat. Talis gemma fuit cor doloroſæ matris, à primo Conceptionis Filii Dei momento, uſque dum poſt felicem mortem in cœlos fuit aſſumpta. Ut benè dixerit Rupertus in Cantica: *Tu quoque O Maria, longum in cogitationibus tuis, præſcia futuræ Paſſionis filii, pertuliſti martyrium.*

§. 7. *Aliud incrementum illorum dolorum, ex incremen-* Et quia in B. V. quotidie crevit tum cognitio, tum amor tam amabilis filii, eadem quoque menſura aucti ſunt dolores. Circumſtantiam hanc explicuit Angelus S. Brigittæ pulchro ſimili. Congruenter hæc Virgo vocari poteſt *florens roſa*: nam ſicut hic

hic flos creſcit inter ſpinas, ita hæc venerabilis Virgo in hoc mundo crevit inter tribulationes: & quemadmodum, quando roſa in creſcendo ſe plus dilatat, tantò fortior & auctior ſpina efficitur, ita & hæc electisſima roſa Maria, quantò plus ætate creſcebat, tantò fortiorum tribulationum ſpinis acutius pungebatur. Cum autem plenisſima illa roſa in ſua pulchritudine magis dilatari ac creſcere videbatur; ac tribulationum ſpinæ ipſam acriter ſtimulantes, fortiores ac acutiores indies efficiebantur. O verè roſam inter ſpinas! ô Matrem Dei, Filii Altisſimi, ſed ſimul dolorum, qui tanti fuerunt, ut teſte ſancto Anſelmo, *per ſingula momenta vitam ei ademiſſent, niſi peculiari eam miraculo DEVS conſervaſſet.*

to cognitione & amoris. B.V. roſa fuit inter ſpinas.

§. 8. *Dolores illi fuerunt continui.*

Ex circumſtantia incrementi dolorum oritur alia, nimirum illos tot annis fuiſſe continuos; quemadmodum enim à cognitione & amore filii, etiam in ſomno, nunquam ceſſavit Beatisſima Virgo, ita à doloribus nunquam fuit libera, ſed ſemper memor futuræ pasſionis. Hoc ſenſu Hailgrinus Card. explicat illud Cant. 7. v. 5. *Comæ capitis tui ſicut purpura Regis*; id eſt: *Cogitationes tuæ intinctæ fuerunt in ſanguine Dominicæ Paſſionis; ſic enim ſemper affectæ fuerunt, quaſi recenter viderent ſanguinem de vulneribus profluentem.* Mementote ſanguinis, quem Salvator noſter effudit alligatus ad columnam! hunc B. V. 18. annis ante pasſionem, & 33. ferè poſt pasſionem, continuò habuit præ oculis, memoria vel imaginatio ejus fuit ſpeculum, in quo continuò flagellationem filii, illa vulnera, illum ſanguinem fuit intuita; quis explicabit, quos tot annis ſenſerit dolores? eſt locus pro pulchra inductione per alia myſteria Pasſionis, præcipuè crucifixionis, &c. Et ſi à primo momento Conceptionis, ſi diu ante pasſionem tantos pertulit, quanti erunt, quos Virgineum cor aliquando ſub cruce in monte Calvariæ perferre debebit?

§. 9. *Utile eſt colere & amare matrem doloroſam.*

Itaque Auditoribus meis ſuadeo, ut horum dolorum peculiari devotione frequenter ſint memores, veriſſimum enim eſt, quod B. Virgo alicui ſibi devotæ olim dixit: *Illis oculis, quibus cum lachrymis toties filium meum aſpexi - - nunc reſpicio*

omnes, qui in mundo ſunt, ſi forte ſunt aliqui, qui compatiantur mihi, & recogitant dolorem meum, & valde paucos invenio, ideo filia mea, licet à multis neglecta ſim, tu tamen non obliviſcaris mei. Simus Auditores, inter hos paucos [pulchrè] piis affectibus compaſſionibus conſolemur ſæpiſſimè afflictiſſimam matrem, ut in agone audiamus aliquando illa verba, quæ quondam dixit pio Sacerdoti, inter anguſtias mortis, & metum æternitatis valde ſolicito: *Fili mi, cur mœrore conficeris? qui in mœrore meo me toties ſolatus es? animos ſume, lætus veni mecum, intra in gaudium Domini tui.* Inter hæc ſuaviſſimè expiravit: O afflictiſſima mater, ecce hodierno feſto, quo me tibi in juventute peculiariter obligaſti, affectu humillimo cor meum tibi dedico, offero & conſecro. Sed hoc rogo, facta ut ſit gemma, quæ gladio dolorum tuorum elaborata, referat filium tuum crucifixum. Fac, ut ſit ſpeculum, in quo dies & noctes dolores tuos contemplari poſſim, &c. [Eſt locus pro pulchra & affectuoſa Apoſtrophe.] Sed redeo ad dolores B. Virg.

§. 10. *Dolores Virginis explicantur primo per ſciſſionem cordis. Secundo per gladium. Tertio per ſagittam.*

Ut SS. Patres, & pii Auctores explicent dolores B. V. variis modis loquendi utuntur. Dicunt primò, cor Virginis fuiſſe quaſi ſciſſum in partes, ſic ait Taulerus: *Totâ vitâ ob cognitionem, quam Virgo de futura paſſione filii habebat, ſed præcipuè tempore paſſionis, ſinceriſſimum cor ejus, non tantùm ſemel, ſed plus centies ſciſſum eſt, neque aliquid ſub ſuo aſpectu filio moleſtiæ illatum eſt, quod non ſecuerit cor tuum,* [eſt locus pro pulchra inductione,] v. g. ſpinæ ſecuerunt cor matris, &c. Hæc ſectio fuit effectus gladii doloris, de quo Simeon dixit: *Tuam ipſius animâ doloris gladius pertranſibit:* & tam multiplex, *quantis confoſſum corpus filii vulneribus aſpexit, & ita aſpexit, ut medullitus in corde ſuo ſentiret, quidquid filius in corpore patiebatur.* Hunc gladium doloris S. Brigitta in revel. c. 15. vocat ſagittam: *Stabat mater juxta crucem, aſpiciens filium ſuum, tota ſtupore ſuſpenſa, & velut mortua vivens gladio doloris transfixa, benè cernebatur in geſtu ejus, & voce,* [& lachrymis & ſingultibus,] *quod cor ejus penetrabatur acutiſſimâ ſagittâ doloris immenſi.* Hæc ſagitta animam Mariæ non tantum confixit, ſed pertranſivit, ut nullam in pectore Virginali particulam vacuam à morte relinqueret.

Catatus

Citatus Taulerus hunc gladium, hanc ſagittam vocat *lanceam* c. 53. *At quis cogitando conſequi poſſit, quàm dirè lancea hæc devotiſſimam piæ matris animam confixerit ac ſauciarit, cujus utique anima & cor, in dilecti filii, qui erat totus amor & theſaurus illius, corpore demorabatur*; ſi enim Auguſtino credimus, magis eſt anima ubi amat, quàm ubi animat. Conſentit ſanctus Bernardus: *Revera mater dulciſſima doloris gladius ſcidit animam tuam, quando lancea crudelis filii tui confixit latus; non enim ſua illic*, [eſt pulcher locus,] *ſed tua potius anima erat, itaque præcipua es Martyrum omnium, quandoquidem immenſus dolor tuus internus externa Martyrum vicit cruciamenta.* §. 11. *Quarto: Lanceam.*

Alii pii Auctores, qui meditantur dolores Virginis, explicant illos per compreſſionem cordis. Taulerus: *Dolor omnis ex amore naſcens, pro amoris modo magnus eſt; amor autem ejus erga filium modum exceſſit, idcirco dolor immenſus fuit.* Amor & dolor, veluti duo ingentia ſaxa cor ejus ita compreſſerunt, atque lethalibus coarctarunt anguſtiis, quot v. g. in corpore filii fuerunt vulnera, tot cogitare debemus torcularia, quæ animam Virginis compreſſerunt, cum jam gladio, ſagittâ, lanceâ eſſet læſa, quid mirum, quod innumeræ effluxerint lachrymæ? §. 12. *Quinto: Compreſſionem cordis.*

Cum peculiari motu legi ſententiam Erneſti primi Archiepiſcopi Pragenſis in Mariali ſuo c. 69. qui dolores Virginis explicat per agoniam, ſic ait: *In corde Virginis agoniam mirabilem faciebat amor filii, & amor filiorum, quia fortis ut mors, dilectio, quâ filium amabat, eam uſque ad mortem torquebat.* [in paſſione filii dicere ſolemus, eum tam atrocia eſſe paſſum, ut niſi virtute de cœlo fuiſſet corroboratus, ſæpius mori debuiſſet, v. g. in ſudore ſanguineo, ad columnam, &c. idem de B. V. dicere debemus, eſt locus pro pulcherrima applicatione.] Pergit citatus Erneſtus: *Sed dura ſicut infernus æmulatio*, [id eſt, amor eſt quidam infernus, vexat, cruciat,] *ideo amor Virginis excedens* [& immenſus] *ipſam atrociter cruciabat, & viſcera ejus, quaſi infernus immiſericorditer corrodebat.* Cum aliquando explicui agoniam Chriſti, dixi, fuiſſe imaginem pœnarum inferni, ob metum, fletum, triſtitiam, tædium, & præcipuè terribilem agoniam; hæc omnia ſuſtinuit B. V. quantum potuit. §. 13. *Sexto: Per agoniam.*

Sæpius citatus Taulerus, c. 53. ait: Matrem cum filio eſſe crucifixam. B. V. MARIA Jeſum dilectum filium ſuum, ut talem decebat matrem prorſus medullitus dilexit, vicitque omnes amando, ea propter vi amoris & efficacia tota extra ſe abſtracta, in Chriſtum dilectum filium ſuum rapta fuit, adeoque ab eo transformata, ut omnino illi ſimillima fuerit: tota namq; inſtar mollis ceræ, in extinctam atque crucifixam illam filii ſui imaginem impreſſa eſt, eique aſſimilata, ut pariter cum unigenito ſuo crucifixa, ſauciata, occiſa & ex omni parte cruciata fuerit. Guerricus Abbas: *Stabat juxta crucem, cujus mentem crucis dolor ſimul crucifigebat.* S. Bonav. in ſtim. amor. c. 4. *O Domina mea ubi ſtas? nunquid juxta crucem, imo in cruce cum filio, ibi enim crucifixa es ſecum, hoc ſolum reſtat, quod ipſe in corpore, tu verò in corde es paſſa, & ſingula vulnera per corpus ejus diſperſa in tuo corde ſint unita: tu Domina in corde es lanceata, tu clavis inclavata, tu ſpinis coronata, tu crucifixa, nunquid ſufficiebat nobis Chriſti paſſio, niſi crucifigeretur & mater.*

§. 14. 7. Crucifixionem.

§. 15. 8. Per deliquium.

D. Henricus Suſo in dial. Sap. c. 17. *quantò quiſpiam alicui charior, amabilior, ſuavior eſt, eò illius mors eſt amiſſio intolerabilior ac acerbior, quis verò unquam in terris natus eſt amabilior, quis uſpiam extitit ſuavior, quam Filius Mariæ, dilectus cordis ejus, &c. ideo cum illum mori cerneret, ipſa quoque pariter defecit.* Omitto multa ſimilia, ut hæc in particulari doloribus B. V. applicem, & hærebo modo apud unicam filii de cruce depoſitionem.

§ 16. Præſertim in depoſitione filii de cruce

Cum ſanctorum Martyrum icones nobis proponuntur, ſui martyrii inſtrumenta exhibent; v. g. SS. Petrus, Andreas, Philippus crucem, ſanctus Paulus gladium, Simon ſerram, ſanctus Laurentius craticulam, multi rotas, multi ignes &c. Virgini matri Reginæ martyrum alia inſtrumenta non tribuuntur, quàm filius in materno ſinu exanimis! adverto cauſam, non opus eſt crucibus, non gladiis, non &c. omnia hæc tormenta ſenſit in præſentia cadaveris filii, cor matris crucifixum eſt, cor matris pertranſivit gladius, cor matris jacuit in craticula, in rota, cor matris uſtum eſt &c.

§ 17. Profectio

D. Henricus Suſo cap. 9. in perſona Virginis ait: *Poſtquam filius*

filius meus ſpiritum reddidit, & coram me pependit mortuus, mihi omnes vires cordis & ſenſuum defecerunt; & quia aliud non potui, oculos tantùm in eum conjeci modo ſanè miſerabili! at ubi adveniſſe ſenſi, qui eum de cruce deponerent, videbar mihi velut à morte excitari, tum verò, quanta materni animi pietate & affectu, emortua ejus brachia exceperim, quo modo eadem ſanguinolentis genis meis appreſſerim; quanto etiam amore & deſiderio ipſum de cruce mihi redditum materno pectori meo, brachiis meis complexum mihi adſtrinxerim, recentesque & cruentas plagas extincti vultûs ejus deoſculata fuerim; non poſſunt corda hominum comprehendere. Ego hic, qui mihi vivaciter imaginor, quàm hic afflicta fuerit doloroſiſſima Mater, meritò exclamo; O ſciſſionem cordis! ô gladium! ô ſagittam! ô lanceam in corde Virginis! ô compreſſionem! ô agoniam! ô crucem! ô deliquium! non quidem arbitror, eam cecidiſſe corpore, quia ſtabat, ſed anima fuit in deliquio.

S. Brigitta ait: *Filium de cruce depoſitum pia Mater recepit inter brachia ſua, & inclinavit eum ſedens in genu ſuum, totum vulneratum, laceratum, lividum appreſſit pectori, & tunc terſit mater ejus mæſtiſſima cum linteo ſuo totum corpus ipſius, & vulnera, clauſitque ejus oculos, deoſculando eos, & involvit eum in ſindone munda, cum planctu & dolore maximo.* Lib. 4. revel. c. 70. ipſa B. Virgo dixit S. Brigittæ: *Aliis recedentibus ego recedere non potui, ſed jam quaſi conſolata ſum, quod corpus ejus de cruce depoſitum contingere potui,* [ô ſolatium!] *& in ſinum recipere, vulnera explorare,* [pulchrè hoc,] *& extergere ſanguinem: deinde os ejus digiti mei clauſerunt, & oculos pariter compoſui: brachia vero rigentia flectere non potui, ut ſe ſupra pectus componerent, ſed ſuper veſtem; genua quoque extendi non potuerunt, ſed eminebant, ſicut in cruce obriguerunt.* Meditantur aliqui, B. V. cum peculiari reverentia exterſiſſe illum ſanguinem & aquam, quæ ex corde & latere effluxerat; non dubito, quin peculiariter illud vulnus pectoris & cordis exploravit, ſed ô ſciſſionem cordis Virginei! ô compreſſionem! ô anguſtias! ô gladium! ô ſagittam! ô lanceam in corde & anima matris.

§. 18. Poſitutio ex S. Brigitta.

Digitized by Google

§.19. *Proſecutio ex Taulero.* Taulerus exclamat: *O quam veneranda illa parens, per ſingula quaque membra ac vulnera diſcurrens*, (eſt pulcher locus) *eadem ſcrutata & oſculata eſt, plorans ſuper ſingula*, (ſuper manus NN.) *& lachrymis ea lavans: quin & ſingula cordi ſuo inſcribens, doloresq; membrorum ſingulorum expendens, ac trutinans ſecum in corde ſuo, & ad ſingula dans gemitus incomprehenſibiles, ſimulque pro voto ſuo, de ſanguine ac medullis cordis ſui unguentum in ardenti amore ſuo conficiens, eodemque cuncta illius membra, vulnera, plagasque perungens.* O quam inter hæc ſuaviſſimum cor amoris converſum eſt in cor doloris! dolor hic tantus fuit, ut Didacus de Báaza l. 1. c. 22. putet, Mariam in hoc ſæculo magis torqueri non potuiſſe, quàm torta eſt. Quis triſtiſſima explicabit ſuſpiria & verba, quibus filium ſuum alloquebatur, forte tamen aliud non dixit, quam, O fili mi Jeſu. O Jeſu fili mi, trahe me poſt te, tecum vivere, tecum mori volo! in cruce oſculo tibi valedicere non potui, jam vale mi Jeſu!

§.20. *De B. Virg. lachrymis.* Lachrymas, quas Virgo inter hæc officia matris quod attinet, ita flevit, & tot lachrymas effudit, ut toto cerebro in illas reſoluto, deficiente jam humore aqueo, effluxerit ex oculis ejus humor ſanguineus. In vulnera ſangninea pedum permiſit decidere lachrymas ſanguineas, &c. Hoc modo poteſt fieri pulcherrima inductio. Sic loquitur S. Germ. *B. V. adeo amarè flevit, ut poſt uberrimum lachrymarum effuſum imbrem: tandem ſanguineas lachrymas fuderit.* Sic obſcurato ſole, mortuo Jeſu, luna verſa eſt in ſanguinem! Et ita finiti quidem ſunt dolores Chriſti, flagella non amplius flagellant carnem ejus, ſpinæ non amplius pungunt caput, non ſentit clavos, &c. ſed affligunt, penetrant, cruciant doloroſiſſimum cor matris! quæ transmutata in ipſum dolorem, & transfigurata in filium crucifixum, aliud non repræſentabat, quam flagella, quam ſpinas, quam clavos, quam crucem. Ah animæ piæ! in his, his diebus imitamini doloroſam matrem, arripite ſubinde in meditatione Paſſionis, præcipuè crucifixionis imaginem Crucifixi; In illum oculos conjicite, amplectimini brachia, apprimite genis, adſtringite pectori, deoſculamini plagas, extergite vulnera, ſcrutamini quàm ſint lata, profunda,

Digitized by Google

funda, claudite oculos, involvite ſindone cordium; per omnia membra & vulnera diſcurrite, [pulcher locus,] rigate lachrymis, ſingulorum expendite dolorem, gemite, dicite: O mi Jeſu! &c.

CONCIO LXV.

FERIA II. PASCHATIS.

Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis?

Luc. 24. v. 32.

SYNOPSIS CONCIONIS.

QVàm ſuave ſit, amare JESUM reſurgentem à mortuis.

§. 1. *Amor Jeſu Reſurgentis eſt dulciſſimus.*

§. 2. *Amore hoc nihil pretioſius.*

§. 3. *Cui hoc Paſchali tempore pii ſe totos dedunt.*

§. 4. *Felix nobis erit Paſcha, ſi Chriſtum amemus.*

§. 5. *Ab amore hoc omne pretium.*

§. 6. *Hoc CHRISTVS intendit in glorioſa Reſurrectione, ut illum amemus.*

§. 7. *Amor hic nos facit unum quid cum CHRISTO reſurgente.*

§. 8. *Gloria Chriſti, ſi illum amemus noſtra eſt.*

§. 9. *Amor & gaudium Mariæ Magdalenæ de Chriſto reſurgente.*

§. 10. *Varii affectus erga Jeſum reſurgentem.*

nihil eſt pretioſius ſolet dici,addo ego, præſertim illo, quod damus amori. Ipſe Deus, non aliunde eſt infinitè beatus, niſi quia ſe ipſum infinitè amat, & hoc ab æterno, ſemper, & in æternum. Amor, Deum conſtituit. Ipſe Deus pretioſius occupari non poteſt, quam ut amet, amor eſt principium omnium operum, quæ DEUS fecit ad extra, principium & cauſa Incarnationis verbi Dei, amor. Vita ejus ſanctiſſima triginta trium annorum amor. Cauſa mortis amor. Cauſa glorioſiſſimæ hodiernæ reſurrectionis amor. Infinita ejus pulchritudo eſt pulchritudo amoris. Lucidiſſimi illi oculi, oculi amoris. Illa labia, illæ genæ, ſuaviſſima illa facies, ſunt labia, genæ, facies amoris. Quinque radiantia vulnera ſunt vulnera amoris Formoſior longè fuit & eſt amor Chriſti interior in memoria, in intellectu, in voluntate, in anima ſanctiſſima, quæ tota fuit & eſt in poſſeſſione amoris infiniti. Hodie amorem aliter nobis non imaginemur, quam qualis fuit Chriſti ſalvatoris noſtri in glorioſa reſurrectione; Occupatio Chriſti, dum reſurrexit, dum glorioſus prodiit è ſepulchro, dum apparuit Matri, dum ſpectandum ſe dedit Magdalenæ, &c. occupatio ejus, inquam, fuit amare. O amate piæ animæ! amate Salvatorem! pretioſius vos occupare non poteſtis.

Principium & cauſa omnium noſtrarum actionum ſit hic amor! jubilamus? jubilemus amori Chriſti reſurgentis. Cantamus *Alleluja*? cantemus noſtro amori: pulſantur organa, ſonant fiſtulæ, reboant tympana, clangunt litui. *Alleluja* clangant, reboent, ſonent, pulſentur amori, quo Chriſto Victori & reſurgenti à mortuis aggratulamur *Alleluja*! Occupatio Dei ab æterno, Verbi Incarnati à primo momento Conceptionis fuit amare. Occupatio pretioſiſſima eſt, amare. Occupatio pretioſiſſima Dei in æternum erit, amare. Et ſe amando ad intra, in ſe, ad extra ſimul Beatis communicat, aliquos ſaltem radios infinitæ pulchritudinis, aliquos radios infinitæ ſapientiæ, infinitæ bonitatis, &c. quo amando & ipſi ſunt, & æternum erunt beati. §. 3. *Cui hoc Paſchali tempore pii ſe totos dedunt.*

Glorioſiſſimo, formoſiſſimo, ſpecioſiſſimo corpore inſignitus Chriſtus D. ſurrexit à mortuis; Hoc corpus pulcherrimum ſanctiſſi- §. 4. *Felix nobis erit Paſcha, ſi Chriſtum amemus.*

ſanctiſſimam ſuam humanitatem unitam divinitati & pulchritudini infinitæ, infinito amore dilexit Chriſtus Dominus, ſed amor ejus fuit liberalis. Radios ſaltem aliquos in hac vita ſuæ pulchritudinis, pulcherrimos illos radios emicantes ex ſanctiſſimis vulneribus: aliquos radios infinitæ lucis communicavit, modo excellentiſſimo ſanctiſſimæ Matri, ſuo modo aliis diſcipulis, quos radios amando & ipſi facti evaſerunt feliciſſimi. Felix, imò feliciſſimum vobis ſit Paſcha Auditores, ſed amate, ardete, diligite veſtrum Salvatorem glorioſè reſurgentem à mortuis, quam facilè, quam ſuaviter, quam ſine omni prope labore poſſumus acquirere ſummam felicitatē, ſummas divitias, ſummas delicias ſuaviter dulciterqne amando Jeſum; amor Jeſu dulciſſimus, amor hic pretioſiſſimus, amor hic ſuaviſſimus, plus millies gratiſſimus, quam dicere ſufficimus. Quem amor hic inebriat, novit quid Jeſus in ſua reſurrectione ſapiat, quam felix eſt, quem ſatiat, non eſt ultrà, quod cupiat.

§. 5. *Ab amore hoc omne pretium.*

Præterea *quàm pretioſus, quàm ſublimis, quanta dignitatis eſt ille amor*, quo amamus Chriſtum Salvatorem! in conſpectu enim Dei nulla anima, nullus ſpiritus eſt pretioſus ſine hoc amore. Qui multum amat, magnæ ſanctitatis eſt, qui parum amat, parum proficit in gratia, qui plane non amat, anathema eſt. Et verò, ut homo, creatura rationalis eò elevetur, ut admirabili quodam vinculo uniatur Deo, & Chriſto capiti, ut fiat unum cum illis, imò ut homo mortalis, ex ſepulchro aliquando reſurgat, & Filio Dei fiat ſimilis in gloria, quis hoc cogitare vel ſperare auſus fuiſſet. Fit tamen, ſed non alio medio, quam amore & charitate. Ab amore omne pretium; agnovit id S. Paulus, cum dixit 1. Cor. 13. v. 1. *Si linguis hominum loquar & Angelorum- ſi habuero Prophetiam, & noverim myſteria omnia- ſi montes transferam - Charitatem autem non habuero, nihil ſum, nihil mihi prodeſt*, felix, feliciſſimum Paſcha Auditores: etſi ſitis ſani, etſi ſitis divites, ſi autem charitatem Chriſti reſurgentis non habeatis, nihil eſt, non eſt felix Paſcha, omnia nihil proſunt, amate, diligite, hic amor, hæc dilectio felix reddit fauſtum Paſcha, & feliciſſimum Alleluja! Auditores ſi felices eſſe volumus, amare de-

Digitized by Google

debemus noſtrum Salvatorem, aut amandum eſt, aut moriendum, ardere neceſſe uno ex his duobus ignibus, vel igne amoris Dei & Salvatoris noſtri, vel igne æterno, ab hoc nos liberat ſolus amor.

Filius DEI non ob aliam cauſam venit in hunc mundum, ideo natus eſt, ideo paſſus eſt, ideo hodie glorioſus reſurgit à mortuis, ideo vicit dœmonem, nimirum ut Deum & ſe amemus. *Ignem venit mittere in terram*, Luc. 12. v. 49. Ignes dulciſſimos vibravit ex præſepio, flammas ſparſit potentiſſimas, his diebus ex cruce, faces jaculatur hodie & radios ignitiſſimos in glorioſa reſurrectione, quid vult niſi ut inde ardeant corda noſtra amore Dei & ſui? Ita, per gloriam reſurrectionis ſanctiſſima crux mutata eſt in ſceptrum honoris, in virgam Imperii, in ſignum dominationis & poteſtatis, quam Filio dedit Pater, in vexillum gloriæ, ſed ſimul manet lignum, quod ſit pabulum & æternum nutrimentum noſtri amoris, ut noſtrum ſimul accendat amorem, ut illius ardorem exſuſcitet, ſuis pœnis & tormentis alium finem non propoſuit, quam noſtrum amorem, neque pro ſuo ſanguine aliud à nobis petit tributum, vectigal, vel penſionem, quàm ut ametur. Sanctiſſimas cicatrices retinuit in glorioſo corpore, ut ſint ſigilla quæ nobis imprimant amorem. Totus in reſurrectione eſt pulcher & formoſus, ut ametur.

§. 6. Hoc Chriſtus intendit in glorioſa reſurrectione, ut illum amemus.

Quàm pretioſus eſt hic amor! qui ad illum ſtatum nos elevat, ad illam dignitatem, ad illud eſſe, in quo ſumus unum quid cum Deo & Salvatore noſtro, quod ut fieret, ipſe tam ardentibus precibus à Patre petiit: *Pater ut unum ſint, ſicut & nos unum ſumus*. Neque nos ſolùm, ſed omnia noſtra opera & actiones, etiam minimas, omnia etiam verba, illa præcipuè, quæ hoc tempore Paſchali peragimus in honorem & amorem Chriſti, animat, perficit, exornat, & Deo noſtro reddit grata, nos totos eidem offert, animam & corpus in holocauſtum amoris transſcribit. Omnia opera animata, perfecta, exornata amore Chriſti, Divina, & æternæ meritoria vitæ redduntur. *Quàm eſt pretioſus amor Salvatoris!* Impoſſibile enim eſt, ut quis illum amet, & non eodem

§. 7. Amor hic nos facit unum quid cum Chriſto reſurgente.

Digitized by Google

dem momento ametur ab illo. Charitas, dilectio vel amor, quo illum diligimus, quo illi gratulamur, de glorioſa reſurrectione, quo deſideramus cum illo reſurgere ad vitam novam & cœleſtem, obligat illum, ut noſtro reſpondeat amori, ut nobis offerat cor ſuum, ut nobis donet merita ſanctiſſimorum Vulnerum ſuorum, ut nos admittat in amicitiam ſuam, imo in filios, & demum gloriæ ſuæ reddat participes. Ah ſi hunc amorem Chriſti reſurgentis omnium poſſem cordibus imprimere!

§. 8. Gloria Chriſti, ſi illum amemus, noſtra eſt.

Hic noſter amor Chriſti hodie gaudet, exultat, jubilat, eſt plenus gaudio. In Chriſto hodie reſurgente, futuræ noſtræ reſurrectionis pulcherrimam ſpeciem videmus, & ſperatæ ſpecimen gloriæ conſpicimus. Noſtra eſt gloria, quam videmus & recolimus, noſtrum eſt decus, quod veneramur. Inchoata eſt in Chriſto reſurrectio noſtra, ſuoq; tempore eſt perficienda, ſi illum amemus, quale illicium amoris? Radix noſtra jam vivit, non dubium, quin quandoque vivificabuntur & rami. Glorioſa jam vitis comparuit, pro certo glorificabuntur & palmites. In vita, in gloria radicis, certa ſpes vitæ & gloriæ eſt etiam ramis. Surrexit Chriſtus radix noſtra, ſurgemus & nos modo per charitatem radici ſimus uniti. Amor noſter, vita noſtra, amor eſt gratiæ, amor erit gloria noſtra. Caput noſtrum vivit, caput noſtrum coronatum eſt decore & gloria, ſi membra ſumus unita per charitatem, conglorificabimur cum capite, ubi caput noſtrum conſpicimus, ibi nos futuros eſſe non ambigimus, & tales nos futuros, quale eſt ipſum. Hæc gloria Chriſti, reſurrectio Chriſti, & ſpes noſtra ejuſdem gloriæ & reſurrectionis noſtræ, eſt hodie feſtivitas noſtra, hoc gaudium noſtrum, hæc noſtra jucunditas. Gratulemur Domino noſtro ad tantum gloriæ faſtigium ſublimato, congaudeamus Principi noſtro, fortiſſimo ac potentiſſimo Prœliatori, verbo, amemus illum & gaudebimus, ardebimus, exultabimus.

§. 9. Amor & gaudium Mariæ Magdalenæ de

Amemus, gaudeamus cum Magdalena. Hæc ſummo mane aliis comitata matronis ſepulchrum inviſit, ſed hoc dum vacuum inveniunt, ſtupore plenæ ſociæ recedunt, Magdalena ad oſtium ſepulchri commoratur. Neque enim inde recedere eam ſinebat

Digitized by Google

ſinebat amor. Inſpicit iterum, iterumque ſepulchrũm, an fortè reperiat, quem diligebat, ſolatur illam Angelus, Mulier, quid ploras: ſed quod Magdalenæ ſolatium eſſe poterat, ſine illo quem amabat. Cauſam mœroris exponit paucis verbis: *Tulerunt Dominum meum, & neſcio ubi poſuerunt eum.* Hæc dicens, converſa ad latus vidit hortulanum, & huic roganti, quid ploret? reſpondit: *Si tu ſuſtuliſti eum dicito mihi, & ego eum tollam.* Per mille pericula, per medios enſes, per arma ibo, & illum tollam. Mota fuere viſcera Chriſti lachrymis amantis Magdalenæ. Itaque ſuo nomine illam appellat: Maria, q. d. Maria, quænam hæc eſt hæſitatio? Maria, ubi tua fides? Maria, cur ploras mortuum, qui vivit? agnovit ſtatim Dilecti vocem, & liquefacta eſt anima ejus, poſtquam Dilectus locutus eſt. Potentem lætitiæ ictum, quo cor amantis transfixum eſt, quis explicet? miror, præ gaudio non eſſe paſſam deliquium. Aliud certè profari non potuit quàm: *Magiſter! Magiſter!* mea gloria, mea tota lætitia! *Magiſter* meus, Deus meus! quem ſuper omnia colo. *Magiſter* te quæro, te amo, te volo. Vivis Magiſter meus? vivis mea gloria, vivis? vigilo, an dormio? eſtne vera quam proſpicio forma? vera eſt! credo, te facere potuiſſe, quod prædixiſti. Vivit meus Jeſus Reſurrexit meus Jeſus. Vivit meus Jeſus. Vehemens amor proſternit illam, ut oſculetur more ſuo glorioſiſſimos pedes, ſed evanuit ex oculis ejus. Puto illam lætiſſimo illo die ſuſpiraſſe millies: *Amor meus vivit, Jeſus meus reſurrexit! amo Jeſum meum.* *Chriſto reſurgente.*

Hæc ſuſpiremus Auditores. Gaudeamus, dicamus in jubilo cordis: *Alleluja, Rêſurrexit.* Jubilemus & dicamus: Chriſtus glorioſè reſurgens, eſt amor noſter. Dicat amans & jubilans anima cum S. Bern. *Quocunque loco fuero, mecum Jeſum deſidero, quam lætus cum invenero, quam felix cum tenuero.* Felices nos Auditores, hunc ſi invenerimus amorem! ſed quærendus eſt prius: at ubi quærendus? non in ſepulchro ſcelerum; ſed in amoris delubro. *Deſidero te millies mi Ieſu, quando venies!* O amor! O Jeſu, quot ſunt oculorum meorum nictus, tot & cordis ſuſpiria! *Deſidero te millies! cur millies?* quia millies es dilectus: *Cur millies?* quia millies omnibus es formoſior creaturis: *Cur millies?* quia millies unâ *§. 10. Varii affectus erga Chriſtum reſurgentem.*

Digitized by Google

me horâ delectas, recreas, conſolaris. *Mi Jeſu, quando venies? veni Amor*, nam ſi Magdalenæ non ſumus, ſumus tamen animæ pœnitentes; *Veni Amor*! Cor noſtrum flammis tuis cupit ardere! *Veni Amor*! Et cum veneris, *Mane nobiſcum Domine, & nos illuſtra lumine, pulsâ mentis caligine, mundum replens dulcedine.*

CONCIO LXVI.

FERIA III. PASCHATIS.

Surrexit Dominus verè,

Lucæ 24. v. 34.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Agit de inſigni Chriſti Reſurgentis triumpho.

§. 1. *Homini Chriſtiano utile & ſuave eſt, cogitare Reſurrectionem Chriſti.*

§. 2. *Chriſtus Dominus in Paſſione granum ſynapis; debilis; in reſurrectione reſurgit fortiſſimus.*

§. 3. *Glorioſus athleta Anteon; fortior Chriſtus D.*

§. 4. *Hic athleta fortiſſimos habuit pedes.*

§. 5. *Devicti hoſtes ſcabellum pedum ejus.*

§. 6. *Illuſtres magnorum virorum triumphi.*

§. 7. *Proſecutio.*

§. 8. *Chriſtus reſurgens fortiſſimas habuit manus.*

§. 9. *Armatas virga ferrea S. Crucis. Crucis elogia.*

§. 10. *Quales nos debeamus habere manus & pedes.*

§. 1. Homini Chriſtiano utile & ſuave eſt, cogitare reſurrectionem Chriſti

PRæclarè Chryſologus ſer. 118. *Agricola* [inquit] *fructus uberes & exſatiatas epulas cantat, ut imminentem vomeris laborem non ſentiat, & ſudorem. Nauta portus modulatur & lucra, ne undarum ruinas, ne maris diſcrimina pertimeſcat. Miles, ne vulnera metuat, prædas perſonat & triumphos.* Chriſto D. glorioſè

glorioſè à mortuis reſurgenti ſic applico hæc verba: Præterito triduo fuit agricola, dum vomere crucis, in ſudore vultus ſui, & ſanguineo, laboravit in monte Calvariæ; ſed dicite *Alleluja*, hodie eſt in meſſe gloriæ. Nauta fuit hoc triduo, navicula crucis jactatus in mari ſanguinis, canite *Alleluja*, hodie ingreſſus eſt portum gloriæ, in divitias regni ſui. Miles fuit hoc triduo, dum per vulnera, per ſanguinem, per mortem, lanceâ crucis hoſtes proſtravit, Io canite triumphum, dicite *Alleluja*; vicit Jeſus, hodie triumphum agit. Hujus triumphi, hujus gloriæ, harum divitiarum ſperamus nos aliquando fore participes; ſed Auditores, ſumus adhuc agricolæ in agro Eccleſiæ, ſumus nautæ in tempeſtuoſo hujus mundi oceano, ſumus milites, ut laboremus, ut navigemus, ut pugnemus ſtrenuè, *Reſurrectionem* (verba ſunt cit. S. Chryſol.) *mente, ore, oculis aſpectet, cantet, cogitet Chriſtianus, ut totam mortis poſſit deſpicere, & calcare formidinem - fratres, ſemper de reſurrectione libet dicere, jugiter de reſurrectione delectat audire - reſonet ergo in ore noſtro reſurrectio*, &c. Quamobrem ut cõſilio Chryſol. faciam ſatis, pro meis Concionibus his feriis aliam non ſelegi materiam, quam quæ eſt de reſurrectione, cum aliàs Chriſto reſurgenti gratulatus ſum de honore, quo affecit eum cœleſtis Pater, hodie gratulabor quod poſt paſſionem & mortem ad nos fortiſſimus victor & triumphator reviſat. Favete Auditores, & unà mecum victori JESU applaudite.

§. 2. *Chriſtus D. in paſſione, granum ſinapis.*

Non ſine fundamento reſurgenti à mortuis Salvatori applicare poſſumus parabolam ex c. 13. v. 31. Matt. de grano ſinapis. Fecit id Euſeb. Gallicanus hom. 1. de Nat. *Granum ſinapi parvam præfert in exteriori ſpecie quantitatem, ſed magnam dum conteritur, profert de ſua contritione virtutẽ - ita & Dominus noſter Ieſus Chriſtus, exiguus putatur eſſe cum de homine procreatur.* (in Nativitate fuit parvus puſio, in vita putârunt eſſe filium fabri, in paſſione totus fuit deſpectus) *ſed dum* (in glorioſa reſurrectione) *Deo totus impletur* (dum undiq; radiant radii divinitatis) *dum per vitæ hujus labores, tribulationum afflictione conteritur, fortior invenitur.* His diebus velut granum ſinapis contuſus fuit in mortario crucis, ſed hodie oſtendit ſe fortiſſimum; ſunt & aliæ permultæ nec in-

Debilis.

In reſurrectione reſurgit fortiſſimus.

inelegantes conſiderationes, quibus cum grano ſynapis in ſimilitudinem venire poteſt reſurgens Salvator. Juvat è multis pauculas delibare. Calidæ eſt naturæ granum ſynapis, ferventior eſt in amore Salvator Jeſus, ſenſêre heſterni duo diſcipuli, hinc illæ eorum voces: *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis*? Comeſtum ſynapis granum perpurgat cerebrum; Jeſum in Euchariſtia manduca, & videbis purgationem non cerebri, ſed animi. Multis medetur infirmitatibus granum ſynapis, Jeſus omnibus; *Venite ad me omnes*, inquit, *qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos*, Matth. 11, 28. Deniq; ex minimo ſynapis grano multa producuntur grana, quæ fronde, flore & ſemine in immenſum dilatantur. Glorioſè reſurgens Jeſus, cùm quaſi granum mortuum fuiſſet in terra, ô quantis prodiit gratiarum incrementis! ô quantis terrarum ſpatiis gloriæ ſuæ magnificentiam dilatavit. Quidni huic grano ſynapis liceat mihi præfigere glorioſum lemma: *Ex uno millia ſurgunt*; verè ex uno millia. Ex hoc grano tot millia Martyrum, tot Virginum millia, tot millia illuſtrium fidei Confeſſorum! *Ex uno millia ſurgunt*.

§. 3. *Glorioſus athleta Anteon. Fortior Chriſtus D.*

Sed ſuppetunt adhuc alia glorioſi Victoris noſtri elogia; Fabula eſt, Anteonem athletam fatigatum in lucta, abjeciſſe ſe in terram, at quamprimũ illam contigerat, fortior reſurgebat; pulchrè Euſeb. Gallican. l. 8. de Paſch. *Puto hoc illi cæleſti athletæ juſtius aptari poſſe, qui in arena mundi* [in monte Calvariæ] *cum hoſte conflixit, qui ad hoc ceſſit, ut glorioſius ſurgeret; ad hoc cecidit*, [quater aut quinquies in ſola crucis bajulatione, affixus ſolo] *ut omnes elevaret, qui adverſarium effuſus obruit, proſtratus eliſit mortemq; dum ſuccumberet, perculit* fortiſſimus victor & triumphator. Hic mihi ſuccurrit non inelegans emblema, quod fortè glorioſam Chriſti Anaſtaſin poterit illuſtrare. Pilam videre vos fingite, quam ventoſam vocant, hæc jucundo ludi genere, forti pugna percuſſa, terræque illiſa, mox altius evehitur, eoq; altius, quò fortius ante percuſſa cadebat in terram. Subſcribam ego lemma:

Si percutis, altior ibit.

Vobis jam lemma cum ſymbolo Reſurgenti applicare Domino, non erit, credo difficile. Profectò pila fuit nuper in paſſione ita jactatus,

Digitized by Google

ctatus, percuſſus, ab uno in alium locum conjectus eſt, nec pugnis tantùm, ſed & ferreis chirotecis, & flagellis, & catenis, & clavis & ipſo crucis baculo varios ſenſit ictus, impetusq; hæc pila. Verùm

Si percutis, altior ibit.

Percuſſiſtis impii Judæi, luſiſtis ſatis, nunc altior ivit Salvator, reſurrexit à mortuis, finem habet ludus; non humi in ſepulchro, ſed ſublime in gloria victor Jeſus triumphat! Devictos habet hoſtes ſub pedibus. Quæris ſub quibus pedibus? audi D. Joannem, qui Apoc. c. 1. v. 15. fortiſſimos ejus pedes, quibus hoſtes contrivit, hoc ſtylo deſcribit:

Pedes ejus ſimiles aurichalco ſicut in camino ardenti: Verſio Græca habet: *in camino ardentes*, id eſt, Chriſtus Dominus à mortuis reſurgens, igneos & flammeos habet pedes. Sed quomodo hæc conveniunt pedibus Salvatoris? nunquid his diebus fuerunt carnei, cum cruci trabalibus affixos clavis cerneremus? nunquid licet hodie in reſurrectione ſolis inſtar refulgeant, carnei tamen ſunt, in quibus cruenta vulnera remanſerunt? difficultati reſpondet Dion. *Pedes ejus ſimiles aurichalco, per quod datur intelligi, quod pedes ejus clavis confixi per amariſſimam paſſionem confortati ſunt aurichalco*, id eſt, facti ſunt ærei ob ingentem fortitudinem, ardentes & ignei ob fervorem charitatis, aurei propter ſplendorem Divinitatis; hæc hactenus latuit, hodie etiam per vulnera emicat. Sub his aureis, flammeis, æreis fortiſſimi Jeſu pedibus contritum jacet caput ſerpentis. Sic pedes confregerunt portas inferni, ſic pedes ſathanam conculcarunt, prout David prædixit Pſ. 73. v. 14. *Tu confregiſti capita draconum*. & Pſ. 90. v. 13. *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Sine dubio inter alia cantica fortiſſimo Victori accinuerunt Angeli: *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis*, fortiſſime Jeſu.

§. 4. Hic athleta fortiſſimos habuit pedes.

In reſurrectione ſimiles aurichalco.

Æreos.

Flammeos.

Aureos.

Calcantes leones.

Scabellum pedum Imperatoris in triumpho, erant præcipui ex devictis hoſtibus, ut Rex, vel belli dux præcipuus. Eundem ferè morem invenio in ſacris literis Pſ. 109. v. 2. *Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*, probabile eſt, Davidem, dum proſtrato Goliatho præſcidit caput, eundem in contemptum & ſignum victoriæ pedibus conculcaſſe. Iſaiæ c. 63. v. 1. quærunt Angeli: *Quis eſt iſte, qui venit de Edom, tinctis veſtibus de*

§. 5. Devicti hoſtes ſcabellum pedum ejus.

Boſra? iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine virtutis ſuæ? quare rubrum eſt indumentum, & veſtimenta ſicut calcantium in torculari. Reſpondet ille fortis: Ego propugnator ſum ad ſalvandum; - torcular calcavi ſolus, calcavi eos [id eſt, hoſtes meos] *in furore meo, & conculcavi eos in ira mea, & aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea, &c* & Pſal. 67. v. 27. *Vt intingatur pes tuus in ſanguine eorum.* Talem hodie nobis imaginemur fortiſſimum victorem Jeſum, in triumphali curru gloriæ, in rubro veſtimento, & purpurâ Majeſtatis, in ſtola pulchritudinis, cruentis pedibus ob roſea vulnera, ſed ſcabellum eorum ſunt hoſtes ejus; ſub his pedibus tremit tartarus, gemit ſathan, luget mors. Omnes in furore conculcati ſunt, & oppreſſi torculari crucis.

§. 6. *Illuſtres magnorum virorum triumphi.*

Quid hîc memorem illuſtriſſimos veterum belli Ducum, Regum, Cæſarumque partâ victoriâ triumphos? De Camillo, Auctor eſt Livius, ipſum captis Vejis ita triumphantem ingreſſum urbem, ut curru quatuor equis albis juncto veheretur, atque ob id eum triumphum clariorem fuiſſe quàm gratiorem, quod Solis ac Jovis currum æquiparaſſe moliretur. Triumphus Redemptoris noſtri non clarus modò, ſed & gratus, imò gratiſſimus extitit. Valete fabuloſi currus Planetarum; Triumphalis Victoris noſtri Belliducis quadriga. eſt infinita ejus gloria, Majeſtas æterna. M. Fulvius in triumpho, quem de Ætolis & Cephalæniâ habuit, carpentis vectus eſt. Ita Alexander ab Alex. l. 6. c. 6. L. Paulus Æmilius, devictâ Macedoniâ, filios duos impuberes, triumphans in curru duxit, quorum alterum triduo poſt amiſit. Jeſus meus non duos, ſed mille filios, imo tot filios, quot vidit prædeſtinatos, in ſuo gloriæ curru circumduxit. Gaudete Auditores, fuêre & veſtræ animæ [quidni ſic ſperem] in hac quadriga triumphi Divini.

§. 7. *Proſecutio.*

Nero Cæſar monſtrifico invento Hermaphrodiſtas equas portenti loco ad currum duxit. Heliogabalus Imperator triumphans, quaternis canibus, mox tigribus vectus eſt. Alexander Severus Imperator, cum de Perſis triumpharet, non curru triumphali, ſed pedibus, ſequente curru quatuor Elephantorum, palatium aſcendit. Germanicus Cæſar currum quinque liberis

ris

ris onuſtum in triumpho duxit. Illuſtres hi triumphi, quis neget? at mille partibus illuſtrior, glorioſior, ampliorq; eſt triumphus mei JESU!

§. 8. *Chriſtus D. fortiſſimas habuit manus.*

Æque fortes ſunt glorioſæ manus Victoris noſtri, Exod. 13. v. 9. *In manu forti eduxit te Dominus de Aegypto.* Stephanus Cantuar. pro ly, *in manu*, legit *in filio*, & addit, *ſed deberet dicere in manu debili, quia in primo adventu nil niſi infirmitatem oſtendit.* In præſepio quales habuit manus? an non debiles, quæ parvis erant pannis illigatæ? quales habuit manus in monte oliveti? an non debiles, cum vinculis & catenis fuerunt ligatæ? quales in monte Calvariæ? an non debiles, cum clavis fuerunt affixæ cruci? ſic eſt, nihilominus - *bene dicitur forti, quia fortes nos fecit, imò fortiſſima, dum non armata, ſed clavis confixa diabolum ſuperavit.* Benè ille pictor, Chriſti reſurgentis dexteram ornavit palmâ, decet hæc tam fortes & victorioſas manus, fortitudinem harum manuum laudavit Moyſes c. 15. v. 6. Exod. *Dextera tua Domine magnificata eſt in fortitudine. Dextera tua Domine percuſſit inimicum. Quis tui ſimilis in fortibus Domine? quis ſimilis tui - extendiſti manum tuam - & feciſti mirabilia. v. 16. in magnitudine brachii tui.*

§. 9. *Armatus virgâ ferreâ S. Crucis.*

D. Joannes Apoc. 1?. v. 5. pro palma dat victori noſtro virgam ferream, *Qui vicerit - dabo illi poteſtatem ſuper omnes gentes, & reget eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur.* Vicit Jeſus fortiſſimos hoſtes, vicit diabolum! ô victoriam! vicit mortem! ô triumphum! vicit peccatum & infernum! ô palmam! ideo hodie data eſt illi omnis poteſtas in cœlo & in terra. In ſignum poteſtatis gerit virgam ferream ſive lignum S. Crucis, ferrea hæc eſt hoſtibus & inimicis Chriſti, florida, ornata roſis amicis. De hac virga ſive ſceptro fortiſſimi noſtri Victoris eleganter D. Athan. q. 158. *Gloria & honor Chriſti crux eſt, quia innumera bona per crucem contigêre; conculcata enim eſt mors, & in exilium relegata maledictio. Infernus ceſſit in prædam: peccatum eſt abolitum: diabolus eſt ligatus: natura liberata à ſervitute: plantata eſt ſalus: reſurrectio patefacta, vita eſt exorta.* Floridè de ferreo ſceptro ſive cruce noſtri Victoris S. Chryſoſt. hom. in Paraſc.

Ejus nobiles fructus.

S. Crux trophæum fortitudinis.

raſc. *Spolia supernè de cruce pendent.* Quemadmodum enim aliquis magnanimus Dux vel Rex, confecto feliciter difficillimo bello, thoracem, & clypeum, & arma tyranni, & militum, quos divicit ſuper trophæum ponit, ſic & Chriſtus finito bello, quod cum diabolo geſſerat, arma ejus univerſa mortem & maledictionem ab edita cruce ſuſpendit, tanquam de trophæo quodam, ut omnes trophæum hoc conſpicarentur, ſupernæ virtutes, quæ in cœlis: homines qui terram colunt, ipſi quoque dæmones, qui devicti ſunt- dicantque omnes, *Alleluja*, laus, benedictio, gloria ſit fortiſſimo Victori JESU. Non ignoramus, quid illa Bethuliæ Heroina fecerit, poſteaquam cum nobili præda, hoc eſt præciſo Holofernis capite, victrix domum reverti ſſet; Suſpendit è præalto loco, ut in omnium oculos incurrere, & tum hoſtibus terrorem, tum incolis, civibuſque Bethuliæ ſummum adferret gaudium, nuntiumque victoriæ lætiſſimum. Sed vale Bethulia, ſalve Jeruſalem; Vale Judith Heroina, ſalve Jeſu Heros divine; Tu, tu devictis humani generis hoſtibus, ex alto crucis ligno eorum arma, vireſque & inſtrumenta, quin & ipſa capita ſuſpendiſti. Nunc victor triumphas; nunc in crucem nobilem victoriæ teſſeram jubes nos oculos animoſque convertere. Convertemus mi JESU, applaudimus interim, congaudemus, congratulamur. Verè fortes habuiſti manus, quæ & clavis affixæ tantam hoſtium noſtrorum ſtragem edere potuerunt.

§. 10.
Quales manus & pedes nos debeamus habere

Sed quid ad nos iſta Auditores? multum profectò: nam ut triumphi hujus ſimus participes (ſi tamen ex ſepulchro vitiorum reſurreximus) habeamus & nos manus ac pedes fortes; baſiliſcus eſt ſuperbia, draco avaritia, ſerpens luxuria, &c. premamus hæc monſtra, conculcemus, conteramus. Sic vincimus cum Chriſto, ſic triumphamus cum Salvatore. Hoc eſt, fortem habere dextram, forte pectus, fortem animum, membra fortia. E contra quiſquis victas dat carni manus, quiſquis cedit tentationibus, quiſquis ſuccumbit ſathanæ inſultibus, non fortes, ſed molles habere ſe manus oſtendit. Agedum conteramus ſatha-

thanam, inſenſiſſimum illum humani generis hoſtem ſub pedibus noſtris; agedum conteramus hunc ferociſſimum leonem, qui omni die, omni horâ, imo omni momento circumit, quærens, quem devoret, 1. Petr. 5. v. 8. Contrivit jam pridem Chriſtus Dominus, ideo vult ut & nos conteramus, quin & juvare nos vult in hoc opere, audite ſanctum Paulum Apoſt. Romanorum capite 16. verſu 20. *DEVS autem pacis conterat ſathanam ſub pedibus veſtris velociter.* Pulchrè ſanctus Cyprianus epiſt. 12. de livore: *Non enim Chriſtiani hominis una corona eſt - libidinem ſubegiſſe, continentiæ palma eſt, contra iram repugnaſſe, corona patientiæ eſt, de avaritia triumphus eſt, pecunias ſpernere.*

O glorioſe mortis Triumphator JESV, per ſanctam reſurrectionem tuam te oro atque obſecro, inſtrue nos tuis, quibus uſus es, armis; Tu ſis Dux noſter, ſequemur te Ducem, non diſcedemus à tuo crucis vexillo, Tu tantum manibus noſtris adde robur, pectori audaciam, animæ vires, ut ita tecum decertemus, quo tandem poſt pugnam victoriam, poſt victoriam æternæ Gloriæ bravium conſequamur.

Digitized by Google

CONCIO LXVII.

FESTO SS. APOSTOLORUM PHILIPPI ET JACOBI.

In domo Patris mei manſiones multæ ſunt,

Joan. 14. v. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

DEſcribit cœleſtium manſionum pulchritudinem, & ſtabilem felicitatem.

§. 1. *Exordium ſumitur à dicto Philippi Regis Macedonum de Athenis.*

§. 2. *Gaudia cæli maxima & immenſa.*

§. 3. *Quales ſint manſiones cæli; ex ſancto Bernardo & Boetio.*

§. 4. *Quomodo S. Petrus Apoſtolis illas deſcribat.*

§. 5. *Quomodo Doctor Angelicus S. Thomas.*

§. 6. *Quomodo Sylvanus Abbas, & S. Auguſtinus.*

§. 7. *Gaudia illarum manſionum ſunt æterna.*

§. 8. *Vtinam hæc æternitas noſtris ſemper obverſaretur oculis.*

§. 9. *Hiſtoria elegans.*

§. 10. *Proſecutio.*

§. 11. *Palatia hujus mundi reſpectu cæli ſunt lutum.*

§. 12. *Teſtimonium Senecæ.*

§. 13. *Dictum ſanctæ Monicæ.*

§. 14. DEVS *& cæleſtis Jeroſolyma pulchritudine ſuperant omnes creaturas.*

Demades

Digitized by Google

§. 1. *Exordium ſumitur à dicto Philippi Regis Maced. de Athenis.*

DEmades inter Græcos vir magni nominis, multæ experientiæ, nec picturæ ignarus, ad Philippum Macedoniæ Regem miſſus fuit Athenienſium legatus. Super menſam Philippus Rex varia ex illo interrogavit de Athenis, quàm ampla eſſet civitas, quàm pulchra, quàm dives, &c. Demades, non ſolum verbis, ſed ductis lineis, veluti pictor, in tabula tam pulchrè illam delineavit, ut Rex potiundæ urbis deſiderio accenſus dixerit: *Ut hac urbs mea ſit, ferro vel auro efficiam.* Ita rudis alicujus urbis delineatio animum Regis rapuit. Simile quid meo judicio accidit ſanctis Apoſtolis, & inter illos SS. Philippo & Jacobo, quorum feſtivitatem hodie celebramus. Patris æterni legatus in has terras fuit Chriſtus D. Salvator noſter, in hodierno Evangelio, cœleſtis ſimul pictor, cœleſtes Athenas, cœleſtem Jeroſolymam in pulcherrimo monte ex auro & gemmis ædificatam tam eleganter depinxit, ut ſancti Apoſtoli ſtatim anhelarint, & auro & ferro illam civitatem ſuam facere. Aurum illis fuit Divinus amor; ferrum ſive arma, illa inſtrumenta crudelitatis, & tormenta, quæ in glorioſiſſimis martyriis pro Deo & Chriſto D. ejusque fide, lege & doctrina ſuſtinuerunt, glorioſiſſimi, ſub vexillo crucis, pro bravio cœleſtis gloriæ obtinendo, pugiles & athletæ. Ut ſimile in meorum Auditorum animis excitem deſiderium, in hac Concione conabor eſſe pictor, ut cœleſtis Jeroſolymæ & æternarum manſionum pulchritudinem, & eorum, qui in illis manent, felicitatem ita deſcribam; ut quivis dicat, vel auro vel ferro illas faciam meas.

§. 2. *Gaudia cœli maxima & immenſa.*

Refert Heroldus Dominicanus, piam Virginem ejusdem ſancti Ordinis religioſam, diebus omnino ſeptem, cum morte luctatam, deniq; piè obiiſſe. Poſt aliquot dies hæc Virgo apparens Præſidi dixit: *Benigniſſimus Deus minimas etiam actiones honori ſuo factas tam liberaliter remuneratur; ut ſi Deo placeret, promptiſſima redirem ad corpus, aliosq; ſeptē dies cum morte luctarer: nam minimū quid pro Deo agere vel pati, præmium in cœlis habet maximum, ineffabile, immenſum!* Idem omnino ego judico de glorioſis Apoſtolis SS. Philippo & Jacobo; hic, ſi Deo placeret, rediret ad gladium, alter ad crucem; ob immenſum & ineffabile præmium, quod obtinuerunt,

tinuerunt, dum ſemel pro Chriſto D. ſanguinem ſuum fuderunt. Ut bene exclamaverit Laur. Juſtinianus: *O ſi ſcirent mortales, qualia & quanta ſint gaudia electis repoſita in cœlis! O ſi guſtarent, quæ præparavit Deus diligentibus ſe! prorſus omnem à ſe torporem, &c.*

§. 3. Quales ſint manſiones cœli ex S. Bernardo & Boetio.

Cœleſtem hanc gloriam Chriſtus D. in hodierno Evangelio vocat manſiones: *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Sed quales manſiones? quærunt ſancti Patres; S. Bernardus reſpondet: *In quibus nihil eſt, quod nolis; & ubi totum eſt, quod velis;* De manſionibus terræ, in quibus manemus in hac lachrymarum valle, hoc dici non poteſt, ſunt enim bonis mixta mala, & malis bona; melli affuſum eſt fel, roſæ habent ſpinas; accidunt multa quæ nolumus; deſunt plurima quæ volumus. In manſionibus damnatorum, in inferno purè, puriſſimè ſunt omnia mala, nihil niſi tormenta, & in longiſſimam æternitatem. In cœlo ſunt illæ feliciſſimæ manſiones, in quibus ſunt omnia bona. Boëtius l. 3 conſ. proſ. 2. *Omnis mortalium cura diverſo quidem calle procedit, ſed ad unum tamen beatitudinis finem nititur pervenire. Id autem eſt bonum, quo quis adepto nihil ulterius deſiderare queat. Quod quidem eſt ſummum omnium bonorum; cunctaque inter ſe bona continens; cui ſi quid abforet, ſummum eſſe non poſſet; quoniam relinqueretur extrinſecus, quod poſſet optari: liquet igitur beatitudinem eſſe ſtatum bonorum omnium congregatione perfectum.* Itaque verba Chriſti D. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*, hoc ſignificant, in cœlo, quod Pater meus cœleſtis præparavit pro æterna electorum habitatione, eſt ſummum omnium bonorum &c. [poterit hic fieri pulchra repetitio priorum] id, quod Deus promiſit Moyſi Exod. 33. v. 19 *Ego oſtendam omne bonum tibi.*

§. 4. Quomodo S. Petrus Ap. illas deſcribat.

Quales manſiones? S. Petrus Ap. ep. 1. c. 1. v. 3. illas deſcribit ſub nomine hæreditatis: *Regeneravit nos in ſpem vivam, in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarceſſibilem, conſervatam in cœlis.* Quæris ergo, quales ſint manſiones in cœlo? reſpondeo, beatæ, pulchræ & incorruptibiles, quæ in æternum deſtrui vel perdi non poterunt. Quæris quales? dico, eſſe immarceſſibiles, quæ nec deflorеſcere nec diminui poſſunt. Quæris

quales?

quales? ajo, eſſe incontaminatas, quæ nihil immundi admittunt. Jeroſolyma cœleſtis, eſt illa ſponſa, cui dictum eſt à ſponſo Cant. 4. v. 7. *Tota pulchra es, & macula non eſt in te.* Apoc. 21. v. 27. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum aut abominationem faciens. Omne maledictum non erit amplius.* Chriſti D. manſiones ſunt mundiſſimæ, ædificatæ ex auro, cryſtallo, gemmis & margaritis pretioſiſſimis.

Sed qualis eſt illarum manſionum beatitudo? ita illam declarat Doctor Angel. S. Thom. 1. p. q. 25. art 6. ad 4. *Beatitudo creata, ex hoc quod eſt fruitio Dei, non poteſt fieri melior; ſicut non poteſt aliquid eſſe melius Deo.* Quemadmodum enim humana Chriſti natura ad majorem dignitatem evehi non potuit, quàm quod unita Deo ſit; & ſicut B. Virgo ſublimius extolli nequiit, quam quod Dei Mater electa ſit; ita prorſus beatitudo auctior reddi, aut excellentior nequit, quæ Deum clarè aſpiciendum, cognoſcendum, fruendumque proponit. Hunc diſcurſum ita S. Thomas concludit: *Quidquid deſiderabile eſt, in quacunq; felicitate, vel vera vel falſa, id omne eminenter in divina felicitate continetur;* ut S. Gertrudis rapta in ejus contemplationem dixerit: *Si univerſi homines & Angeli, & linguas, & voces & vires ſuas omnes conjungant; nec unicum tamen verbulum efformare poterunt, quo dignè cœli voluptatem vel attingant vel exprimant,*

§. 5. Quomodo Doctor Ang. S. Thomas.

Sylvanus Abbas poſt ſimilem cœleſtium manſionum conſiderationem, manus oculis imponèns dixit: *O mei oculi! diem vobis negari permittite, nihil eſt in orbe terrarum, nihil eſt, quod viſu dignum ſit. Quidquid oſtentat terra, modi vile, nihil eſt ad cœlum. In cœlo! magna! pulchra! æterna ſunt! illic abundabimus! videbimus Deum.* Et S. Auguſtin. tomo 3. lib. 3. de lib. arb. c. 25. *Tanta eſt pulchritudo & jucunditas lucis æternæ, ut etiamſi non liceret amplius in illa manere, quàm unius diei morâ; propter hoc ſolum, innumerabiles anni hujus vitæ, pleni deliciis, & circumaffluentia temporalium bonorum rectè contemnerentur: non enim falſo aut pravo affectu dictum eſt; quoniam melior eſt dies unus in atriis tuis ſuper millia.* O beatas manſiones! in quibus tantæ felicitatis, tantorum gaudiorum, talium deliciarum nullus unquam erit finis.

§. 6. Quomodo Sylvanus Abbas & S. Auguſt.

§. 7. *Gaudia illarum manſionum erunt æterna.* Quod Chriſtus D. promiſit Apoſtolis, cum dixit Joan. 16. v. 22. *Et gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* Et Iſaias c. 35. v. 22. *Ipſi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei noſtri - & redempti à Domino convertentur, & venient in Sion cum laude, & lætitia ſempiterna ſuper caput eorum.* In ſempiternum in illis beatis manſionibus ſonabit hæc cantilena ex Pſal. 123. v. 7. *Laqueus contritus eſt; nos liberati ſumus.* Fortis fuit laqueus peccati! contritus eſt; fortis laqueus inferni! contritus eſt; fortis laqueus mortis æternæ! contritus eſt. *De cælo* [Iſaias c. 25. v. 8.] *in illa die præcipitabit Dominus mortem in ſempiternum.* Nos liberati ſumus. [S. Auguſtin.] Habent mutationes regna terrena: veniet illud, de quo dictum eſt: *Et regni ejus non erit finis.* Sap. 5. v. 6. *Iuſti in perpetuum vivent, & apud Dominum,* [qui eſt æternus] *eſt merces eorum.* Hoc ſummum Beatorum gaudium eſt, quod ſciant, ſuam felicitatem duraturam in omnem æternitatem.

§. 8. *Utinam hæc æternitas ſemper noſtris obverſaretur oculis.* Ad hanc omnia noſtra ſtudia, omnem curam & omnes cogitationes debemus convertere. Imitati Iſmeniam Thebanum Thebanorum Legatum ad Regem Perſarum; in cujus conſpectum antequam duceretur, unus ex Proceribus aulæ illi dixit; *Verùm Thebane hoſpes.* Lex eſt apud Perſas recepta, ut qui in conſpectum Regis venerit, non prius loquatur, antequam profundâ reverentia Regiam Majeſtatem adoraverit. Promiſit Legatus ſe facturum; ſed cum ad Regem venit, lapſum è manibus ante ejus pedes annulum, procumbens elevavit, has voculas in animo & ore verſans: *Non tibi, ſed annulo.* Annulus eſt æternitas, hanc, cùm arduum aliquid occurrit pro obtinendo cœlo, animo deberemus verſari; eſt v. g. venia danda inimico; quid durius? cogita, te id facere æternitati, & ignoſce. Durum eſt, inter injurias, contemptus & ignominias ſeſe humiliare, & velut ad aliorum pedes ſe proſternere! proſterne te; ſed æternitati, &c. merces erit ſempiterna.

§. 9. *Hiſtoria elegans.* Congruam huic diſcurſui reperio hiſtoriam apud Joannem Majorem in ejus ſpeculo. Tres intimi amici longo ſeſe dederunt itineri, quæſituri fortunam. In amœniſſima ſylva nemoris amœnitas rapuit omnium oculos & animos in admirationem; poſt

longum

longum ſilentium ait unus: *Num linguas perdidimus ſocii? unde tam altum ſilentium?* reſpondit alter: *Tam amœni ſiltus opacitas altius me ire juſſit; in cœlo eram;* quaſi diceret: amœniſſimæ hæ arbores, hi flores, &c. fuerunt mihi ſcala & gradus, per quos aſcendi in altum, ad contemplandum pulchritudinem manſionum cœleſtium. *Et ego*, ait tertius; Utrique repoſuit primus: *Mihi credite, non timere hoc factum exiſtimem. Bonum omen! in cœlum rapta ſunt noſtræ cogitationes. Ita Deus ad æterna gaudia nos invitat. Fortunam quærimus fallacem, inſtabilem, inconſtantem. Fortunam ſive felicitatem ſtabilem, æternam, optimam nobis in ſpeculo harum creaturarum nobis oſtendit Deus. Quin nutus Divinos ſequimur? Rex cœli opulentus ſanè eſt Dominus, & ſolutionis explicatiſſimæ; abundat præmiis, &c.* Cùm adverteret, ſocios his verbis commoveri, ita porro fuit fatus: *Servivimus hactenus mundo; ſervivimus voluptatibus, &c. quid inde præmii? quid hactenus mercedis? plures reperimus ſpinas, quàm roſas; eja excutiamus hoc jugum, & Regi ſerviamus, cui nemo ſervit gratis: qui ſervis ſuis dat mercedem & æternam.*

Conſpirarunt in unum; valedixere mundo; & in religioſo Ordine cœperunt ferventer ſervire Deo; dixi, cœperunt; nam [quæ Divinorum judiciorum eſt abyſſus;] duo paulò poſt reſpexerunt retro, & rediêre in mundum; antequam religioſà domo exirent, conati ſunt, ſuavibus verbis ad ſæculum ſecum reducere tertium amicum; ſed hic in divino ſervitio conſtans illis reſpondit: *Meus Magiſter hactenus tres literas me exactius docuit, & quidem tria P. ſive Peccatum, Paſſionem, Præmium. Primum P. ſcriptum eſt atramento; alterum ſanguine; tertium colore aureo. Hæc tria P. omnia ardua & gravia, faciunt mihi levia & ſuavia; In primo P. conſidero; quantæ malitiæ & turpitudinis ſit peccatum mortale vel unicum, quod æternos meretur ignes; ah ſocii, ubi eſſemus ſi infeliciter inchoatâ viâ, perrexiſſemus quærere fortunam. Alterum P. in memoriam mihi revocat tormenta & cruciatus Ieſu Crucifixi; in ejus ſanctiſſimis Vulneribus invenio ſolatia & vires, ut patienter feram adverſa omnia; imo cum gaudio, dum tertium P. me memorem reddit gloriæ cœleſtis. Obſecro vos, amici mei amantiſſimi, perpendite hæc tria,* §. 10. Proſecutio.

Peccatum,

Peccatum, paſſionem Chriſti, præmia æterna, & ſtate, pugnate, perſeverate in vita ſancta, quam cœpiſtis, donec cæleſti illo bravio habeamur digni. Et permoti hac vehementi peroratione victas manus dederunt; manſereque conſtantes (fiat pathetica apoſtrophe ad Aud. ut deſideriis & piis cogitationibus frequenter ſint in cœlo.)

§. 11. *Palatia hujus mundi, reſpectu cœli ſunt lutũ.*

Sed redeo ad priorem meum diſcurſum de pulcritudine & felicitate cœleſtium manſionum. Surius narrat t. 1. ſanctum Fulgentum, cùm veterem vidiſſet Romam tàm pulchram, tàm opulentam, in has erupiſſe voces; *Quàm ſpecioſa erit cæleſtis Ieruſalem, ſi ſic fulget Roma terreſtris? ſi in hoc ſæculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem, qualis præſtabitur Sanctis diligentibus veritatem?* ampliſſima nimirum mundi palatia, hirundinum nidi, columbarum caveæ, Diogenis dolia ſunt. Nam quantum eſt diſcrimen inter lutum & aurum, inter ſilices & uniones, inter ſolem & facem, tantum eſt, & longè majus inter omnem terræ ornatum & cœlum: juxta illud ſancti Pauli 2. Corinth. 5. v. 1. *Scimus enim, quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quod ædificationem ex Deo habeamus, domum non manu factam, æternam in cælis. Opera manuum ejus ſunt cæli,* Pſalmo 101. v. 29. Sanctus Paulus ad Hebr. 11. verſ. 9. de Abrahamo: *Demoratus eſt in terra repromiſſionis, tanquam in aliena, in caſulis habitando - exſpectabat enim fundamenta habentem civitatem, cujus artifex, & conditor Deus.* Non Remus vel Romulus, non aliquis Conſtantinus, non aliquis Philippus &c. ſed Deus condidit manſiones cœleſtis Jeroſolymæ, de qua idem ſanctus Paulus ad Hebræos 13. v. 14. *Non habemus manentem civitatem, ſed futuram inquirimus.* Et Exodi 15. v. 17. *Introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmiſſimo habitaculo tuo, quod operatus es Domine, Sanctuarium tuum Domine, quod firmaverunt manus tuæ.* De veteri Roma, de Babylonia, de Troja &c. talia dici non poſſunt, fundamenta tantarum pulcherrimarum urbium non fuerunt firma, plantata fuerunt, non in monte, non in ſaxea petra, ſed in arena, in luto, corruere, periere hæc præclara & illuſtria mundi decora, quæ omnium oculos in ſe rapiebant & vix ullum illarum amplius apparet veſtigium. Fundamenta

Digitized by Google

damenta cœleſtium manſionum, in monte Agni, ſtabunt in omnem æternitatem.

Eleganter Seneca lib. 1. nat. quæſt. in præfat. *Punctum eſt, in quo navigatis, in quo bellatis, in quo regna diſponitis. Hoc eſt illud punctum, quod inter tot gentes ferro & igni dividitur: Surſum ingentia ſunt ſpatia, in quorum poſſeſſionem animus admittitur, cum illa tetigit, altior creſcit, ac velut vinculis liberatus in originem redit. Tunc contemnit domicilii prioris anguſtias*; Ita gentilis Philoſophus Chriſtianè deſcripſit cœleſtes manſiones. [Habes locum pro ampliſſimo diſcurſu de amplitudine cœleſtium manſionum.] §. 12. *Teſtimonium Seneca.*

Nihilominus de multis dici poteſt, quod Regius Pſaltes deploravit Pſal. 105. verſ. 24. *Pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem*; hoc eſt, terram, lutum, ſpinas, ſaxa, nihilum, modicum; in hoc mundo pluris æſtimant, plus amant quàm cœlum, quàm aurum quàm roſas, quàm æternitatem. Loquitur Regius Pſaltes de filiis hujus ſæculi, ſive filiis tenebrarum Filii lucis dicunt cum S. Monica matre ſancti Auguſtini, poſtquam mater cum filio multis egiſſet de cœleſti gloria, dixit filio: *Quantum ad me attinet fili, nulla re amplius delector in hac vita. Quid hic facio? ad vitam propero meliorem.* O ſi ſic ſentiremus! ô ſi ita loqueremur! Deum immortalem; quid facitis Auditores? cur divitiæ, cur deliciæ, cur honores, cur Regum palatia, cur purpuræ, cur coronæ, cur ſceptra vos delectant in hoc mundo? quid facitis! peribunt, peribunt omnia; quæſo vos, ad vitam properate meliorem, ad manſiones, non Pluti, non Veneris, &c. ſed illas, quas Chriſtus Dominus nobis promittit. §. 13. *Dictum S. Monica.*

Cum Sapientiæ caput 13. depinxiſſet pulchritudinem creaturarum, aureum ſubdit documentum v. 3. *Sciant, quantò dominator eorum ſpecioſior eſt*. Pulchra v.g. eſt roſa! ſpecioſior conditor. [en locum pro pulchra inductione per omnes pulchras creaturas,] Sed pari ratione diſcurrere oportet de cœleſti gloria, v.g. admirare, delectare in pulchritudine omniũ florũ; ſed ſurge in altum, & dic: pulchrior eſt cœleſtis Jeroſolyma! [ita diſcurre per alias creaturas,] §. 14. *Deus & cœleſtis Jeroſolyma pulchritudine ſuperant omnes creaturas.*

Digitized by Google

turas.] Cum talia cogitavit S. Paulus, dixit ad Corinth. ep. 2. c. 7. v. 4. *Repletus ſum conſolatione, ſuper abundo gaudio.* Et Regius Pſaltes Pſal. 76. v. 4. *Memor fui Dei, & delectatus ſum:* quaſi diceret, in mea purpura, in regiis deliciis, &c. verum gaudium non reperi, ſed cum memor fui deliciarum & gaudiorum, quæ Deus in altera vita mihi præparavit. [Vide cap. 31. ſoliloq. S. Auguſt. & quære ex floſculo: floſcule mi, quis dedit tibi hanc pulchritudinem? reſpondebit floſculus: Creator meus; hic pulchrior eſt, quàm ego ſum, &c.] [Habes locum pro amplo diſcurſu;] Pari modo pulchrior eſt cœleſtis Jeroſolyma! Dicat hic quiſquis cum S. Auguſtino ex cap. 25. Meditat. S. Auguſtini: *Felix ego, & in perpetuum felix, ſi poſt reſolutionem hujus corpuſculi audire meruero illa cantica cæleſtis melodiæ! fortunatus ego, nimiumque beatus, ſi & ego ipſe meruero, cantare ea, & aſſiſtere Regi meo, Deo meo, & cernere eum in gloria ſua.*

CONCIO LXVIII.

FESTO ASCENSIONIS CHRISTI DOMINI.

Videntibus illis elevatus eſt,

Actor. 1. v. 9.

SYNOPSIS CONCIONIS.

DOcet, quomodo cum Chriſto D. debeamus relinquere mundum, & aſcendere in cœlum.

§. 1. *Affectus deſiderii videndi CHRISTUM Dominum aſcendentem ad cælos.*

§. 2. *Archangelus Raphael valedicit*

dicit clienti ſuo Tobiæ & parentibus ejus.
§. 3. *Colloquium Apoſtolorum in Aſcenſione Chriſti.*
§. 4. *Reſponſum Chriſti D.*
§. 5. *Affectus laudis ex Pſalmis.*
§. 6. *Chriſtus Dominus reliquit mundum ſecundum naturam humanam, non Divinam.*
§. 7. *Fructus memoriæ Dei nobis ubique præſentis.*
§. 8. *Per varios affectus præfert Ieſum huic mundo.*
§. 9. *Proſecutio.*
§. 10. *Relinquere hunc mundum, S. Paulo idem eſt, quod mori huic mundo.*
§. 11. *Comparatio viri juſti cum palma.*
§. 12. *Si volumus cœlum conſcendere, debemus calcare vitia.*
§. 13. *Aliud ſimile cum invectiva in certa vitia.*
§. 14. *Aliud ſimile.*
§. 15. *Chriſtus D. in gloria noſtri non obliviſcitur.*
§. 16. *Solatium à futura carnis reſurrectione.*

ANte paucas ſeptimanas feſto SS. Apoſtolorum Philippi & Jacobi deſcripſi, quantum potui, pulchritudinem & magnitudinem cœleſtis gloriæ; in cujus contemplatione inter alia S. Auguſtinus ita ſuſpiravit: *Mater Ieruſalem, civitas ſancta; te amat cor meum; pulchritudinẽ tuam nimiũ deſiderat anima mea! & libet in te oculos cordis attollere; libet de te loqui, de te audire, de te ſcribere, de te conferre; de tua beatitudine & gloria quotidie legere; ut ſic poſſim in ſinu tuo feſſum caput, dormiturus paululum reclinare: Ibi ſit mens mea, & ibi erit requies mea.* Amo ego quoque cœlum, nihilominus ô ſancte Pater Auguſtine permitte mihi, ut paucula verba nonnihil immutem, & ita ſuſpirem: Mi Jeſu! glorioſè hodie aſcendens ad cœlos! te amat cor meum; pulchritudinem, gloriam, decorem tuum nimium deſiderat anima mea. Libet in te oculos cordis attollere. O mi Jeſu! utinam videre liceret amabilem faciem, utinam dulciſſimos oculos, quibus dilectam Matrem tuam & dilectos Apoſtolos tuos in monte Oliveti illis ultimùm valedicens, & jam jam aſcenſurus ad cœlum, aſpexiſti. Utinam intueri liceret quinque glorioſa Vulnera glorioſiſſimi corporis, qualia illa Matri & Apoſtolis ultimùm obtuliſti deoſculanda! Interim, dum votorum noſtrorum fiamus compotes, libet

§. 1. Affectus deſiderii videndi Chriſtum D. aſcendentem ad cœlos.

libet de glorioſâ tua ad cœlos aſcenſione loqui, libet de te audire, ſcribere, conferre. Ut ita nobis liceat feſſa capita in dulciſſimo Jeſu ſinu & corde paululum reclinare. Quæſo Auditores, ſit mens noſtra, ſint noſtræ cogitationes, ſint noſtri affectus & deſideria apud Jeſum aſcendentem in cœlos, & ibi erit requies noſtra. Verùm; cur in exordio tam ſuavibus meam dictionem immergo affectibus; cum neceſſe ſit, ut prius vobis proponam, quomodo cum Chriſto debeamus vel poſſimus relinquere mundum, ut ita cum eodem aſcendamus ad cœlum.

§. 2. *Archangelus Raphaël valedicit clienti Tobiæ & parentibus ejus.*

Archangelus Raphaël, poſtquam juniorem Tobiam in itinere ſuo feliciter deducendo, & ad dilectos parentes cum divite ſponſa reducendo, legationi ſuæ ſatisfecit; rediturus ad cœlum, dixit Tobiæ clienti ſuo & ejus parentibus, Tob. c. 12. v. 20. *Tempus eſt, ut revertar ad eum, qui miſit me.* Quod dum Tobias ſenior audivit, vocavit ad ſe filium ſuum, dixitque ei: *Quid poſſumus dare viro iſti ſancto, qui venit tecum?* Reſpondens Tobias, patri ſuo dixit: *Pater, quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit eſſe beneficiis ejus?* me duxit & reduxit ſanum; eripuit me à devoratione piſcis, procuravit mihi ſponſam; ab illa & à me compeſcuit dæmonium, te fecit videre lumen cœli, & bonis omnibus per eum repleti ſumus; quid illi ad hæc poterimus dignum dare? Cum mediam partem omnium bonorum illi obtuliſſent, dixit Raphael c. 12. v. 6. *Benedicite Deum cœli - & confitemini illi, quia fecit vobiſcum miſericordiam ſuam - Ego ſum Raphael Angelus, unus ex ſeptem, qui aſtamus ante Dominum, - vos benedicite Deum, & narrate omnia mirabilia ejus*; Et hæc cum dixiſſet, ab aſpectu eorum ablatus eſt; & ultra eum videre non potuerunt: Tunc proſtrati in faciem, benedixerunt Dominum, & exurgentes narraverunt omnia mirabilia ejus.

§. 9. *Colloquium Apoſtolorum in Aſcenſione Chriſti.*

Pari ratione puto, *magni conſilii Angelum*, ut loquar cum Iſaia, ſive, Chriſtum D. Salvatorem noſtrum in ultimo ſuo colloquio cum Apoſtolis & benedicta matre ſua, antequam aſcenderet ad cœlos, illis dixiſſe: Mater! Petre! Joannes! Jacobe! dilecti Apoſtoli! Magdalena, &c. tempus eſt, ut revertar ad eum, qui miſit me; adeſt hora, quâ in terris cogor vos relinquere, & abire

ad

ad Patrem meum. Fortaſſis aliqui ex Apoſtolis quæſiverunt ex aliis, ſed quid poterimus dare magiſtro noſtro pro omnibus beneficiis, quæ præſtitit nobis. Fortaſſis reſpondit Petrus: ah Socii! quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit eſſe beneficiis ejus? nos elegit ante mundi conſtitutionem; pro nobis eſt mortuus; ſua morte nobis meruit vitam, vicit diabolum, confregit ſpicula mortis, disjecit portas inferni, deſtruxit imperium diaboli; bonis omnibus per illum repleti ſumus. Quid illi ad hæc poterimus dignum dare. Fortaſſis benedicta ejus mater dixit: Fili mi Jeſu! quam ego tibi reddam mercedem pro tot beneficiis? feciſti mihi magna! reſpexiſti humilitatem ancillæ tuæ, &c. quid retribuam. Fortaſſis Magdalena procumbens ad pedes Salvatoris, cum piis lachrymis dixit: Mi Jeſu, quid ego retribuam? remiſiſti mihi peccata mea; dilexiſti me multum, &c. quid retribuam? Omnibus, qui glorioſæ interfuerunt Aſcenſioni puto fuiſſe hunc ſenſum.

Fortaſſis [ſic ego hodie meditatus ſum ſuaviſſimum myſterium Aſcenſionis] omnibus cum Raphaële Archangelo reſpondit Chriſtus D. Benedicite Deum cœli, benedicite Patrem meum, qui in cœlis eſt; & confitemini illi, quoniam fecit vobiſcum miſericordiam ſuam. Ego ſum Jeſus Filius ejus. Ego ſum Jeſus Socius & Frater veſter; Ego ſum Jeſus Redemptor & Salvator veſter. Ego vos reconciliavi Patri meo, &c. tempus eſt, ut revertar. Benedicite Deum, & narrate omnia mirabilia ejus; & hæc dicens, *videntibus illis elevatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum*. Quis mente capiat, quis verbis exprimat, quâ reverentiâ, quibus affectibus Maria & Apoſtoli proſtraverint ſe in facies ſuas; quibus vocibus, quo jubilo benedixerint Jeſum aſcendentem ad cœlos. §. 4. *Reſponſum Chriſti D.*

Ex Pſalmo 67. v. 5. *Cantate Deo, pſalmum dicite nomini ejus; iter facite illi, qui aſcendit ſuper occaſum, Dominus nomen illi.* Rabini legunt: *Cantate, &c. illi, qui aſcendit ſuper cælos.* Alii: *Qui aſcendit ſuper nubes.* De quibus Iſaias ait c. 19. v. 1. *Ecce Dominus ſedet in nube levi.* In Hebræo: *Dominus equitabit ſuper nubem levem.* Velut reg. pſaltes canit Pſ. 17, 11. *Aſcendit ſuper Cherubin, & volavit;* §. 5. *Affectus laudis ex Pſalmis.*

volavit ſuper pennas ventorum. Vos benedicite illum, cantate illi; Dominus nomen illi. Victor mortis! nomen illi. Triumphator inferni! hoc nomen illi. Redemptor mundi! hoc nomen illi; laudate, cantate, ſuperexaltate, magnificate illum.

§. 6.
Chriſtus D. reliquit mundum ſecundum naturam humanam; non Divinam.

Joannis 14. v. 28. Chriſtus D. valedicens Diſcipulis ſuis, his verbis fuit uſus: *Relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Quibus verbis ipſe myſterium ſuæ Aſcenſionis clarè nobis declaravit; inſinuando, quod mundum hunc reliquerit ſecundum naturam humanam, non tamen Divinam; S. Auguſt. tract. 102. *Reliquit mundum Chriſtus corporali diſcenſione, perrexit ad Patrem hominis aſcenſione; nec mundum deſeruit præſentiæ gubernatione, &c.* Deus enim, ſi ipſam tantùm Divinitatis exiſtentiam ſpectemus, ita eſt in terris, ſicut in cœlis, & contra. Beati in cœlis habent illum ſibi præſentem, & nos habemus in terris. Præcellit cœlum, quia in eo hominibus ſe ipſum oſtendit manifeſtè; in terra nobis ſe oſtendit occultè. In cœlo apertè cernitur per lumen gloriæ, in terris obſcurè cernitur per lumen fidei. Videmus in terra per ſpeculum, & in ænigmate; Qui in cœlo ſunt, vident de facie ad faciem. Illi Beati jam re ſunt in cœlo, nos beati ſpe in terris.

§. 7.
Fructus memoriæ Dei ubique nobis præſentis.

Ideo ſuadent SS. Patres, ut hæc ſit jugis noſtra cogitatio, adeſt nobis Deus, in hoc loco eſt, in quo ego ſum; propinquiſſimus mihi eſt, in me eſt Deus; me ipſum, cor meum, cogitationes meas omnes, verba, opera, cernit & intuetur. Nihil illum latet, oculos ſuos ſemper in me defixos habet. Imitari proinde debemus Beatos in cœlis; ut ſicut illi Deum ſecum exiſtentem, ſemper per lumen gloriæ contemplantur, ita nos eundem quoque Deum nobiſcum exiſtentem, ſemper intueamur per actus fidei, ſpei & charitatis; & ita, ſicut in cœlis ex viſione Dei emanat maxima Dei dilectio, cum dilectione maxima; ita etiam in hac lachrymarum valle ex viſione per lumen fidei in nobis exſurgat magnus Dei amor; ex amore magna delectatio, cujus dulcedinem deguſtans David.

§. 8.
Per varios effectus præfert le-

Hæc itaque eſt ſancta vita ſanctorum hominum in terris; quotidie cum Chriſto D. aſcendere ad cœlos; ſive, relinquere mundum, & manere in mundo. Manent in mundo corpore; relinquunt

Digitized by Google

linquunt illum corde: in mundo ſunt, ſed non ſunt de hoc mundo, juxta illud Joannis c. 15. v. 19. *Quia de mundo non eſtis, propterea odit vos mundus*. Ita S. Paulus fuit in hoc mundo, & non fuit, cùm dixit: *Converſatio noſtra in cœlis eſt*; ſcilicet, quia in mundo erat corpore, corde autem in cœlo. Ipſe veritatem hanc declarat ſimili, dum ait 2. Corinth. c. 5. v. 6. *Dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino.* Peregrinus autem corpore eſt in via; deſiderio eſt in patria. Talis peregrinatio debet eſſe vita noſtra: ſedemus ſuper flumina Babylonis, & flemus; lachrymarum & triſtitiæ ſolatium eſt; quod corde recordari poſſimus pulcherrimæ Sionis. Quiſquis corde recordatur Jeroſolymæ, vel Chriſti glorioſè aſcendentis ad cœlos, facile ſuſpendit organa hujus mundi, & cum à mundo invitatur ad inania gaudia, cum jubilo reſpondet: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena.* Ecquis enim non relinquat mundum pro cœlo? pauca bona pro multis? fallacia pro veris? inania pro ſolidis? parva pro magnis? finita pro infinitis? momentanea pro æternis? Quis non relinquat mundum pro Jeſu? mundum pauperrimum pro Jeſu opulentiſſimo? Valete mundi divitiæ! Jeſu ditiſſime te amat cor meum, divitias tuas nimium deſiderat anima mea; te ſolum libet amare. Quis non relinquat mundum periturum pro Jeſu ſempiterno? mundum amariſſimum pro Jeſu dulciſſimo? mundum inimiciſſimum pro Jeſu amiciſſimo? mundum pertrahentem ad tartara pro Jeſu elevante nos ad cœlos? Vale munde! corpore in te manere cogimur, ſumus in via, ſed mente, ſed corde, ſed deſideriis ſumus in cœlo cum ditiſſimo, cum dulciſſimo & ſuaviſſimo Jeſu! O Jeſu! te amat cor meum, &c. ut ſupra. *ſum huic mundo.*

O illos amentiſſimos atque infeliciſſimos, qui Jeſum pro mundo relinquunt! O ſapientiſſimos & feliciſſimos, qui cum S. Paulo omnia arbitrantur ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciant. Maledictio ſuper ſerpentem in paradiſo hæc fuit, Gen. cap. 3. v. 14 *Super pectus tuum gradieris, & terram comedes.* Hæc maledictio cadit in illos mortales, qui in hoc mundo corpore & corde gradiuntur ſuper pectus; qui ſemper reptant humi; quibus terra cum ſuis divitiis, deliciis & voluptatibus eſt veluti dulciſſimus cibus; *§. 9. Proſecutio.*

bus; ſiliquæ ſcilicet porcorum, quibus fallax hic mundus ſuos paſcit ſectatores, dum amplexantur ſtercora. Tales ſerpentes ſemper corpore ſunt in terra, nunquam corde in cœlis.

§. 10. *Relinquere mundum S. Paulo idem eſt, quod mori mundo.*

Aliud nobis ſuadet S. Paulus ad Coloſſ. c. 3. v. 1. *Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt, ad dexteram Dei ſedens; quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram. Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto.* Ita hæc verba S. Pauli ſunt intelligenda de morte ſcilicet ſpirituali. Mortui nihil amplius deſiderant in hoc mundo, nihil quærunt, de nulla re amplius ſunt ſolliciti; animæ vero illorum, ſi moriantur pretioſâ morte Sanctorum, evolant ad cœlum. Senſu myſtico, hoc modo ſpiritualiter debemus mori, ſi velimus mundum relinquere, & aſcendere cum Chriſto, nihil deſiderare de hoc mundo, nihil quærere, nihil amare, in quo hunc mundum præferamus Chriſto; quod D. Cyrillus hoc ſimili declarat: *Ut arbor ſurſum creſcat, rami inferiores debent præſcindi; pari ratione, ut ſurſum cum Chriſto feratur anima noſtra, inferioris hominis inordinatæ concupiſcentiæ ſunt reſecandæ.* S. Auguſtinus tr. 3. in ep. S. Joan. *Tantum nos exercet deſiderium ſanctum, quantum deſideria noſtra amputaverimus ab amore ſæculi.*

§. 11. *Comparatio viri juſti cum palma.*

De Palma ait Philo lib. de vita Moyſis: *Palma vitalem vim habet, non in radicibus defoſſam, ut cæteræ arbores, ſed in ſummo, quaſi cor ſitam, in ramorum medio, ubi ſuaviſſimos profert fructus.* Tales palmæ ſunt viri ſancti, qui hodie cum Chriſto relinquunt mundum, non corpore, ſed mente, quâ ſunt in cœlis. Vis eorum & fervor non eſt in radice, vix alitur terra; omne robur reſidet ſuperius: cor eſt in cœlis cum Chriſto; hinc dulces fructus variarum virtutum, hinc ſancta illa deſideria, &c. Credo, vos advertere ex his ſimilibus, quomodo cum Chriſto debeamus relinquere mundum, & aſcendere in cœlum.

§. 12. *Si volumus cœlum conſcendere, calcare debemus ſcelera.*

Alium modum aſcendendi ante omnia neceſſarium, nos docet S. Auguſtinus ſer. 176. de temp. *Ipſo affectu pariter & profectu aſcendamus poſt Dominum: etiam per vitia & paſſiones noſtras.* Si utique unuſquiſque noſtrum ſubdere eas ſibi ſtudeat, ac ſuper eas ſtare conſueſcat, ex ipſis ſibi gradum conſtituit, quo poſſit

ad

ad ſuperiora conſcendere. Elevabunt nos, ſi fuerint infra nos. De vitiis noſtris ſcalam nobis facimus, ſi vitia ipſa calcamus; Idem S. Auguſt. ſer. in hod. ſolen. *Scire debemus, quod cum Chriſto non aſcendit ſuperbia, non avaritia, non luxuria, nullum vitium noſtrum aſcendit cum Medico noſtro. Et ideo, ſi poſt Medicum deſideramus conſcendere, debemus vitia & peccata deponere.*

Sanctus Leo ſerm. de Aſcenſione affert hoc ſimile? *Quò proceſſit gloria capitis, eò ſpes vocatur & corporis* Inſinuat ſecretum naturæ, quod ſi caput corporis humani poſſit ingredi aliquod foramen, ſequi quoque poſſint reliqua corporis membra, niſi monſtroſum illud ſit. De ſerpente dicitur eſſe certum; licet caput videatur tenuius, tamen ſequitur illud corpus, dum penetrat rimam alicujus ſaxi. Caput noſtrum eſt Chriſtus Dominus, qui hodie glorioſus penetravit cœlos, cum tamen ſemita, quæ eò ducit, ſit arctiſſima & anguſta via; Caput ſequuntur omnes Sancti, ſi cum Chriſto ſint leves, agiles, lucidi, ſpirituales & mortificati. Econtra, licet caput præiverit, non ſequetur corpus, quod fortaſſis habet altos & latos humeros, vel informem gibbum, vel nimis craſſum ventrem, vel nimiis indutum veſtibus. Hæc impedimenta inveniuntur in multis membris Chriſti; Superbi, arrogantes, faſtuoſi, ambitioſi habent nimis latos & elatos humeros, quibus Chriſtus Dominus Matth. capite 18. verſu 3. *Amen dico vobis, niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Gibbos habent avari, de quibus Chriſtus Dominus Matthæi capite 19. verſu 24. *Facilius eſt, camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem intrare in regnum cælorum.* Craſſum corpus habent guloſi, quorum Deus venter eſt; ſed ait ſanctus Paulus ad Romanos capite 14. verſu 16. *Non eſt Regnum Dei eſca & potus.* Impedimenta etiam ſunt veſtes, præcipuè ſordidæ & immundæ; nam in Apocalypſi dicitur: *Nihil coinquinatum intrabit in regnum cælorum.* Advertitis ſine dubio, quid ſit cum Chriſto relinquere mundum, & conſcendere cœlum.

§. 13. Aliud ſimile: cum invectiva in certa vitia.

Multæ aves velociſſimè & altiſſimè volant, ſi alæ non graventur; ſi hæ madefiant, vel alligetur illis plumbum, hærent in terra.

§. 14. Aliud ſimile.

Digitized by Google

terra. Multorum animæ hodie altiſſimè evolant cum Chriſto Domino uſque ad ipſum thronum gloriæ ejus; ubi cum Angelis & Archangelis accinunt Agno hymnos laudis; quia alæ illorum ſunt leves, ſine omni impedimento. Alii ſerpunt humi, non cogitant de CHRISTO aſcendente, neque de cœlo; quod mirum non eſt, ſunt gravati plumbo; plumbum ſunt terrenæ affectiones; plumbum ſunt ſæculi hujus voluptates,&c. Hæreo nimis diu in his ſimilibus; ut tandem finiam, duo addo ſolatia.

§. 15. *Chriſtus D. in gloria noſtri non oblivifcitur.*

Primum eſt: Eò quod Chriſtus Dominus hodie reliquerit mundum, & aſcenderit ad cœlum, nos verò relicti maneamus in hac lachrymarum valle, non ideo debet triſtari cor noſtrum, neque enim ibi noſtri obliviſcitur. De pincerna Pharaonis ait caput 40. Geneſis verſu 23. *Succedentibus proſperis oblitus eſt, interpretis ſui Joſeph.* Hic verò alterius fuit indolis; ſuccedentibus proſperis, poſtquam in regno eſſet primus per Pharaonem, cum dominaretur in Ægypto, non fuit oblitus fratrum & parentis; ſed evocavit omnes ad ſe, ut tantæ eſſent participes felicitatis. Talis Joſeph eſt Chriſtus Dominus Salvator noſter; in ſuo regno, in tanta gloria ſedens ad dexteram Patris, non obliviſcitur noſtri; ſed de throno gloriæ relictum mundum replet & implet bonis & benedictionibus: juxta illud ſancti Pauli ad Epheſeos capite 4. verſu 7. *Vnicuique noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti, propter quod dicit* in Pſalmo 67. verſu 19. *Aſcendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.* Ad Hebræos capite 9. verſu 11. & 12. *Non in manu facta ſancta introivit Jeſus, ſed in ipſum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Sanctus Bernardus: *Vt Patri pro nobis oſtendat latus & vulnera.* Sanctus Joannes Epiſtola 1. capite 2. verſu 1. *Advocatum habemus, ſi quis peccaverit, apud Patrem, Jeſum Chriſtum, juſtum: & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, &c.*

§. 16. *Solatium à futura car-*

Alterum ſolatium eſt: Modò in hac lachrymarum valle anima ſancta ex corpore veluti carcere, deſideriis tantum aſcendit

aſcendit cum Chriſto Domino ad cœlum, donec per ſanctam *nis reſurre-*
mortem, liberata à corpore, & relicto illo, in ſepulchro inter *ctione.*
vermes, ipſa evolet in cœlum, ubi ſola cum CHRISTO erit in gloria, uſque ad diem extremi judicii; quando per carnis reſurrectionem, reſtituta corpori glorioſo, ut una ſimul anima & corpus aſſumantur in cœlum, juxta illud Actorum capite 1. verſu 11. *Hic JESVS, qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis euntem in cœlum*; Et tum cum illo omnes electi [1. ad Theſſalonicenſes capite 4. verſu 16.] ſimul rapientur in nubibus cum Chriſto in aëra; & apparebimus cum ipſo in gloria ante conſpectum ſanctiſſimæ Trinitatis, ut æternum beati illi accinamus: Sanctus! Sanctus! Sanctus! O quàm læta, quàm jucunda erit illa dies &c.
[Fiat affectuoſus Epilogus.]

FINIS PARTIS TERTIÆ.

Digitized by Google

Digitized by Google

ALVEI SEXTI,

SIVE

CONCIONUM

IN

Omnia Feſta à Pentecoſte uſque ad Adventum,

PARS IV.

Digitized by Google

Digitized by Google

CONCIO LXIX.

FERIA II. PENTECOSTES.

Sic DEUS dilexit mundum, &c.

Joan. 3. v. 16.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRimo: Cur in igne Spiritus S. advenerit, examinantur variæ cauſæ. Secundo: Media, quibus illum in cor noſtrum adducamus, traduntur.

§. 1. *Varia nomina feſti Pentecoſtes apud SS. PP.*

§. 2. *Propoſitio.*

§. 3. *Sanctus Ambroſius de Spiritu ſancto præclarè inſtruit Gratianum Imperatorem.*

§. 4. *Ignis ſymbolum Divinitatis.*

§. 5. *SS. Trinitas in igne ſæpius apparuit.*

§. 6. *Ignis centrum ubinam? & ubinam centrum Spiritus ſancti.*

§. 7. *Variæ ignis proprietates applicantur Spiritui S.*

§. 8. *Præcipuus ignis effectus eſt ardor: & Spiritus S. præcipuus eſt amor.*

§. 9. *Quidquid ſanctè ardet, ab igne Spiritus S. ardet.*

§. 10. *Quo pacto divinus ille ignis in nobis accendatur.*

§. 11. *Favores à Spiritu ſancto exhibiti Beatæ Catharinæ de Reconis.*

§. 12. *Et alteri S. Virgini Sibyllinæ.*

§. 13. *In quibus advertantur effectus hujus ignis.*

§. I. *Varia nomina Feſti Pentecoſtes apud SS. Patres.*

VArias nec minus pias quàm affectuoſas compellationes invenio apud SS.PP. quibus uſi ſunt in Feriis Pentecoſtes. Vocant alii Pentecoſten Feſtum *Sanctificationis & donationis*; alii Feſtum *exultationis & dilectionis*; alii *Feſtivitatem ignium.* Nam Pentecoſtes eſt Feſtum *Sanctificationis*, quia hodiernâ die Pater cœleſtis in nomine Jeſu, ſummi Sacerdotis, de cœlo miſit Spiritum S. qui novam Chriſti Eccleſiam ſanctificavit, juxta illud Pſ. 45.v.5. *Sanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus.* Sanctificavit B. Virg. novæ Eccleſiæ Reginam. Sanctificavit Apoſtolos, veluti primos tam pulchri ædificii lapides. Unde bene colligit S. Bern. *Si Sanctorum ſolennia celebramus, quanto magis ſolennitatem illius, à quo omnes Sancti habent, ut eſſent ſancti. Nam Spiritus S. eſt,* [S. Richard.] *ſine quo nullus efficitur ſanctus.* Feſtum *donationis* eſt Pentecoſtes, quia Filius Dei de cœlis, quò ante dies decem aſcendit, dedit dona hominibus, & quaſi *donum Dei Altiſſimi*, donum divinum, quia ſibi æquale, quod eſt, tertia in ſanctiſſima Trinitate Perſona Spiritus S. juxta illud in l.5. Conſtitut. Apoſt. *Poſt decem dies Aſſumptionis, qui eſt quinquageſimus à primo Dominico, ſit nobis magnum Feſtum, in eo enim horâ tertiâ miſit ad nos Dominus donum Spiritus ſancti.*

Conſequenter eadem dies eſt Feſtum *exultationis,* juxta illud, quod canit Eccleſia: *Quapropter profuſis gaudiis totus in orbe terrarum mundus exultat. Exultant, qui jacent in tenebris, quia orta eſt lux nova & magna.* Exultant inopes & mendici, quia venit dator munerum; Exultant cœci, & qui ſedent in tenebris & umbra mortis, quia venit lumen cordium, exultant triſtes animæ, quia adeſt conſolator optimus, non homo, non Princeps terrenus, non conſanguineus aut affinis, non Angelus aut Archangelus, ſed Deus ipſe Paracletus. Exultant, qui totum diem, imo & vitam in arduis laboribus conſumpſerunt, nam qui venit, eſt in *labore requies, in æſtu ſolatium, in fletu temperies.* Eſt quoque dies hodierna Feſtum *dilectionis*, quia

de

Digitized by Google

de cœlis in terras deſcendit Spiritus S. per quem *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris,* ad Romanos capite 5. verſu 5. Et quia charitas Dei, & quâ ipſe nos diligit, & quâ nos illum diligimus, frequenter vocatur ignis, ab ipſo Chriſto D. *Ignem veni mittere,* Luc. 12. v. 49. Denique Pentecoſtes etiam feſtum *ignium* appellatur.

§. 2. *Proſecutio.*

Atque ex his voculis ſine dubio cogitatis, me eſſe memorem promiſſi in heſterna Concione, dum promiſi, allaturum me hac Concione plures rationes, quare Spiritus ſanctus in forma ignis deſcenderit. Faciam id prima parte Concionis. Alterâ verò ſuggeram quædam media, quibus hunc ignem de cœlo in corda noſtra pertrahere poſſimus. In fine rurſum peculiarem favorem Spiritus ſancti erga ſibi devotam piiſſimamque Virginem audietis.

§. 3. *S. Ambroſ. de Spiritu S. præclarè inſtruit Gratianum Imperatorem.*

Gratianus Imperator, cum deſideraret, bene iſtrui in myſteriis fidei, præſertim illis, quæ credenda ſunt de Spiritu ſancto, id fieri voluit à ſancto Ambroſio, à quo idem petiit humaniſſimis literis; Vir ſanctus in gratiam Imperatoris compoſuit de illa materia tres libros ſubtiliſſimos & elegantiſſimos. In epilogo tandem ait: *Ad ſummam, quæ dicta ſunt, expreſſius colligamus. Summa autem eſt hac, Spiritus ſanctus eſt Deus;* primo, quia eſt Creator, Pſal. 103. v. 30. *Emittes Spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ.* Spiritus ſanctus eſt Deus ſecundo, quia fuit cooperator myſterii Incarnationis: *Spiritus ſanctus obumbrabit tibi,* Luc. 1. v. 35. Spiritus S. eſt Deus tertio, quia peccare non poteſt, Sap. 7, 22. *Eſt Spiritus nobilis, incoinquinatus.* S. Spiritus eſt Deus quarto, quia remittit peccata mundi, Joannis 20. v. 22. *Accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Luc. 5. v. 21. *Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?* Spiritus S. eſt Deus quinto, quia cum Patre & Filio adoratur & glorificatur. Sexto tandem Spiritus S. eſt Deus, quia eſt ignis ardoris infiniti in ſanctiſſima Trinitate inter Patrem & Filium, eſt quaſi igneum & ardens vinculum, quo in eadem natura ſibi colligantur, quia eſt igneus amor, quo illæ duæ Perſonæ ſe amant, & in eadem natura tertiam Perſonam conſtituunt, quæ eſt

Digitized by Google

Spiritus ſanctus. Et in qua forma pulchrius & efficacius deſcenderet, quàm in forma ignis? cauſas percipite.

Et primo quidem in communi. Cum Deus in Veteri Teſtamento gloriam ſuam manifeſtare voluit, fecit id per ignem. Cum Moyſes primâ vice vidit Deum in monte Horeb, vidit illum in ardente rubo, Exodi 3. v. 1. & 2. Iſraëlitarum Dux cum exirent ex Ægypto, cum illos deduxit per mare rubrum fuit in columna ignis, Exodi 13. v. 21. Cum Moyſes iterum illum vidit in monte Sinai, Exodi 24. v. 17. *Erat ſpecies gloriæ Domini quaſi ignis ardens in vertice montis.* Daniel c. 7. v 9. vidit aliquam umbram Dei, *ſed thronus ejus flamma ignis, rota ejus ignis accenſus, fluvius igneus rapidusque egrediebatur à facie ejus.* Omitto plurima ſimilia, ex quibus clarum eſt, in ſacris literis ignem in communi ſemper fuiſſe ſymbolum Divinitatis, vel præſentis & loquentis Dei, vel alicujus Angeli id agentis, in perſona Dei, tanquam cœleſtis Legati. Ne tangam illam difficultatem, an DEUS ipſe per ſe vel per Angelos in Veteri Teſtamento pluribus fuerit locutus.

§. 4 *Ignis ſymbolum Divinitatis.*

In particulari verò benè adverterunt nonnulli Interpretes & SS. PP. quod omnes tres Perſonæ in ſanctiſſima Trinitate, quando ſpectabili & viſibili modo ſe voluerunt oſtendere, id fecerint in igne. Jam inſinuavi de Patre cœleſti, cum populo per Moyſen voluit legem tradere, viſus eſt ab illo in igne. Exod. 19. verſ. 18. *Totus mons Sinai fumabat, eò, quod deſcendiſſet Dominus Deus in igne.* Daturus legem populi, ſcriptio autem legis peculiariter attribuitur Patri; De Deo Filio heri inſinuavi, quod in utero Virginis & in ſanctiſſima ſua humanitate fuerit veluti carbo ignitus, qui & ſuam humanitatem & Matrem totam ignivit igne & flammâ amoris Divini. Ut modo ſilentio prætercam, quàm ignitus carbo & qualis ignis fuerit in altari ſanctæ crucis, & cum in monte Thabor ſuam gloriam voluit manifeſtare præcipuis Diſcipulis, id fecit per radios lucis & ignem ſolis, quo reſplenduit facies ejus, Matth. capite 17. verſu 2. Et cum redibit in hunc mundum, Judex vivorum & mortuorum, Pſal. 96. verſu 3. *Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu*

§. 5. *SS. Trinitas in igne ſæpius apparuit.*

Digitized by

cuitu inimicos ejus. Itane? gloria, Divinitas, Majeſtas, pulchritudo, amor filii manifeſtata fuerunt per ignem, & lucem, & radios? æquum itaque erat, ut eodem modo mundo manifeſtaretur gloria, Divinitas, Majeſtas Spiritus ſancti, qui etiam Deus eſt, ob cauſas valdè peculiares.

Latet ignis materialis in altiſſima ſphæra ſupra reliqua elementa, ſub concavo lunæ, ibi eſt ejus centrum, & ibi fugit oculos noſtros, neque à nobis videtur, niſi quando ad hæc inferiora delabitur. Latuit Spiritus ſanctus in ſuo centro, non dicam in ſphæra, ſed infinito triangulo ſanctiſſimæ Trinitatis à tota æternitate, verè triangulo igneo; neq; à mundo vel mortalibus viſus fuit, niſi quando tempore Chriſti, in forma columbæ & nubis, Matth. 3. v. 17. præcipuè verò poſt ejus aſcenſionem in forma ignis delapſus eſt ſuper Apoſtolos, Act. 2. v. 3. Cum viſibilis apparere voluit, *apparuit inſtar ignis,* ait ſanctus Gregorius Naz. *quia ejuſdem eſt naturæ & eſſentiæ cum Patre & Filio, & quia Deus eſt, ignis eſt, & quia ex famulis agnoſcitur, ex illorum ſplendore, potentia &c.* qualis eorum ſit princeps, in deſcenſu Spiritus ſancti; hodie illi famulantur fulgura, fulmina, tonitrua, venti, nubes, præſertim ignis, patet, quod qui deſcendit Spiritus ſanctus ſit Deus.

§. 6. *Ignis centrũ ubinam? & ubinam centrum Spiritus S.*

Ignis eſt elementum puriſſimum, ſimpliciſſimum, ſubtiliſſimum, ignis ita eſt purus, ut purificet alia, ut patet in auro, argento, talis ignis eſt Spiritus ſanctus puriſſimus &c. Deſcendit itaque, & apparuit in igne. Ignis ſemper tendit in ſublime, quia naturæ eſt aereæ & divinæ, talis ignis eſt Spiritus ſanctus, deſcendit, ſed & ipſe, & illos ſupra quos deſcendit, mox ſecum rapuit in ſublime. Ignis elementum princeps, maxime tamen activum, in ſua tamen ſphæra nihil agit, non urit, non calefacit, non accendit, ſed ſua quodammodo virtute ſe involvit atque continet. In inferioribus agit mira: Et Spiritus ſanctus, in Divinitate ad intra, ut loquuntur ſcholæ, nihil agit; non generat ut Pater, non ſpirat ut Pater & Filius, non producit aliam perſonam, ſed eſt amor, quies & gaudium ſanctiſſimæ Trinitatis. Verùm ad extra in cordibus fidelium per infuſionem charitatis,

§. 7. *Varia ignis proprietates applicantur Spiritui S.*

&alia

& alia dona, mira, ſublimia, admiranda operatur; prout heri audiviſtis de Apoſtolis, quos loquentes, quos ardentes, quos fortes, quos cœleſtes fecit. Sanct. Chryſoſtomus, *ſuper terram nox eſt, in eam noctem nos incidimus, tradit nobis Deus lampadem illuſtrem, incenſam Spiritus ſancti gratiam.* Omitto multa ſimilia, quia obvia ſunt, cauſam principalem, ob quam Spiritus principalis in forma ignis viſibilis apparuit mundo, puto fuiſſe, quia ignis peculiariter repræſentat ardorem divini amoris, quem producit in cordibus fidelium.

§. 8. *Præcipuus ignis effectus eſt ardor, & Spiritus S. amor.*

De quo effectu pulchrè ait ſanctus Gregorius hom. 30. in Evang. *Foris apparentibus linguis igneis, intus facta ſunt corda flammantia, quia dum Deum in ignis viſione ſuſceperunt, intus ſuaviter per amorem arſerunt.* Et quis explicet illos æſtus: flammas, incendia divini amoris, quæ in bonis mentibus accendit ille ipſe, qui totus ignis eſt, qui totus amor eſt; & hodie, quidquid ſcintillarum, quidquid carbonum, quidquid radiorum, quidquid ignium, quidquid flammarum eſt, & ſi quæ ſint incendia divini amoris, ſunt, ardent, urunt, accendunt igne Spiritus ſancti, loquor cum ſancto Auguſtino, cum arderet flammâ divini amoris, cum ejus cor accenderetur à Seraphinis, cum eructaret illas ſcintillas ardentis amoris in ſuis Meditationibus & Soliloquiis, faſſus fuit:

§. 9. *Quidquid ſanctè ardet, ab igne Spiritus S. ardet.*

Hoc dono (ſcilicet Spiritu ſancto) *accendimur & inardeſcimus*, & hoc in cœlis & in terris. Ardet cor beatæ Virginis? hoc igne, hoc dono, ab hoc Spiritu, ardent Cherubini & Seraphini? ab hoc igne. Ardent amore Divino ſuccenſi Apoſtoli? ab hoc igne. Ardent ſancti Patriarchæ, Prophetæ, Martyres? ab hoc igne. Ardent liliatæ Virginum catervæ? ab hoc igne. Ardet in terris cor igneum Ignatii? ab hoc igne. Ardet Xaverius? ardet Thereſia? ardent innumeræ aliæ animæ ſanctiores? ab hoc igne. Qui flammas accendit, qui excitavit hoc incendium, ſolus eſt Divinus ignis, Spiritus ſanctus. O cor meum! cor aridum, cor frigidum! ô cur non & tu hoc igne corriperis, his flammis exardeſcis? ut bene de Spiritu ſancto dici poſſit, quod Heraclitus dixit de DEO, - *eſſe DEUM ignem intelligibilem*; & ab

Digitized by Google

ab hoc igne immenſo tanquam ſcintillæ innumeræ, exſiliunt Angeli & homines. Innumerabiles Seraphini, ardentes flammâ divini amoris, ſunt ſcintillæ ab igne Spiritus ſancti, &c. hodiernâ die, qualis ſcintilla Beata Virgo? quam ardentes oculi, quàm flammea facies, quàm ardens cor? ab igne Spiritus ſancti, qualis ſcintilla ſanctus Petrus? ab hoc igne. Non dubito, heri & hodie nos in cordibus noſtris ſenſiſſe aliquas ſcintillas Divini amoris; aliqua deſideria proficiendi in amore Divino, ſimus grati, agnoſcamus, omnia fuiſſe ſcintillas ab igne Spiritus ſancti.

In altera parte Concionis, ne cogar ſilere de quibuſdam favoribus Spiritus ſancti, inſinuo tantum, quibus mediis ignem Spiritus ſancti in cordibus noſtris accendere debeamus. Ignis in materia diſpoſita facillimè excitatur flatu, ſi corda noſtra ſunt diſpoſita per munditiem, per alias virtutes, halitu & ſpiritu ferventis orationis facillimè accendamus ignem Spiritus ſancti. *Os meum aperui*, ait David, *& attraxi Spiritum.* Ut dixi, hoc medium tantùm inſinuo, alibi declaro. Secundo: In nitido ſpeculo, ſi opponatur radiis ſolis, ſtatim accenditur flamma. Specula ſunt corda noſtra, ſi ſint munda, ſi irradientur radiis gratiæ, ſi illa opponamus radiis, quos vibrant ſanctiſſima Vulnera Chriſti, præſertim in pia communione, ſtatim accendetur in nobis ignis Spiritus ſancti, decident ſcintillæ, quibus accendemur. Excitatur ignis, cum chalybs percuſſione applicatur petræ. Chalybs ſint corda noſtra, per contritionem, per actus pœnitentiæ allidamus illa ad petram, quæ eſt Chriſtus; hæc concuſſio, contritio excitat flammam Spiritus ſancti, & augetur, ſi affundatur aqua lachrymarum ex corde contrito. Nulla aqua ſic inflammat carbones fabri ferrarii, ſicut lachryma cordis contriti ignem Spiritus ſancti. Et quia ignis in materia diſpoſita accendit alium ignem, & nos quæramus alios ignes, quæramus inter Seraphinos, inter Sanctos, quæramus in Vulneribus Chriſti, quæramus præcipuè in ſancta Communione, ut his ignibus accendamus ignem Spiritus ſancti, hinc pendet, ut fruamur favoribus peculiaribus, quos Spiritus ſanctus peculiariter ſibi devotis largitur.

§. 10. Quo pacto divinus ille ignis in nobis accendatur.

§. 11. *Favores à Spiritu S. exhibiti Catharinæ de Raconis.*

Jam poteſtis advertere, Concionem meam decurrere ad finem. Cœleſte & jucundiſſimum fuit ſpectaculum, quo recreata fuit piiſſima Virgo Catharina de Raconis ex ordine S. Dominici. Hæc ſolita fuit recitare quotidie Litanias de Spiritu S. quam devotionem Spiritus S. peculiari aliquo favore voluit remunerari; itaque ita feriis Pentecoſtes ſupra illam Virginem deſcendit in forma lucidiſſimæ nubis, à qua Virgo tecta & involuta fuit, non ſine admirabili gaudio & ſolatio. Cum alias tota arderet deſideriis recipiendi Spiritum S. præſertim ſeptem ejus dona, vidit ingredi ad ſe in cubiculum duos pulcherrimos Angelos cum S. Catharina Senenſi, & mox cum ingenti fragore & lumine de cœlo delapſus fuit Spiritus ſanctus in forma globi ignei, è quo ſeptem igneæ linguæ deciderunt, veluti ſcintillæ ex grandi incendio, quæ veluti igneæ ſagittæ cor Virginis vulnerarunt, & ſenſit ipſa vulnera, ſed vulnera charitatis, ſenſit ignem, ſed ignem S. Spiritus, quem in amantium cordibus excitare ſolet. O ignis cœleſtis! ô lucidiſſima nubes! ô accenſe & ardens globe! Sancte Spiritus, in tali nube, in tali globo ſuper me quoque & meos Auditores hodie deſcende! tuis flammis accendi, tuis ſagittis vulnerari deſideramus, has gratias, hos à tua infinita bonitate expetimus favores.

§. 12. *Et alteri ſanctæ Virgini Sibyllinæ.*

Hoc igne ſuaviter flagravit pia Virgo Sibyllina, cum his feriis itentidem repeteret notum hymnum: *Veni ſancte Spiritus*; [Fuit alia pia Matrona, quæ uno die illum hymnum millies oravit;] cum, inquam, Sibyllina flagraret illis deſideriis, aſtitit illi venuſtiſſimus Angelus, qui cœleſtes flammas illi conjecit in faciem, quibus tota exarſit in holocaſtum perfectiſſimi Divini amoris. O ſi hoc momento in hac Cathedrali Eccleſia talis Angelus deſcenderet! ô ſi tales flammas conjiceret in corda noſtra, ut ardeamus igne Spiritus S.

§. 13. *In quibus advertantur effectus hujus ignis.*

Operationes hujus ignis, & favores ſive dona Spiritus ſancti advertuntur in fervore devotionis; in claritate intelligentiæ, inenarrabili mentis dulcedine, in dilatatione cordis, in hiantis animæ Domino, in mira operis facilitate, in admirabili quadam mutatione, ut homo terrenus fiat cœleſtis: carnalis fiat ſpiritualis,

lis, idiota & rudis ſapiens; timidus fortis; tepidus ardens; ut ager ſterilis, fiat fœcundus hortus, ut comburantur ſpinæ, creſcant flores. Summus nobis erit favor, ſi in his floribus, in cordibus noſtris requieſcat Spiritus ſanctus. Ergo veni S. Spiritus: nam ſi cor meum hortulus eſt, habebis in eo quod agas hortulane divine, non deſunt vitiorum ſpinæ, ubique excreſcunt pravorum zizania affectuum. *Veni S Spiritus, riga quod eſt aridum*, [nam fons es aquarum viventium,] *combure quod eſt noxium*, [nam ignis es urens atque conſumens,] *ſine tuo numine nihil eſt in homine*. Veni auſter, & perfla hortulum meum, veni S. Spiritus, nam ſi tu veneris, eâdem ſimul via advenient earum, quas antea commemoravimus, gratiarum cœleſtium favores.

CONCIO LXX.

FERIA III. PENTECOSTES.

Et factus eſt repente de cœlo ſonus, tanquam advenientis ſpiritus vehementis,

Actor. 2. v. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

DUlcedo Spiritûs S. oratoria potius quàm concionatoria panegyri exponitur, & animantur Auditores ad eundum obviam tam amabili Domino.

§. 1. *Spiritus ſuaviſſimus hodie videtur terribilis.*

§. 2. *Propoſitio.*

§. 3. *In variis ſimilibus exponitur, quid ſit Amor in SS. Triade, ſeu Spiritus S.*

§. 4. *Suſpiria & ardores in corde B. V. Mariæ.*
§. 5. *De corde accenſo B. M. V. judicium S. Ildephonſi & Amadei.*
§. 6. *Item aliorum ſanctorum Patrum.*
§. 7. *Aurea verba ſancti Anſelmi de cordis Mariani ardoribus.*
§. 8. *Amoris & Spiritus ſancti analogia.*
§. 9. *Affectus deſiderii cæleſtis.*
§. 10. *Gaudium & voluptas cæleſtis, unde?*
§. 11. *Adhortatio ad eundum obviam Spiritui S.*
§. 12. *Adventus ejus videtur terribilis, ſed eſt amabilis.*

§. 1. *Spiritus ſuaviſſimus hodiè videtur terribilis.*

PORtentoſa auribus, prodigioſa oculis hodierna Feſtivitate ſpectat Orbis miracula. Deſcendit ſuper Apoſtolos Spiritus Patris, Spiritus Filii, Spiritus ſuavis, dulcis, tranquillus, Spiritus pacis, & tamen tumultuatur in vento, rotatur in turbine, minatur in tonitru, exardeſcit in flammis, urit in ignibus, torret in calore, terret in fragore, concutit in vehementia, vibratur in linguis, per incendia latè populatur, ut ſcilicet in circuitu diſſipet inimicos Chriſti, ſuper Apoſtolos in vento ſpirat ſuaviter, animat in tonitru, involvit turbine, ſed turbine amoris; exardeſcit in flammis dulciter, urit in ignibus amicè, torret in calore vivifico, loquitur linguis igneis mellifluè, accendit in cordibus incendia optata, deſideratiſſima.

Deſcendit Spiritus ſuavis, dulcis, Spiritus pacis, & omnia bellum ſpirant, ſonus de cœlo feralis tuba eſt, quæ Martem accendit, tonitru machinarum boatus eſt, quo meticuloſi animi percelluntur. Ignis fulgur eſt, quod è machinis micat ad terrorem. Linguæ excuſſa grando ſunt, timete, fugite inimici crucis Chriſti, contra vos inſonat feralis tuba, contra vos reboant machinarum cœleſtium boatus, contra vos de cœlo fulgurant ignes ad terrorem, contra vos igneæ detonant linguæ. Eadem tamen tuba Apoſtolos accendit in Martem contra machinationes Idololatrarum, admirabili vigore animata pectora ad victorioſa bella

la excitantur, animant illos fulgura & tonitrua, accenduntur eorum linguæ, ut volent & prædicent Evangelium Chriſti per univerſum mundum. Deſcendit Spiritus pacis, *& factus repente de cælo ſonus, tanquam advenientis Spiritus vehementis*; mugientia concitat inter nubes tonitrua, excitat tumultuantium ventorum prælia, concutitur ingenti fremitu cœlum, volant per aërem incendia, pluit æther flammeis linguis in mundi, in Synagogæ & Idololatriæ trepidantis incendium & excidium, Apoſtolorum verò gaudium, ſolatium & tripudium. Immergite vos in ſtygem infamæ hydræ, ubi Deus non gladium tantum ſed ignem miſit in terras, quot videtis Apoſtolos, tot cernite Hercules monſtrorum domitores.

§. 2. Propoſitio.

Relinquo inimicos crucis Chriſti, relinquo terrores, tonitruum mugitus, brevi panegyri perorabo, deſcendiſſe hodie ſuper Apoſtolos, præcipuè Dominam Patronam noſtram, Spiritum ſuavem, Spiritum dulcem, Spiritum ſanctum, quo tota fuit obumbrata: Cœlum favet linguis, favete vos animis, de eloquentiæ inopia non ſum ſollicitus, Spiritus ſanctus ſuppeditat linguas, quia lingua eſt, inſtillabit facundiam, Divinus è cœlo ignis efficaces in linguas libratur pluvius, inflammabit ad loquendum. Non metuo in verbis frigus, Spiritus igneus addet incendia, ſuggeret flammas, idem ad veſtros excitandos affectus calorem ſubminiſtrabit. Ut ſubminiſtret, dicite mecum: *Veni.*

§. 3. In variis ſimilibus exponitur, quid ſit Amor in SS. Trinde. ſeu Spiritus S.

Suavis, dulcis eſt Spiritus ſanctus, Spiritus pacis. Enim verò baſium ipſe eſt, quo Pater Filium, Filius Patrem jam inde ab æterno exoſculatur: ardor eſt, quo ab æterno in mutuos amores efferveſcunt: halitus eſt, quo ſe afflant: oculus eſt, quo ſe aſpiciunt, complexus eſt, quo ſe amant, unio eſt, quâ ſe nectunt, nexus, qui nectit, vinculum eſt, quo ſe ligant, nodus eſt, quo ſe ſtringunt, ignis eſt, ad cujus incendia Pater in Filium, Filius in Patrem dilectione mutua eliquantur: lingua eſt, quâ ſe alloquuntur, echo eſt, quæ Filio ex Patre, Patri ex Filio non alio reſpondet clamore, quàm amore.

Digitized by Google

Baſium amoris eſt teſſera, ardor charitatis eſt nota, halitus eſt cordis communicatio, oculus eſt gratiæ ſedes, complexus dilectionis eſt index, unio pacis eſt ſignum, vinculum concordiæ eſt indicium, nodus fœderis eſt firmamentum, ignis ſerenitatis eſt argumentum, lingua verbum bonum eructat; Echo, dum alternāte ſono in pectora clamat, amat. Quidquid eſt diviniſſimus Spiritus, ardet, urit, ſpirat, unit, nectit, amat. Talis eſt Spiritus; & ob talia tertia in SS. Trinitate Perſona, verus Dęus, à Patre & Filio procedens, in omnibus Patri & Filio æqualis, latuit hic ignis ad intra, ut ſcholæ loquuntur, in Patris & Filii corde ab æterno in luce inacceſſibili. Hodiernâ die igneâ ſed ſuavi tempeſtate, dulciſſimo prodigio, totum infinitum Numen in Apoſtolorum & magnæ Matris pectora vitalis incendii ſplendido aureoque diluvio liberaliſſimè ſe effudit. Hodiernâ die ſuper Virginem non roſcida, ut quondam, dum utero Virgineo Filium Altiſſimi concepit, ſed ignea pluvia deſcendit, & ſupervenit Spiritus S. in primo illo ſuo deſcenſu, cum illam Dei Matrem inauguravit, in ſolam ſupervenerat, eam obumbrans igne empyreo, velo, quod te Sponſus cœleſtis Virgineis nuptiis dederat, tædas adjungens, totam implevit, Maria non obumbrante tantum, ſed illuſtrante caput S. Spiritu iterum rerum Domina inauguratur.

§. 4. *Suſpiria & ardores in corde B. V. M.*

Quis explicet, quibus oſculis amoris hodie Virgo Patrem & Filium fuit exoſculata, cum Sponsâ ſuſpirans: *Quis mihi det, &c.* baſium fuit Spiritus S. Virginis Sponſus! O ardores & ignes, quibus arſit cor Virginis! ardor, ignis fuit Spiritus S. - O quo afflata fuit halitu amoris! halitus fuit Spiritus S. - O dulces oculos, quibus Divina Columba hodie aſpexit Virginem! O dulcem linguam, quâ Sponſus Sponſam fuit allocutus. O complexum, unionem, vinculum, modum, quo Spiritus S. formoſiſſimam Sponſam fuit complexus, ſibi univit & colligavit. O quam hodie Virgo æſtuavit ſuaviter, cui D. amor S. Spiritus aſpiravit. O aſpirantem ex amoris pectore, vitalem virgineo cordi calorem! ô amabiles calores! ô benefici Spiritus, aureis flammis aureum amorem afflantis ſuaviſſimum impetum! quo & ipſa Virgo, tota ignis, tota flamma, tota ardor, ardet, uritur, unitur,

tur, nectitur Spiritui S. ſic ardere, ſic uri, ſic uniri, ſic necti, beatum eſt!

§. 5. *De corde accenſo B. V. judicium S. Ildephonſi & Amadei.*

Agnovit S. Hildephonſ. ſer. 1. de aſſumpt. *B. Mariam velut ignis ferrum Spiritus S. totam decoxit, incanduit & ignivit*, ita ut in ea Spiritus S. flamma videatur, nec ſentiatur, niſi tantum ignis amoris Dei. Agnovit Amadeus Lauſanus hom. 7. *Sic illa è regione divini ignis calore vehementer accenſa, & Verbi flammigerantis ſparſa incendiis, odorem reſultantis gratiæ iis, qui longè, & iis, qui propè manebant, exhalabat!* Inundavit tam largè profuſus igneus ille Nilus ſeptemplici donorum ſuorum alveo Paradiſum cœleſtem Mariam, ut excreverit Maria in mare gratiarum, ut poſt Spiritûs S. igneum diſceſſum idem B. Amadeus de illa dixerit: *Quod fluvius igneus rapidusque egrediebatur ab ea, qui hoſtes ſuccenderet, amicos confoveret, juvaret proximos, concremaret inimicos.*

§. 6. *Item aliorum SS. PP.*

Illius charitatis, quæ diffuſa fuit in corde Virginis per Spiritum S. ingentem vim ita expenderunt Patres, ut à S. Bernardino dicta fuerit *fornax & officina Spiritus ſancti*; à ſancto Chryſippo: *Pratum totius fragrantiæ Spiritus ſancti.* Ab Andrea Cretenſi: *Nova Dei arca, in qua Dei Spiritus requievit*; à D. Gregor. Naz. *Splendor Spiritus ſancti*; à Methodio: *Spiritus ſancti umbraculum.* Alloquitur mox Virginem igneâ linguâ: *In te perbenignus ille Conditor* [ille igneus Spiritus] *ferventiſſimæ charitatis flammas, quaſi confertos quosdam ſolis radios eſt ejaculatus.* S. Ildephonſus: *Spiritus ſanctus eam replevit & ornavit immenſis largitatis ſuæ muneribus.* De prima Virginis Conceptione dixit Petrus Dam. *Statim conceptam Mariam, totam ſibi rapuit Spiritus ſanctus.* Quid dicemus de raptu, quo hodiernâ feſtivitate inter flammas, ignes &c. Sponſus cœleſtis totam ſuam Sponſam ſibi rapuit, cum immenſo donorum ſuorum theſauro illam dotavit.

§. 7. *Aurea verba D. Anſelmi de cordis Mariani ardoribus.*

Omnium elegantiſſimè Divus Anſelmus de amore Matris erga Filium, Sponſæ erga Sponſum, Mariæ erga Jeſum: *Quid illa? nonne tantis Filii beneficiis, digno reſpondebat amore? plena Spiritu S. qui eſt amor Patris, & Prolis amor ſuavis & dulcis. Nonne eum amabat, qui eam fecit omnis creaturæ Dominam, cœli & terræ Reginam. imo verò totis medullis, totis viribus in ejus amorem ſuſpenſa*

Digitized by Google

ſpenſa erat, amorem, quem pater & mater ſoboli ſuæ debent, ſola iſta dulcis & tenera mater Domino ſuo & filio ſuo impendebat. Mox D. Anſelm. *Amoris hujus tenerrimi erga filium oſtendit fontem*, nec mirum, ipſe enim ſpiritus Deus, ipſe amor omnipotens patris & filii, ipſe per quem & in quo amatur omne, quod bene amatur, ipſe enim corporaliter venit in eam, ſingularique gratia præ omnibus, quæ creata ſunt, ſive in cœlo, ſive in terra, requievit in ea, & Reginam ac Imperatricem cœli & terræ, & omnium, quæ in eis ſunt, fecit eam. Tandem concludit, ſuperat ergo omnes rerum creatarum amores, & dulcedines, magnitudo amoris iſtius Virginis in filium ſuum, & dulcedinis immenſitas, quâ [hodie ſuperveniente Spiritu ſancto] exultavit, & liquefacta eſt anima ejus - amoris & Spiritus ſancti flammis tota, tota rapta in Deum.

§. 8. *Amoris & Spiritus S. analogia.* Sed redeo ad Spiritum ſanctum Pacis & Spiritum amoris. Placet mihi amica hæc & ſuavis appellatio, quia diviniſſimus hic Spiritus, non patris tantùm filiiq; in auguſtiſſima Triade eſt dilectio, ſed in humanis quoque mentibus amor Deus. Ut ſi amorem aliquando crediderunt eſſe vigoris fontem, animi vitam, fervorem mentis, motum cordis, animam animæ, credamus & nos pariter hodie ab hoc uno fonte, à Spiritu amoris manare vigorem, hac una vita ſpirari animos, hoc fervore accendi mentes, hoc motu permoveri corda, hac anima animas noſtras animari. Si amorem putemus eſſe in pectore flammam, cruorem in venis; in fronte ſerenum, in brachiis robur, conſtantiam in pedibus, putemus pariter ab hac diviniſſimi Spiritus flamma incendi pectora, cruore rigari venas, ſereno amœnari frontes, robore firmari brachia; conſtantia pedes ſtabiliri: ſi ſcimus amorem eſſe in oculis diem, in aure melos & muſicam, in ore riſum, in lingua eloquium, ſciamus pariter hoc die, hoc Spiritu S. amoris irradiari oculos, recreari aures, ridere genas, eloquio linguas fœcundari. Sentiunt omnes, amorem eſſe ſuaviſſimum, quoniam non eſt aliud amor, quam guſtus dulcedinis, ſapor ſuavitatis, fruitio Divinitatis, fons vitæ, vena aquarum viventium, radix jucunditatis & lætitiæ, deſiderium ſuaviter languentis animæ.

mæ. Hic noſter eſt ſenſus de amore; ſentiamus pariter, Spiritum S. eſſe Spiritum ſuaviſſimum, ab hoc cœleſtis dulcedinis guſtus, ſapor Divinæ ſuavitatis, fruitio Divinitatis, fluunt velut fonte, venâ & radice aquarum viventium, jucunditatis & lætitiæ. O dulcedo Spiritus dulciſſimi, quæ Paradiſum inebrias! ô ſuavitas Spiritus ſuaviſſimi, quæ beatam facis animam, quæ amoroſè te guſtat! ô Divinitas Divini Spiritus! pelagus & fons es, torrens omnis dulcedinis, non eſt delectatio niſi in te, & per te.

Sentiamus deſideria ſuaviter languentis, dulciter amantis animæ ab hoc Spiritu amoris excitari. O beatum incendium Divini amoris, Divini Spiritus, qui accendit talia & tanta deſideria! O Spiritus amoris, dicat & anima mea hodie dilecto Jeſu meo, dicat Deo, mi Deus! mi Jeſu! deſidero te ſuper omnia. Deſiderent alii quod volunt, ego aliud non deſidero, quàm Deum meum, quàm Jeſum meum. O quàm multi ſunt in mundo, toti in dominio auri! ego aliud aurum, quàm Jeſum meum, quàm Deum meum non deſidero. Idolum voluptatis quàm multi adorant in mundo! illi in Sacrificium offerunt omnia ſtudia, ſed ego ſacrifico & offero totum deſiderium meum, uni Jeſu, uni Deo meo. O deſiderate Spiritus! ô Spiritus amoris! deſiderium hominum, deſiderium Angelorum, deſiderium Seraphinorum, deſiderium Apoſtolorum, deſiderium ſanctiſſimæ Matris hodie ardentium ardentiſſimum, veni, veni, & perime in cordibus noſtris omne aliud deſiderium, ut alio amore non ardent, quam amore & deſiderio dulciſſimi Spiritus ſancti. §. 9. *Affectus deſiderii cœleſtis.*

Et quidnam eſt, quod ſentio? adverto cor meum, neſcio quâ inſolita amœnitate, ceu vernâ quadam aurâ, & ſuave ſpirantibus Zephyris perflari; Sentio, incrementa capit voluptas, & jucundiſſimi cujusdam gaudii ſenſus magis magiſque pectori illabitur: laxat ſe animus, ſerenatur, & geſtit, lætitiæ ubertatem anguſto ſinu non capit. Innatat cor meum Oceano ſuavitatis. Unde hæc procella dilectionis, quâ inundor? unde iſti liquidiſſimæ voluptatis fluctus ad aridum littus pectoris §. 10. *Gaudium & voluptas cœleſtis unde?*

mei appellentes? O S. Spiritus, ô lux beata, ô dulcedo, ô ſuavitas, ô dulciſſime, ô ſuaviſſime Spiritus! agnoſco adventum tuum in corda noſtra, affluxus iſte gaudiorum, comitatus tuus eſt, tu fons es horum gaudiorum.

§. 13. *Adhortatio, ad occurſum Spiritui S. præſtandum.* Agite Auditores, egrediamur obviam dulciſſimo ſponſo amoris, exſurgite, provolate in occurſum, ſtrepitum adventantis Spiritûs audivimus; tonat, in tonitru Deum adorate, qui non aliâ loquitur voce, ſonat ventus, in vento advenientis Spiritûs agnoſcite Majeſtatem. Decidit nimbus ignearum linguarum, in ignea pluvia ſpectate donorum cœleſtium & theſaurorum liberaliſſimam effuſionem. In aurea tempeſtate, inter fulmina & fulgetra amoris colite Deum amoris. Adeſt nobis quies in turbine, ſalus in procella, pax in vento vehementi, inter flammas Deus amor, Spiritus amoris. Deus fulminator, amans, in auſpicatiſſimo tonitru & fragore ſonans, omnem felicitatem & auream æternitatem nobis portendit.

§. 14. *Videtur ejus adventus terribilis, ſed eſt amabilis.* Agite Auditores, exſurgite, provolate in occurſum, eundum eſt obviam Principi illuſtriſſimo, Regi ſereniſſimo, Cæſari inviĉtiſſimo. Videtur adventus ejus terribilis, ſed ſi bene videtur, apparet amabilis: videtur ſpirare furorem & minas; ſed reipſa præſentat amorem & gratias, videtur metuendus ut judex, ſed eſt diligendus ut Pater: videtur fugiendus ut accuſator, ſed eſt amplectendus ut conſolator. Venite igitur, obviam illi procedamus, nullus domi deſes reſideat; exeamus omnes, & in has deſiderii noſtri indices voces erumpamus: Veni S. Spiritus, veni Princeps noſter, Rex noſter, Cæſar noſter, ſed Princeps, Rex, Cæſar clementiſſimus; veni conſolator triſtium animorum, veni Pater pauperum, veni, in te directi ſunt oculi noſtri, manus noſtræ, corda noſtra, ſuſpiria noſtra, affectus noſtri, pedes noſtri. Veni, ô veni S. Spiritus.

CON-

CONCIO LXXI.

FESTO CORPORIS CHRISTI.

Caro mea verè eſt cibus,

Joan. 6. v. 56.

SYNOPSIS CONCIONIS.

OB quas cauſas venerabili Sacramento exhibeatur tantus honor & veneratio; præſertim exterior. Quos favores bonus JESUS exhibeat cultoribus venerabilis Sacramenti.

§. 1. *Laudetur ſanctiſſimum Sacramentum! Spiritualis teſſera pro feſto Corporis Chriſti.*

§. 2. *Hæretici ſtupent hodierni feſti ſolennitatem.*

§. 3. *Imitatores Judæorum, quibus diſplicuit triumphalis ingreſſus CHRSTI in Jeroſolymam.*

§. 4. *Ita excipimus Reges terrenos, cur non Chriſtum Dominum.*

§. 5. *Manna tanto honore aſſervatum & circumlatum, fuit figura venerabilis Sacramenti.*

§. 6. *Ob quas cauſas circumtulerint arcam.*

§. 7. *Occurritur objectionibus Adverſariorum.*

§. 8. *Aliæ hodiernæ ſolennitatis cauſæ.*

§. 9. *Cultus venerabilis Sacramenti DEO eſt gratiſſimus.*

§. 10. *Quod CHRISTUS Dominus favoribus & miraculis oſtendit.*

§. 11. *Dulcedo Euchariſtiæ.*

§. 12. *Pium votum.*

§. 13. *Alii favores Euchariſtici.*

§. 14. *Affectuoſus epilogus.*

§. 1. *Laudetur SS. Sacramentum; Spiritualis teſſera pro Feſto Corporis Chriſti.*

IN militia moris eſt, ut belli-dux militibus quoddam verbum inſinuet; dux aliquis Imperatoris dabit v. g. Leopoldum, Gallus Ludovicum, &c. quam vocant *teſſeram militarem*, ut illam nominando ſe mutuo agnoſcant, aut animent ad fortiter pugnandum. A militia mos hic militaris translatus eſt ad vitam ſpiritualem, in qua viri ſancti aliquod verbum, vel aliquam ſententiam ſibi eligunt, quam de die corde & lingua pronuntiant ſæpiſſimè, ut per illam ſe animent ad conſequendam majorem ſanctitatem & perfectionem, vel ut illius occaſione concipiant plurimas cogitationes pias & ſanctas. Sancto Auguſtino hæc verba pia fuerunt teſſera: *Domine, inquietum eſt cor meum, donec quieſcat in te.* Sancto Ignatio notiſſimæ illæ voces: *Ad majorem Dei gloriam.* Seraphico ſancto Franciſco: *Deus meus & omnia.* Sancto Xaverio: *Amplius Domine!* Per octavam Pentecoſtes ſpero veſtram teſſeram fuiſſe: *Veni ſancte Spiritus*; Dominicâ ſanctiſſimæ Trininitatis: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*; vel *Gloria Patri, &c.* Fui gaviſus, cum heri ex libro pio audivi legi, magno cultori ſanctiſſimæ Euchariſtiæ per annos duodecim in caſtris hanc fuiſſe teſſeram: *Laudetur ſanctiſſimum Sacramentum!* quibus verbis ad Chriſtum in Euchariſtia aſpirabat frequentisſimè; hanc teſſeram inculcabat aliis, & cum illis cultum & reverentiam erga Diviniſſimum hoc myſterium. Placet & mihi ſpiritualis hæc teſſera, præcipuè hodierno Feſto Corporis Chriſti, quo omnia tendunt ad cultum & venerationem ſanctiſſimi Sacramenti. Ornantur hodie elegantisſimè templa & altaria, ut laudetur ſanctisſimum Sacramentum! Incenduntur ſuaves odores; plateæ mutantur in ſylvas, ut amœnitas loci ad hoc ſerviat, ut laudetur ſanctisſimum Sacramentum! Præcipuum eſt, ſolennisſima Proceſſio, quâ ſanctisſima Hoſtia circumfertur per urbem, ut laudetur ſanctisſimum Sacramentum. Quam merito hoc fiat, & quibus favoribus ſuos cultores recreet JESUS in ſanctisſima Euchariſtia, paucis oſtendam, ut laudetur ſanctisſimum Sacramentum.

Scio,

§. 2. Hæretici ſtupent hodierni feſti ſolennitatem.

Scio, Adverſariis noſtris valde diſplicere hodiernam Theophoriam ſive Proceſſionem, quâ ſanctiſſima Euchariſtia tanto faſtu, tanta ſolennitate, ut loquitur Joannes Oecolampadius, per urbem circumfertur. Viſuntur *aurum*, [ait idem,] *argentum, gemmæ, tabulæ, imagines, ſpectacula, cymbala, belluata pulvinaria, &c.* quid dixiſſet, ſi vidiſſet pompam & ſplendorem urbis Madritenſis in Hiſpania? quid dixiſſet, ſi vidiſſet tantum Monarcham, Hiſpanorum Regem detecto capite, cum virgine face in regia dextera pro aureo ſceptro, etiam in ſummis caloribus, comitantem venerabile Sacramentum? Non eſt mea mens, in hac Concione multis cum noſtris Adverſariis diſputare, hoc moneo: cum aliqui ſugillaſſent triumphum & pompam, quâ Helena Jeroſolymis Conſtantinopolim attulit crucem & clavos Domini, Sanctus Ambroſius dixit: *Non inſolentia iſta eſt*, [multo minus Idololatria,] *ſed pietas, quæ defertur Redemptori.* Idem hodie dico; quod ita ornentur templa, quod tam ſolennes inſtituantur proceſſiones, &c. non eſt inſolentia, ſed pietas, quæ defertur honori Redemptoris, quem credimus in SS. Hoſtia circumferri.

§. 3. Imitatores Iudæorum, quibus diſplicuit triumphalis ingreſſus Chriſti in Ieroſolymam.

Nihilominus hodie fit, quod accidit vivente Chriſto D. in terris; cum aſello inſidens ingrederetur Jeruſalem, Apoſtoli jumentum ornarunt ſuis palliis, alii præſciderunt ramos de arboribus, alii projecerunt veſtimenta in terram, præcedentes & ſubſequentes lætis vocibus acclamarunt: *Benedictus, &c.* Matth. 21. v. 9. & hæc fecerunt, licet Chriſtus D. nil tale præcepiſſet, oſtendit tamen, ſibi gratum eſſe. Cum autem Phariſæi aliqui aliis diſſimulantibus oſtendiſſent indignationem, quod pueri ita clamarent, & laudarent Meſſiam, dixit illis Chriſtus D. *Si hi tacuerint, lapides clamabunt*, ergo Chriſto placuit, quod exteriori cultu ita fuerit honoratus.

§. 4. Ita excipimus Reges terrenos, cur non Chriſtum D.

Hoc cuperem intelligere ex noſtris Adverſariis: Si aliquis modo leoni inſidens ingrederetur Wormatiam, & duodecim legiones Angelorum præcederent, clamantes, qui venit eſt Salvator mundi, hic de cœlis redit glorioſus in terras, &c. & contingeret aliquos revera credere, firmiter hunc

eſſe filium Dei, nonne ſummum illi eſſent exhibituri honorem? nonne facerent quidquid poſſent ad illum excipiendum ſumma ſolennitate? ſic puto; atque Catholicorum hæc fuit fides à 1665. annis; hæc hodie omnium Catholicorum in toto mundo, in Europa, in Africa, in Aſia, in America: Hæc Imperatorum & Regum potentiſſimorum eſt fides, firma & indubitata, & erit eorum, qui Catholici vivent uſque ad conſummationem ſæculi, Chriſtum eſſe præſentem corporaliter, ubicunque eſt ſacramentum Euchariſtiæ, & non tantum eſſe Divinitatem, ſed Humanitatem. Nonne ergo iſta fides, iſta apprehenſio vim habere debet, ut nos moveat ad peculiarem cultum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ; dum v. g. fides ita te alloquitur: O homo, præſens eſt tibi Dominus tuus, qui te creavit, redemit, qui modo ſtatum tuum habet in manu ſua, forte cras vel perendie citabit te ad judicium ſuum, adeſt judex tuus, in cujus nomine omne genu flectitur, is, inquam, præſens eſt, procumbe ergo in genua coram ipſo, exhibe illi omnem honorem; quantum potes, tantum aude. Hæc eſt vox, hæc eſt doctrina fidei Romano-Catholicæ.

§. 5. *Manna tanto honore aſſervatum & circumlatum, fuit figura vener. Sacramenti.*

Illos Adverſarios, qui clamant cum Oecolampadio: *Chriſtus dedit corpus ſuum ad manducandum, non ad circumferendum, dicit enim Dominus, accipite, manducate, non dicit, circumferte*; talia, inquam, dicentes, nihil confundit magis, quam figura mannæ. Certum eſt, hoc Judæis fuiſſe datum de cœlo in eſcam, & tamen Moyſes & Aaron aliquam menſuram incluſerunt aureo vaſi, quod in arca circumtulerunt, de loco in locum, de domo Obededon in templum cum ingenti ſolennitate, ut ipſe David præceſſerit, cythara ſua luſerit lætiſſimos pſalmos, imò ſaltarit ante arcam Domini, 2. Reg. c. 6. v. 3. *Poſuerunt eam ſuper plauſtrum novum, David autem & omnis Iſrael ludebant coram Domino in omnibus lignis fabrefactis, & cytharis, & lyris, & tympanis, & ſiſtris, & cymbalis, & canticis, & tubis.* Et hæc veneratio arcæ, ut clarum eſt in Scriptura, Deo fuit gratiſſima. Si ergo typus in magno fuit honore, quid mirum, quod nos Catholici verum Sacramentum non tantum manducemus, ſed magnâ ſolennitate ad majorem

rem cultum, & ut Deus in Euchariſtia laudetur, circumferamus.

Circumtulerunt autem Judæi arcam cum magno honore, ad avertenda mala, & ad vincendos hoſtes; cùm Joab jubente Davide profectus eſſet adverſus Ammonitas, habuit penes ſe in exercitu arcam Dei, dicente Uriâ 2. Reg. 11. v. 11. *Arca Dei & Iſrael, & Dominus meus Joab, & ſervi Domini mei ſuper faciem terræ manent.* Cum ipſe David fugit Abſolonem, pro auxilio & ſolatio juſſit à Levitis ſecum deferri arcam. Hæc eſt una ex præcipuis cauſis, quæ moverunt Eccleſiam, ut inſtituerit hodiernam proceſſionem, ut clamemus: *O ſalutaris Hoſtia, &c.* & hoc non ſine fructu: Cum S. Clara pro defenſione ſui monaſterii Saracenis occurrit cum venerabili Sacramento, dicens: *Ne tradas Domine beſtiis animas confitentes tibi, & cuſtodi famulas, quas pretioſo ſanguine redemiſti*, Vox cœlitus illi allapſa dixit: *Ego vos ſemper cuſtodiam*; Hoc petimus uſitatis in Theophoria & oſtenſione Euchariſtiæ verſiculis: *Defenſor noſter aſpice, &c.* Intelligenda hæc ſunt præcipuè de hoſtibus inviſibilibus, de diabolis, qui jugiter tanquam vigilantes leones nobis inſidiantur.

§. 6. Ob quas cauſas circumtulerint arcam.

Scio clamare Adverſarios, ecquid iſtud neceſſe eſt? nonne Chriſtus poteſt ſervare urbes, arcere hoſtes, etſi ſacramentum tali pompa non circumferatur? ſi quæſtio ſit de potentia, utique poteſt. Sed ego viciſſim quæro, annon potuiſſet Deus muros civitatis Jericho evertere ſolo nutu, & tradere Judæis? & quare facere noluit, niſi cum circuitu & proceſſione arcæ? Nonne eodem ſolo nutu potuiſſet dejicere & conterere idolum Dagon, cur voluit id fieri in præſentia arcæ? Nonne variis aliis modis potuiſſet benedicere domui Obededon, cur fecit, cum arca fuit in illius domo? Nonne ubique, nonne ex aliqua arbore, vel nube, nonne de cœlo Deus loqui potuiſſet Moyſi & populo, cur id fecit in propiatorio arcæ? Cum Adverſarii ad talia mihi reſponderint, reſpondebo & ipſis. Advertebant Judæi, ſe per præſentiam arcæ obtinere peculiaria beneficia & gratias, ideo illam honorabant, idem nos experimur per præſentiam Chriſti in Euchriſtia, ideo inſtituimus proceſſiones, ideo laudamus, ſanctiſſi-

§. 7. Occurritur objectionibus Adverſariorum.

ſanctisſimum Sacramentum. Cum Judæi peculiare aliquod petere voluerunt beneficium, confugerunt ad arcam, licet hoc illis mandatum non eſſet, idem facimus nos Catholici, &c.

§. 8. *Alia hodierna ſolennitatis cauſa.*

Circumfertur præterea, vel oſtenditur nobis ſanctisſima Euchariſtia, ut excitet in noſtris animis memoriam ſacræ Incarnationis & amaræ mortis, ad venerationem ejus, qui pro nobis mori dignatus eſt, proinde ad gratiarum actionem pro tot beneficiis. Quærenti aliquando alicui Tyranno, quare Chriſtiani ita venerentur reliquias & mortua oſſa Sanctorum, quare illa circumferant in proceſſionibus; quidam ſanctus Abbas, ut refert ſanctus Damaſcenus in hiſtoria duorum militum reſpondit, & tres dedit cauſas. Prima hæc fuit: *Circumferimus illa ad repræſentandam mortem fortium illorum virorum, &c.* Si illo fine circumtulerint reliquias, cur non licebit circumferre ſanctisſimum Sacramentum, ad repræſentandum, quàm amaram mortem pro nobis Chriſtus D. ſuſtinuerit in cruce, paulò poſt inſtitutionem venerabilis Euchariſtiæ. Secunda cauſa fuit: *Circumferimus illa oſſa, ut nos ipſos reddamus memores ſanctæ illorum vitæ, & dilectæ Deo converſationis ipſorum, ad noſtram imitationem.* Et cur non licebit, per urbes circumferre ſanctisſimam Euchariſtiam ad hunc finem, ut ſimus memores, quomodo Chriſtus Dominus, dum viveret, tranſietit benefaciendo omnibus, ut humillimè rogemus, ut idem modo faciat, ut ſimus memores ſanctisſimæ ejus vitæ, ad imitationem. Tertia cauſa fuit: *Circumferimus reliquias, requiem quoque ſpeculantes & delicias, in quibus modo converſantur*; & nos Catholici, dum ob oculos nobis ponitur ſanctisſima Echariſtia ſive cœleſte hoc manna, illius aſpectu cauſam habemus cogitandi de manna abſcondito, quod Dominus promiſit vincentibus, Apocal. 2. verſ. 17. Agite ergo Auditores, quoties oculis veſtris objicitur ſanctisſima Euchariſtia, ſive in miſſa, ſive in templis, ſive in plateis, imitamini cœcos Evangelicos, qui cum intellexiſſent, Dominum per plateam vel agrum tranſire, altâ voce clamarunt: *Jeſu fili David, miſerere nobis.* Et nos, licet oculis externis non videamus,

mus, niſi accidentia panis, tamen, quia oculis fidei Deum noſtrum præſentem cernimus, idem clamemus; addat quivis cum ſancto Thoma: *Adoro te, &c.* vel, *Bone Jeſu, Paſtor bone, &c.* Quoad cultum internum & externum, agite quantum poteſtis, agite gratias, quantum poteſtis. Laudate, quantum poteſtis. Amate, quantum poteſtis. Major eſt omni laude, &c.

§. 9. Cultus venerab. Sacramenti Deo eſt gratiſſimus.

Hanc devotionem, hunc cultum erga ſanctiſſimam Euchariſtiam Chriſtus Dominus variis modis oſtendit, ſibi valde placere. De P. Lud. de Ponte dicitur, quod ſolitus fuerit, magno animi gaudio, magno lumine accenſi cordis reddere orationes cœleſtis lucis plenas, ob quas DEO valde ſit gratum, nobis perutile, peculiari cultu colere ſanctisſimum Sacramentum. Mea hodierna teſſera, Laudetur ſanctisſimum Sacramentum; me monet, ut ad eundum cultum moneam meos Auditores. Utinam facere poſſem magno lumine & accenſo corde: hoc opto ex animo, ut mei Auditores ſint cultores, amatores, ſodales ſanctiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ. Fuêre tales amatores, qui aliquot horis, imo integris noctibus flexis genibus coram venerabili ſacramento permanſerunt in oratione, ſed quibuſdam contigit ille favor, ut Chriſtus Dominus ex Euchariſtia, SS. hoſtia, viſibiles radios, & flammas emiſerit in illorum pectora & corda. Utinam meus Jeſus hodie meis Auditoribus exhibeat hunc favorē! utinam in omnium corda, qui in proceſſione flectent genua, qui adoradunt, tales emittat radios & flammas, ut ardeant peculiari amore erga SS. ſacramentum Euchariſtiæ. Laudetur ſanctiſſimum ſacramentum.

§. 10. Quod Chriſtus D. variis favoribus & miraculis oſtendit.

Suavior, delicatior adhuc fuit favor exhibitus Patri Octavio Cajetano, quia ſuavis, delicatus ejus fuit amor erga Euchariſtiam. Vidit aliquando pectus Deiparæ, quaſi tabernaculum, è quo pulcherrimus Puer JESUS prodiit ſub Communione, dum S. Hoſtiam ſumeret, cum ardente face in manu, & idem Puer virum ſanctum ſuaviter & arctè fuit amplexatus. Utinam hodie Beata Virgo meis Auditoribus hunc obtineat favorem, ut dum communicant, dum SS. Sacramentum adorant, dum

 miſſam

miſſam audiunt,&c. Jeſus in Euchuriſtia tali face omnium corda accendat! Utinam omnibus hodie offerat amplexum amoris,ut viciſſim ipſum amemus ardentiſſimè.

§. 11. *Dulcedo Euchariſtica.* De alio amatore & cultore Euchariſtiæ ait hiſtoria. Cum Divinam Synaxin perciperet, totus erat in deliciis Dei, ſe ſe mundo & purgato illi pectori infundentis; viſusque ſibi fuit toto illo die, os tenere plenum dulciſſimo lacte. O ſi ego hodie hoc lacte, hoc amore Euchariſtico implere poſſem corda meorum Auditorum; hoc opto, ut ita colant venerabile Sacramentum, ita illud adorent, ita mox comitentur ſanctiſſimam Euchariſtiam in Proceſſione, illâ devotione interſint benedictionibus cum ſanctiſſima Hoſtia, ut toti ſint in deliciis Jeſu, ut hic ſe totum cum omni ſua pulchritudine, cum omni ſuavitate, cum omnibus deliciis, cum cumulo omnium gratiarum infundat cordibus meorum Auditorum, ſi tamen munda ſunt & purgata.

§. 12. *Pium votum.* Celebre eſt nomen P. Petri Cotoni è Societate JESU, Confeſſarii & Concionatoris Henrici IV. Galliarum Regis; mallei hæreticorum in eodem Regno. De hoc faſſus fuit celebris quidam Hæreſiarcha, quod, cum audivit hunc Concionatorem perorantem in conſpectu ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, de veritate præſentiæ Chriſti in Euchariſtia, viderit ex tabernaculo prodire, & inambulare in Altari ſplendidum, igneum & radiantem Parvulum, quo viſo manus dedit, & fuit converſus ad fidem Catholicam. O ſi ego in hodierna Proceſſione hic Wormatiæ toti civitati, dum ſanctiſſimam Hoſtiam viderunt, ſimul talem Parvulum oſtendere potuiſſem igneum, radiantem, qualis eſt JESUS in ſanctiſſima Euchariſtia, qui totam urbem converteret in agnitionem ſanctiſſimi Sacramenti.

§. 13. *Alii favores Euchariſtici.* Favorem ſuaviſſimum opto hodie meis Auditoribus, & illis, qui cum magna devotione comitabuntur, vel comitati ſunt hodiernam Proceſſionem. Illis, qui genua libenter flectunt in conſpectu ſanctiſſimæ Euchariſtiæ. Illis, qui cum ſolatio & ſuavitate illam, dum exponitur, intuentur. Fuerunt

runt cultores ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Chriſto Domino tam chari, ut cum venerunt in templum, Chriſtum in Euchariſtia ſalutaturi, illis Chriſtus Dominus ex tabernaculo, quaſi ex ſpeciebus & accidentibus Hoſtiæ viſibili ſpecie illis prodierit obviam, ut ſuaviter illos fuerit amplexatus! hic fuit favor ſuaviſſimus! inter amplexum tam caſtum, CHRISTUS Dominus ſuum cor illorum cordibus conjunxit & univit. O mi dulciſſime JESU! ita! & nos hodie te in Euchariſtia adoravimus, & nos comitati ſumus Proceſſionem, & nos jam hodie millies diximus: Laudetur ſanctiſſimum Sacramentum, &c. ergo & nos amplectere, ergo & nobiſcum te uni in amore ſuaviſſimo, dulciſſimo! hunc favorem mihi & meis Auditoribus hodierno feſto ex animo precor.

Felix fuit ille cultor & amator ſanctisſimæ Euchariſtiæ! ſuavisſimos fuit expertus favores, qui dixit, ſe in uſu Divinæ Synaxeos nunc guſtaſſe ſuavisſima bellaria, nunc fuiſſe lactatum lacte & melle, alias fuiſſe recreatum ſuavisſimis odoribus, præcipuè roſarum. Utinam hoc melle, hoc lacte hodie poſſem paſcere & lactare meos Auditores! utinam recreare odore pulcherrimarum roſarum, ſive aſpectu quinque glorioſorum Vulnerum CHRISTI Domini in ſanctisſima Euchariſtia, &c. Hoc nos agamus, colemus, &c. JESUS CHRISTUS Salvator noſter faciet. §. 14. *Affectuoſus epilogus.*

CONCIO LXXII.

FESTO S. JOANNIS BAPTISTÆ.

Joannes eſt nomen ejus,

Lucæ I. v. 63.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EXponit gratias collatas S. Joanni Baptiſtæ à Dei matre Maria, dum adhuc lateret in utero Eliſabethæ. Afferuntur varia ejusdem elogia; Epilogus hortatur omnes ad peculiarem cultum S. Joannis Baptiſtæ, ob peculiares favores, quos exhibet ſuis clientibus.

§. 1. *Maria cœlum myſticum.*

§. 2. *Beata Virgo poſt Incarnationem in viſitatione Ioannis fuit accenſus pyrobolus.*

§. 3. *MARIA in viſitatione Ioannis properans & feſtinans Aurora.*

§. 4. *Proſecutio cum apoſtrophe ad ſolem & lunam, ſive Ieſum & Mariam.*

§. 5. *Maria in hac viſitatione fuit currus igneus.*

§. 6. *Mirabilis ingreſſus Mariæ in ædes Eliſabeth.*

§. 7. *Mirabiles effectus vocis Mariæ; in ſancto Ioanne & parentibus ejus, v. g. fuerunt repleti Spiritu ſancto & gratia.*

§. 8. *Proſecutio.*

§. 9. *Proſecutio.*

§. 10. *Vnde Eliſabeth agnoverit præſentiam matris Dei & tanta myſteria.*

§. 11. *Vnde cognoverit ſanctus Ioannes Baptiſta? Reſpondent varii ſancti Patres, v. g. ſanctus Ioannes Chryſoſtomus.*

§. 12. S. Aug.

§. 12. *Sanctus Auguſtinus, ſanctus Maximus, Beatus Laurentius Iuſtin. ſanctus Chryſol. Dionyſius Carthuſ.*
§. 13. *S. Ioannes Bapt. fovet ſuos clientes.*

LIbro primo de generatione dixit Philoſophus: *Ceſſante motu cæli ceſſat generatio & corruptio in iſtis inferioribus; ceſſarent enim influentiæ cæli, quas inferioribus ſuo motu, luce, calore, aliisque virtutibus & operationibus communicat.* In ſenſu myſtico cœlum eſt Maria. Sanctus Bonaventura: *Cælum vivum, cælis ipſis latius.* Sanctus Damaſcenus: *Cælum Spirituale.* Rupertus: *Cælum DEI.* Sanctus Germanus Conſtantinopolitanus: *Cælum ſplendidum, incomprehenſum cælis, continens DEVM.* Sanctus Epiphanius: *Cælum mirabile, proferens novum ſolem.* Cœlum eſt MARIA! propter eximiæ dignitatis altitudinem & ſublimitatem: cœlum eſt, propter gratiæ, quâ plena eſt, latitudinem & amplitudinem: cœlum! propter ſtellarum ſive eximiarum virtutum multitudinem, claritatem & ſplendorem. Cœlum! propter velociſſimum ejus motum, aliasque influentias, quas Angelis & omnibus Sanctis admirabili influxu communicat. S. Lucas c. 1. v. 39. refert, quod exſurgens Maria, abierit in montana Judææ cum feſtinatione. Ut non diſcedam ab elogio, quo exordium incepi, citata ſanctæ Lucæ verba ego ſic intelligo; Maria gravida Deo per Verbi Incarnationem, inſtar cœli ſe movit & volvit per montana Judææ, in ædes cognatæ Eliſabethæ; & admirabiles cœli hujus influentias primus ſenſit parvulus ſanctus Joannes Baptiſta, adhuc latens in utero matris; quod ſubito fuerit liberatus ab originali peccato, quod ſanctificatus, quod præ gaudio infans exultaverit in utero matris, quod in tenebroſo carcere irradiatus agnoverit præſentiam Redemptoris; quod mater quoque fuerit repleta SPIRITU Sancto, quod Zacharias receperit uſum linguæ, quod decantaverit magnalia DEI; quod natus hodie infans fuerit appellatus Joannes; omnes inquam hæ gratiæ fuerunt influentiæ & operationes pulcherrimi cœli, quod eſt MARIA. Dilatabo ulterius inchoatum

§. 1. *Maria cælum myſticum.*

choatum diſcurſum, ut intelligamus varias & eximias S. Joannis Baptiſtæ excellentias; etiam in Nativitate, quibus reliquos Sanctos omnes longè ſuperat & excellit.

§. 2.

B. Virgo poſt Verbi incarnationem in viſitatione Eliſabethæ fuit accenſus pyrobolus.

Inter alia jucunda ſpectacula, & viſus humani objecta, oculos noſtros recreant nocturni pyroboli, ſunt tubi ex charta; vel lignea materia, ſine alis, ſine plumis, ſine pennis; nihilominus cum admirabili oculorum, ut dixi, oblectatione, videmus illos elevari, vagari & volare per aera, veluti igneos globulos, vel ſtellulas, vel ardentes aviculas, vel nubeculas, quæ igneas lachrymulas videntur depluere in terras, & cum celerrimo motu in aſcenſu & in deſcenſu. Cauſa hujus motus in tubo eſt tormentarius pulvis, qui dum accenditur, illos pyrobolos neceſſario rapit in altum. Luc. c. 1. v. 39. ut ante dixi, jucundius nobis objicitur ſpectaculum, nimirum Maria, exſurgens in montana, & abiens cum feſtinatione ad ædes Eliſabethæ. Sed quid hoc myſterii? cur illa Virgo, quæ ſemper fuit viola & lilium convallium in vallibus, floſculus in campis, roſa in hortis; ſive ut clarius loquar, cur illa amatrix vallium, cur humillima Virgo, cur ancilla Domini, amat & aſcendit montes poſt Incarnationem, cur per montana abiit cum feſtinatione? cauſam facile poſſumus advertere. Dum in Virginali utero, obumbrante Spiritu S. concepit Filium Dei; ſimul concepit ignem infiniti ardoris & virtutis; concepit inquam, cum Verbo Patris flammam amoris, cujus artifex eſt Spiritus S. & miramur, leviſſimum ante pyrobolum; integerrimam Virginem, ab omni terreni affectus pondere liberam, his flammis accenſam, ſtatim fuiſſe raptam in altiſſima montana Judææ? pyrobolus fuit, in quo latuit ignis, qui Deus eſt; hic in ardente Virgine ſimul accendit flammam charitatis erga cognatam ſuam Eliſabeth, de qua audiverat à Gabriele Archangelo, quod eſſet gravida; & erga parvulum infantem, qui in cognatæ latebat utero, ut exſurgeret in montana, ut properaret, ut feſtinaret in ædes cognatæ, ut mox cognatulum in matris utero liberaret à peccato originali, ſicque oſtenderet, ſe dum facta fuit mater Dei, ſimul factam eſſe matrem miſericordiæ, præſertim erga peccatores. Ea fuit felicitas S. Joannis Baptiſtæ; illa prærogativa, ille à cœlo favor,

vor, ut primus fuerit, qui per præſentiam Mariæ, ſive matris Dei, & matris miſericordiæ à peccato per ſanctificantem gratiam fuit liberatus.

Sub veſperum, inquit S. Bonaventura, *beatiſſima Virgo Maria concepit Filium Dei*, [mutant alii ſancti Patres circumſtantiam temporis,] *& mox ſequenti mane, ſub primum auroræ diluculum ſurrexit, & abiit in montana cum feſtinatione.* Puto, auroram filiam ſolis vel Phœbi nunquam pulchrioribus ſurrexiſſe radiis; quàm cum formiſſimam puellam, Deo gravidam, in montibus Judææ hactenus nunquam viſam, primùm aſpexit & ſalutavit. Et ita illo mane aureæ & feliciſſimæ diei, mundus duplicem conſpexit auroram; illam decoram, formoſam, auream, quam quotidie cernimus; ſed alteram longè pulchriorem; Mariam abeuntem ad ædes Eliſabeth per montana Judææ. Puto flores illo mane inſolito gaudio explicuiſſe ſua folia, dum novam & cœleſtem in campis conſpexerunt Floram, præſertim illos, qui pulcherrimæ Virginis veſtigiis fuerunt conculcati; Videor mihi videre retro dumeta, abſconditas nemorum Nymphas, ſtupore aſpicientes, non amplius viſam puellam, tam ſpecioſam, tam decoram, &c. Quid ego loquor de Nymphis? cœli ephœbis Angelis ita placuit ſpecies puellæ feſtinantis per montana Judææ, ut cum ſtupore, & rapti tanta pulchritudine, quæſiverint cum ſpōſo Cant. 8, 5. *Quæ eſt ita, quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum.* En cauſam Virgineæ feſtinationis. Dilectus cordis ejus parvulus Jeſulus latens in utero ejus, eſt hinnulus cervorum, tranſiliens colles; hic ſecum rapit matrem per montana Judææ.

§. 3. Maria! in viſitatione S. Ioannis Baptiſtæ properans & feſtinans Aurora.

Verum hinnule matutine! quò properas? quid tranſilis colles? aurora pulcherrima, quò feſtinas? quò abeunt pulcherrimi illi greſſus? quo volant aurati pedes? Filiæ Sion. Cœleſtes genii? nolite his quæſtionibus morari properantem Auroram. Aurora hæc mater facta eſt Dei, & mater miſericordiæ! eheu! ejus cognatulus, conſanguineus Jeſuli, in utero Eliſabethæ jacet in tenebris, in ſqualore, in captivitate, in vinculis peccati originalis, eò properant Mater & Filius, Aurora & Sol, Jeſus & Maria!.

§. 4. Proſecutio cum Apoſtrophe ad Auroram & Solem, ſive Ieſum & Mariam.

Maria! ut parvulus Joannes in utero à peccato originali liberetur, ut ſanctificetur, ut irradietur cœleſtibus radiis, ut exultet in utero, ut mirabili ſaltu exclamet: *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi*, Joan. 1. v. 29. Properat Aurora cum Sole in utero, ut iterum loquatur Zacharias, & exclamet: *Iam videmus viſcera miſericordiæ Dei noſtri, &c.* ut vicini & accolæ in nativitate S. Joannis quærant: *Quis putas puer iſte erit?*

§. 5. *Maria in viſitatione S. Ioannis B. fuit currus igneus.*

Capite primo verſu quarto vidit Ezechiel mirabilem currum, tractum à quatuor animalibus, cum admirabili celeritate inſtar venti, nam currus totus fuit igneus; rotas habuit flammeas & ſcintillantes; verbo, tota machina fuit plena Spiritu & igne. Talis mihi videtur fuiſſe currus, Maria, cum poſt Incarnationem Verbi ex Nazareth per montana Judææ properavit ad ædes cognatæ Eliſabethæ, quia pleno fuit Deo, plena fuit igne; ignis fuit ardentiſſima charitas erga Deum & proximum, præſertim ſuum cognatulum S. Joannem. Plena Deo, plena fuit flammis; flammæ fuerunt Seraphici affectus Seraphici amoris. Plena Deo, plena fuit ſcintillis! ſcintillæ fuerunt ardentia ejus ſuſpiria; igneæ rotæ, igneæ alæ, ignei oculi fuerunt inflammata deſideria ſuccurrendi parvulo Joanni, latenti in tenebris peccati originalis, & miſerrimæ ſervitutis. Quid miramur feſtinaſſe, properaſſe, volaſſe hunc igneum currum? verùm:

§. 6. *Mirabilis ingreſſus Mariæ in ædes Zachariæ.*

Cogitate, hunc igneum currum, vel cœleſtem hanc auroram cum pulcherrimo ſole, quem utero geſtabat, jam intraſſe ædes Eliſabethæ; quieſcit illa machina, conſiſtit illud cœlum, ſtat ſol! quid contigiſſe putatis? S. Lucas ait c. 1. v. 40. *Intravit Maria in domum Zachariæ, & ſalutavit Eliſabeth; Et factum eſt, ut audivit ſalutationem Mariæ Eliſabeth, exultavit infans in utero ejus, & repleta eſt Spiritu ſancto Eliſabeth, & exclamavit voce magna Eliſabeth, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui, unde hoc mihi, ut veniat mater Domini ad me. Ecce enim ut facta eſt vox ſalutionis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo.* Mox impletum fuit tempus pariendi, & peperit Eliſabeth filium, vocatumque eſt nomen ejus *Ioannes*; & Zacharias pater ejus repletus eſt Spiritu S. *apertumque illico fuit*

os

os ejus, & lingua ejus, & loquebatur, benedicens Deum. Factus quoq; fuit timor ſuper omnes vicinos, & ſuper montana Judææ divulgata fuerunt tanta myſteria, ut exclamarint: *Quis putas puer iſte erit?* etenim manus Domini erat cum illo. His fere verbis S. Lucas deſcripſit nativitatem S. Joannis Baptiſtæ.

Gloſſæ SS. Patrum & Interpretum ſunt pulchræ. Guerricus Abbas ſer. 1. de nat. S. Joannis ait: *Vox Mariæ, dum auribus Eliſabeth intonat, ad cor Ioannis penetrat, qui abſtruſus intra materna latebat viſcera; & cui virtus naturæ vix adhuc totam infuderat animam, virtus vocis Mariæ pleniorem infudit prophetiam; adeo, ut etiam de plenitudine filii copiosè videatur ad matrem transfundi. Verò plena gratiâ Maria! manifeſtè Deus totius gratiæ in ea erat, de cujus munificentia tam copiosè, tam magnificè, principaliter in matrem, de matre in Ioannem, de Ioanne in parentes gratiæ largitas profluebat.* Eadem penè verba reperio in S. Joanne Chryſoſtomo apud Bernardin. de Buſt. p. 7. ſerm. 4. *Vox ſalutationis* [- *Mariæ*] *per aures* - [Eliſabethæ] *ingrediens, ad puerum deſcendit*; tum alterum ſubdit effectum Marianæ vocis. § 8. *Mirabiles effectus vocis Mariæ in S. Ioanne & parentibus ejus. I. S. Ioannes fuit repletus gratiâ & Spiritu S.*

Virtute cujus ſalutationis puer Spiritum ſanctum accepit, ſicut prædixerat Angelus Zachariæ, Luc. 1. v. 15. *Spiritu S. replebitur adhuc ex utero matris ſuæ.* Super quæ verba Origines ait t. 9. in Joan. *Obſervandum eſt, quod per vocem ſalutationis Mariæ, quæ pervenit ad aures Eliſabeth, exilit Ioannes infans in utero matris, tum veluti à ſancta Maria ſumentis Spiritum ſanctum.* Mentem Originis clarius exponit S. Bernardinus Senenſis tom. 1. ſer. 52. *A tempore, quo concepit Virgo Deum in utero ſuo, quandam ut ſic dicam jurisdictionem ſeu auctoritatem habet in omni temporali miſſione Spiritus ſancti; quia non vult ipſe Spiritus ſanctus, niſi per eam communicari.* Ideo S. Ambroſius ait l. 2 comment. in c. 1. Lucæ: *Cito adventus Mariæ, & præſentiæ Divinæ beneficia declarantur.* Vix advenit Maria, vix pedes ædibus impoſuit, & Joanni adhuc in utero matris communicavit Spiritum ſanctum: quo cum repletus eſſet filius, replevit quoque matrem & patrem. § 8. *Proſecutio.*

Accepit autem Joañes in utero Spiritum S. eo modo, quo illo fuit repleta Virgo Maria; quâ circumſtantiâ obſervavit S. Athan. ſer. § 9. *Proſecutio.*

de Deipara: *Vbi Virgo Deum utero concepit, deſcendit Spiritus ſanctus in Virginem cum ſpecialibus virtutibus, imbuens eam gratiâ, atq; idcirco gratiâ plena cognominata eſt, eò quod impletione Spiritus ſancti omnibus gratiis abundaret.* Eadem plane prærogativa, ſed in gradu longè inferiori collata fuit Joanni, [fiat pulchra repetitio,] ideoque vocatus eſt Joannes.

§. 10. *Vnde Eliſabeth agnoverit præſentiam matris Dei, & tanta myſteria.*

Sed fare prius feliciſſima Eliſabetha; unde agnoſcis, Mariam eſſe matrem Dei? quis tantum tibi ſubito aperuit myſterium, ut videas, in Mariæ utero latere Deum Incarnatum, quis ori vel linguæ tuæ inſtillavit tam mellea verba: *Benedicta tu inter mulieres?* Quæſtioni ipſa reſpondet Eliſabeth: *Ecce enim, ex quo facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo*; quaſi diceret: filiolus meus futurus præco adventus Meſſiæ in mundum, jam ſaliendo & exultando in utero mihi clamat, Mater: *Ecce Agnus Dei*; Mater, *Ecce Virginem*, quæ Deum concepit, aperi os, ſolve linguam, exclama millies: *Benedicta tu inter Mulieres.* O Maria, ait Eliſabeth: meus parvulus ſaliendo mihi ſuggerit eximium hoc eloquium, ut te compellem matrem Dei. S. Auguſtinus ſer. 20. de SS. *Joannes Baptiſta intra viſcera exultans, Salvatoris adventum materno ore proteſtatur; jam in utero matris ſatisfaciens officio præcurſoris.* Andreas Cretenſis orat. de decoll. Joan. *Inſtrumento utens linguâ ſuæ matris, factum ſine Patre, cum adhuc in utero geſtaretur, prius eſt allocutus.* Eliſabeth ait: *Salve, ſalve Virgo*, ſalve mater Dei; prior in utero talia ſaltando dixit parvulus Joannes. Eliſabeth ait: *Vnde hoc mihi, ut Mater Dei veniat ad me.* Prior hæc verba protulit Joannes. Eliſabeth læta exclamat: *Benedicta tu inter mulieres*; ſed matrem prævenit parvulus, qui exiliens in utero, per has exultationes, talem ſalutationem ſuggeſſit matri. Theophylactus in c. 1. Lucæ: *Quæcunque dixit Eliſabeth prophetice ad Mariam, non verba fuerunt Eliſabeth, ſed infantis, os Eliſabeth tantum miniſtravit.* Eximium S. Joannis Baptiſtæ encomium, quod per præſentiam Mariæ ſanctificatus, & repletus Spiritu ſancto, primus ſuæ matri annuntiaverit adventum Meſſiæ, & adventum vel præſentiam ejus matris.

Sed

§. 11. *Vnde cognoverit S. Ioan. Baptiſta? Reſpondent SS Patres, v. g. S. Chryſoſt.*

Sed dic tu nobis Joannes, [ait S. Chryſoſtomus,] *cum adhuc in tenebroſo matris utero contineàris, quomodo intueris & audis? quomodo res Divinas contemplaris? quomodo exilis & exultas?* Quæſtioni in perſona parvuli eleganter reſpondet S. Joannes Chryſoſtomus,] *Magnum eſt, quod peragitur myſterium, & actus ab humana remotus comprehenſione. Video, etſi adhuc ſum in utero, quoniam in utero video geſtari Solem juſtitiæ; Video: meos oculos illuminat pulcherrima Aurora! Auribus percipio, quia loquitur Maria, Mater Verbi Incarnati. Vox tam ſuavis & dulcis aperit aures hactenus clauſas. Exilio, quia agnoſco præſentem Filium Patris Vnigenitum carne indutum. Exulto, quoniam univerſi effectorem video formam hominis ſuſcipere. Exilio: quoniam mundi Redemptorem cogito incorporatum. Exulto, ut ex hoc tenebroſo tabernaculo rerum admirabilium compendioſam prædicem cognitionem. Sum ſignum, ſignificabo Chriſti adventum. Sum tuba, proferam Filii Dei in carne diſpenſationem.*

§. 12. *S. Auguſtinus, S. Maximus, B. Laur. Iuſt. S. Chryſol. Dion. Carthuſ.*

Quæſtioni propoſitæ, quomodo S. Joannes agnoverit tanta myſteria, exiſtens in utero matris, reſpondet S. Auguſtinus ſer. 20. de SS. *Erat lucerna ardens; ideſt, Spiritus ſancti igne ſuccenſus; ut mundo ignorantiæ nocte poſſeſſo, lumen ſalutis oſtenderet, & quaſi inter denſiſſimas delictorum tenebras, ſplendidiſſimum juſtitiæ ſolem lucis ſuæ radio demonſtraret.* S. Maximus Ep. hom. 3. in Nat. S. Joan. *Propter quod, fratres, rectiſſimè toto hodie orbe, Chriſti Eccleſia primordia Nativitatis ejus lætiſſimâ feſtivitate concelebrat, qui æterna mortalibus adeſſe gaudia ſtupenti mundo, teſtis fideliſſimus revelavit.* Joannes materno clauſus utero, horridâ originalis noxæ caligine involutus, derepente ſenſit auroram illuceſcere, & Divino gratiæ radio totam illam noctem diſſipari. *Nam* [B. Laur. Juſtin. ſer. 1. de Joan. B.] *ipſum in benedictionibus cœli, & dulcedinis, prævenerat Deus, cum adhuc in materno teneretur corpuſculo.* Et prima quidem hæc benedictio fuit de rore cœli; jam enim cœli roraverant, quod Iſaias c. 45. v. 8. poſtulaverat. Aureè Chryſol. *Ioannes ante pervenit ad cælum, quàm tangeret terram; ante accepit Divinum Spiritum, quàm humanum; ante accepit Divina munera, quàm humana corporis membra.* Dion. Carthuſ. ſer. 3. de S. Joan.

In utero tam miraculoſe & copioſe illuminatus eſt à Spiritu S. quod intellectualiter cognovit, Dei Unigenitum jam eſſe incarnatum, atque in utero Virginis præſentem. Quæ omnia eximias dotes, prærogativas, & ſublimem ſancti Joannis Baptiſtæ ſanctitatem raramque excellentiam nobis abunde declarant.

§. 13. *S Joannes B. fovet ſuos clientes.*

Nobis utiliſſimum erit, ſi eximium hunc Sanctum peculiari devotione & cultu proſequamur. Magnus hic Sanctus amat ſuos clientes. Cum hac die in ejus honorem SS. Euchariſtiam ſumpſiſſet S. Gertrudis, & pro illis oraret, qui hoc feſtum devotè celebrant, apparuit illi roſeis ornatus veſtibus, illam adhortans ad dilatandum cor, pro illis gratiis, quæ illis conceduntur, qui Deum amant, qui nihil aliud intendunt, quam ut Deo placeant; addidit, talibus omnia fore proſpera. Alias S. Franciſcam Rom. his verbis fuit allocutus: *O anima! redde te pulchram dulci tuo Ieſu, qui te renovavit, & ſe tibi dedit: fac, ut ardeas ejus amore: Ut ardeas, ſpeculum tibi ſit SS. Crux & paſſio Chriſti.* Tum illa vidit in monte Chriſtum cruci affixum, vulneribus radios latè fundentibus, ita, ut è capite ſpinis ſaucio radii ad Seraphinos & Patriarchas porrigerentur: Apoſtoli radios haurirent à manuum & pedum plagis, Prophetæ ac Evangeliſtæ à vulnere lateris. Tum S. Joannes Baptiſta voce cor inflammante dixit ad S. Franciſcam: *Ama & dilige Dominum cum doloribus, ama cum timore, ama cum delectatione, ama & dilige illum amorem, qui te perfectè dilexit.* Toto mentis affectu & cordis puritate amemus iſtum amorem; quibus dictis jucundiſſimus cantus de Dei amore in cœlo auditus eſt. Inflammatâ hac Concione nobis innuit ſanctus Joannes Baptiſta, quid exigat à ſuis clientibus, qui deſiderant, cum magna devotione celebrare ejus feſtum, ut nimirum DEUM amemus.

CON-

CONCIO LXXIII.

FESTO SS. APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam,

Matth. 16. v. 18.

SYNOPSIS CONCIONIS.

SUmma S. Petri laus, quod ſit petra, ſupra quam Chriſtus D. fundavit Eccleſiam, duraturam uſque ad conſumptionem ſæculi. Miſcentur elogia S. Pauli.

§. 1. *Exordium & propoſitio.*
§. 2. *Paucula elogia S. Petri, cum plura alibi proponam.*
§. 3. *Eximia elogia ſancti Pauli.*
§ 4. *Proſecutio.*
§. 5. *Eccleſia Chriſti D. tempeſtatibus convulſa [ex Iſaia] ſed eò firmior & ſtabilior ob pretioſos lapides fundamenti.*
§. 6. *Carbunculi, Saphiri fuerunt SS. Petrus & Paulus.*
§. 7. *Eccleſia Romana fundamenta, Juſtitia & Sanctitas.*
§. 8. *Eccleſia, licet non deſint hoſtes, non habet, quod timeat.*
§. 9. *Omnes hoſtium conatus, & inventa tormenta hactenus in vanum laborarunt.*
§. 10. *Eccleſia, urbs fortitudinis, turris, &c.*
§. 11. *Vrbi Sion opponitur urbs*

Moab: Eccleſia, ſecta hæreticorum; ſed cum magno diſcrimine.

§. 12. *Confirmatur illud diſcrimen.*

§. 13. *Exploditur ſcomma Calvini.*

§. 14. *Eccleſia Romana eſt terribilis, ſicut caſtrorum acies ordinata.*

§. 15. *Propugnatur à ſexaginta fortibus.*

§. 1. *Exordium & propoſitio.*

TRia vobis hodie proponam Auditores, in honorem ſanctorum & glorioſiſſimorum Apoſtolorum SS. Petri & Pauli. I. Pauca aliqua elogia S. Petri, quorum plura adduco in aliis Concionibus. II. Brevi tempore nectam catenam plurimorum encomiorum S. Pauli. In III. parte inſinuabo, ſummum S. Petri elogium eſſe, quod ſit petra, ſupra quam Chriſtus D. ædificavit Eccleſiam, firmam, ſtabilem, perennaturam uſque ad conſummationem ſæculi.

§. 2. *Paucula elogia S. Petri, cum plura alibi proponam.*

Triplicis generis elogia præſenti Concioni ampliſſimam ſuggerunt materiam. Aliqua conveniunt S. Petro, alia ſoli S. Paulo, aliis uterque glorioſiſſimus Apoſtolus à ſanctis Patribus ad ſidera uſque extollitur. Alter eſt Apoſtolorum Princeps, magnus Jeſu Chriſti Vicarius, totius Eccleſiæ Pater, paſtor & rector! alter verò vas electionis, magnus gentium Doctor, Evangelii buccina: tuba Spiritus ſancti, præco veritatis. Primus S. Petrus, dico primus! nam alii Apoſtoli ſunt rivuli, S. Petrus fons! alii rami, S. Petrus arbor! alii ſtellæ, S. Petrus ſol! alii palmites, S. Petrus vitis! alii columnæ, S. Petrus aurea baſis! S. Petro Chriſtus Dominus tradidit ſuas oviculas! S. Petro Chriſtus D. tradidit claves regni cœlorum. Unum ex ſummis elogiis, quæ Iſaias attribuit venturo Meſſiæ, hoc fuit cap. 22. v. 21. *Dabo clavem Domus David, ſuper humerum ejus, & aperiet, & non erit, qui claudat, & claudet, & non erit, qui aperiat.* Intelligite per hanc clavem vel ſanctiſſimam crucem, in qua Chriſtus Dominus omnia totius humani generis peccata tulit ad montem Calvariæ, ubi omnium ſyngraphas affixit cruci, ubi illas combuſſit flammis charitatis. Intelligite illam poteſtatem, quam Chriſtus Dominus habet, ſolvendi vel ligandi peccata, utramque clavem, utrumque privilegium

vilegium Chriſtus Dominus conceſſit S. Petro. Qualia elogia!

In S. Pauli laudibus SS. PP. æquè ſunt elegantes. Theodoretus in 1 ad Tim. 1. vocat *Bonitatis Divinæ ſpeculum*; ab eodem vocatur: *Mundi lilium, & Eccleſiæ pulcherrima roſa.* Adrianus Papa in epiſt. ad Epiſcop. in Hiſp. *Eccleſiarum columna, Angelus terreſtris, cæleſtis homo.* Idem hom. 1. in ejus laudibus: *Clariſſima & jucundiſſima Eccleſiæ lucerna.* S. Auguſt. ſerm. 1. de Ap. Petro & Paulo: *Paulus fons virtutum* - idem lib. 14. de Civ. c. 9. vocat: *Verum athletam Chriſti.* S. Bernardus vocat: *Eccleſiæ oculum.* S. Chryſoſt. hom. 32. in epiſt. ad Rom. vocat: *Cor Chriſti, Spiritus ſancti tabulam, volumen charitatis*, & deducit ex illis verbis Apoſtoli: *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Chriſtus.* Ad Galat. 2. v. 20. *Cor itaque Chriſti erat cor Pauli, tabulaque Spiritus ſancti, atque charitatis volumen*; [quid in Paulo non ſpirat charitatem & amorem?] hom. 22. ad pop. vocat: *Receptaculum Spiritus ſancti.* Miro encomio illum extollit S. Hier. ep. 13. ad Paulinum: *Paulus Apoſtolus & vas electionis, de perſecutore mutatus noviſſimus in ordine, primus in meritis eſt, quia extremus licet, plus omnibus laboravit*; laboribus his meritis fuit, ut vivus in Paradiſum raperetur, de quo pulchrè Guarricus Abbas ſer. 2. in nat. S. Joan. Bapt. *Ideo ſæpius ei aſpirabat dies æterni luminis, atque afflabat eum lenior aura Spiritus ſancti, cujus vi rapiebatur ad æterna paſcua: aliquando Paradiſi, aliquando tertii cœli - dignum quippe erat, ut qui fideliter paſcebat, fideliter paſceretur, ut qui foris gaudebat, in bonis dominicæ familiæ, in gaudium Domini ſui juberetur intrare, atque repleretur in bonis domus Dei, non ſolum iſtius viſibilis, pro qua ſudabat, ſed etiam illius inviſibilis, ad quem ſuſpirabat.* Facile eſt conjicere, qualem dein vitam duxerit; quibus ſemper gaudiis fuerit plenus. Ita tamen conſtitutus, ut pro amore Chriſti non ſolum fuerit paratus deſerere illa, ſed etiam deſcendere in gehennam. §. 3. *Eximia elogia S. Pauli.*

Non poſſum invenire finem laudum S. Pauli apud SS. PP. præcipuè, dum doctrinam ejus extollunt, audite aureum os ſancti Chryſoſt. ſer. de aſcenſ. Dom. *Os Pauli, os gratiæ, os veritatis, plectrum vitæ, quod quovis clangore tubæ vehementius reſonat, &* §. 4. *Proſecutio.*

quacunq;

quacunque harmonia conſonantius eſt. Organum, inquam, Chriſti, ac fiſtulam Spiritus S. quæ enim viſa ſunt Spiritui Sancto, Paulus organo linguæ ſuæ publicavit (præcipue de Jeſu, quod nomen amplius quam trecenties &c.) S. Hieronymus l. 1. contra Jovinianum cap. 4. *Reſpondit Doctor Gentium, & Magiſter Eccleſiæ.* Os Pauli S. Bern. ſerm. 10. in Cant. comparat largiſſimo fonti, ex quo fluenta Divinæ ſapientiæ fluxerunt in Eccleſiam. *Non ſum ego adeo profundi ſenſus, neque adeo perſpicacis ingenii, ut novi quidpiam ex me invenire poſſim, ſed eſt fons magnus & indeficiens os Pauli, quod patet ad nos, de ipſo haurio mihi, &c.* Sanctus Chryſoſtomus in prooemio ejus ei epiſt. ejus linguam comparat ſoli: *Hujus lingua ſupra ipſum etiam ſolem illuxit.* O qui radii ab hac lingua, *Sol quidam eſt hominibus Paulus, qui totum prorſus orbem fulgentibus linguæ ſuæ radiis illuminavit, quique univerſas circumeundo gentes curſum omnino ſolis eſt imitatus.* Sanctus Petrus Damianus ſer. 27. de Petro & Paulo: *Aſpice & Paulum, quam dulcioris miſericordiæ cumulata benignitas totam Apoſtoli mentem verâ compaſſione ſuccenderat - quis infirmatur, inquit, & ego non infirmor? hoc affectu navigat mare, currit in Ieruſalem, lapidatur, verberatur, affligitur, currit ad Epheſios, Corinthios quærit, circuit Coloſſenſes, Philippenſes viſitat, revertitur ad Romanos, miſericordiam ſpargit, ubique diffundit pietatem, & cæleſtium ſemina gaudiorum.* Divus Chryſoſtomus in c. 4. ep. 2. ad Timoth. *Quaſi volucris, imo volucri pernicius cucurrit, quaſi igneas alas haberet, quibus mundum, mortes, inſidias, &c. pervolaret*; addit: *quantum ſol terram percurrit propius emittens radios, tantum & hic habuit ſollicitudinem Eccleſiarum per totum orbem.* Sed Concionis

§. 5. *Eccleſiæ Chriſti D. tempeſtatibus convulſa (ex Iſaia) ſed eò firmior & ſtabilior ob pretioſos lapides fundamenti.*

Alteram partem aggredior; verba hæc: *Super te ædificabo Eccleſiam meam*; dudum antea explicuit Iſaias capite 44. ubi ait verſu 11. *Paupercula; tempeſtate convulſa abſque ulla conſolatione.* Talis videtur Eccleſia Chriſti, præſertim, qualis fuit in ſuis exordiis, cum poſt Pentecoſten Apoſtoli duodecim pauperculi piſcatores illam fundare & propagare cœperunt: *Tempeſtate convulſa*; id eſt, quæ horribiliter ſemper fuit agitata, jactata, & frequenter quaſi tota proſtrata. Sed paulatim per Chriſtum D. & ſanctos

ſanctos Apoſtolos, præſertim SS. Petrum & Paulum, paupercula fuit facta dives & ſplendida, ex convulſa ſolida, ex conſolationis inope, ea abundans. Propter ſoliditatem mox eodem v. 11. ſubdit Iſaias; *Ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos*. LXX. vertunt, *Ego præparo tibi carbunculum lapidem tuum*, Rabini, *Quieſcere faciam in carbunculo lapides tuos*, id eſt, pro fundamento ædificii, quod præparo, ſubſternam carbunculos & ſaphiros, quaſi dicat, fundamentum tuum erit è carbunculis & ſaphiris ſplendidum & pretioſum. Magnum privilegium ædificii! De Nerone narrat Plinius l. 37. aulæ ejus cubicula fuiſſe inſtrata unionibus: & in alio ſimilem faſtum alicujus regis pupugit Martialis, ad quem ait,

Calcatuſque tuo ſub pede lucet Onyx;

de nullo tamen monarcha unquam legimus, quod pro fundamento magni alicujus ædificii eligerit vel præparaverit carbunculos, ex quibus tamē Chriſtus D. poſuit fundamēta ſuæ Eccleſiæ.

Advertendum eſt, Eccleſiam frequenter in ſacris literis ob oculos nobis poni inſtar regiæ vel pulcherrimæ & pretioſiſſimæ baſilicæ; adeo ut ipſa fundamenta ſint ex carbunculis & ſaphiris; propugnacula ex Jaſpide, portæ ex lapide ſculpto, & ita proportionaliter de omnibus partibus tam ſplendidi ædificii. Et ita per has gemmas ſymbolicè imprimis laudantur Apoſtoli, inter illos SS. Petrus & Paulus, qui Eccleſiam vel fundarunt vel propagarunt, vel propugnaverunt: hi enim fuerunt carbunculi per charitatem, ſaphiri ob cœleſtem vitam, Jaſpides ob fortitudinem fidei, Cryſtallus ob puritatem &c. ſculpti & expoſiti per tribulationes, & ideo S. Paulus ſolatur Epheſios 1. 2. v. 19 *Eſtis cives Sanctorum, & domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu.* Et ipſe Chriſtus Dominus ipſemet ſacro ſuo ore ait, *Tu es Petrus* (tu es carbunculus) &c. *& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* §. 6. *Carbunculi, Saphiri &c. fuerūt SS. Petrus & Paulus.*

Mox tamen innuit Propheta, ſe hoc loco non tam agere de pulchritudine, quam de ſoliditate petræ, cui inædificata eſt Eccleſia, ait enim verſu 14. *Et in juſtitia fundaberis*, hoc eſt §. 7. *Eccleſiæ Romanæ fundamenta.*

juſtitia & ſanctitas. in ſanctitate *firmaberis*; quaſi diceret, non eſt Eccleſia, ô ſponſa mea, quod timeas, ne quæ ſeditio, quæ fraudes, quæ vis & perſecutio, aut quis hoſtis tua fundamenta ſubvertat, & muros diruat, nam juſtitia, veritas & ſanctitas, & viri ſanctiſſimi, imo Sanctus Sanctorum, ipſe Chriſtus D. te firmat. Petra, cui inſiſtis, eſt ſanctiſſimus Petrus, Jaſpis N N. Notent hic Reges & Magiſtratus, regna, urbes, ſi velint, regnum ſuum eſſe ſtabile, ut fundamenta ponant in juſtitia, ſanctitate, religione, pietate erga Deum. Fundamenta omnia politica ſtant ſuper arenam, durant ad tempus, facillimum eſt, turbari arenas, & corruunt, multorum annorum conſilia à 1670. annis quoties corruiſſet Romana Eccleſia, niſi juſtitia & ſanctitas, niſi carbunculi & Jaſpides eſſent fundamentum.

§. 8. *Eccleſia, licet non deſint hoſtes, non habet, quod timeat.*

Subdit Propheta verſ. eod. 14. *Non timebis*, quia tuta eris: fundamentum tuum eſt petra. Hæc quidem fiunt, Ecce accola veniet- & adjungetur tibi v. 16. *Ecce, ego creavi fabrum ſufflantem in igne, & proferentem vas in opus ſuum, & ego creavi interfectorem ad diſperdendum.* Duo poterat timere Eccleſia, ſcilicet calumniam & vim. Calumniam à gentibus ſubſannantibus, quod adoraret Chriſtum Crucifixum. [hoc enim illis ſemper ſtultum viſum fuit, & videtur. Indignatus fui his diebus, & exarſi in iras, cum in imagine vidi depictam idololatriam, pedibus conculcantem Crucifixum, eò quod illi videatur ſtultitia, cultus Crucifixi.] Vim timere potuit à Tyrannis, à perſecutoribus. Verùm, ait Iſaias, neutrum timebit, nam primo plurimæ gentes non tantùm fruſtra laborabunt, ut diruant Eccleſiam, ſed tandem ipſi illi ſubjicientur, & credent in Chriſtum.

§. 9. *Omnes hoſtium conatus, & inventa tormenta hactenus in vanum laborarunt.*

Deinde ait Iſaias in perſona Chriſti: *Ego quidem creo, & produco fabros, &c.* id eſt, tyrannos, milites & hoſtes, qui variis armis conabuntur diruere fundamenta meæ Eccleſiæ, qui parati ſunt ad diſperdendum, quot fabros ex orco hactenus emiſit diabolus? quos ignes, quæ incendia non excitavit? quas erexit rotas? quos extendit equuleos? quot illatæ neces? quot affixi cruci? quam copioſus effuſus ſanguis? an non in illo ſubmerſa eſt navicula Petri? victrix ſupernatat! an corruit tam pulchrum ædifi-

Digitized by

ædificium? ſtat ſupra petram, ſuper carbunculum &c. an non finis tanti regni? perennabit, creſcet, & multiplicabitur uſque ad conſummationem ſæculi.

§. 10. *Eccleſia, urbi forti-tudinis, turri.*

Proinde quotidie cum gaudio cantare poſſumus canticum illud lætitiæ ex v. 1. cap. 26. Iſaiæ, *Vrbs fortitudinis noſtræ Sion, Salvator, ponetur in ea murus & murale.* Symmachus legit *firmamentum.* Simili tropo ait v. 10. capitis 18 Prov. *Turris fortiſſima nomen Domini, ad illam currit juſtus & exaltabitur*: & Jeremiæ 1. v. 18. *Dedi te in civitatem munitam, & columnam ferream, & murum æreum.* Arabicus vertit, *Vrbs, cujus roborata eſt ſalus.* Ecce elogia Eccleſiæ, eſt urbs fortitudinis! eſt turris fortiſſima! eſt civitas munita! eſt columna ferrea, ænea! Iſaias fortitudinem aſcribit muro & antemurali, id eſt, Divinæ protectioni, qui Eccleſiam ſuam protegit, uſque ad conſummationem ſæculi. Sed fortitudinem præcipuam in hodierno Evangelio Chriſtus D. inſinuat his verbis, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram &c.*

§. 11. *Vrbi Sion opponitur urbs Moab, Eccleſiæ ſecta hæreticorum, ſed cum magno diſcrimine.*

Benè adverterunt aliqui Interpretes, urbi Sion in ſacris litteris ad literam ſubinde opponi urbem Moab, myſtice Eccleſiam Chriſti, ſynagogas ſathanæ, veræ fidei, hæreſes, de quarum muris, & fundamento verificatur ille verſus, *Munimenta murorum tuorum concident, & humiliabuntur, & detrahentur in terram uſque ad pulverem*, & v. 5. *civitatem ſublimem humiliabit, humiliabit eam uſque ad terram, detrahet eam uſque ad pulverem*, v. 6. *conculcabit eam pes.* Hoc ab annis 1670. contigit tot hæreſibus, ſed ſtat urbs Sion, urbs fortitudinis &c. munimenta ejus non corruent, ruinam tentarunt tot tyranni fruſtra! ſtat ſuper petrã, contra quam portæ inferi non prævalebunt.

§. 12. *Confirmatur illud diſcrimen.*

Similem anthiteſin, deſumptam à tabernaculo & navi reperio apud Iſaiam cap. 33. v. 20. *Reſpice Sion civitatem ſolennitatis noſtræ, oculi tui videbunt Jeruſalem, habitationem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit, nec auferentur clavi ejus in ſempiternum, & omnes funiculi ejus non rumpentur.* Conveniunt Interpretes ſermonem eſſe de Eccleſia tum militante, tum triumphante, de hac certum eſt, duraturam in æternum. Militans Eccleſia, tabernaculum eſt, quod nequaquam transferri

poteſt, id eſt, firmum, ſtabile, perpetuum eſt, quæ perpetuitas pulchrè explicatur per fortes funes & clavos, quibus quaſi eſt alligata Eccleſia ad petram firmam. Navim verò, cujus Iſaias fecit mentionem, mox ita alloquitur verſ. 23. *Laxati ſunt funiculi tui, & non prævalebunt; ſic erit malus tuus, ut dilatare ſignum non queas.* Innuit, eandem navim fore ſpolium, prædam & rapinam hoſtium. Septuaginta legunt: *Rupti ſunt funiculi tui, ut nec malum ſuum firmiter retinere, nec velum expandere poſſint.* Scio, allegoricè ab Iſaia Propheta fuiſſe prædictam minam Synagogæ Judæorum, quaſi dicat: ô Synagoga! ô Jeroſolyma! arctaberis, concides, vaſtaberis & deſolaberis! eris ſpolium gentium; myſticè idem verum eſt de quacunque hæreſi; quam ſancti Patres etiam comparant navi, ſed de qua ait Auctor operis imperfecti apud ſanctum Chryſoſtomum t. 2. hom. 23. in Matth. *Quæ licet habeat prædicationem Dominicæ Crucis, invalidam tamen hanc ejus arborem, multa oſtendunt, quia ubi non eſt veritas fidei, infirma crucis aſſertio eſt, unde inclinata & laxata ejus vela ſunt, quod nullo flatu ſancti Spiritus diriguntur: Et ideo hæc navis, amiſſo veræ fidei gubernaculo, dominantibus adverſis ſpiritibus in naufragium mortis æternæ demergitur: quæ à Chriſto Domino gubernari non meretur, fitque præda dæmonibus & gehennæ.* Sed ubi fortes funes? ubi vela? ubi anchora? ubi petra, ut illam firment? hæc deeſt! hinc ruina! hinc ſubmerſio! Aliud videmus de navicula Petri, in illa eſt malus SS. Crucis, in illa eſt veritas & aſſiſtentia Spiritus ſancti, illa habet fortes funes! à quot annis fluctus, venti, tyranni, infernales cohortes conati ſunt rumpere? fruſtra, adhæret petræ, à quo divelli non poteſt.

§ 13. *Exploditur ſcomma Calvini.*

Scio, quàm inſulsè Calvinus, poſtquam ex capite 29 Ezechiel. egiſſet de excidio Jeroſolymæ, dixerit: *Hinc colligi poteſt, quàm ridiculi ſint hodie Romanenſes, qui cathedræ Petri Eccleſiam affigunt, acſi nuſquam domicilium in toto orbe reperiri poſſit Deus, quam in Romana ſede, anne ulla hujusmodi promiſſio Romæ data eſt, qualis Ieroſolymæ? hæc requies mea in ſæculum ſæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam,* Pſal. 32. verſ. 14. *& tamen ſubverſa eſt, quid igitur*

igitur Roma, quæ nullum teſtimonium habet? inſulsè inquam, aliud Romana Eccleſia & cathedra Petri, fatemur, Romam æque ac Jeroſolymam everti poſſe, & everſa eſt, negamus, Romanam Eccleſiam & cathedram Petri everti poſſe. Firma enim & clara eſt promiſſio CHRISTI, facta ſancto Petro & ejus ſucceſſoribus, Matthæi capite 16. verſu 18. *Tu es Petrus, &c.* Oppugnabitur fortiter! ſed [Iſaiæ 19. verſ. 5.] *Erit ſicut pulvis tenuis multitudo ventilantium - illam - & ſicut favilla pertranſiens multitudo eorum, qui contra - eam - prævaluerunt.* Hoc eſt, nunquam, nullo ſæculo deerunt hoſtes, qui conabuntur Eccleſiam ventilare, oppugnare, &c. hoſtium erunt innumeri, veluti arenulæ pulveris, vel favillæ, quæ à vento in incendio excitantur. Sed & hoc advertite, ſicuti illæ favillæ, & pulveres à vento excitati, facillimè diſſipantur & decidunt, ſine omni vi & effectu, quando enim auditum eſt, ut pulvis dejecerit fortem aliquam turrim: Idem contingit Adverſariis Romanæ Eccleſiæ, conjungunt vires, ſine omni effectu. Stat petra Eccleſiæ! ubi tot Nerones? tot Diocletiani? evanuerunt, non ſunt amplius! ubi tot hæreſiarchæ? evanuerunt, non ſunt amplius, ſed ſtat petra Eccleſiæ.

Pulchra, ſuavis, decora ſponſa Chriſti Domini ſicut Jeruſalem, [Canticorum 6. verſu 3.] ſed ſimul fortis - & *terribilis ut caſtrorum acies ordinata.* Verſio Hebræa habet, *terribilis, ut vexillatæ cohortes;* quæ dum ſub uno aliquo duce bene ordinantur, ſunt invincibiles. Talis acies eſt Eccleſia Romana. Sanctus Gregorius: *Notum expertis eſt, quod milites, cum in procinctu contra hoſtes vadunt, ſi ſtrictim & concorditer gradiuntur, ab hoſtibus contravenientibus timentur, quia dum in eis aditum per ſciſſuram non aſpiciunt, qualiter eos penetrent, hæſitantes non inveniunt: illisque hoc impenetrabile munimen efficitur, quod concorditer ordinati ſemetipſos tuentur. Dum enim de ſe ipſis ſibi vallum efficiunt, intrandi ad ſe aditum hoſtibus non relinquunt. Sic in multitudine fidelium contingit, quæ dum contra malignos ſpiritus pugnare non deſinit, neceſſe eſt, ut pace charita-*

§. 14. *Eccleſia Romana eſt terribilis, ſicut caſtrorum acies ordinata.*

ritatis conſtringebatur, quâ ſolum ſit; ſi enim pacem tenet, terribilis hoſtibus apparet; ſi per diſcordiam ſcinditur, undique ab hoſtibus leviter ſuperatur. Pace itaque ſe muniat, unitate ſe vinciat, charitate ſe uniat, ut dum in ſe ipſa per ſciſſuram damnum non patitur, ducem ſuum ſemper exultans ſine confuſione ſequatur. Advertitis iterum, ni fallor, ingentem differentiam inter Eccleſiam Romano-Catholicam & Adverſariorum. Loquor de quacunque hæreſi in communi. Integrum quaſi exercitum diabolus hactenus eduxit ex orco contra petram Romanæ Eccleſiæ, ſed quales exercitus? quot duces? quales ſciſſuræ? quales diſcordiæ? quales rixæ? hinc quovis ſeculo ſimiles exercitus victi & proſtrati ſunt. Evanuerunt! ſtat adhuc Romana Eccleſia, quia acies eſt, ſed ordinata, ſed vexillata, circumdata vallo, cujus fundamentum eſt petra, ſive Petrus, ſuper quem Chriſtus D. &c. Rupertus: *Terribilis dæmonibus, hæreticis & impiis, ſicut caſtrorum acies ordinata, in qua ſumma eſt omnium concordia; ac proinde nullus in ea per diſcordiam aditus datur hoſti.* Romana Eccleſia eſt arx invincibilis.

§. 15. *Propugnatur à 60. fortibus.*

Verſus 7. capitis 3. Canticorum de lecto Salomonis loquitur, veluti de aliqua urbe, vel turri, quæ fortiſſimis militibus traditur propugnanda; ait enim ille verſus: *Sexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſrael.* LXX. *Sexaginta potentes ex potentibus.* Vatablus: *Sexaginta heroes ex heroibus Iſrael.* Syrus vertit: *Gigantes.* Chaldæi per lectulum Salomonis intellexerunt templum ab illo ædificatum, & ajunt: *Quando ædificavit Salomon Rex Iſrael domum Sanctuarii Domini in Ieruſalem, dixit Dominus in verbo ſuo, quam pulchra eſt domus Sanctuarii hæc, quæ ædificata eſt mihi per manus Regis Salomonis filii David! - benedictio Domini circumdat eam, ſicut murus excelſus & fortis, & in ea prævalent & proſperantur omnes fortes Iſrael.* Dico ego hodie de Eccleſia Chriſti Domini. O quam pulchra eſt domus, quam formoſa, quàm omnia benè in illa ordinata, quanta ſanctitas! qualis concordia! in hoc benedicta eſt, quod ipſe ſponſus ſit illius turris; quod fortes ex fortiſſimis, potentes ex potentibus, robuſti ex robuſtis, quod gigantes, quod glorioſiſſimi & invicti athletæ ſancti Apoſtoli,

Digitized by Google

ſtoli, inter illos SS. Petrus & Paulus illam cuſtodiant. Hæc ejus felicitas, quod à Rege Salomone, à Chriſto Domino prima fundamenta poſita ſint ſupra petram. Reſtat adhuc verſus 4. capitis 4. Canticorum: *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea; omnis armatura fortium.* Septuaginta: *Omnia jacula potentium.* Fuit hoc olim moris, ut Reges ex ſuis turribus ſuſpenderent clypeos, tum ad ornatum, tum ad fortitudinem. Ita ait Ezechiel capite 27. verſu 10. de præſidiariis Tyri: *Perſæ & Lydii, & Libices erant in exercitu tuo, viri bellatores tui, clypeum & galeam ſuſpenderunt in te pro ornatu tuo - & - pharetras ſuas ſuſpenderunt in muris tuis per gyrum.* Plurima referunt Interpretes de pulchritudine turris David; Sanctus Ambroſius in Pſalmo 118. *Condidit turrim illam David, & ſuper murorum ædificavit excelſa, ut ſubſidio pariter & decori ſit; ſubſidio, quia hoſtem prævidet & expellit; decori, quia non ſolum inter humilia, ſed etiam inter excelſa ſupereminet.* Pro *armatura* legunt alii: *principes potentes in ea.* Hæc turris eſt ſymbolum Eccleſiæ. [Vide multa & pulchra apud Patrem Cornelium in Cantica citato loco, mihi fol. 183.] Hoc mihi permittite, ut pulcherrimis ſcutis inſcribam pauculas voces, quæ nobis proponant certiſſima ſigna, ex quibus colligere poſſimus, quænam ſit turris David, ſive, vera Chriſti Eccleſia, v. g. una, ſancta, Catholica, &c.

CON-

Digitized by Google

CONCIO LXXIV.

FESTO VISITATIONIS BEATÆ VIRGINIS.

Exſurgens MARIA, abiit in montana cum feſtinatione,

Lucæ 1. v. 39.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PEr varia & eximia elogia Beatiſſimæ Virginis MARIÆ explicatur feſtinatum ejus iter, per montes Judææ ad ædes cognatæ Eliſabethæ.

§. 1. *Maria exſurgens in montana, fuit ferculum Salomonis.*

§. 2. *Maria in utero geſtavit Lucem & Solem.*

§. 3. *Ipſa quoque Lux & Sol; ideo feſtinavit.*

§. 4. *Maria geſtans uterum, nullum ſenſit pondus. Figura fuit arca, geſtata à Levitis.*

§. 5. *Maria machina, plena ignibus charitatis, celeriter mota.*

§. 6. *Maria cæleſtis luſcinia & columba.*

§. 7. *Maria ob immenſas delicias in Filii Incarnatione facta fuit cælum; ideo velociſſimè movetur.*

§. 8. *Calcei quoque ejus fuerunt cæleſtes.*

§. 9. *Sol eſt Maria; ideo velox in ſuo curſu.*

§. 10. *Properat, quia eſt Luna.*

§. 11. *Rota ſub pedibus Nemeſis.*

§. 12. *Feſtinat Maria, quia eſt Stella.*

§. 13. *Epilogus, ſive brevis repetitio totius Concionis.*

§. 14. *Apoſtrophe ad Auditores.*

In

§. 1. *Maria exſurgens in montana, fuit ferculum Salomonis.*

IN Concione ſecunda de hodierna Virginis feſtivitate piè dixit S. Th. de Villa N. *Venit Deus in mundum*, (Incarnatus ſcilicet in utero Virginis Mariæ,) *& proſpicit ſtatim ſub jugo preſſum amicum, & communi tabe fædatum; dolet amici vicem amicus pius; feſtinat liberare dilectum; non in longum differt, non largas præbet inducias morbo; ſed Virgineo vectus curru, per montium culmina properat ad amicum*; illâ feſtinatione, ut cœleſtes genii exclamarint cum Sponſa Cant. 2. v. 8. *Ecce, iſte venit! ſaliens in montibus, tranſiliens colles; ſimilis capreæ, hinnuloque cervorum.* Cauſam diu ante prædixerat Iſaias cap. 8. verſ. 3. *Voca nomen ejus accelera; ſpolia detrahe, feſtina prædari.* Ita, quamprimum incarnatus fuit Meſſias, acceleravit, feſtinavit prædari; dum infernali draconi pulcherrimum detraxit ſpolium, dum ex faucibus rugientis leonis, ſive peccati originalis liberavit Joannem. Sed hoc congruum erat, ut in hoc itinere, in hoc triumpho, virgineo veheretur curru; ſic enim contigit, quod Sponſus dixit Cant. 3. v. 9. *Ferculum ſibi fecit Rex Salomon de lignis Libani, columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum, mediâ charitate conſtravit.* Secundum aliquos Interpretes hoc ferculum fuit currus; ſecundum alios, ſella, ſedes vel thronus.; ſecundum alios, aula quædam; ſecundum alios, lectulus. Perinde eſt; Virginalis uterus in Incarnatione fuit factus thronus cœlis ſublimior; facta fuit aula SS. Trinitatis, & lectulus floridus Salomonis; hodiernâ ſolennitate fuit currus: Afferam hac Concione varias cauſas, ob quas tam celeriter abiit per montana.

§. 2. *Maria in utero geſtavit lucem & ſolem.*

Abiit Maria per montana cum feſtinatione: Maria! hoc eſt, pulcherrima & ſpecioſiſſima omnium Virgo, & ſimul mater Filii Altiſſimi. Maria! id eſt, Domina & Regina omnium creaturarum, cœli terræque Imperatrix! Maria! id eſt, mater gratiarum, & pulchræ dilectionis. Talis puella! talis Virgo! talis mater hodierna die, illuceſcente aurora, ſurrexit in Nazareth, & cum feſtinatione per montes Judææ, properavit ad ædes cognatæ Eliſabeth. Super quæ verba Evangeliſtæ pulchrè ait mellifluus S. Bern. *Aſcendit! exſurrexit! portans pretioſiſſimum illud depoſitum; portans onus leve! portans, à quo portabatur!* Similibus fere ver-

mant SS. Patres: *O Virginale uterum, in quo tam arcanum & abſconditum à ſæculis Incarnationis myſterium fuit peractum: in quo utero jam latet Deus abſconditus.* B. Petr. Dam. ſerm. de nat. *Quid grandius Virgine? quæ magnitudinem ſummæ Divinitatis intra ſui ventris clauſit arcanum!* Ob quod pretioſiſſimum depoſitum Chryſippus B. Virginem vocavit: *Arcam pretioſiſſimam, quæ excepit totius ſanctitatis theſaurum.* Methodius: *Arcam vivam, animatam, ac velut propitiatorium in terris.* Bloſius: *Arcam gratiæ, gloriæ, ſanctitatis & Spiritus S.* Quibus poſitis hoc præcipuè obſervandum eſt, quod jubente Moyſe, arca ex lignis incomputribilibus fabrefacta, ornataque & tecta aureis laminis, collocata fuerit, quaſi in medio duorum Cherubinorum, qui expanſis alis illam quaſi ſuſtentantes; ut Cherubini viderentur arcam portare & geſtare; ita ait Nicolaus Lyranus; *ut quaſi portaretur ab ipſis Cherubim, qui erant in extremitatibus arcæ: & proinde arca, etiam geſtantibus Levitis, non fuit valde oneroſa.* Nemo itaque miretur, Mariam hodie abire per montana cum feſtinatione, quæ veluti arca, Deo plena, à Cherubinis & Seraphinis portatur. In Incarnatione, dum facta eſt mater Dei; *Aſcendit* [Pſal. 17. v. 11.] *ſuper Cherubin, & volavit, volavit ſuper pennas ventorum.* Onus, quod geſtavit, non fuit onus vel ſarcina, ſed gaudium, exultatio & conſolatio. Cap. 11. v. 19. dixit S. Joan. *Apertum eſt templum Dei in cælo, & viſa eſt arca teſtamenti ejus in templo ejus.* Dicamus nos hodie de montanis Judææ, &c. p.

§. 5. *Maria machina plena ignibus charitatis, celeriter mota.*

Abiit cum feſtinatione. Aliam cauſam mihi ſuggerunt verba B. Laur. Juſtiniani c. 8. de Carr. *Machinamentis* [à qua ſcilicet animus noſter celeriter movetur,] *eſt vis amoris; quæ eam, dum à mundo abſtrahit, ad alta ſuſtollit.* S. Auguſt. illam machinam vocavit: *Pectus vel cor plenum charitatis.* Ex quibus S. Ambroſius in c. 1. Lucæ infert: *Quò enim Deo,* [id eſt, igne & charitate plena; ſive, quo ardentiſſimum pectus & cor dulciſſimum amantis Virginis] *plena, niſi ad ſuperiora cum feſtinatione contenderet?* dico ego hodie, cur Maria non feſtinaret? ignea & ardens illa machina, ignibus ardentiſſimi amoris. Hugo lib. de charit. *Cito pergere, eſt ardenter amare: per charitatem viam eligis, per charitatem viam*

ligo, in quo cumulavit omnes delicias, deliciarum Dominus. Ob has delicias, puto Beatiſſimam Dei matrem à multis SS. Patribus fuiſſe appellatam cœlum; ſufficiat unica S. Bernardi ad Virginem ſalutatio: *O venter capacior cœlis, diffuſior terris, latior elementis, qui illum continere valuit, quem totus mundus comprehendere non poteſt, & qui tribus digitis terræ molem appendit.* Nolo modo fuſius probare, uterum Virgineum fuiſſe animatum cœlum; tantum addo dictum Richardi à S. Laurentio lib. 7. *Cœlum inenarrabili celeritate continuo circumagitur.* Et illud, quod aſſerit de cœlo ſupremo: *Firmamentum velociſſimè movetur.* Idem planè contigit Dominæ noſtræ; quamprimum utero concepit Deum, veluti cœleſtis & cryſtallinus globus, ſimul Seraphicis accenſus ignibus per montana Judææ, ſe devolvit in ædes Eliſabethæ, ad communicandum illas influentias, de quibus egimus in Concione præterito feſto S. Joannis Baptiſtæ.

Necdum à cœlo poſſum diſcedere, antequam veluti ſcabellũ ſubjiciam pedibus Mariæ, & ſimul confirmem cauſam, ob quam aſſero illam cum feſtinatione abiiſſe per montana Judææ. Cœleſtes genii, cum illam conſpexerunt ita properantem, exclamarunt cum ſponſo ex c. 7. v. *Quam pulchri* (legunt alii, *quam celeres*) *ſunt greſſus tui in calceamentis filia Sion Principis.* Verſus hujus occaſione quærunt Interpretes, quales ergo fuerint calcei Sponſæ, qui oculos Sponſi in tantam rapuerunt admirationem. Et reſpondet citatus Richardus, fuiſſe ornatos hyacinthis, juxta verſum 10. c. 16. Ezech. *Calceavi te hyacintho.* Quæ gemma, cum colorem referat cœleſtem, oſtendit, tales quoque fuiſſe Mariæ pedes leves, agiles, ſuper pennas & alas Cherubim; ideo properarunt, volarunt, feſtinarunt. Maria abiit per montana cum feſtinatione.

§. 8. Calcei quoque ejus fuerunt cœleſtes.

Summum & præcipuum cœli ornamentum ſol, luna & ſtellæ; amplius quid aſſero de Domina noſtra, nimirum non tantum, veluti aliquod cœlum fuiſſe amictam ſole, coronatam ſtellis, ſub pedibus calcantem lunam; qualem illam vidit ſanctus Joannes in Apocalypſi c. 12. v. 1. ſed addo, eſſe ſolem, eſſe lunam, eſſe ſtellam lucidiſſimam, quæ encomia ſtatim efficient,

§. 9. Sol eſt Maria, ideo velox in ſuo curſu.

eandem cum feſtinatione properaſſe per montana Judææ. In Conceptione fuit Sol Oriens, ſine labe peccati originalis, ideoq; ſol pulcherrimus. In nativitate fuit ſol omnia exhilarans, cœlum & terram; In Annuntiatione, dum Filium DEI concepit in utero, ſol fœcundans. In aſſumptione ſol glorioſiſſimus. Dicamus hodie, fuiſſe illam in viſitatione ſolem feſtinantem: ſolis enim natura eſt, ut in curſu ſuo ſit velociſſimus; præſertim, dum lucidiſſimus hic ſol, cum Maria in utero geſtet alium ſolem, ſolem juſtitiæ, ſolem infinitæ pulchritudinis; qui æquè feſtinanter properat, ut dilectum amicum, ut ſuum præcurſorem jacentem in tenebris, pulcherrimis radiis & benigniſſimâ luce celeriter illuminet.

§. 10. *Properat, quia eſt luna.*

Ob admirabilem ſponſæ ſuæ venuſtatem placuit ſponſo de illa dicere, quod fuerit pulchra ut luna, Cant. 6. v. 9. Ex Pſ. 88. v. 38. *Luna perfecta.* Ex mente SS. PP. *Luna plena, nunquam deficiens.* Vel: Luna in nocte, ſive denſis tenebris, in quibus jacent peccatores, quorum Maria eſt mater & refugium. Inter Planetas nullus lunâ eſt terræ vicinior. Domina noſtra, licet veluti Regina, coronata ſtellis, in monte Libano aſſiſtat dexteræ Regis & Filii, exaltata ſuper Cherubin & Seraphin; nihilominus affectu & amore nobis filiis ſuis eſt viciniſſima. Diſcurrendo per ejus feſta, dicamus, in Conceptione fuiſſe lunam novam; in Nativitate lunam ſpecioſam; in Annuntiatione lunam roridam, plenam gratia; in Aſſumptione lunam plenam gloriæ; Hodie in Viſitatione fuit luna ſive lucina, id eſt: *currens indefeſſa per terras, & velox in curſu ſuo.* Item; luna eſt inter omnes Planetas benevolentiſſima, & citius quàm alii Planetæ perficit curſum ſuum. Nunc miramini, Mariam cum feſtinatione properaſſe per montana Judææ ad ædes Eliſabeth. Luna eſt, luna jacet ſub pedibus ejus; inſtar lunæ currit celeriter, ut cito benigniſſimas ſuas influentias communicet Joanni & parentibus ejus, totamque viciniam per montes Judææ repleat gaudio magno.

§. 11. *Rota ſub pedibus Nemeſis.*

Gentiles crediderunt, Nemeſim fuiſſe filiam Juſtitiæ; de qua ut ſignificarent, illam miſſam de cœlo ad puniendum impios, deſcendere celerrimè, *ejus pedibus* [inquit Florus] *ſuppoſuerunt rotã.*

Apage

Apage gentilem Nemeſin, mihi hodie ſermo eſt de amabiliſſima Virgine, de Dei matre Maria, nemo miretur, illam poſt Verbi Incarnationem celeriter ſurrexiſſe, & abiiſſe cum feſtinatione ad ædes Eliſabethæ. Rotas habuit ſub pedibus; rota fuit profunda ejus humilitas, rota fuit ardentiſſima ejus charitas erga proximum; rota fuit flagrans amor erga Deum. Igneæ rotæ fuerunt inflammata ejus ſuſpiria, his acta rotis Maria, pergit cum feſtinatione.

§. 12. Feſtinat Maria, quia eſt ſtella.

Non permittit tempus, ut fuſius oſtendam vel deducam analogias inter Mariam & ſtellam maris, vel ſtellam matutinam in medio nebulæ. In præſenti diſcurſu de cauſis feſtinati itineris Mariæ per montana Judææ, id mihi ſervit, quod de ſtellis ait Majolus in diebus Canic. *Mirabile eſt, ſiderum motum explicare, & curſus velociſſimam accelerationem, nam ſagittas ſuperant, qui in ſuo antevertunt vehementiam globorum, qui ab æneis maximis tormentis, igne immiſſo excluduntur, imo longiſſime excedunt ſua velocitate etiam cæleſtium fulgurum è nubibus emiſſum impetum.* Cui ex vobis diſplicebit, ſi dicam dulciſſimum cor amantis Mariæ fuiſſe electam & accenſam ſagittam amoris, quâ cor ſponſi vulneravit, ſi aſſeram illud benedictum cor fuiſſe machinam repletam igne miſſo de cœlo, ſi affirmam virgineum ejus uterum fuiſſe nubem, ardentibus gravidam flammis; flamma volat, nubes volat, volat ignis, volant per aera ſagittæ, Maria per montana Judææ abit cum feſtinatione.

§. 13. Epilogus ſive brevis repetitio totius Concionis.

Repetite quæſo paucis eximia & pulcherrima elogia Beatæ Virginis Mariæ, quibus hac Concione eam condecoravi; Intima præcordia cordis mei incredibili replentur gaudio, præ lætitia ebullit meus ſanguis, cum oculos meos conjicio in pulcherrimam, illuſtriſſimam & ſplendidiſſimam illam lucem, quâ à Spiritu ſancto irradiata fuit, cum Solem Juſtitiæ concluſit in utero ſuo, cum Verbum in illa caro factum eſt. Non eſt, quod me magis delectat; bene eſt pectori meo, cum aſpicio auream & roridam illam nubem, cum inſpicio auream illam arcam, cui Spiritus ſanctus incluſit theſaurum omnium pretioſiſsimum; Verbum Patris. In Oceano ingentis gaudii natant oculi mei,

dum

dum aſpiciunt Virginem abeuntem per montana Judææ; volantem, volebam dicere, inſtar leviſſimæ nubis. Præ gaudio, non aliud mihi placet canticum laudis, quàm quod Maria decantavit: *Magnificat anima mea Dominum*; qui animam Virginis, veluti cœleſtem machinam, vel currum, vel rotam, vel cryſtallinum globum iis Divini amoris replevit flammis & ignibus, ut ſpecioſiſſima Puella, impoſita alis Cherubim & Seraphim, per montana Judææ ad ædes Eliſabethæ, potius videatur volare, quàm ambulare. Memoria mea plena eſt dulciſſimis cogitationibus; Intellectus meus ſublimibus illuminatur diſcurſibus; voluntas accenditur ſcintillis Mariani amoris, quoties oculis mentis meæ objicio Mariam, veluti cœlum, veluti lunam, veluti ſolem, veluti ſtellam! præſertim in hodierna Viſitatione; ob has ſcintillas, latentes & ardentes in pectore meo, cor jubilat & exultat, lingua mea millies & millies repetit ſuaviſſimas has ſalutationes; O cœli lux! ô aurea nubes! ô dives arca! ô machina amoris! ô pulchra columba! ô cœlum! ô ſol! ô luna! ô ſtella! ô Maria! millies ſalve!

§. 14. *Apoſtrophe ad Auditorem.*

Ad vos denique Auditores amantiſſimi mea ſe ſe convertit Concio. O vos! qui ſedetis in tenebris peccatorum; ad hanc lucem convertite veſtros oculos; invocate Mariam, ſtatim vobis inter veſtras tenebras orietur lux magna. O vos; qui cœleſtes quæritis divitias; O vos! perſequitur leo rugiens, &c. ad hanc arcam confugite. [Amor Mariæ ſuaves, hoc modo, tibi ſuggeret affectus.]

CON-

Digitized by Google

CONCIO LXXV.

FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ.

Vides hanc mulierem?

Lucæ 7. v. 44.

SYNOPSIS CONCIONIS.

SAncta MARIA MAGDALENA ſpeculum; primum turpitudinis; deinde pœnitentiæ & veræ dilectionis erga Chriſtum D. eumque Crucifixum. Miſcentur varia elogia lachrymarum contriti cordis.

§. 1. *Mater Eccleſia nobis proponit varia ſpecula.*

§. 2. *S. Magdalena ſpeculum turpitudinis.*

§. 3. *Magdalena peccavit oculis.*

§. 4. *Peccavit crinibus, ore, unguentis: cum invectiva in malos parentes.*

§. 5. *Sancta Magdalena ſpeculum nitidum.*

§. 6. *Pœnitentia Magdalenæ fuit ſubita.*

§. 7. *Varia encomia lachrymarum contriti cordis ex ſanctis Patribus.*

§. 8. *Proſecutio, lachrymæ illæ ſunt dulces.*

§. 9. *Sunt gratiſſimæ Chriſto Domino.*

§. 10. *Ab his lachrymis pulchritudo animæ.*

§. 11. *Maria Magdalena petra Oreb.*

§. 12. *Maria Magdalena adhærens CHRISTO Crucifixo.*

 Solebat

§. 1. *Mater Eccleſia nobis proponit varia ſpecula.*

SOlebat gentilis Philoſophus Socrates ſuis diſcipulis, ſeu ſpecioſi ii forent, ſeu turpes, proponere ſpeculum, quod intuerentur; pulchris quidem, ne venuſtatem ſuam malis moribus defœdarent; deformibus verò, ut heroicis factis hanc corporis turpitudinem emendarent. Idem facit S. Eccleſia, noſtra magiſtra; per annum proponit nobis vitas Sanctorum, ut in illis velut ſpeculis nos ipſos videamus. Jam proponit ſpeculum fidei in SS. Apoſtolis, modo ſpeculum patientiæ in Martyribus, jam ſpeculum temperantiæ & pietatis in SS. Confeſſoribus, modo ſpeculum puritatis in Virginibus. Hodie proponit nobis peccatricem S. Magdalenam, aitque ad nos ſingulos, quod olim Chriſtus ad Simonem: *Vides hanc mulierem?* aſpicite eam diligenter, aſpicite vos, qui maculati eſtis ſordibus peccatorum, videbitis in illa, quid vobis faciendum ſit. Aſpicite & vos, qui liberi eſtis à peccatis, videbitis & vos nobilium virtutum imagines. Rectiſſimè Chriſtus mulierem hanc nobis propoſuit in exemplum. Nam *à muliere initium factum eſt peccati, & per illam omnes moriuntur,* Eccleſ. 25. v 33. hinc & decuit, ut mulier nobis eſſet exemplar pœnitentiæ. Hoc fine hac Concione & ego proponam vobis Magdalenam, velut ſpeculum. Et primò quidem dicam de hoc ſpeculo, cum adhuc turpe fuit à peccato, & in ſtatu peccati. Secundo videbimus, quale fuerit hoc ſpeculum in ſtatu gratiæ. Tertio, quomodo & quâ ratione hoc ſpeculum ſit mundatum, & ita nitidum factum ſit.

§. 2. *S. Magdalena ſpeculum turpitudinis.*

Vides hanc mulierem? mulieres aſpicere per ſe noxium eſt, ut apparet in Davide, Sampſone, Salomone, qui ſatis id experti ſunt, ideo Job dixit c. 31. v. 1 *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne quidem cogitarem de Virgine.* Verùm S. Magdalenam videre nemini noxium erit; vultis videre ſuperbam, arrogantem, faſtuoſam mulierem? videte Magdalenam; an vanitati deditam & levitati? videte Magdalenam; an mulierem à ſeptem dæmoniis aut ſeptem peccatis mortalibus obſeſſam? talis fuit Magdalena. Ipſi in plateis parvuli hinc inde intentis in eam digitis exclamant, ecce, hæc illa eſt ſpecioſa Maria, ut ingreditur exerto collo, elatâ cervice: [ex Iſa. c. 3. v. 16.] vides hanc mulierem? ut abutatur ſub-

ſtantiis

ſtantiis ſuis, ſpecie ſua, flavis capillis, eloquentiâ ſuâ in delectationem carnis; periculoſa muſcipula diaboli, &c. [Eſt locus pro pulchra invectiva in luxum veſtium.]

Quatuor rebus maximè abuſa. Primo oculis. Secundo capillis. Tertio ore. Quarto unguento. Oculorum curioſitas eſt periculoſa, hi fuerunt laquei & retia, fuerunt oculi baſilisci, pleni veneno, fuerunt igneæ ſagittæ, fuerunt labyrinthi, in quibus multi perdiderunt animas ſuas. Pluribus id probare exemplis poſſem, unum ſufficiet de Sampſone, &c. [vide Judic. 14.] Ideo S. Ephrem, cum fœmina illi occurreret, aſpexit continuò terram, memor mortis, inferni, ne oculis peccaret. Si feciſſet & hoc Sampſon, non fuiſſet lapſus tam turpiter, ſi feciſſet Magdalena, &c. ſi facerent adhuc hodie multi juvenes & virgines, non tot probra, non tot adulteria, &c. committerentur, vel opere ipſo vel corde - nam, ut ait Chriſtus, *qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam.* Tot ſcelera commiſit Magdalena oculis, ut potuerit dicere cum Jeremia Thren. 3. v. 51 *Oculus meus deprædatus eſt animam meam.* Qui veſperi portas & feneſtras benè occludit, is tutus dormiet, & ſecurus à furibus. Oculi noſtri ſunt portæ, ſunt feneſtræ, has occludamus. Mors intrat per feneſtram. §. 3. *Magdalena peccavit oculis.*

Vides hanc mulierem? videre vultis, ut abuſa fuerit flavis capillis? quot horas eam ſtetiſſe quotidie putatis ad ſpeculum, ut videret an omnia compta: accedere oportebat famulas, crines jam flectere, jam reflectere, &c. Quid dicam de ore? hoc non uſa eſt ad laudem Dei, ad orationem, ſed ad turpia dicta, impuras cantiones, obſcœna oſcula! Quid de unguentis? quibus corpus unxit, ut mundo placeret? ſumma, ſpeculum erat omnis turpitudinis, & rete ac laqueus multorum. Mirari quis poſſet illam Magdalenæ impietatem, cum frater ejus Lazarus, ac ſoror Martha tam addicti fuerint cultui Divino? unde ergo tanta ſeductio Magdalenæ? ego certè parentes incauſa fuiſſe exiſtimo, vel ſi hi jam mortui fuerint, tutores. Quod ſi hi maturè inſpexiſſent in mores Magdalenæ, ſi domi cohibuiſſent, ſi ſuperbiam perhibuiſſent, ſi malas ſocietates, ſi libertatem evagandi & ſimilia impediiſſent, forte Magdalena non ita contaminata fuiſſet. §. 4. *Peccavit crinibus, ore, unguentis. cum digreſſione ad malos parentes.*

ſet. Verùm, quia licuit illi ire quò licebat, quia nemo oblocutus; ideo facta eſt meretrix. Unde quæſo hodie adhuc tam multæ impudentes filiolæ? ſuperbæ, &c. parentes plerumque ſunt in cauſa, ſed revertor ad Magdalenam.

§. 5. S. Magdalena ſpeculum nitidum.

Vidimus ſpeculum inquinatum, nunc & mundum & nitidum videamus. Vides hanc mulierem? vultis videre taciturnam, modeſtam ac tranquillam mulierem? videte Magdalenam; an afflictam, triſtem, dolentem de peccatis? videte Magdalenam; an verum pœnitentiæ ſpeculum? tale eſt Magdalena. Videtis ut currat, nulla illi quies, abjicit catenas aureas, veſtes, gemmas, annulos, &c. induit ſe nigro pœnitentiæ amictu; flens & plorans, ubique interrogat, ubinam ſit dilectus? - *adjuro vos filiæ Jeruſalem, indicate mihi, ubi inveniam, quem diligit anima mea. Surgam, & circuibo, &c.* Cant. 3. verſ. 2. Ut audivit, eum eſſe in domo Simonis, cucurrit, penetrat in ipſum uſque conclave, in quo Chriſtus menſæ accubuit, proſternit ſe humum, incipit lachrymis rigare pedes Chriſti, crinibus tergere, unguentis ungere. Vides hanc mulierem? videte, ut vulnerata ſit amore Dei, videte, ut cor ejus læſerit Chriſtus. Videte, ut illa, quibus uſa eſt hactenus ad vanitatem, jam convertat ad laudem Dei, oculos, crines, os, unguenta. Videte humi proſtratam, videte ingemiſcentem, trahentem ſuſpiria, quæ vocem intercludunt. O mulier! magna eſt velut mare contritio tua? Mulier, quid ploras? ajebat Angelus, poſt reſurrectionem. Nos ſic modo dicere poſſumus: Magdalena, quid ploras? an forte mortuus eſt frater tuus Lazarus? an caſtellum Magdalum ignis corripuit? an ablatæ tibi ſunt opes, gemmæ tuæ, aurum, argentum? ah! reſpondet illa, non eſt ea doloris mei cauſa, non mortuus eſt frater meus Lazarus, ſed miſera anima mea, illa mortua eſt! Caſtellum Magdalum ignis non corripuit, ſed ego ſceleratâ meâ me vitâ in æternum ignem conjeci, auro & argento ſpoliata non ſum, ſed ſummo bono - Et quæritis, quid plorem? an non plorarem, multos ad ruinam perduxi ego, abuſa ſum pulchritudine corporis, quâ Deo ſervire debueram, ſervii diabolo. Et quæritis, quid plorem? quis dabit oculis meis fontem lachrymarum, Thren. 1. O ſi vertantur oculi mei in aquas!

Videtis

Videtis hanc mulierem? videte, quomodo deploranda ſint peccata? Magdalena primâ vice audivit aliquid de inferno, in prima Concione de ira Dei, de turpitudine peccati, & tamen ita plorat, nos toties audivimus, legimus, didicimus, deploranda eſſe peccata, pœnitentiam agendam, & quid facimus? poſt peccatum dicimus, nihil mali feci, non cogitamus de lachrymis. Heu dolor! ô Domine Jeſu, qui emolliiſti cor Magdalenæ, rogamus te, emolli etiam noſtra lapidea corda, auffer à nobis cor lapideum, & da nobis cor carneum, ſicut promiſiſti populo tuo, Ezech. 36. v. 26. Mirabilem mutationem! ſentina peccatorum, & dæmoniorum habitaculum, ſubitò effectum eſt depoſitarium cœleſtium donorum, titio inferni mutatus in Seraphinum, lutum immundum in vas cryſtallinum. Probabile eſt, Magdalenam ſubito fleviſſe, tam vehementer, ut probabile ſit, notos dixiſſe; videte, quid agit noſtra Magdalena; probabile aliquos acceſſiſſe, dixiſſe, quid hoc Magdalena? &c. reſpondit cum Iſaia in caſu lamentabili: *Recedite à me, amarè flebo, Nolite incumbere, ut conſolemini me.* Occaſione lachrymarum Magdalenæ. §. 6. *Pœnitentia Magdalena fuit ſubita.*

Præclara dicunt SS. PP. de lachrymis pœnitentis. Conciliant enim peccatorem Deo. S. Ephrem. ſer. 3. de comp. *O lachrymarum vis, quouſq; pertingis, quæ multa cum fiducia nullis impedita retinaculis ipſum cælum penetras! O lachrymarum potentia, quomodo in ictu oculi quaſi præpetibus ſublata pennis in cælum aſcendis, & poſtulata à Deo ſancto obtines, accurritq; tibi hilariter indulgentiam, ac remiſſionē peccatorum deferens - O Domine, largire lachrymas - ut magnum illud delictorum meorū chyrographū modicis lachrymis deleatur, ignisq; ardens ibi exiguo fletu extinguatur. - O virtutem lachrymarum, quæ medicinalis officina es peccatorum - & - O quantum gaudium eſt in cælis, ſimul ac peccator in terra lachrymas profuderit.* S. Ambr. de B. Magd. *Bonæ lachrymæ, in quibus eſt redemptio peccatorum.* S. Bern. poſtquam multis ſororem fuit hortatus ad lachrymas; ſubdit cauſam, *ſic acquire tibi tuorum remiſſionem peccatorum* - lugeas peccata, ut conſolari merearis in cœleſti patria. §. 7. *Variæ encomia lachrymarum contriti cordis ex SS. Patribus.*

B. Antiochius h. 107. de comp. *Rorulentæ aſpergines lachrymarum, ut dulcor mentis ſunt cordi, aut ſuave fragrans thymiama apud Deum.* Divus Auguſtinus l. 10. confeſſ. c. 28. *Contendunt læ-* §. 8. *Proſecutio, Lachrymæ illæ ſunt dulces.*

Digitized by Google

titia mea flenda, cum lætandis mœroribus meis, & ex qua parte conſtet victoria, neſcit. Divus Chryſoſtomus: *Nulla res eſt æquè jucunda, atque luctus, qui ex Deo eſt.* [ſcilicet ob peccata] Sanctus Auguſtinus in Pſ. 127. *Dulciores ſunt lachrymæ orantium, quàm gaudia theatrorum.*

§ 9. *Sunt gratiſſimæ Chriſto D.* Lachrymæ hæ gratiſſimæ ſunt Chriſto Domino Pſalmo 55. *Poſuiſti lachrymas meas in conſpectu tuo.* Symmachus: *Poſuiſti lachrymas meas intra te.* Canticorum capite 5. verſu 2. ait Sponſus: *Aperi mihi ſoror mea, &c. quia, &c.* Paraphraſis Chaldaica: *Capilli capitis mei pleni ſunt lachrymis tuis, & cincinnus cæſariei meæ repletus eſt guttis oculorum tuorum.* Ecce lachrymæ pro peccatis effuſæ, ſunt Chriſto Domino gemmea corona; ideoque Chriſtus Dominus eſt conciliator harum lachrymarum, teſte ſancto Ambroſio libro 3. hex. capite 5. *Sol radiis ſuis è mari trahit aquam, ſed puram, ſplendidam, lucidam, dulcem; ita Chriſtus Dominus verus ſol juſtitiæ, ex mari peccatorum, ex corde contrito trahit lachrymas.*

§. 10. *Ab his lachrymis pulchritudo animæ.* Ab his lachrymis provenit pulchritudo animæ. Unde Canticor. cap. 1. verſ. 4. ait Sponſa: *Nigra ſum, ſed formoſa*; nigra, propter præcedentia peccata, formoſa, ob ſubſequentes pœnitentiæ lachrymas. Divus Chryſoſtomus in hunc verſum 4. *Si qua anima peccatis eſt denigrata, ne timeat; tantummodo ſit ſollicita de lachrymis*; cum ſanctus Chryſoſtomus deſcripſiſſet lachrymantem Davidem, ſubdit hom. 30. in Geneſin: *Quid oculis illis formoſius? perpetuo lachrymarum imbre, & quaſi margaritarum decore ornatis.* De lachrymis ſancti Pauli ait in epiſt. ad Coloſſ. *Si quis nobis lachrymantem & ingemiſcentem Paulum oſtendiſſet, an non melius fuiſſet eum videre, quam mille choros ſplendidè coronatorum.* [Applica hæc antro plorantis Magdalenæ.] Pergit ſanctus Chryſoſtomus: *Hoc ſenſu, propone tibi pulcherrimam creaturam, tamen mallem videre lachrymantem Paulum*, dat cauſam, *pulchritudo quippe ſpiritalis ab illius oculis relucebat.* Ideo Magdalena ita placuit oculis Chriſti Domini. Divus Gregorius hom. 33. in Evang. *Ad Phariſæi prandium Dominus diſcumbebat, ſed apud pœnitentem mulierem mentis epulis delectebatur; apud Phariſæum*

paſcebatur

paſcebatur foris, apud mulierem paſcebatur intus: plus mulier pœnitens paſcebat intus, quàm Phariſæus foris. Petrus Chryſ. *Pœnitentia ponit menſam, fercula compunctionis apponit, panem doloris infert, potum lachrymis temperat in menſura.* S. Petrus Chryſol. ſermone 93. *DEVS delinquentium gemitus eſurit, ſitit lachrymas peccatorum.* [Applicanda hæc affectuoſe ſanctæ Magdalenæ.]

Ita in Magdalena renovatum fuit ingens miraculum petræ Oreb, cujus Regius Pſaltes quater in Pſalmis facit mentionem. Pſalmo 77. verſu 20. Pſalmo 104. verſu 41. Pſalmo 106. verſu 35. Pſalmo 113. verſu 8. *Qui convertit petram in ſtagna aquarum, & rupem in fontes aquarum.* Sapientiæ capite 11. verſu 4. hæc petra vocatur altiſſima; *Sitierunt, & invocaverunt te, & data eſt illis aqua de petra altiſſima*; ſive omnibus conſpicua. Deuteron. cap. 8. verſ. 15. duriſſima: *Qui eduxit rivos de petra duriſſima*; unde ſanctus Hieronymus ait: *Scilicem in fontes aquarum, ut tactus, ſcintillis eſſet aptior, quàm aquis: percuſſa nihilominus hæc petra, à virga Moyſis, dedit aquas uberrimas.* Ingens quoque fuit miraculum, quod eadem petra ſtillans aquis, populum præeuntem per deſertum fuerit ſecuta, 1. Corinth. cap. 10. v. 4. *Conſequente eos petrâ.* Talis petra erat Magdalena; altiſſima, ſublimis, arrogans, omnibus conſpicua; Ecce peccatrix erat duriſſima, rebellis Divinis inſpirationibus, aptior ignibus concupiſcentiæ, quàm flammis Divini amoris; Verùm, quamprimum lingua CHRISTI Domini horrendo fulmine Divini judicii tetigit cor ejus, dedit uberrimas lachrymas pœnitentiæ, & illas concepit flammas Divini amoris, ut ſtatim exſurgens, fuerit inſecuta CHRISTUM Dominum. Hic, *in nebula* (Job capite 38 verſu 34.) *elevavit vocem ſuam*; in ferventi ſcilicet Concione, ad quam Martha deduxerat ſororem Magdalenam; *& impetus aquarum operuit eam.* Nam lachrymæ ejus tam fuerunt uberes & copioſæ; tantâ velocitate ebullierunt ex fonte cordis contriti, per rivulos gementium oculorum; illâ copiâ defluxerunt per purpureas genas, ut potuerint vocari

§. II. *Maria Magdalena petra Oreb.*

vocari: *impetus aquarum*; ex duriſſimo paulò ante ſaxo & lapide.

§. 12. *Maria Magdalena adhærens Chriſto Crucifixo.*

Et ita deinceps à CHRISTO Domino dilecto ſuo Magiſtro ſeparari non potuit, etiam, dum inter latrones penderet in cruce. Origines: *Maria Magdalena CHRISTVM ſuper omnia diligendo, diſcipulis fugientibus, eum ad mortem euntem ſequebatur; ac veri amoris igne ſuccenſa, nimio ardens deſiderio, à monumento non recedebat.* Ita oſtendit, quantum amaret CHRISTUM Dominum. Antipater ita depinxit veram amicitiam vel amorem. Vetuſtam arborem, aridam, viduatam foliis, fulmine tactam, ex media parte ignibus aduſtam; juxta pulcherrimam vitem, quæ ſuis ramis & foliis ſpoliatum truncum ambit, amplectitur, & quaſi veſtit, juxta illud Ovidii:

Vidi ego pampineis ornatam vitibus ulmum,
Quæ fuerat ſævo fulmine tacta Iovis.

Talis fuit arbor vel truncus & aridum lignum ſanctæ Crucis, cum in monte Calvariæ in illa pependit CHRISTUS Dominus Salvator mundi, ob peccata populi ſui percuſſus & tactus fulmine Divinæ Juſtitiæ, inter graviſſima tormenta. Sed! non fulmina! non flagra! non ſpinæ! non clavi! Mariam Magdalenam ab illa potuerunt ſeparare; crines expandit veluti ramos, brachia veluti folia, quibus Chriſtum in cruce fuit amplexata.

CON-

CONCIO LXXVI.

FESTO S. JACOBI APOSTOLI.

Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum.

Matth. 20. v. 22.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EXponit textum hodierni Evangelii; cum variis moralibus documentis.

§. 1. *Exordium ſumitur à dicto Marii, ſeptimùm Romani Conſulis.*

§. 2. *Quando mater filiorum Zebedai acceſſerit Chriſtum Dominum.*

§. 3. *Quomodo ſe humiliaverit, ſed ex ſpiritu ſuperbia.*

§. 4. *Ejus petitio fuit initio univerſalis.*

§. 5. *Quam jubente Chriſto D. clarius debuit explicare.*

§. 6. *Chriſtus D. matri & filiis objicit triplicem ignorantiam & errorem.*

§. 7. *Proſecutio.*

§. 8. *Vitia petitionis matris filiorum Zebedai alio modo proponuntur.*

§. 9. *Calix Babylonica meretricis.*

§. 10. *Calix aterna damnationis.*

§. 11. *Calix Paſſionis Chriſti.*

§. 12. *Calix adverſitatum.*

§. 13. *Scyphus Joſephi ſignum amoris erga fratres.*

§. 14. *Similiter calix Chriſti erga electos.*

§. 15. *Connexio hujus calicis cum cœleſti gloria.*

§. 16. *Pactum Chriſti D. cum ſuis hæredibus.*

§. 17. *Quare omnia Chriſti Do-*

mini membra ſudaverint ſanguinem.

§. 18. *In fine Evangelii Chriſtus Dominus ſuis Diſcipulis pro ſolatio promittit Regnum cælorum.*

§. 1. *Exordium ſumitur à dicto Marii, ſeptimùm Romani Conſulis.*

MArius, ſeptimùm Romæ Conſul, aliquando fuit auditus dicere, [ut refert Saluſtius de bello Jugurt.] *Non poſſum imagines - neque triumphos aut conſulatus majorum meorum oſtentare; at ſi res poſtulet, haſtas, vexillum, phaleras, aliaque militaria dona; præterea cicatrices adverſo pectore acceptas; hæ ſunt meæ imagines; hæc mea nobilitas.* Ita jam apud Romanos mutila membra, hiantes plagæ, cruenta vulnera & fuſus in præliis cruor fuerunt via ad veram nobilitatem. Hanc viam ad regnum cœlorum tenuit Chriſtus Dominus Salvator noſter; ſignum ejus præclarum, inſigne, cruentum fuit ſanctiſſima crux! *Signum pretioſius*, [inquit S. Auguſtinus in Pſal. 32.] *ſignum crucis pretioſius, quàm qualibet gemma diadematis.* Hanc viam ad Chriſtianam nobilitatem & cœleſtem gloriam tenuêre glorioſi Chriſti pugiles & athletæ ſub labaro crucis, glorioſi Apoſtoli, inter quos S. Jacobus, cujus feſtivitatem agimus, dicere poteſt; non poſſum oſtentare triumphos; non poſſum gloriari de ſubactis mundi hujus regnis; ſed vexillum crucis, ſub quo pugnavi; ſed cruentum gladium, qui vitam mihi abſtulit, ſed hians in collo vulnus, ſed ebullientem cruorem poſſum oſtendere; de his poſſum gloriari. Hæc mea nobilitas. Hanc viam clarius nobis in hodierno Evangelio exponit Chriſtus; prout à me in præſenti hac Concione favente Spiritus ſancti gratiâ fuſius explicabitur.

§. 2. *Quando mater filiorum Zebedæi acceſſerit Chriſtum.*

Tunc [ait ſacer Textus] *acceſſit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis, adorans, & petens aliquid ab eo.* Magna emphaſis latet in vocula, *Tunc.* Tunc, id eſt, cum Chriſtus Dominus immediatè ante dixiſſet: *Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum. Cum*, cum gemitu dixiſſet, *condemnabunt eum morte, & tradent gentibus ad illudendum, & flagellandum & crucifigendum.* Animæ piæ, cum ego hæc triſtiſſima myſteria Paſſionis cogito, vel lego, vel dum de illis loquor, plerum-

plerumque cor meum ſe ſe ſtatim effundit in piiſſima ſuſpiria; Bone Jeſu! ago tibi gratias pro amariſſima tua Paſſione. Bone Jeſu! atrociter flagellate! doleo, quod unquam te offenderim! Bone Jeſu! per mortem crucis; propitius eſto mihi peccatori. Rogo, inquam, vos animæ piæ; celeriter & paucis verbis contriti & amantis cordis, in ſimilia vos effundite deſideria & ſuſpiria, ſed redeo ad meum Textum.

§. 3. *Quomodo ſe humiliaverit, ſed ex ſpiritu ſuperbiæ.*

Tunc cum Chriſtus D. loquitur de inſtanti ſua Paſſione, venit mater cum filiis, & inprimis adoravit Dominum. Hic eſt genius ſuperbiæ, ut altiorum dignitatum ſubeat gradus, ut excelſos obtineat honores, ut ſedeat ad dexteram Regis in aulis hujus mundi; ut veſtiatur purpurâ, ut inprimis quieſcat ſubſelliis; ſcit varias artes, induit diverſiſſimas larvas, ſub quibus ſe ſe profundiſſimè demittit, & ſi opus ſit, ut aſſurgat, ad aliorum pedes ſe proſternere. Monent tamen nos aliqui ſancti Patres, ut huic matri non nimium indignemur; matribus enim innatum eſt, ut deſiderent, filios ſuos fieri magnos; adeo, ut mater Neronis, dum audivit à vate, imminere illi cruentam mortem, ſi filio tradatur ſceptrum Romani Imperii, auſa fuerit dicere: *Occidat, perimat, interficiat matrem, dummodo imperet*. Tanta eſt matrum, vel ambitio, vel amor erga filios, ut ſublimes obtineant dignitates. Talis fuit mater filiorum Zebedæi.

§. 4. *Ejus petitio fuit initio univerſalis.*

Inſinuat ſacer textus, matris petitionem initio fuiſſe univerſalem; nam S. Matthæus ait: *Petens aliquid ab eo*. S. Marcus ſic habet: *Magiſter volumus, ut quodcunque petierimus, fiat nobis*. Ecce aliam larvam petitionis! ingenioſa, ſubtilis, verſipellis, politica eſt ſuperbia; habet artes & larvas, quibus tegat excelſas petitiones, & intentiones & deſideria, quæ animo volvit. Sed Chriſtus Dominus, cujus oculis nihil abſconditum, ſtatim juſſit illam larvam deponere, & clarè edicere, quid petat, dicendo: *Quid vis?*

§. 5. *Quam jubente Chriſto D. clarius debuit exponere.*

Nunc audite eloquentiam fœminæ; dum diſſimulationis larvam coacta fuit deponere, ſatis audax in petendo [quales fœminæ eſſe ſolent] dicit: *Dic*, hoc eſt, manda, præcipe, ſtatue, rem ita diſpone: *ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam,*

& unus ad ſiniſtram in Regno tuo. Quæ verba, vel quam matris petitionem ita exponit: Volebant, ut ego conjicio, quoniam ſuper duodecim ſedes, ſeſſuros Diſcipulos audiverunt, primatum hujus conſeſſus impetrare; & præponi ſe quidem cæteris, præterquam Petro ſciebant; Petrum verò ſibi præferri formidantes, dicere auſi ſunt, dic ut unus à dexteris, alter à ſiniſtris ſedeant. Prudens mater petit tria, quæ matres favent filiis; ſeſſionem ſive quietem, divitias & honores. Primum videtur didiciſſe à Rebecca, quæ Geneſ. 27. v. 13. & ſeq. valde fuit ſollicita pro amantiſſimo filio Jacobo, ut præ fratre Eſau obtineret jus primogenituræ, & cum hac omnem felicitatem & quietem. Petitionem alteram laudavit S. Paulus 2. Corinth. 12. v. 14. *Debent parentes theſaurizare filiis ſuis.* Quoad petitionem tertii ſive dignitatum habuit exemplar in Berſabee, l. 3. Reg. 1. v. 16. quæ cum audivit Adoniam proclamatum Regem Iſraelis, ſtatim ingreſſa eſt ad Regem, & inclinavit ſe, & adoravit eum, & ſuaviſſimis verbis regnum & ſceptrum obtinuit pro Salomone. Itaque Rebecca vel Berſabee fuit mater filiorum Zebedæi.

§. 6. *Chriſtus D. matri & filiis objecit triplicem ignorantiam & errorem.*

Reſpondit matri & filiis Chriſtus D. *Neſcitis, quid petatis?* His verbis Salvator noſter illis objecit triplicem ignorantiam vel errorem. I. *Neſcitis?* quaſi diceret: adverto vos ignorare, quale ſit regnum meum; putatis eſſe terrenum, caducum, tranſitorium, qualia ſunt regna hujus mundi, & erratis, regnum meum non eſt de hoc mundo; meum regnum erit in cœlis, & ſempiternum, in quo nulla erit ambitio. II. *Neſcitis, quid petatis?* quia rem magnam petitis incongruo tempore; & erratis, quod debitum non ſervetis ordinem. *Nam* [inquit ſanctus Chryſoſtomus,] *vos de honore loquimini, de victoria, de triumphis, de mercede; ego verò de agonibus & laboribus diſputo; non eſt enim hoc præmiorum tempus, ſed occiſionis, præliorum & periculorum.* Accedit, quod vobis videatur, deberi vobis hunc primatum jure ſanguinis, quod cognati mei ſitis; ſed erratis, meum regnum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Præterea dilecti mei cognati; ego vos elegi & vocavi ad paupertatem, ad humilitatem, ad perferendas perſecutiones, ad crucem; & vos loqui vultis de honoribus,

ribus, de commoditatibus, de primatu in regnis hujus mundi. Verè neſcitis, quid petatis.

III. Neſcierunt ambo Apoſtoli cum matre ſua, quid peterent, & errarunt, quia petierunt honores & primatum in regno hujus mundi. Hic enim honor eſt bonum fragile & caducum; cum boni nomen non mereatur, niſi quod eſt æternum. Aptè meo judicio inſignis pictor depinxit honorem in forma ſpecioſiſſimæ virginis, amictam purpura, coronatam floribus & gemmis, radiantem auro, cum regio ſceptro in manibus, ſed pectus & pedes illi dedit ex vitro, ad ſignificandum, corpus tam pulchrum, tam ornatum debili inſiſtere fundamento, ut facillimè frangi & ruere poſſit. D. Paulinus in epiſt. ad Romanianum: *Quamvis enim honor ſinu quempiam excipiat, toto in eum favore prona, tamen vitri inſtar, ſinus ille mox frangitur, in quo ſe homines beatos eſſe putabit.* Quiſquis tale petit vitrum, neſcit quid petat. Et, *quid eſt honos? onus*; reſpondent ſancti Patres. Divus Paulinus: *Blandum nomen ſpecioſa ſervitus.* Sanctus Bernardus: *Ambientium crux.* Sanctus Antoninus: *Spina.* Et addit de Adriano III. Pontifice Maximo: *Pontifice nemo eſt miſerabilior; conditione ejus nulla deterior. Spinoſa eſt cathedra Pontificis, tantaque molis, ut robuſtiſſimos premat, terat, & comminuet humeros.* Valerius Maximus libro 7. capite 2. de quodam, dum in Regem eligeretur, ait: *Hic diadema ſibi traditum, antequam capiti imponeret, diu conſideravit, tandem dixit: O nobilem magis quàm felicem pannum, quem ſi quis penitus agnoſcat, quàm multis ſollicitudinibus, periculis ac miſeriis ſit refertus, ne humi quidem jacentem tollere vellet*; quod in agone tandem agnoverunt ſapientiſſimi Hiſpaniarum Reges: Philippus Secundus & Philippus Tertius. Si itaque Jacobus & Joannes à CHRISTO Domino petiverunt fragile vitrum, grave onus, ſpecioſam ſervitutem, pungentes ſpinas; bene ſine dubio Chriſtus Salvator illis reſpondit: *Neſcitis quid petatis.* §. 7. *Proſecutio.*

Nobilis Concionator Petrus de Palude ait, petitionem matris & filiorum fuiſſe vitiatam, ob turbatum ordinem, ob carnalitatis intentionem, & materiæ, quam petierunt vanitatem. §. 8. *Vitia petitionis matris filiorum Zebedæi, &c.*

Digitized by Google

Ordinem turbarunt, dum petunt gaudium ante dolores. Sed quid ait David Pſ. 125. v. 5. *Qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent*: Luctus debet præcedere gaudium. Petunt denarium diurnum ante laborem; ſed quid ait Chriſtus D. Matthæi 20. v. 8. *Voca operarios, & redde mercedem illis.* Volunt coronam ſine pugna, ſine vulneribus, ſine ſanguine; ſed S. Paulus ait 2. ad Timoth. 2. v. 5. *Nullus coronabitur, niſi legitimè certaverit.* Volunt bravium, & non cucurrerunt. Sed quid dicitur 1. Corinth. 9. v. 24. *Currite, ut apprehendatis.* Quicunque cum filiis matris Zebedæi in ſuis petitionibus hunc ſervant ordinem, præſertim, ſi accedant carnalitatis intentio, & materiæ vanitas, illis inquam bene dicitur, quod neſciant, quid petant.

§ 9 *Calix Babylonicæ meretricis.* Poſtquam Chriſtus D. hos errores ſuis Diſcipulis ob oculos poſuit, ait ad illos: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum.* Duplicem potiſſimum calicem reperio in ſacris literis; alterius mentionem fecit S. Joannes in Apocal. 17. v. 3. & ſeq. *Vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam - & erat circumdata purpurâ, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioſo, & margaritis, habens poculum aureum in manu ſua, plenum abominatione, & immunditiâ fornicationis ejus.* Talis meretrix eſt hic mundus, adultera eſt caro, pater utriuſque eſt diabolus & infernalis Lucifer, qui ſuis aſſeclis hunc calicem propinant; neque opus eſt, ex multis quærere, an poſſint bibere, quia actu bibunt iniquitatem ut aquam; contaminati abominatione graviſſimorum ſcelerum.

§. 10. *Calix æternæ damnationis.* Sed, ô vos miſeros! audite impii, qui in hoc mundo bibitis ex aureo calice meretricis magnæ; in altera vita paratus eſt vobis calix, de quo David ait Pſal. 10. v. 7. *Pluet ſuper peccatores laqueos, ignis & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum.* Hunc calicem Iſaias c. 51. v. 17. vocat *Calicem iræ ejus.* verſ. 22. *Calicem indignationis Dei.* Jeremias c. 25. v. 15. *Calicem vini furoris.* Ezechiel c. 23. v. 33. *Calicem mæroris & triſtitiæ.* In his omnibus hoc obſervandum eſt, Regium Pſaltem & hos Prophetas graviſſima inferni tormenta; ignem, calorem, frigus, tenebras, famem, ſitim; verbo, quidquid miſeri damnati in inferno patiuntur; adhæc iram, furorem & indignationem; vocari tantum

tum partem hujus calicis; eò, quod miſeri æternum bibent hunc calicem, & tamen in omnem æternitatem, ſemper ardendo, ſemper patiendo non exhaurient. O mi amantiſſime Jeſu! tranſeat à me & meis Auditoribus hic calix.

Ut tranſeat, in hoc mundo, dum vivimus, conari volumus, ut bibamus calicem Chriſti; id eſt, ſacro-ſanctæ ſuæ Passionis, de quo ait Pſalmus 22. v. 5. *Calix meus inebrians, quàm præclarus eſt.* Pſal. 115. v. 13. *Calicem ſalutaris accipiam.* Scio, hæc poſſe intelligi de calice Euchariſtico, in quo Chriſtus D. ſuum ſanguinem nobis propinat; verùm textui hodierni Evangelii congruentius eſt, quod Chriſtus D. locutus fuerit, de quo poſtea dixit in monte Oliveti: *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte!* calix iſte, id eſt, tam gravia tormenta, quæ video mihi eſſe parata; calix iſte, id eſt, funes, flagra, ſpinæ, clavi. Calix iſte; id eſt, ignominioſa mors crucis; quam dum ſuſtinuit, ebibit calicem, quem Pater cœleſtis illi præparaverat. Cum itaque Chriſtus Dominus Diſcipulis dixit: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum*; hoc voluit dicere: dilecti Diſcipuli, quæritis & petitis primatum in meo regno; ego, ut illud obtineam, dedebo pati gravisſima tormenta; ecce aſcendo Jeroſolymam, ut tradar gentibus, &c. moriendum mihi erit in cruce; hoc modo Pater meus diſpoſuit mihi regnum; ſi putetis idem vos poſſe præſtare; ſi mecum vultis pati, ſi laborare, ſi vitam & ſanguinem profundere; bene ſperate; eritis magni & glorioſi in Regno meo. §. 11. *Calix paſſionis Chriſti.*

Hunc calicem, etiamnum hodie nobis propinat, quoties permittit, nos premi aliquâ adverſitate, v. g. premit te egeſtas; & non tantum in magna patientia, ſed cum gaudio Jeſu Salvatori tuo agis gratias? bibis calicem Pasſionis. Æger es? jaces inter ſpinas; & patientia tua illas carpit, & colligit veluti roſas? bibis calicem pasſionis Chriſti. Urgent te tui hoſtes? hoccine te intendunt, ut humeris tuis imponant gravem crucem? ut maledictis, convitiis, contumeliis, veluti clavis te affigant, & ultro offers manus? bibis calicem Pasſionis Chriſti. [Hoc modo fieri poterit pulchra inductio, accommodata ad præſentes Auditores.] Talis eſt illa ovicula, de qua ait lib. 2. Regum capite 12. §. 12. *Calix adverſitatum*

verſu

verſu 3. *Ovicula parvula de pane illius comedens, & de calice ejus bibens.*

§. 13. *Scyphus Ioſephi ſignum amoris erga fratres.*

Quem calicem, dum Chriſtus D. nobis propinat, id facit, ut ingentem ſuum erga nos demonſtret amorem, licet calix iſte, quem bibere debemus, nobis videatur felleus, & valde amarus: licet experiamur & ſentiamus flagra, ſpinas & clavos. Figuram habemus Geneſ. 44. v. 2. dum fratres Joſephi cum frumento redire volunt ad patrem, præcepit Joſeph diſpenſatori domus ſuæ, dicens: *Imple ſaccos eorum frumento; pone in ſummitate pecunias, quas ſolverunt; ſcyphum autem meum argenteum pone in ore ſacci junioris: factumque eſt ita.* Urbem exierant, cum juſſu Joſephi famuli illos inſequuntur, cum acri invectiva: *Quare reddidiſtis malum pro bono! ſcyphus, quem furati eſtis, ipſe eſt, in quo bibit Dominus meus - peſſimam rem feciſtis.* Conſternati omnes ſtatim ferunt ſententiam, verſ. 9. *Apud quemcunque fuerit inventum, quod quæris, moriatur.*! Aperiuntur ſacci per ordinem, à majore uſque ad minimum, id eſt, Benjaminum, & in hujus ſacco repertus fuit ſcyphus; qualis conſternatio? qualis metus? quæ anguſtiæ? quis timor? reducuntur ad Joſeph; non aliud cogitantes, quam mortem vel perpetuam ſervitutem. Omnium cauſa Regius ſcyphus. Luctuoſa tragœdia mox converſa fuit in comœdiam. Joſeph tandem ultra non potuit ſe continere, ſed cum fletu & lachrymis dixit c. 45. v. 3. *Ego ſum Ioſeph! accedite ad me, ſum frater veſter, nolite pavere.* Ego juſſi ſcyphum meum imponi ſacco dilecti Benjamini, ut terrerem, ut affligerem vos; non ex vindicta, de qua non cogito, ſed ut tandem oſtendam, quàm vos amem; ſum Joſeph! ſum frater veſter! luctus, gemitus, anguſtiæ, lachrymæ! momento omnia converſa fuerunt in gaudium, lætitiam, riſum & jubilationem.

§. 14. *Similiter calix paſſionis Chriſti.*

Animæ piæ! cœleſtis Joſeph eſt Chriſtus D. Salvator noſter; frater noſter eſt; amat nos, diligit nos! ſed tum ſumus Benjamini, tum nos amat tenerrimè, cum ſuum ſcyphum, cum calicem paſſionis quaſi includit cordibus noſtris, quod fit, dum permittit, nos aliquâ adverſitate premi. Anguſtiamur quidem, triſtamur, affligimur, ploramus; videntur ſubinde omnia deſperata;

piè

piè ſubinde cum Chriſto in cruce agonizante ingemiſcimus: *Deus meus, quid dereliquiſti me; Deus, in adjutorium noſtrum intende, Domine ad adjuvandum nos feſtina*! Fili mi! exſpecta patienter! Scit Salvator tuus, & potens eſt, & bonus eſt, ut tempore congruo te liberet; eſto interim Benjamin! eſto ovicula bibens de calice ejus; mox redibit tempus lætitiæ; revertetur gaudium, &c. ſed calix paſſionis prius bibendus eſt.

Inter calicem paſſionis & cœleſtem gloriam neceſſaria eſt connexio. Hæc gloria frequenter in ſacris literis nomine pinguis hæredtiatis appellatur; ita tamen, ut ſimul fiat mentio calicis, Pſ. 15, 5. *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei, tu es, qui reſtitues hæreditatem meam mihi.* Pacta hæreditaria frequenter ſolent celebrari, concludi & confirmari communicatione epuli & poculi; idem facit Chriſtus D. cœleſtem nobis in regno ſuo promittit hæreditatem; ſed cum hac conditione, ut prius bibamus ex calice paſſionis; hic calix conditio eſt, ſine qua illam hæreditatem non obtinebimus. Apocal. 22. verſ. 14. *Beati, qui lavant ſtolas ſuas in ſanguine Agni; ut ſit poteſtas illis in ligno vitæ, & per portas intrent in civitatem.* Sanctus Joannes hic non tantum loquitur de animæ munditie, quam in nobis operatur ſanguis Chriſti, dum in illo abluemur à peccatis; ſed ſimul nobis innuit, lavare ſtolas in ſanguine Chriſti, idem eſſe, quod pati, vel ut S. Petrus ait ep. 1. c. 4. v. 13. *Communicare paſſionibus Chriſti*; ubi piè & eleganter S. Ambroſius l. 5. in c. 7. S. Lucæ: *Tinge carnem tuam in ſanguine Chriſti, ſicut ſcriptum eſt, ut intingatur pes tuus in ſanguine.* Pſal. 67. v. 24. *Et tu ergo veſtigium animi tui, & mentis inceſſum, indubitata confeſſione Dominicæ crucis tinge; tingis carnem tuam in ſanguine Chriſti, ſi vitia diluas, peccata detergas, & mortem Chriſti in tua carne circumferas*; nimirum per patientiam in adverſis, per carnis mortificationem, per concupiſcentiarum crucifixionem, ut quivis cum Apoſtolo dicat: *Chriſto confixus ſum cruci.* Beati ſunt tales; talibus poteſtas eſt in ligno vitæ, & ut per portas intrent in civitatem cœleſtis Jeroſolymæ.

§. 15. *Connexio calicis paſſionis & cœleſtis gloriæ.*

Confirmat hunc diſcurſum Orig. in c. 17. Gen. v. 3. *Erit pactum meum*

§. 16. *Pactum*

Digitized by Google

Chriſti cum ſuis cohæredibus.

meum in carne veſtra. Quomodo hoc? quærit. Reſpondet: *Si mortificavero membra mea, quæ ſunt ſuper terram; teſtamentum Chriſti habeo ſuper carnem meam; ſi ſemper mortem Chriſti circumferam in corpore meo; quia ſi compatimur, & congregabimus; ſi complantatus fuero ſimilitudini mortis ejus, teſtamentum ejus oſtendo eſſe ſuper carnem meam.* Addamus ex hodierno Evangelio, ſi biberimus calicem Paſſionis ejus. Tribulationes, adverſitates, labores, crux calix; ſunt certiſſima pignora ſecuturæ hæreditatis; hoc pactum nobiſcum facit Chriſtus per S. Paulum ad Rom. 8. v. 17. *Hæredes Dei, cohæredes Chriſti, ſi tamen patimur, ut & conglorificemur.*

§. 17. Quare omnia membra Chriſti ſudarint ſanguinem.

Ab hac lege nemo excipitur. Ex verbis S. Lucæ cap. 22. colligere poſſumus, in ultima lucta Chriſti Domini cum morte in monte Oliveti, in ſanguineo ſudore, non caput tantum, non ſolam faciem, &c. ſed totum benedictum corpus ſudaſſe ſanguinem; ut ſciamus, in corpore Chriſti myſtico, quod eſt Eccleſia, non aliqua tantum membra, ſed omnia debere pati, ut deinde cum capite glorificentur. Cum Tertullianus lib. de cor. mil. c. 14. deſcripſiſſet ſpineum ſertum, quo caput Chriſti fuit lancinatum; addit per ironiam: *Ito tu nunc; laureâ, & myrteo, & oleâ, & illuſtriori quâque fronde, - centenariis quoque roſis, ex horto Midæ lectis, & liliis, & violis coroneris; etiam gemmis forſitan & auro; ut & illam coronam Chriſti æmuleris, quæ poſtea ei obvenit; quia & favos poſt fella guſtavit; nec ante Rex gloriæ à Cæleſtibus ſalutatus eſt, quam Rex Iudæorum proſcriptus in crucem.* Vide hæc fuſius in Concione anni præteriti feſto S. Jacobi.

§. 18. In fine Evangelii Chriſtus D. ſuis Diſcipulis pro ſolatio promittit Regnum cœlorum.

Supereſt Evangelii hodierni finis. Cum ſubinde mater dilecto filio ægro offert amaram medicinam vel potum, dicere ſolet: fili mi, bibe! pendet inde ſanitas tua: bibe fili, dabo tibi ducatum, vel procurabo novas veſtes, &c. Idem fecit Chriſtus D. poſtquam Diſcipulis locutus fuit de calice paſſionis; ſubdit v. 23. *Sedere ad dexteram meam, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à patre meo*; quaſi diceret: filii! hic laborate; bibite calicem paſſionis, & Pater meus dabit vobis latus meum in regno meo. Ingens nimirum ſolatium eſt, etiam in

hac

hac vita adhærere lateri Chriſti; vel abſcondi in ſanctiſſimis Vulneribus ejus. Expertus fuit B. Alquirinus Ordinis Ciſterc. In gravi morbo interrogatus à Prælato, quomodo haberet, reſpondit: *Bene, Pater, mecum agitur, quia vado ad Dominum meum Ieſum, qui paulò ante me inviſit, & ſereno vultu intuens, ſanctiſſimaque monſtrans Vulnera, dixit: Ecce peccata tua deleta ſunt à Filio meo; Veni, deoſculare Vulnera mea, quæ tantum dilexiſti. Tali promiſſione firmatus, jam non metuo mortem.* Ita expiravit. [Hic affectuoſis verbis anima tuos Auditores, ut bibant calicem paſſionis; & promitte illis in hac vita latus Chriſti Crucifixi; in altera verò, in Regno cœlorum latus Chriſti glorioſi ſedentis ad dexteram Patris, &c.] NB. In decurſu Concionis frequenter eſt occaſio digrediendi ad laudes S. Jacobi.

CONCIO LXXVII.

FESTO S. P. IGNATII.

Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris,

Lucæ 12. v. 35.

SYNOPSIS CONCIONIS.

DEſcribitur mors S. P. Ignatii, quàm fuerit placida, quàm glorioſa. Ejus tumulus variis ornatur Emblematis atque Epitaphiis. Diſcurſus de ſtellis circa S. Ignatii cadaver apparentibus.

§. 1. *S. Ignatius ad magna natus.*
§. 2. *Propoſitio.*
§. 3. *S. Ignatius moritur nullo præſente.*

§. 4. *Apoſtrophe ad SS. Angelos, teſtes morientis Ignatii.*

§. 5. *Affectus morientis Ignatii.*

§. 6. *Placida mors à Tertulliano deſcripta per ſimile.*

§. 7. *Olim apud Romanos quæ mors glorioſa?*

§. 8. *Priſcorum Belli-Ducum exequiæ.*

§. 9. *Applicatio.*

§. 10. *Duo emblemata glorioſæ mortis S. Ignatii.*

§. 11. *Duo alia emblemata cum applicatione.*

§. 12. *Iterum alia duo emblemata applicantur S. Ignatio.*

§. 13. *Alia quatuor ex S. Literis emblemata.*

§. 14. *Varia epitaphia S.P. Ignatio applicantur.*

§. 15. *In translatione S. Ignatii apparent ſtellæ, auditur concentus Angelicus.*

§. 16. *Quid illæ ſtellæ ſignificent? varia myſteria.*

§. 17. *De ſtellis varia ex ſacris Literis.*

§. 18. *An ſtellæ S. Ignatio conſepultæ?*

§. 19. *In ſacris literis ſæpe aſtra ſunt arma.*

§. 20. *Epilogus.*

§. 1. S. Ignatius ad magna natus.

SUperiore ſæculo Divina Providentia non ſine magno rei Chriſtianæ emolumento Eccleſiæ ſuæ magnum dedit Virum Ignatium, Ignatium, inquam, quem Europa deprædicat, Aſia laudat, Africa commendat, extollit America: Ignatium, quem totus, quà latè patet orbis terrarum ſummo habet in pretio & veneratione. Magnos magna decent. Nobilis Ignatii Indoles à puero magna quæque ſpectabat; honores magnos, magna munera, famam magnam in aula Magni Hiſpaniarum Regis. Ut magnus eſſet in ore atque oculis omnium, Martis caſtra ſecutus eſt, hanc optimam ratus gloriæ ſuæ palæſtram. Sed alia hominum, ſuperûm mens alia: magnum & ipſe DEUS ſuum voluit Ignatium, at aliâ prorſus ratione: Hinc ad alia illum caſtra vocat, aliis illum armis inſtruit, aliis informat documentis. Magna hîc omnia. Magnum vulnus graviter ex globo bellico afflicti pedis, at majus cordis charitatis Divinæ telo ſauciati. Magna metamorphoſis! ex milite mundi fit miles Chriſti! ex ſectatore vanæ gloriæ fit Divini honoris vindex glorioſus! Magnus profectò Ignatius! Hoc ejus converſio,

converſio, hoc ſtudia literarum, hoc pietatis exercitia; hoc operum, quæ patravit, miracula, hoc innumera vitæ ejus prodigia teſtantur.

Mihi hac Concione decretum eſt, magnum à morte verè glorioſâ repræſentare Ignatium. Sic ordo illarum, quas hactenus de D. Ignatii laudibus dedi, Concionum exigit. Magna de magno Orator licet ipſe non magnus in medium afferam; vos interim ſanctiſſimi mei Patris honori illam quoque ſymbolam adjicite, ut me ejus filium, de morte illuſtri ac funebri ejus pompa diſſerentem, tantiſper benevolè audiatis. *§. 2. Propoſitio.*

In ſilentio ſolus obiit S. Ignatius, obiit tamen glorioſè. *In ſilentio ſolus*, nullis arbitris hominibus; arbitris tamen Angelis atque ipſo DEO. *In ſilentio ſolus*, nam licet magna eſſet morbi vis, licet jam omnibus eſſet Eccleſiæ Sacramentis ad luctam illam ultimam quam optimè inſtructus; licet inſtantem mortis horulam præſagiiſſet, adeoq; jam ad petendum Indulgentiarum theſauros è Patribus quempiam ad Romanum Pontificem præmiſiſſet; nihilominus, quia vis morbi nonnihil jam remittere videbatur, factum eſt, ut à dilecto Parente, quò placidâ poſſet quiete perfrui, nonnihil ſeceſſerint filii. Et verò quiete cœpit perfrui, ſed æternâ, non mortali: ſic placuit Divinæ Providentiæ; Nec id vitio vertendum Ignatii filiis, quod morienti Parenti non adſtiterint. Piâ quâdam fraude, [ſi dicere fas eſt,] circumvenit illos Ignatii vultus ita hilaris, ita floridus, ut nullus mortis index aut funeſtus color momenti illius poſtremi faceret indicium. *§. 3. S. Ignatius moritur nullo præſente.*

Moritur ergo Ignatius. Hic ego vos compello cœleſtes genii; moritur Pater meus ac Patriarcha ſanctiſſimus! vos illa audiiſtis ſuſpiria DEUM ardentiſſimo amore complectentis Ignatii! Dicite quot & quænam, dicite, quas ex oculis Ignatii gemmas vidiſtis in genas devolvi? illas intelligo pias lachrymas, illum ſudorem mortualem. Dicite, quales ſunt illi, qui ex Ignatiani cordis phiala ad ipſos uſque cœlos aſcenderunt odores? illos heroicarum virtutum affectus intelligo. Dicite, quæ ſagittæ ex illa ſancti pectoris pharetra evibratæ fuerint in altum! *§. 4. Apoſtrophe ad SS. Angelos teſtes morientis Ignatii.*

Digitized by Google

tum! illos intelligo gemitus, illas preces, quas paſſim jaculatorias nuncupamus. Dicite, [vos enim teſtes,] quid illi arteriarum motus? quid venæ micantes? quænam illa morientis Ignatii deliquia? ah niſi fallor: [non fallor,] ſunt hæc omnia animæ Divino amore ad ultimum uſque vitæ ſpiritum ardentis atque exardeſcentis argumenta. Poſtrema Ignatii morientis verba, verba fuerunt amoris: *Ieſu! O dulcis Ieſu! O Ieſu, Ieſu!* hæc centies, imò millies dixit, & vixit! in his ſuſpiriis expiravit magnus Dei ſervus Ignatius!

§. 5. *Affectus morientis Ignatii.*

O mors amabilis! mors dulcis! mors exoptata! Plaudite teſtes Angeli, non ſolus moritur aut derelictus Ignatius, qui moritur inter Angelos! Imo, qui ſic moritur, non moritur, ſed oritur. *Ieſu! O dulcis Ieſu! O Ieſu, Ieſu!* O ſi numerum repetitæ illius vocis ultima Ignatii nocte poſſemus inire! vos Angeli poteſtis! *Ieſu! O dulcis Ieſu! O Ieſu, Ieſu!* hic ſermo Ignatii morientis, hic affectus, hic gemitus, hic cantus, hic ignis! *Ieſu! O dulcis Ieſu! O Ieſu, Ieſu!* Equidem mihi perſuaſum habeo, ſanctiſſimum Parentem meum Ignatium velut alterum Jacobum luctando transegiſſe noctem illam, non jam cum Angelo, ſed cum Angelorum Rege, cum Jeſu dulciſſimo, *Ieſu! O dulcis Ieſu! O Ieſu, Ieſu!* dimitte me, jam enim aſcendit aurora. Cupio diſſolvi, & eſſe tecum Jeſu meo! *Ieſu! O dulcis Ieſu! O Ieſu, Ieſu!* ah quam ſordet mihi terra dum meum Jeſum aſpicio! vale munde, ſalve cœlum: vale terra, ſalve mi Jeſu; *Ieſu! O dulcis Ieſu! O Ieſu, O Ieſu! deſidero te millies, mi Ieſu, quando venies.* Tecum vixi, tecum & moriar. Te mi Jeſu, te habeo in ore, te habeo in corde. Te unum quæro, te deſidero, te ſuſpiro. Quam felix, cum æternùm poſſedero! *O Ieſu! O dulcis Ieſu! O Ieſu, Ieſu!* O dulce nomen! ô nomen Jeſu! ſolatium cordis mei! eja nunc duas in partes diffringere cor meum! ſed dum diffringeris, Jeſum ſuſpiro. *Ieſu! O dulcis Ieſu! O Ieſu, Ieſu.* En Auditores, en luctam Ignatii ultimam! certavit, triumphavit. Toties inclamando nomen Jeſu, palmam reportavit illuſtrem. Mortuus eſt, ſed morte verè placida, verè dulci, verè amabili.

Similem

Similem præclarè deſcribit Tertullianus l. de anima, ſimilitudine à navigio ducta: *Vis eſt,* [inquit,] *illa navigiis, cum longè à Caphareis ſaxis nullis depugnata turbinibus, nullis quaſſata decumanis fluctibus, adulante flatu, labente curſu, lætante comitatu, inteſtino repentè perculſu, cum tota ſecuritate ſubſidunt. Non ſecus ſunt naufragia vitæ, & tranquilla mortis eventus.* Sic ille. Hoc eſt, quod nos Latinâ phraſi efferimus, naufragium facere in portu. Finge te conſpicere navim Indicam, auro gemmiſque onuſtam in alto per varias irati pelagi tempeſtates jactari, prô quot & quantis expoſita periculis! ſuperat tamen omnia faventibus ſuperis! cedunt fluctus, ſubſidunt procellæ, quieſcunt ventorum rabies, tempeſtas ceſſat, ſua pelago redit malacia: cum ecce tibi ipſo in portu, præter ſpem omnem atque exſpectationem naufraga fit navis & mergitur. Talem ego navim meum appello ſanctum Patrem Ignatium. Aurifera certè, imo & gemmifera navis! nam ſi charitas aurum, ſi gemmæ virtutes; an non his, dum viveret, inſtructiſſimus erat Ignatius? Hanc naviculam ô quot & quantæ perſecutionum procellæ jactarunt! quot & quantæ tempeſtates infeſtârunt! ſalva tamen atque incolumis evaſit; nihil læſa eſt Ignatii patientia, nihil damni accepit virtus viri heroica. Nunc in portu, & velut in ſilentio aut malacia mergitur, cum abſque arbitris ſuaviſſimè moritur Ignatius. Sed quid ego mergi dico naviculam? certè dum ſic mergitur, emergit, dum ſic moritur Ignatius, vivit, nam quid eſt aliud mors glorioſa, quàm initium veræ vitæ, vitæ æternæ?

§. 6. Placida mors à Tertulliano deſcripta per ſimile.

Olim apud Romanos [Auctores habeo Dempſterum, Roſinum, Livium, Valerium Maximum,] glorioſam dicebatur mortem obiiſſe Imperator ex quinque potiſſimum capitibus, 1. Si vel urbem monſtris expurgaſſet, vel hoſtes domuiſſet; 2. Si Rempublicam à gravi periculo vindicaſſet. 3. Si fines Imperii dilataſſet. 4. Si virtute quâpiam eximiâ præ reliquis eminuiſſet. 5. Denique, ſi reliquiſſet hæredem. Talis Imperator glorioſâ dicebatur morte defunctus; talis in heroum, quandoque etiam Divorum album referebatur; talis à morte per ſtatuas, per columnas marmoreas, per imagines, per varia alia honorum monumenta

§. 7. Olim apud Romanos quæ mors glorioſa.

Digitized by Google

numenta colebatur. Quid ſi Auditores vel pleraq; hæc vel univerſa etiam glorioſæ mortis decora ſancto meo parenti ac fundatori Ignatio competere aſſerem? aſſero certè, quid enim? an non Ignatius urbem monſtris expurgavit? expurgavit: nec urbem tantum unam, ſed innumeras, imo orbem terrarum. An non fidei hoſtes complures domuit? domuit: Hæreſum victor, idololatriæ expugnator, impietatis adverſarius. An non Chriſtianam illam orthodoxæ fidei rempublicam à diſcrimine vindicavit graviſſimo? vindicavit. An non eximio ſalutis animarum zelo inflammatus vexillum crucis erexit in plurimis urbibus, regnis, provinciis? erexit: nec in Europa tantùm, ſed & in Aſia, Africa, America! adeo, ut quod per ſe ipſum præſtare non potuit, hoc per ſocios in omnem terrarum orbem diſperſos præſtiterit feliciſſimè. Denique hujus noſtri belli ducis hæredes quid memorem? ſpectate præclaram præclari parentis ſobolem, conſiderate filios Ignatii, videte veros JESU CHRISTI milites diu noctuque in excubiis poſitos, ad evertendos à Republica Chriſtiana hoſtes viribus formidandos, multitudine innumeros.

§. 8. *Priſcorum belli ducum exequia.* Jam verò priſcorum belli ducum exequias quod attinet, illud inter alia memoriæ proditum accepimus, quod I. conſtruere ſoliti ſint pyram ex lignis odoriferis. II. In hanc conjiciunt flores, ſerta, coronas, variis imbutas odoribus ſuaviſſimis. III. Huic pyræ igniculos ſubjicit Conſul. IV. Igne jam ardente aquila emittitur, quæ in altum ſe librat volando. Vulgus eam eſſe animam Imperatoris, quæ cœlum peteret, credebat. V. Poſthæc in medium prodibat vir quidam magnæ auctoritatis, qui etiam juramento confirmans ajebat, vidiſſe ſe animam Imperatoris in cœlos evolantem. VI. Quo dicto quicquid vel artis eſt vel ſuavitatis in re muſica, plenis buccis, buccinisque plectris ac fiſtulis, tubis ac tibiis reſonat. VII. ac denique nummi præclaro notati emblemate jactantur in avidam plebeculam.

§ 9. *Applicatio.* Videte Auditores, an non omnia hæc in glorioſo ſancti mei parentis obitu reperiam. In pyra fatalem agnoſco lectulum, in quo decumbit magnus illæ ſacræ militiæ Imperator, jam ipſius

etiam

etiam mortis ſpolium. Sed nec odoramenta deſunt, nec floſculi, ipſos etiam cœlos penetrat Ignatianarum odor virtutum, novæ Angelorum deliciæ. Solutis tandem vinculis libera dimittitur aquila, quando puriſſima Ignatii anima in altum evolavit ad ſolem juſtitiæ, ad Deum ſuum conditorem: id quod eâ ipsâ horâ, quâ Beatus Pater ex hac mortali vita deceſſit, ſociorum unus, licet longiſſimo terrarum intervallo remotus vidit Coloniæ. Nec deſunt, qui id juramento ſancitum teſtantur, præterquam, quod ipſa Romanorum Pontificum oracula, ipſa tot mortem ejus ſubſecuta prodigia, tot miracula, tot alia beneficia divina invocatione S. Ignatii præſtita ſatis ſuperq; teſtantur. Jam verò de cœleſti harmonia quid dicam? O felix anima: ô anima Ignatii glorioſa! illi occurrit, quem tam ardenter in vivis dilexit, JESUS, illam affatur omni melle & ſaccharo dulcioribus, Euge anima pia, intra in gaudium Domini tui, en tuus ego Jeſus, Salvator tuus, remunerator tuus, amaſti tu me; amabo & ego te! tu ſine me vivere noluiſti in terris, nec ſine me vives in cœlis. O quis has mihi delicias Tullius deſcribet! innumera interim ſanctiſſimorum circumfunditur Angelorum multitudo; pars lauros offert & palmas, trophæi ſymbola; pars cantu longè dulciſſimo beatiſſimam illam animam conſalutat; pars triumphalem adornat quadrigam, quâ ad ſublimem in cœlis ſedem ſubvehatur. O ſi liceret, currûs hujus triumphalem pompam vel uno oculorum jactu arbitrari! neq; enim illum equi trahunt, nec tigrides, nec leones, nec elephanti, [quod de quibuſdam triumphantium Cæſarum quadrigis accepimus,] ſed hinc Angelici illi ſpiritus, inde illorum animæ mortalium, quos labore ſuo, ſtudioque & zelo cœlis olim adſcripſit Ignatius. Quo pacto ab his excepta ſit ter felix Ignatii anima, vos mente potius, quàm ego voce aſſequi poteſtis. Illæ præſertim animæ, quæ de Societate Jeſu in terris ab ipſo fundata Ignatio ad alteram JESU Societam immortalem in cœlis jam tranſierant, ô quanto, quanto gaudio ſuum exceperint Parentem? Dux illarum ſine dubio fuerit glorioſus Indiarum Apoſtolus ſanctus FRANCISCUS XAVERIUS, qui optimo Parenti ſuo obviam procedens,

mille edidit gaudii ſigna, mille congratulationis argumenta. At ubi Præcones, quos olim gentilitas in ſuorum Imperatorum exequiis ad decantandam panegyrin ſubmiſit? Habet S. Ignatius in hodiernum uſque diem ad immortalem nominis ſui gloriam præcones non genere minus, quàm virtute illuſtres, hoc eſt, S. R. E. Cardinales, Epiſcopos, Archiepiſcopos, ſummos etiam Pontifices, quin & Reges ac Cæſares, quorum nonnulli ipſum vocant novam Eccleſiæ lucem, alii extinctorem hæreticæ peſtis, alii facem ad ſanctos amores, alii ſtrenuum Eccleſiæ Catholicæ propugnatorem, alii ſanctitatis exemplar, alii aliis illum elogiis laudibusque condecorant. Venio nunc ad Emblemata.

§. 10. *Duo emblemata glorioſa mortis S. Ignatii.*

In quodam defuncti Rom. Cæſaris numiſmate Equitem video lanceâ inſtructum, quâ in annulum apice lanceæ penetrandum provehitur, cum hoc Lemmate: *Non eſt mortale quod opto.* Voluit indicare gentilitas, immortali non illam caducam hominum, ſed illam Deorum immortalem quærendam gloriam. Tibi mi ſancte parens Ignati, tibi inquam è terris migranti ad ſuperos; hoc debetur ſymbolum: *Non eſt mortale quod optas*: una tibi dum viveres, præ oculis fuit major Dei gloria; *Non eſt mortale quod optas*: generoſus eques annulum æternitatis ſpectaſti; in hunc collimaſti tuâ lanceâ, tuis ſtudiis literarum, tuis precibus, tuis lachrymis, tuis concionibus, tuis regulis, tuis verbis, factis exemplis! *Non eſt mortale quod optas*! reperiſti nunc quod quæſiiſti, annulum tetigiſti, victori nunc decernitur æternæ gloriæ bravium! Alio in nummo exſculptum video Phœnicem, qui in nidulo ſuo, quem ſoli ſolis accendunt radii, pulchrâ morte defungitur cum hac Epigrapha: *Non poterat fato nobiliore mori.* Eſt hic præ amore Divino morientium typus non inelegans: proinde tuis illum laudibus decerno, Tu mi S. Pater Ignati, *non poteras fato nobiliore mori.* Nam moreris ut phœnix, amando moreris, & dum amas, moreris, dum moreris, amas. *Non poteras fato nobiliore mori.* In ignibus moreris Ignati! non mirum, nomen habes ab igne! ſed ignis hic non eſt alius, quàm charitatis Divinæ: *Non poteras fato nobiliore mori.* Cum phœnice reſurgis, multò jam quàm ante glorioſior, pulchrior, illuſtrior. *Non poteras fato nobiliore mori.*

At

At ecce aliud quoddam funebre veterum Romanorum numiſma aquilam mihi exhibet volantem in altum, ad ipſam propè ſolis orbitam uſque. Inſcriptio eſt ejusmodi: *Terram deſeruiſſe juvat.* O Ignati, age quid jam ſentis in altum evolans aquila? nunquid terram deſeruiſſe juvat? O Ignati, ô aquila verè regia, verè ſublimis atque excelſa aquila! ô quàm modo te *terram deſeruiſſe juvat*! deſeruiſti terram dum viveres, deſeruiſti dum vivere deſineres! *terram deſeruiſſe juvat*! Quoties, ô quoties exclamantem audivi, heu quàm ſordet mihi tellus, dum cœlum aſpicio! *terram deſeruiſſe juvat*! Fuiſti aquila in vita, fuiſti & aquila in morte! è nidulo corporis evolaſti ad petram, ad Jeſum in cruce, in hujus petræ foraminibus, in quinque Jeſu Vulneribus habitaſti frequenter, imò continuo, quoad tandem ad ipſum uſque ſolem Juſtitiæ in morte evolaſti. O felix aquila! nos, nos tuos pullos non deſere, eja ſub umbra alarum tuarum volemus & nos. Deut. 32. verſ. 11. *Sicut aquila ad volandam provocat pullos ſuos*; ſic tu nos Ignati! nimirum *terram deſeruiſſe juvat*! vale terra, cum aquila mea, cum meo S. Ignatio cœlum, cœlum peto, ad cœlum evolo, ad cœlum me libro, ut liberem me cœno. *Terram deſeruiſſe juvat.* Alius morientem expreſſit cygnum, cum Lemmate: *Emoriens ſic dulce canit.* Innuere volebat, Imperatorem poſt facta ſua tam heroica atque illuſtria mori oportere cum gaudio. Ignati, tibi hoc debetur emblema: Ut cygnus vixiſti, ut cygnus es mortuus. Cygnus munda volucris; mundior puriorque Ignatius. Cygnus gaudet aquis; Ignatius lachrymis. Cygnus cum moritur, dulci cantu jucundæ morti præludit. Ignatius cum moritur, in piiſſimas amoris Divini voces effunditur: *Ieſu bone! Ieſu, O dulcis Ieſu!*

§. 11. Duo alia emblemata cum applicatione.

Nota eſt de Quinto Curtio hiſtoria, dum is incenſus amore patriæ, unà cum equo præcipitem ſe dedit in lacum igneum: Fuit, qui hoc factum in imagine adumbratum repræſentaret, appoſitâ hâc gnomâ: *Sic emori glorioſum eſt.* Tua, mi S. Pater Ignati, tua, inquam mors longè glorioſior, longè illuſtrior. Animam agis in affectu amoris ardentiſſimo: *Sic emori glorioſum*! moreris, poſteaquam innumeras cœlo animas tuo Apoſtolico

§. 12. Iterum alia duo emblemata applicantur S. Ignatio.

zelo transſcripſiſſes : *Sic emori glorioſum*! moreris,ſed cœleſtibus plenus theſauris , plenus virtutibus,plenus meritis ! *Sic emori glorioſum.* Huc facit, quod alio in emblemate inclinans exhibetur ariſta,cum lemmate : *Quia plena.* Quo ſignificatur,Imperatorem occumbere gloriosè,propterea,quod virtutibus factisque plenus illuſtribus ex vitæ hujus mortalis ſtatione decedat. An non ſic deceſſit glorioſus meus Dux & Fundator Ignatius?

§.13. *Alia quatuor ex S. literis emblemata.*

Sed profana mittamus ſymbola , quando & ſacra ſacris è literis deprompta non deſunt. Age pictor,Eliam mihi depinge in curru igneo raptum ad ſidera : ſubſcribe lemma : *Raptus ab exuviis*.Ego meum S. Parentem intelligo,qui in agone ultimo velut alter Elias , totus igneus atq; ardens amore Dei, migravit ad ſuperos. *Sic itur ad aſtra*! Rurſum adeſto pictor, penicillum arripe, & in tabula globum bellicum igne fartum , qui medius rumpatur,repræſenta. Ego addam epigraphen : *Surſum rapit ignis.* Et S. Patrem meum,velut igneum globum æſtuans intus ardor diſrupit : *Surſum rapit ignis*; Ignatius cum moritur, velut ignis ſuum petit centrum; cœlum. Sed necdum finis. Sponſam nunc tuis exprime coloribus, ſed ſponſam,quæ pectus gerat infixis ſagittis vulneratum. Lemma ſit : *Votorum hic ſcopus.* Talis eſt ſponſa, mei ſancti Patris Ignatii anima. Finem ſuis imponat laboribus pictor , & ultimo tandem loco ſolem , qui totum illuminet orbem, depingat. Inſcriptionem Regius ſuggeret Vates Pſ. 18 v. 7. *Non eſt, qui ſe abſcondat à calore ejus.* Occumbit ſol meus Ignatius,ſed adhuc ardorem illius noſtra ſentit Europa; occidit Ignatius , ſed omnes mundi partes adhuc ejus fruuntur calore. Non eſt,qui ſe abſcondat à calore ejus. Sic occidit Phœbus, ſic moritur Ignatius.

§.14. *Varia epitaphia S. P. Ignatio applicantur.*

Nunc verò qualem ejus tumulo præfigemus Epigraphen? neq; enim latere nos poteſt illa paſſim recepta condendi Epitaphii conſuetudo? non ineptum fuit illud fortiſſimi Ducis Epaminondæ : *Epaminondas, dum ſic moritur, naſcitur.* Sanè & meus glorioſus Parens Ignatius, dum ſic moritur, ſic, hoc eſt, in tanto Dei amore, ſic, hoc eſt, tantus plenus meritis,ſic, hoc eſt,in tam fideli Numinis ſervitio, ſic, hoc eſt, cum tanto animarum lucro,

an

an non dum ſic moritur, naſcitur? utiq; cœlo, Angelis, Deo naſcitur, qui ſic mundo denaſcitur. Nec diſplicet illud Bucquoy Comitis: *Mori potuit, vinci non potuit.* Certe & Ignatius: non illum mundus vincere potuit, non caro, non ſathanas, non hæreſis, non livor, non orcus ipſe. *Mori potuit, vinci non potuit.* Mortuus eſt Ignatius, ſed victor, non victus; ipſius etiam mortis triumphator eximius. Selimus Turcarum Imperator, vitâ functus, hanc habuit inſcriptionem ſepulchralem: *Licet oſſa jacent, animus bella quærit.* O Ignati, tua etiam oſſa bella quærunt, nec miror, ſunt oſſa generoſi belli ducis: bella quærunt, ſed alia quàm Selimus; bella adverſus hæreſin, bella adverſus ſcelera, bella adverſus caſtra & regna diaboli. Nec diſplicet illud Alphonſi: *Mors Alphonſo morienti non mors, ſed melioris vitæ ſors.* Alphonſi nomen in nomen Ignatii commuto, & poſt funus etiamnum viventi meo Patriarchæ applaudo.

De epitaphio ſatis. Sed hem, de tumulo res occurrit æternâ dignâ memoriâ. Aliquot ab obitu B. P. Ignatii annis neceſſe viſum eſt in templo Domûs profeſſæ Soc. Jeſu Romæ ſacrum cadaver transferre. Dum hoc fit, tumba ſimul, ut piæ quorundam curioſitati fieret ſatis, recluditur, & ecce, [ô rem miram!] circa ſacrum corpus pulcherrimæ comparent ſtellulæ, in aere autem concentus muſicæ ſuaviſſimus auditur. Et quis adhuc dubitet, animam Ignatii regnare in cœlis, cum circa S. cadaver & aſtra ſaltitent, & Angeli tripudient? amabo, quid ſibi vult iſte ſtellarum circum S. reliquias conventus? Equidem non ignoro, viventem B. Patrem ſæpius inſtar ſtellæ viſum à variis. Hâc illum ſpecie illuſtrem vidit Siciliæ Prorex Joannes à Vega; quin etiam idem ille non raro Ignatium vidit cœleſti fulgure velut cyclade amictum; adeo, ut ſingula penè membra viderentur converſa in aſtra. Teſtis eſt quoq; pia illa matrona, Eliſabetha Roſet, quæ Barcinonæ Ignatium vidit tota facie radiantem. Teſtis eſt S. Philippus Nerius, qui idem ſe in vultu S. Patris notaſſe aſſeruit. Et hæc quidem vivente adhuc Ignatio: at quot eodem jam pridem defuncto, ſtellæ nihilominus circa S. cadaver lucentes ſint animadverſæ, hoc certè uti nec admiratione, ſic nec caret myſterio.

§. 15. *In translatione S. Ignatii apparent ſtellæ, auditur concentus Angelicus.*

Fff ff 3 Scimus,

Digitized by Google

§. 18. *Quid illæ ſtellæ ſignificent? variamyſteria.*

Scimus, in terræ cavernis, ſpeluncis, atque etiam ad ſepulchra Divorum accendi ſolere lampades. Hoc cœlum præſtat honori S. Parentis mei Ignatii, nam quot circa S. cadaver radiant ſtellæ, tot quaſi lampades honoris lucisque teſtes accenduntur. Sed age alias adhuc cauſas indago. Quid ſibi volunt radiantes hæ ſtellulæ? an ut per illas illuſtretur exorneturque inſignis illa morientis Ignatii humilitas, quâ ſuum cadaver tumulari in ſordido aliquo fimeto exoptarat? Nimirum hic cœli genius eſt, humiles exaltat. An quia more receptum, ut cadavera virginum virorumque nobilium floribus condecorentur, idcirco pro floſculis pulchriores cœlum ſtellulas ſubmittit? venuſtiores profectò ſunt flores poli quàm ſoli. An quia fuit ille gentilium error, ut viros vitâ illuſtres à morte in ſtellas pulchrâ metamorphoſi transformari dictitarint, teſte Jacobo Balde? profectò illuſtris fuit vita, illuſtres Ignatii virtutes. Non me fugit, quod de viris doctrina ſanctitateque conſpicuis legimus apud Danielem, c. 12. v. 3. *Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui erudierint multos ad juſtitiam, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* O quàm multos jam ad juſtitiam erudiit Ignatius, & quis miretur, ei etiam defuncto ſtellas applaudere. Error fuerit quondam nonnullorum gentilium, exiſtimantium, animas quasdam magnas ſtellato curru ad campos evehi elyſios. En ego ſtellas circa ſacrum Ignatii cadaver conſpicio, fortaſſis, ut eidem currum afferant luce ſua triumphalem! Fuêre, qui illuſtres animas inter ſtellas quieſcere, verſarique aſſererent: En etiam illuſtre corpus Ignatii quieſcit ſtellarum in medio! De illo aſtrorum circulo, quem viam lacteam paſſim dicimus, non ignorant Aſtrologi. En etiam in terris via illa lactea, via illa ſtelligera, via illa minorum quidem, ſed puriorum ſyderum puritatis ſymbolum Ignatianæ! Apud Raderum extat nummus, in quo puerulus, Cæſaris Domitiani filius parvo inſidet globo, ſtellis circumdatus, ter fortunati augurium Imperii! Ex ſtellis, quæ ſacras ambiunt Divi mei Parentis exuvias, non vanè auguror, ipſum regnare in cœlis, inter Divos ordinum fundatores glorioſum.

Sed

Sed hæc profana: quæ nunc de ſtellis ſubjicio, ſacra ſunt, & è ſacra Scripturæ pagina deprompta. Eccleſ. 50. v. 6. Simon Sacerdos vocatur *Stella matutina in medio nebulæ*. Stella matutina In medio nebulæ, hoc eſt, inter hæreſes, ſcelera, variaſque pravitates Ignatius: quid mirum, quod aſtris cingatur minoribus. Eccleſ. 43. v. 10. *Species cœli, gloria ſtellarum.* Fuit inſtar cœli, dum vixit Ignatius: quocirca manet illum etiam à morte ſtellarum gloria, decor, ornamentum. Sap. 10. v. 17. *Reddidit juſtis mercedem laborum ſuorum, & deduxit eos in via mirabili, in luce ſtellarum per noctem*. Quia juſtus Ignatius hac quoque mercede non caruit; reddidit illa Divina Juſtitia mercedem laborum ſuorum, etiam à morte, hoc eſt, *per noctem*, in luce ſtellarum deductus. Apocal 12. v. 1. Mulier deſcribitur amicta ſole & luna ſub pedibus ejus, & in capite ejus corona ſtellarum duodecim. A vero non diſcedam, ſi ſole amictum, ſi luna decorum, ſi ſtellis coronatum meum dicam S. Ignatium: Enimverò, ſi ſol vel amor eſt vel ignis; Ignatius totus eſt & ignis & amor: ſi luna mundus eſt, Ignatius generoſo pede calcavit hoc ſydus: ſi ſtellæ virtutes; non miror, quod ex illis coronam illi cœlum adornet. Stella eſt humilitas, micat in Ignatio! ſtell a eſt paupertas: radiat in Ignatio! ſtella eſt fides firma, ſplendet in Ignatio! ſtella eſt ſpes conſtans, coruſcat in Ignatio! ſtella eſt invicta in adverſis fortitudo, lucet in Ignatio! ſtella eſt terrenorum contemptus, amor cœleſtium, apparet in ipſo etiam Ignatii cadavere. §. 17. *De ſtellis variæ ex S. literis.*

Ex hactenus dictis curioſa quidem, at non infructuoſa moveri poteſt quæſtio, num ſcilicet conſepultæ fuerint cum B. Patre ſtellæ, nec ne. Mira videri poſſet, & propè puerilis quæſtio! verùm occaſionem illius formandæ ſubminiſtrat antiqua militiæ conſuetudo, quâ cum ſtrenuo belli duce aut etiam milite quondam etiam arma, quibus is uſus fuerit, eodem condi tumulo ſolebant. Hinc Ajax ad Sophoclem ſic inquit: *Cætera verò arma mecum ſepeliantur:* nimirum, ut ſi venientibus annis terra refoderetur, ex armorum intuitu, generoſi militis cadaver agnoſceretur. Dixi ſuprà, [nec me pœnitet,] mortuum eſſe S. Ignatium tanquam generoſum belli ducem atque Imperatorem. §. 18. *An ſtellæ S. Ignatio conſepultæ.*

Quidni

Quidni igitur & arma uno claudantur tumulo, ut futuris ſæculis appareret qualis fuerit in vivis Ignatius. Jam verò, quænam illius arma? aſtra. Nemo miretur: Ipſe etiam Gentium Doctor jubet, ut arma lucis induamus, Rom. 13. v. 12. Induit ſe illis Ignatius vivens, induit & illis jam vita functum miniſtra cœleſtium geniorum corona. Arma Ignatii aſtra. Præclare de his armis Chryſ. *Lucis quippe* [inquit] *ſunt arma, unde & radiis ſolaribus illuſtriorem te faciunt.* Dum viveret Ignatius, ex monito S. Pauli armatus fuit lorica Juſtitiæ (ſepeliatur cum Heroe lorica,) inſtructus fuit ſcuto fidei, (ſcutum fidei contumuletur) munitus fuit gladio Spiritûs (à mortuo non avellatur gladius iſte) quot arma, tot aſtra.

§ 19. *In ſacris literis ſæpè aſtra ſunt arma.*

Nec eſt hoc in S. literis vel novum, vel inauditum, ut quis armatus luce ſtellisque dicatur. Apoc. 1. v. 13 ſpectandum ſe præbet S. ſuo Joanni filius Dei: erat ad pedes præcinctus zona aurea militari, erat in ore illius gladius, erant in dextra 7. ſtellæ velut totidem ſpicula, quibus terrorem incuſſit morti & Tartaro. Quin & ipſe Salvator his armis pugnandum præcipit: *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Alii, *lampades* legunt, alii *ſplendores*, alii *ſtellæ*. Ut ut ſit, arma ſunt aſtra, ſtellæ ſunt gladius, ſcutum, galea, lorica: O terque quaterque felix Ignati! Quam enim feliciter, quàm glorioſe dum viveres, his uſus es armis ad victoriam illuſtriſſimam? Non jam miror, ſtellas circa tumulum tuum collucentes, imo ipſo ſplendent in ſepulchro: ut arma virum prodant, ut ſtellæ lucendo ſignificent, fuiſſe te virum cœleſtem, virum, cujus vita fuerit virtutum omnium ſplendoribus velut totidem radiis illuſtris. At quò me ſtellæ hæ funebres deducunt? reſtaret adhuc explicandus concentus ille Angelorum ſuaviſſimus, illi odores ex S. cadavere profecti non ſine ſummis aſtantium deliciis; illa virtus ſanandi infirmos, non ſine præcipuo ægrorum complurium ſolatio: ſed temporis circumſcripto anguſtiis non licet, quod libet: Hoc unum addo, & finio: In glorioſo ſancti Ignatii funere illud miraculi loco eſt habitum, quod ſumma omnium de Societate JESU Romæ tum exiſtentium fuerit lætitia; triſtitia nulla: quin potius miris

omnes

omnes affecti ſolatiis, mirâ quadam Spiritûs dulcedine imbuti, ſtimulos ſenſerint fortiſſimos, ad laudandam, ob Parentem tam glorioſum cœlis adſcriptum, Majeſtatem Dei, atque ad ſubeundos Chriſti cauſa labores quam plurimos, exemplo optimi amantiſſimique Patris Ignatii.

O Ignati! En filios tuos, en Patres, Fratresque de illa quam tu fundaſti JESU Societate! illam, illam nobis impetra gratiam, ut ſimus exemplo tuo in vita & morte coronati clariſſimis virtutum ſtellis! ô ſtella pulchra! ſtella ignea! ſtella in omnem lucens æternitatem Ignati! En & devotos tibi cives hujus urbis, magnos æquè ac parvos, nobiles, ignobiles; divites, pauperes: viros, mulieres; ſenes, juvenes; hoc unum omnes obſecrant, ut ad ſubeundos CHRISTI cauſa labores fortes reddantur exemplo tuo, & tecum Deum æquè in adverſis laudent ac in proſperis, quoad tandem clariſſimis æternæ gloriæ ſtellulis coronentur in cœlis, Amen. §. 20. Epilogus.

CONCIO LXXVIII.

FESTO S. LAURENTII.

Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert,

Joan. 12. v. 25.

SYNOPSIS CONCIONIS.

CUr adeo invictus in tormentis LAURENTIUS? reſpondeo primò, quia ſibi propoſuit exemplar patientis Chriſti. Secundo, quia oculos conjecit in bravium legitimè certantibus promiſſum.

Digitized by Google

§. 1. *Amabilis viſio Beati Henrici Suſonis.*
§. 2. *Miraculum gratiæ eſt gaudium, quo Martyres pertulerunt tormenta.*
§. 3. *Et S. Laurentius.*
§. 4. *Primus fons gaudii memoria Chriſti patientis.*
§. 5. *S. Ludvvina.*
§. 6. *S. Ludgardis.*
§. 7. *Juſtus Lipſius.*
§. 8. *Secundus fons, memoria cœli vel præmii.*
§. 9. *Pœna hujus mundi tranſeunt, non gloria cœli.*
§. 10. *Teſtimonium ſancti Auguſtini.*
§. 11. *Epilogus cum apoſtrophe ad Auditores.*

§. 1. *Amabilis viſio Beati Henrici Suſonis.*

CUm Henricus Suſo, vir piiſſimus ferventiſſimis à DEO precibus oſtendi ſibi veram & rectam viam ad magnam perfectionem ſanctitatemque poſtularet, apparuit illi Chriſtus crucifixus in forma Seraphini, qualis Seraphico Franciſco ſtigmata vulnerum impreſſit, duæ alæ tegebant caput, binæ pedes, aliæ duæ expanſæ erant ad volandum. Alis circa caput aureis characteribus hæc verba legebantur inſcripta: *Recipe libenter afflictiones.* Inferioribus: *Diſce pati ad exemplum Chriſti Jeſu.* Expanſis ad volandum: *Porta crucem libenter.* Hanc ſublimem, neceſſariam tamen doctrinam de ignea & accenſa cathedra, ſive craticula nobis hodie proponit exemplo ſuo S. Laurentius, glorioſiſſimus Martyr, & fortiſſimus Chriſti athleta. Neque verò utiliorem vobis ego inculcare poſſum, quàm hanc: *Recipe libenter afflictiones;* diſcite pati ad exemplum Chriſti Jeſu. Portate crucem libenter. In his conſiſtit ſumma perfectionis Chriſtianæ. Eſt hæc certa & rectiſſima via ad cœlum. Jam verò, cum hæc patientia in adverſitatibus magnam difficultatem contineat, oſtendam hac Concione, S. Laurentium nihilominus tanta tormenta toleraſſe cum gaudio. I. Quia ſibi propoſuit exemplum Chriſti patientis. II. Quia oculos conjecit in bravium, quod legitimè certantibus eſt propoſitum; ex his colligere poteritis, quâ ratione homo Chriſtianus in afflictionibus ſemet ipſe conſolari & poſſit & debeat. Attendite.

§. 2. *Miraculum*

Inter ſigna veræ Eccleſiæ, & miracula Divinæ gratiæ non eſt

eſt poſtremum, quod glorioſiſſimi Martyres tanta tormenta, tantâ non ſolùm patientiâ & fortitudine, verùm etiam admirabili gaudio atque exultatione mentis tolerarint, cum ardentiſſimo deſiderio patiendi plura & graviora pro Chriſto & fide. Cum tortores obſtupeſcerent, S. Dorotheam in graviſſimis doloribus ſuaviſſimè ridere, ſancta Martyr illis dixit: *Nunquam mihi melius fuit, quàm modo.* S. Potamiana, auditâ ſententiâ judicis, qui Martyrem in ardentem picem juſſit præcipitari, generosè dixit: *Si ita mori debeo, hoc rogo, ut non ſubitò immergar, ſed per partes, ut videatis, qualem patientiam mihi dedit Ieſus, & quantum pati deſiderem pro ipſo.* Cum tyrannus ſanctiſſimæ Matronæ Sophiæ, tribusque ejus filiabus, Fidei, Spei, Charitati, gravia tormenta minaretur, reſponderunt unanimi voce: *Quid Chriſtianis poteſt eſſe jucundius, quam pati pro Chriſto?* Juſſu tyranni prima exuitur *Fides*, virguncula duodecim annorum, ligantur brachia, flagellatur, præſcinduntur mammæ, aduritur flammis, tandem capite plectitur, ſed [ut habetur in harum Martyrum vita,] nuditas, vincula, flagra, vulnera, prunæ, faces, gladius illi fuerunt roſæ. *Spes*, puella annorum decem, dum nervis boum cæderetur, dum jaceret inter flammas, ſed illæſa, dum latera lacerentur ferreis ungulis, dixit: *Putas tyranne, te velle vincere virginem decem annorum? verùm ſpero, me per gratiam Ieſu triumphaturam*; & triumphavit. *Charitati*, filiæ juniori tyrannus propoſuit hinc tormenta, inde opes, divitias, ſi Chriſtum negare vellet, ſed reſpondit: *Ne te decipiat ætas, licet paucorum ſim annorum, ſum tamen filia Sophiæ, ſum ſoror duarum Martyrum, nec degenerabo.* Qualis eſſet virago, mox oſtendit, cum ipſa ultro in accenſos inſiliit ignes, & mox illæſa ex illis extracta virgineam cervicem immiti ferro præcidendam animoſa objecit. Triduo poſt feliciſſima trium Martyrum mater inter tormenta gaudiis plena expiravit. Similes heroes noſtris temporibus [ut vetera præteream,] ſpectandos nobis dedit Japonia, theatrum illud tyrannidis & perſecutorum Eccleſiæ. Talis heros fuit Carolus Spinola vivus pro Chriſto combuſtus, qui inter flammas ineffabili gaudio delibutus, in has prorupit voces: *O quàm dulce eſt ardere pro Ieſu!* Talis heroina fuit Magda-

gratia eſt gaudium, quo Martyres pertulerunt tormenta.

S. Dorothea

S. Potamiana.

S. Sophia, & tres filiæ, Fides, Spes, Charitas.

P. Carolus Spinola.

Magdalena Iapon. Magdalena, virgo annorum viginti, quæ in rogo collectis prunis ſe veluti roſis & gemmis coronavit; ejus ſocii ſuaviſſimâ melodiâ concinuerunt Pſalmum: *Laudate Dominum omnes gentes.* Vos nunc alloquor Auditores, dicite, quid vos de his heroum heroinarumque dictis ac factis illuſtribus? *O Dorothea, tibi nunquam melius fuit, quàm in tormentis!* utinam & nobis! O Potamiana, tu per partes ita cruciari optabas, ut & lenta eſſent & violenta, quæ ſentires tormenta, atque ut viderent tyranni, qualem tibi patientiam bonus JESUS dediſſet! Bone JESU, talem & nobis confer virtutem tolerantiæ: O tres illuſtriſſimæ heroinæ: *Fides, Spes, Charitas!* vos cum pœnis luſiſtis ceu roſis, vobis dolores fuerunt amores, tormenta gaudia, focus jocus, vulnera cantica. Nimirum *pati pro Chriſto* jucundiſſimum putabatis Chriſtianis. O ſi & nos id firmâ fide crederemus! ſpe vivâ confideremus, perfectâ demum charitate diligeremus! O Spinola, Spinola, in ſpinis roſa, in flammis phœnix! vox tua vox amantis eſt! *O quàm dulce eſt ardere pro Ieſu!* ſed hanc non omnes ſentimus dulcedinem; nimirum, quia non omnes diligimus! Et tu Magdalena, coronam tibi igneam contexis! non miror: igneus eſt amor; tibi prunæ ſunt roſæ; tibi dulce eſt pro tuo JESU & pati & mori! ô ſi & nobis!

§. 3. Et S. Laurentius. Sed venio ad generoſiſſimum pugilem & fortisſimum athletam ſanctum Laurentium; quo animo & gaudio jacuerit in prunis, quomodo exultarit inter flammas, ex heroicis ejus dictis colligere licebit, qualia ſunt, *nihil obtines, nihil proficis ſæva crudelitas - Deum meum colo, illi ſoli ſervio - non timeo tormenta tua - aſſatus gratias ago, aſſatum eſt, manduca, verſa.*

§. 4. Primus fons gaudii, memoria Chriſti patientiæ. Verùm, unde ſanctis Martyribus tantus animus, unde illud gaudium in tormentis? reſpondeo modo primo cum ſancto Auguſtino: *Nihil eſſe tam grave, tam pœnoſum, quod non patienter ferat, qui conſiderat Paſſionem Chriſti Domini.* Hujus memoria addit animos, & generoſos fovet Spiritus; placuit hæc ratio S. Bernardo ſer. 61. in Cant. Verba ſunt elegantia: *Stat Martyr tripudians & triumphans, toto licet lacero corpore - non modo fortiter,*

titer, ſed alacriter, [talis ſuper prunas jacet ſanctus Laurentius,] *& ubi erat tunc anima Martyris? nempe in tuto, in petra, nempe in viſceribus Ieſu, ſi enim in ſuis eſſet viſceribus, ſcrutans ea ferrum profectò ſentiret, dolorem non ferret, ſuccumberet: nunc autem in petra* [in cavernis maceriæ, in ſanctisſimis Vulneribus,] *habitans, quid mirum, ſi in modum petra induruerit.* En modum verum ac methodum! adeſte piæ animæ, quid in querelas vos effunditis ac murmura? ſolatium inquiritis? eja feſtino gradu ad petram, ad Jeſu vulnera ſuavisſima! hîc, hîc veri ſunt lætitiæ fontes, hic dulcisſimarum conſolationum ſcaturigines. Et quid obſecro ad amicos homines captandi ſolatioli gratiâ digredimur? ſi amicum quærimus, hoc, hoc noſtro Jeſu non eſt amicior ullus. Amicus verè fidelis uſque ad mortem: hunc inviſamus, hunc conſulamus, huic noſtras, ſi quæ nos gravius premunt, adverſitates, exponamus.

Arbitror, plerisque non eſſe ignotum, quibus morbis & doloribus Deus exercuerit patientiam S. Ludwinæ. Quocirca, cum illos primis annis valde ſentiret piisſima virgo, Confeſſarius illi ſuaſit meditationem præcipuorum myſteriorum Pasſionis, & perſuaſit. Hinc cum S. Ludwina v. g. dolorem aliquem ſentiret, memor erat ſanguinei ſudoris vel flagellationis, dicens: *O Ieſu, ſanguinem ſudans, O Ieſu, flagellate tuo honori & amori!* His conſiderationibus S. Virgo tantum fecit in patientiæ palæſtra progreſſum, ut deinde diceret, in his myſteriis invenio manna, quod dulces mihi facit omnes dolores: imo audita eſt dicere, ſi oratione ſalutationis Angelicæ omnes dolores redimere poſſet, ſe non facturam. Diſcite animæ triſtes, ubi in afflictionibus vera debeatis quærere ſolatia: nimirum in monte Oliveti, ad columnam, vel ſub cruce Chriſti. *§. 5. S. Ludvvina.*

Fecit idem S. Ludgardis; huic aliquando, neſcio quâ de cauſa triſtiori apparuit Chriſtus in cruce, ſolutoq; brachio Virginem amplexans, admovit ejus os, unde tantam hauſit dulcedinem, ut deinde in omni adverſitate nullibi ſolatium quæſiverit, niſi in vulnere lateris Chriſti, hoc facite, nec deerunt ſolatia; hoc facite, nec facilè audientur querela & murmura, nam [ſic Ludovi- *§. 6. S. Ludgardis.*

Digitized by Google

cus Bloſius, vir piiſſimus loqui ſolebat,] *Qui Jeſum in cruce intuetur, de qua re conqueri poteſt?*

§. 7. *Juſtus Lipſius.* Juſtus Lipſius, vir orbi notiſſimus, in ſupremis doloribus, cum adſtantes multa ingererent de patientia Stoicorum, digito oſtendit Crucifixum, dicens: *Hæc eſt vera patientia.* Deinde ad Jeſum: *Domine Jeſu, da mihi patientiam Chriſtianam.* Pulchrè Lipſius & Chriſtianè. Diſcite Auditores, quod & quantum noſtram inter & Jeſu Chriſti patientiam diſcrimen intercedat! *Hæc eſt vera patientia*, patientia Jeſu! nam quid dolores noſtri præ doloribus illius? quid gemitus? quid verbera? vulnera? anguſtiæ? flagella? ſpinæ? quid noſtra denique tormenta omnia præ tormentis Salvatoris? *Hæc, hæc vera eſt patientia!* hoc noſtræ ſpeculum virtutis! hoc noſtræ fortitudinis exemplar! quicquid nos patimur, ad illius normam exemplaris, ad illius effigiem ſpeculi patiendum eſt, ſi rectè, ſi Chriſtianè pati decernimus. *Hæc eſt vera patientia!* Quapropter cum eodem Lipſio dicamus omnes: *Domine Jeſu, da nobis veram tuam patientiam, patientiam Chriſtianam!*

§. 8. *Secundus fons, memoria cœli vel præmii.* Sed diutius ad primum gaudii fontem mea ſiſtit oratio, progredior ad alterum. Alter fons eſt memoria præmii & coronæ, quæ Martyribus in tormentis magno ſemper fuit ſolatio; de S. Laurentio hodie legimus, quod dixerit ad tyrannum: *Sæviſti & auxiſti palmam, dùm aggeras pœnam*; in honorem tranſierunt triumphi inſtrumenta ſupplicii, & Hyppolito: *Si credideris in Dominum Jeſum Chriſtum, & theſauros tibi oſtendo, & vitam æternam promitto.* S. Sophia, cujus ſupra meminimus, dicebat ad filias: *Certate fortiter, durate, certatis pro ſponſo veſtro Jeſu, qui vos coronabit coronâ, quæ in æternum non flacceſcet, certatis pro Jeſu, cum quo æternùm gaudebitis.* Baronius Anno Chriſti 304. refert, S. Gordium inter alia dixiſſe ad tortores ſuos: *Lacerate corpus, ſcindite in partes, adhibete tormenta quæ poteſtis, hoc unicum excipio, ne mihi tollite ſpem beatitudinis.* O ſpes inſignis! ſpes dulcis! ſpes aurea! adeſte tyranni, proferte in medium veſtri inſtrumenta furoris, exponite funes, vincula, catenas, cataſtas, fuſtes, ardentes laminas; non timeo, unum deprecor, *ne mihi tollite ſpem beatitudinis*, ſalvâ hâc anchorâ non eſt quod metuat animæ meæ navicula vel in mediis perſecutionum

tionum procellis! *ne mihi tollite ſpem beatitudinis*! lucente ſole, non eſt quod tenebras puſillanimitatis pertimeſcam? *ne mihi tollite ſpem beatitudinis*; præſente hoc clypeo, non eſt quod vereor maligna hoſtium meorum tela! *ne mihi tollite ſpem beatitudinis*! omnia tollite, hoc unum relinquite, & ſalva ſunt omnia.

§. 9.
Pœna hujus mundi tranſeunt, non gloria cœli.

Verùm durum eſt, tam multa pati; pungunt tot ſpinæ, tot cruces gravant, amarus eſt calix paſſionis! - *Perge*, [inquit S. Bern. ſer. 1. de diverſis,] *perge ergo murmurare, & dicere, longum eſt, grave eſt, non poſſum tam immania & tam diuturna portare - ſed hoc conſidera - tranſit hora, tranſit & pœna; non ſic gloria, non ſic remuneratio, non ſic merces ipſa laboris; neſcit viciſſitudinem, neſcit finem, manet tota ſimul, & manet æternum! guttatim pœna bibitur, liquando ſumitur, per minutias tranſit; at in remuneratione torrens eſt voluptatis, & fluminis impetus, torrens inundans lætitiæ, flumen gloriæ, flumen pacis.*

§. 10.
Teſtimonium S. Auguſtini.

Eadem ferè habet S. Auguſtin. ep. 143. ad Demetr. *Dices forſan, grandis labor! ſed reſpice, quod promiſſum eſt*: & in Pſ. 39. *Cùm attenderis, quid ſis accepturus, omnia tibi erunt vilia, quæ pateris, nec digna æſtimabis, pro quibus illud accipias: nam utique pro æterna requie labor æternus ſubeundus eſt, æternam felicitatem accepturus, æternas paſſiones ſuſtinere deberes.* Verùm liberalis eſt Jeſus, modicum eſt, momentaneum eſt quod patimur, æternum quod delectabit. Cum hæc SS. Martyres haberent præ oculis, cum ſancti Angeli cœleſtes monſtrarent coronas, fortiter & libenter gravia pro Chriſto ſunt paſſi.

§. 11.
Epilogus cum apoſtrophe ad Auditores.

Eja Auditores, ſcio, non deſunt craticulæ, quibus vos Deus imponit, non deſunt lictores, non deſunt pœnæ, non deeſt flamma, pruna eſt paupertas, craticulæ ſunt morbi, ſed durate, certate: reſpicite cum ſancto Laurentio hinc JESUM patientem, inde coronam fulgentem, quæ in cœlis vobis parata eſt, & placebitis vobis in infirmitatibus veſtris, ut olim in ſuis ſibi placuit Gentium Doctor, quoad tandem cum ſancto Laurentio æternùm cum Chriſto regnaturi triumphetis in cœlis, Amen.

CON-

Digitized by Google

CONCIO LXXIX.

FESTO ASSUMPTIONIS BEATÆ VIRGINIS.

MARIA optimam partem elegit,

Lucæ 10. v. 43.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRobat, Beatiſſimam Virginem non animâ tantum, ſed corpore quoq; fuiſſe aſſumptam ad cœleſtem gloriam. Quais in Aſſumptione jubilatio! quanta Virginis gloria.

§. 1. *Varia cordis amantis deſideria.*

§. 2. *Cur Maria dicatur aſſiſtere dexteræ ſponſi in veſtitu deaurato.*

§. 3. *Arca figura aſſumptæ Virginis.*

§. 4. *Maria aſſumpta ſol & luna.*

§. 5. *Rationes variæ, ob quas decuit, Mariam aſſumi ad gloriam animâ & corpore.*

§. 6. *Occurritur objectioni.*

§. 7. *Ratio Divi Anſelmi & Durandi.*

§. 8. *Ratio ſancti Auguſtini.*

§. 9. *Cor Virginis Matris decuit ſervari incorruptum in ſepulchro.*

§. 10. *Advocatam humani generis decuit in cœlis aſſiſtere Filio animâ & corpore.*

§. 11. *Alia affectuoſa ratio deſumpta ab Adamo & Eva in paradiſo.*

§. 12. *Quanta in cœlis lætitia in Beatæ VIRGINIS Aſſumptione.*

§. 13. *Magnitudo Marianæ gloriæ.*

O ſi

O Si inſiderem hac hora Phaetontis equis, vel igneæ Eliæ quadrigæ, vel Seraphini alicujus alis ad penetrandum aëra, nubes, imò ipſos cœlos! utinam pervenire liceret in ipſam ſupremam Beatorum Regiam, ad contemplandum illum thronum gloriæ, in quem hodiernâ luce Rex Regum ſuam Matrem, Reginam cœli & terræ collocavit. Aliud hodie mei oculi non deſiderant videre, quam illum triumphum, quo Dei Mater in cœlum eſt inducta. Aliud aures meæ audire non deſiderant, quam illas voces & melodias, quibus Angeli ingredientem Virginem exceperunt. Aliud nil cupio olfacere, quam illos odores, quibus hodie cœlum halavit. Similia ſunt deſideria mei amoris, mille cogitat metamorphoſes. Amor meus vellet eſſe una ex ſtellis, quæ Virginis ornant caput. Vellet eſſe ſol, quo veſtitur. Amor meus vellet eſſe luna, quam calcat. Vellet eſſe thronus, cui inſidet. Amor meus vellet eſſe Seraphin, qui ardet flammis amoris erga hanc Virginem. Amor meus vellet eſſe vox millies ingeminans: *Salve Regina*, vellet eſſe echo, millies reſonans: *Salve Regina*. Amor meus vellet eſſe gemma in corona, unio in ſceptro, roſa in veſte, annulus in digito, torques in collo, ſed vellet eſſe gemma, cui mille quoque corda incluſa, ad amandum Mariam, mille linguæ ad laudandum Mariam. Talia ſunt deſideria mei amoris hodierna luce, qua virgo Mater anima & corpore aſſumpta eſt in cœlum. Hoc myſterium hodierna celebrat feſtivitas. Ex vobis neminem puto de hoc myſterio dubitare, quia tamen aliqui hæretici id negant, hac Concione oſtendam ex ſacris Literis, ex ſanctis Patribus, ex ratione, quàm æquè fuerit, Virginem Matrem non animâ tantum, ſed etiam corpore aſſumi ad cœlos.

§. 1. Varia cordis amantis deſideria.

Marianum honorem, quo animâ & corpore exaltata eſt in cœlos, videtur præcinuiſſe Regius Pſaltes Pſ. 44. v. 10. *Aſtitit Regina à dexteris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate.* Divus Athanaſius in Evangel. de ſanctiſſima Deipara: *Nunc ſcilicet adeſt Regina à dexteris tuis in veſtitu deaurato*, cir-

§. 2. Cur Maria dicatur aſſiſtere dextere ſponſi in veſtitu deaurato.

circumamicta ſole, lunâ ſtellis. Regina & Domina, & Mater Dei; aſſiſtens à dexteris filii ubiq; regnantis quaſi in veſtitu deaurato incorruptionis & immortalitatis circumamicta, & variegata ſacris & ſolennibus verbis celebratur; non quaſi ſecundum ſpiritualem ſimplicitatem, aut quaſi ſine corpore, & carne aſſiſtat, ſed quod induta ſit [quantum ſpectat ad ſanctiſſimam ejus carnem] incorruptibilitate & immortalitate. S. Bernardinus: *Aſtitit, id eſt, cum corpore glorioſo, ex cujus ſplendore poſt Filium ſuum tota luceſcit civitas Beatorum.*

§. 3. *Arca figura aſſumptæ Virginis.*

Idem fecit David Pſ. 131. v. 8. *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ.* Nicephorus l. 2. hiſt. Eccl. c. 23. *Conſimili nimirum modo, & ipſam Dei matrem ex mortuis reſurrecturam fuiſſe, quo filius reſurrexerat, multo ante Davides ille hujusmodi verbis ſignificavit, ſurge - & - quaſi picturâ quâdam expreſſit* - ſcilicet arcæ, quæ ſicuti ingenti jubilo & applauſu à Davide illata eſt in montem Sion, ſic B. V. vera arca ſanctitatis, à Chriſto Filio ingenti Angelorum & jubilantium triumpho in montem Sion illata eſt, non animâ tantum, ſed corpore & carne, quæ & ipſa arca Sanctis fuit.

§. 4. *Maria aſſumpta ſol & luna.*

Audiamus iterum Regium Pſal. 88 v. 38. *Thronus ejus ſicut ſol & ſicut luna perfecta in æternum, & teſtis in cælo fidelis.* D. Bernardinus Sen. 4. t. ſer. 12. de aſſump. art. 3. c. 1. *Thronus ſiquidem Dei filii, mater illius eſt, quæ in conſpectu ejus ſicut ſol fulgens eſt, quantum ad gloriam animæ, & ſicut luna perfecta in æternum, quantum ad gloriam corporis ſine defectu, proinde gloriæ reſurrectionis* [& quoad corpus & animam,] *fidelis eſt teſtis.*

§. 5. *Rationes variæ, ob quas decuit, Mariam aſſumi ad gloriam animâ & corpore.*

Pro privilegio hoc in perſona Virginis pulchras gratias egit David Pſ. 15. v. 9. ubi Virgo ex ſepulchro exiens dixit Filio: *Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultavit lingua mea, inſuper & caro mea requieſcet in ſpe, quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* B. Amadeus h. 7. de laud. V. ultima verba ſic explicat: *Nec dabis corpus genetricis tuæ videre corruptionem.* Ex eodem loco pulchram pro nobis rationem eruit D. Bernardinus ſuper cit. *Prima ratio, quâ oſtenditur, quod B. Virgo Maria in anima & corpore regnat in paradiſo, eſt propter unitatem, ſcilicet ſubſtantiæ carnis in matre & prole. Cum*

enim

enim ex carne Matris decidatur naturaliter caro prolis, eadem utriuſque eſt profectò ſubſtantia carnis, ergo à generali ſententia mortis, quamvis Chriſtus Dei filius non exemerit Matrem, quia ab illa nullus, nec ipſe voluit eſſe alienus, ac per hoc mortuus eſt filius, mortua eſt & mater, attamen ſicut caro prolis corrupta non fuit, Pſ. 15. Nec dabis, &c. Sic nec debuit corrumpi, nec incinerari ſive in pulverem redigi SS. caro Virginis, unde caro filii aſſumpta eſt. Ergo caro animæ eſt reunita, & B. V. Maria ſimul in anima & corpore glorificata. Merito, ubi filius eſt, & quomodo filius eſt, corporis ſcilicet & animæ beatitudine donatus, mater etiam ibi eſt, & ſic eſt. S. Aug. ſer. de aſſ. *Lætabatur Maria lætitia inenarrabili, corpore & anima glorificata per proprium filium, quem in utero geſſit, quem genuit, quem fovit & aluit Dei genetrix, Dei miniſtratrix, Deique ſervitrix,* (juxta illud Joannis 12. v. 26. *Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur, & ubi ego ſum, illic & miniſter meus erit*) *de qua quoniam aliter ſentire non audeo, aliter dicere non præſumo.* B. V. ſervivit peculiari modo præ omnibus Sanctis, dum mater fuit, itaque peculiari ratione etiam eſſe debet cum filio in gloria. Sic ſentit S. Aug. ſic alii PP. fundati in Scriptura, quid curamus Lutherum?

Nemo dicat, naturæ legibus hoc repugnare. Mori omnes homines & incinerari. Sic eſt, ſed ſupra hanc legem eſt Maria, ut ſuper alias fuit. Lege naturæ B. V. debuiſſet concipi in peccato originali, ſed quia, &c. hoc nos jam credimus, B. Virginem fuiſſe immaculatè conceptam, Virgineum ipſius corpus à verme peccati originalis nunquam fuiſſe corroſum, itaque decebat, ut nec vermis poſt mortem illud corroderet. Durandus a. 3. diſt. 3. q. 1. *Incineratio ſive reverſio humani corporis in pulverem eſt pœna peccati originalis, ſecundum legem communem, per quam corpus de terra formatum in terris revertitur, ſed B. V. privilegiata fuit in hoc articulo, & rationabiliter, ut ſicut corpus Chriſti ſumptum de corpore Virginis, fuit immune à tali corruptione, ſecundum illud Pſal. 15. Nec dabis, &c. ſic corpus Virginis, de quo fuit ſumptum corpus Chriſti, fuit immune ab eadem corruptione.*

§. 6. *Occurritur objectioni.*

Divus Anſelmus ſermone 1. de aſſumpt. *Porro Sanctorum corpora, quæ fuerunt ſpiritibus repugnantia, carnis compage ſoluta,*

§. 7. *Ratio D. Anſelmi & Durandi.*

Digitized by Google

quia aggravarunt animam, & in petram traxerunt, inobedientiam tabe luunt, & in terreum elementum abeunt; Corpus verò Beatæ Virginis rebelle nunquam fuit, imò nec radix rebellionis ſive peccatum originale in illa fuit. Coſmas Græcus: *Tu ſacra & caſta Virgo, quæ præter naturæ ordinem DEUM enixa es*, [tota pulchra, tota immaculata,] *illum* [quem genuiſti] *æmulata, ſupra naturam naturæ legibus concedis, nam & moreris, & mortuo cum filio denuo exſuſcitaris, unà cum illo in omnem victura æternitatem.*

§. 8. *Ratio S. Auguſtini.*

Summum quoque privilegium præter legem naturæ fuit, quod MARIA facta ſit Mater DEI, & quod Virgo illum conceperit, quod Virgo illum genuerit. Ex hoc privilegio rationem pulchram deducit ſanctus Auguſtinus, decuiſſe, ut non anima tantum, ſed corpore etiam reſurgeret in gloria. Sermone de Aſſumpt. *Chriſtus igitur lætari facit Mariam in anima & corpore, nec ullam ſequi corruptionis ærumnam, quam nulla ſecuta eſt in pariendo filium integritatis corruptio: ut ſit ſemper incorrupta, quàm tanta perfudit gratia, & integriter vivens omnium genuerit integram vitam.* Ex hac gratia, quam Filius Matri, Spiritus ſanctus Sponſæ contulit, ut Virgo pareret, nil certius, quàm quod caro illa Virginea fauſtiſſimo illo partu conſecrata, atque ad filii integritatem & virginitatem evecta, toto poſt mortem incorruptionis & immortalitatis jure fuerit polita. Sanctus Auguſtinus citat. *Putredo & vermis ſunt opprobrium humanæ conditionis, à quo opprobrio, cum Chriſtus alienus ſit, Maria quoque natura excipitur, quam Ieſus de ea aſſumpſiſſe probatur, ut, quo fertur una pars, feratur & alia.* Pergit ſanctus Auguſtinus acutè: *Quantum intueor, & quantum video, quantumcunque intelligo, Maria anima fruitur Chriſto, & poſſidet in Chriſto, corpus quod genuit, cur ergo non poſſident illud, per quod genuit.*

§. 9. *C rpus Vir- g nis Mariæ de uis ſer- v iri incor-*

Placuit hæc ratio Virginitatis aliis ſanctis Patribus. Placuit Andreæ Epiſc. Hier. ſermone de Aſſumpt. *Sicut enim non fuit corruptus pariens uterus, ita morte caro non interiit. O miracula!*

cula! partus effugit corruptionem, & ſepulchrum non admiſit interitum. Placuit ſancto Bernardino Senenſi ſermone 12. de Aſſumpt. *Quia verò* [Filius] *potuit & voluit matrem ab integritatis corruptione, & pudoris violatione in conceptu & partu, ultra ſententiam latam contra quaslibet mulieres, ſervare immunem. Potuit & velle decuit ſervare à corruptione reſolutionis, & incinerationis, præter, imò ultra connaturalem conditionem humanæ naturæ. Sic ergo dicimus, Matrem DOMINI humanæ ſortis mortalitatem ſubiiſſe, ut tamen mortis nexibus non potuerit detineri, per quam ſine corruptione Dominus voluit concipi atque naſci.*

ruptum in ſepulchro.

Suavis denique eſt ratio, quam ex titulo Advocatæ eruit Joannes Bapt. Novat. t. 2. c. 9. quæſt. 1. - pro Aſſumpt. Virginis quoad animam & corpus: *Cum Virgo inter DEUM & homines Mediatrix electa ſit, æquum erat, ad efficacius hoc munus obeundum, ut glorioſum & immortale corpus illius cum anima reſurgeret, ut ſicut Filius cæleſti in Regia æterno Patri vulnera oſtendit, ita & ipſa ubera, ubi enim talia ſupplicationum concurrebant inſignia, nulla poterat eſſe repulſa.* Et poſt pauca: *Unde merito quilibet propriæ ſalutis cupidus tali fretus patrocinio dicere poteſt, ſpes mea ab uberibus Matris meæ.* §. 10.

Advocatam humani generis decuit in cœlis aſſiſtere Filio animâ & corpore.

Huic rationi ferè ſimilis eſt, quam affert Bern. Buſtius: *Debuit reſtauratio correſpondere prævaricationi: in paradiſo autem terreſtri fuit uterque parens, ſcilicet Adam & Eva. Cum ergo non ſit perfectior paradiſus terreſtris, quam cæleſtis, debuit etiam in cæleſti paradiſo eſſe uterque Parens gratiæ, ſcilicet CHRISTUS, qui nos generavit ſuo ſanguine, & Beata Virgo, quæ nos paſcit ſuæ pietatis lacte. Hi enim, in quibus culpa nunquam fuit, extra Paradiſum eſſe non debuerunt, alioquin melior quoad hoc fuiſſet conditio parentum culpæ, quàm gratiæ. CHRISTUS igitur prius cœlum aſcendit, & poſtea Beata VIRGO, ſicut enim uterque ſexus extra paradiſum expulſus fuit, ad oſtendendam plenam damnationem, ita ut oſtenderetur plena redemptio, uterque ſexus debuit in cæleſti paradiſo introduci.* §. 11.

Alia affectuoſa ratio deſumpta ab Adamo & Eva in paradiſo.

Digitized by Google

§. 12. *Quanta in cœlis lætitia in B. Virginis aſſumptione.*

Quâ verò gloriâ, quo ſplendore, quibus deliciis à Chriſto Filio Maria in cœlos inducta fuerit, alibi explicabo. Modo tantum moneo, ipſos Angelos fuiſſe raptos in admirationem, cum viderunt tam formoſam creaturam in pulcherrimo throno ad dexteram filii collocari. S. Bernardinus: *Quilibet cœlicus ordo lætatur, quia in B. Virgine reperit aliquid gloriæ ſpeciale.* S. Anſelmus l. de excel. V. c. 8. *Certè crediderim, omnes illius beatæ patriæ cives, feſtiviori ſolito ac ſublimiori nitore decoris ad adventum Matris Domini ſui præparari, ac novâ quadam & ineffabili jucunditatis gratiâ pro tantæ rei expectatione conjubilare.* Probabile eſt, omnes incredibili gaudio accinuiſſe illud Judith 15. v. 10. *Tu gloria Jeruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi noſtri,* id eſt, Dei, id eſt, Angelorum, id eſt, omnium Sanctorum & Sanctarum, quaſi nec Deus ita glorioſus futurus fuiſſet, nec adeo læti Angeli, neque Sancti & Beati cœlorum cives, niſi B. V. in cœlos fuiſſet recepta, verificatusque fuit v. 21. c. 26. Eccl. *Sicut ſol oriens mundo in altiſſimis Dei: ſic mulieris bonæ ſpecies in ornamento domus ejus;* quaſi diceret, Mox ut Deipara ſeſe paradiſo videndam exhibuit, haud ſecus ac ſol quidam, inter ſtellas eſſe, apparuit. S. Bernardinus p. 1. ſer. 61. art. 2. c. 3. *Tantum enim differt gloria Virginis à gloria aliorum Beatorum, quantum ſol à cæteris luminaribus ſolis, & quodammodo, ſicuti cætera luminaria irradiantur à ſole, ſic tota cœleſtis curia à glorioſa Virgine lætificatur & decoratur.* Ideo & nomen ejus eſt Maria, id eſt, Illuminatrix, Illuminatrix, id eſt, ſol, illuminatrix! id eſt, luna. S. Bernardus cum S. Bonav. in ſpec. Virg. c. 3. *Sic illuminans Maria in gloria ſua, rutilans per omnia reſpicit, ut per omnes Angelos & Sanctos gloriæ ſuæ illuminationem extendat.* Petrus Can. l. 5. de Deip. c. 4. *Ecce tua præſentia non ſolum orbis illuſtratur, ſed & cœleſtis patria nunc clarius rutilat, Virgineæ tuæ lampadis illuſtrata fulgore.*

§. 13. *Magnitudo Marianæ gloriæ.*

Aſſumptæ Virginis gloriam SS. PP. non poſſunt ſatis exprimere: ideo S. Bonaventuræ ad illam explicandam placuit Eſter. in ſpec. c. 6. Eſter. 2. v. 16. *Ducta eſt itaque ad cubiculum Regis Aſſueri, & adamavit eam Rex plus quam omnes mulieres, habuitque gratiam & miſericordiam coram eo ſuper omnes mulieres, & poſuit diadema*

regni

regni in capite ejus. Iſta Eſther [inquit Bonavent.] *Regina beata Virgo Maria; ducta eſt in cubiculum Regis æterni in aſſumptione in cubiculum quietis æternæ, gratiam veri Regis habens ſuper omnes mulieres, ſuper omnes intelligentias Angelicas, & ſuper omnes beatas animas, ut ſit in Mariæ gratia ſupra gratiam omnium beatorum: nam revera in capite ejus Rex Regum diadema regni poſuit, tam impretiabile, tam delectabile, tam mirabile, quod hoc omni linguæ inenarrabile, omnio ingenio inſcrutabile eſt.* Rurſum: *Quis etiamſi linguis hominum Angelorumque loquatur, explicare queat, quemadmodum ſuperveniente Spiritu, obumbrante virtute Altiſſimi caro factum ſit Verbum DEI. Sed & illud quis cogitare ſufficiat, quam glorioſa hodie mundi Regina proceſſerit.* [Epilogus conſtet affectu aggratulationis.]

CONCIO LXXX.

FESTO S. BARTHOLOMÆI APOSTOLI.

Exiit JESUS in montem orare,

Lucæ 6. v. 12.

SYNOPSIS CONCIONIS.

TRibulationes ſunt utiliſſimæ: Quâ ratione de manu Dei illas oporteat ſuſcipere.

§. 1. *Tribulatio S. Bartholomæo fuit utilis.*

§. 2. *Eadem nobis eſt utilis.*

§. 3. *Reddit nos glorioſos.*

§. 4. *Vult Deus igne tribulationis comburi vincula noſtrorum peccatorum.*

§. 5. *Quid agendum ſit in tribulationibus,*

lationibus, exemplo Iob.
§. 6. *Tragica hiſtoria, qua nos docet, quomodo in tribulatione nos reſignare & orare debeamus.*
§. 7. *Proſecutio.*
§. 8. *Immittit DEVS tribulationes, ut ſimus memores cœleſtis gloriæ; cujus ſpes nos facit animoſos.*
§. 9. *Per mare tribulationis patet iter ad montes gloriæ.*
§. 10. *Proſecutio.*
§. 11. *Reddit amara dulcia.*

§. 1. *Tribulatio S. Bartholomæo fuit utilis.*

NOn arbitror, eſſe ex meis Auditoribus, qui dum hodierno feſto audit nominari ſanctum Bartholomæum, non cogitet de crudelitate tyranni, qui ſanctum juſſit Apoſtolum vivum excoriari; de barbarie lictorum, qui pellem illi detraxerunt, de cultris, quibus facinus illud horrendum ſunt executi, de ſanguinea pelle, quacum ſanctus ille Apoſtolus nobis depingi conſuevit. Sed crudelitas tyranni, barbaries lictorum, cultrorum ſævities, cruentæ pellis ſpectaculum, defluens ex vulneribus ſanguis, cruda caro Bartholomæi, verbo, ſanctus Bartholomæus in tantis tormentis nos hortatur, ut & nos illos dolores, illas afflictiones, perſecutiones, quibus ex permiſſione DEI affligimur; illos cultros, cultrum paupertatis, cultrum contemptûs, cultros dolorum, quibus ſentimus nos ſubinde excoriari, feramus & ſuſtineamus, illâ patientiâ, illâ conſtantiâ, illo amore, illo gaudio, illis virtutibus, quas in martyrio ſancti Bartholomæi tantopere miramur & deprædicamus. Tyranni crudelitas, lictorum atrocitas, horribilis excoriatio, ſciſſuræ, vulnera, acerbi dolores, tormenta ſancto Bartholomæo fuerunt utiliſſima. Iisdem cultris, quibus vivus ille fuit excoriatus, Divina providentia & bonitas præſcidit laurum, palmas, roſas, flores, ex quibus contexta fuit corona pro ſancto Bartholomæo. Cruenta pellis & defluens ſanguis mutata ſunt in purpuram æternæ gloriæ. Verbo, ſancto Bartholomæo fuit utile pati. Et hoc eſt, quod alterâ Concionis parte oſtenſum eo, nimirum tribulationes eſſe nobis perquam proficuas. Alterâ, quâ ratione illas à paterna Dei dextera acceptare oporteat: Attendite.

Duo

Duo ſunt hominum genera; juſtorum alterum, alterum impiorum. Ex utriuſque commodo eſt, vexari, affligi, tribulari. Et juſtis quidem magnarum eſt mater virtutum tribulatio, neq; ullum eſſe arbitror ſpectaculum Deo atq; Angelis acceptius, quàm cum innocentem vident adverſitatibus ſubjectum, ſic, ut innocentiam comitetur patientia, patientiam innocentia. Impiis verò ad hoc conducit tribulari, ut corrigantur: Hoc eſt, quod Divina bonitas ſuis intendit flagellis; Primum quod attinet, non eſt brevior via ad virtutem, quàm tribulatio patienter tolerata, unde oportet eſſe tribulationes. Tob. 12. v. 13. *Quia eras acceptus Deo, neceſſe fuit, ut tentator probaret te.* Tribulatus ſpargit odores virtutum. Scriptura narrat nomina, [Job. 42. v. 14.] quæ tribus filiabus ſuis impoſuit, *& vocavit nomen unius Diem, & nomen ſecundæ Caſſiam, & nomen tertiæ Cornuſtibii*, vel cornu Amaltheæ. Sic LXX. legunt, *non cogitate hoc factum ſine conſilio*; Si SS. PP. credimus, voluit Job ſignificare tres ſtatus ſuæ fortunæ; primus ante adverſitates, fuit ſimilis diei, quæ nos ſuâ luce recreat, ſecundus ſtatus fuit calamitatis, & Caſſiæ comparatur, quia proprium eſt, ut virtus in adverſitatibus ſpargat odorem bonum; nimirum, quò ſæpius fortiusque in mortario odoriferum tunditur atque contunditur lignum, eò amplius latiusq; ſuum diffundit odorem: ſic virtus non niſi cùm exercetur apparet pulchrior, olet ſuavior, ſentitur gratioſior. Vis ſuavem thuris odorem percipere? in ardentes prunas conjicias neceſſe eſt. Virtus probatur in flammis. Hoc eſt, quod Eccl. ait c. 50, 9. *Quaſi ignis refulgens & thus ardens in igne.* Tertius verò ſtatus, qui fuit perſeverantiæ in adverſis, ſimilis eſt cornu Amaltheæ, in quo omnes fructus virtutum colligantur. Volo dicere, tribulatus eſt humilis, eſt obediens, amat Deũ, orat, contemnit mundum. Exerceamus hoc tempore has virtutes. Ob has virtutes tribulatus Deo tam jucundum eſt ſpectaculũ; hoc Deus voluit ſignificare in l. Job quando ex dæmone, qui circuierat terram, non quęſivit, vidiſtinè monarchias & imperia, quæ ſe meo ſceptro ſubmittunt? vidiſtinè palatia regũ, quæ apices ſuos perdunt in nubibus? vidiſtinè exercitus virorum, quos & corporis robur & armorũ horror toti reddit tremendos orbi terrarũ, non quæſivit, vidiſtinè

§. 2.
Eadem nobis eſt utilis.

nè theatra gloriæ, triumphos pulchritudinis? conſideraſtinè divitias terræ? nihil horum, quid igitur? *Nunquid conſideraſti ſervum meum Job, quod non ſit ei ſimilis in terra*, Job. 1. v. 8.

§. 3. Tribulatio nos reddit glorioſos.

Et quid eum adeo reddidit ſpectabilem, niſi tribulatio? Caſſianus coll. de nud SS. *Ex locuplete pauperrimus, nudus ex divite, ex valido tabidus, ex inclyto & glorioſo ignobilis, ſterquilinii factus habitator, & velut corporis ſui fœdiſſimus carnifex, teſtâ radebat ſaniem, & vermes ex profundis vulneribus propriis manibus detrahebat.* Et tamen invicta ſtat Jobi virtus, invicta patientia, fortitudo invicta! & tamen in Dei ſui laudes effunditur, nec ab ejus ſanctiſſima voluntate vel ad latum cupit unguem diſcedere: Hoc voces ejus probant verè fortes, verè glorioſæ: *Sicut Domino placuit, ita factum eſt.* Et: *Dominus dedit, Dominus abſtulit.* Et denique: *Sit nomen Domini benedictum!* Quid adhæc Auditores? profectò non ſunt adeo tempora noſtra vel fortunata vel ſterilia, quin plures ejusmodi Jobos in theatrum patientiæ producant. Sed quotusquiſque eſt, qui Deum laudat in adverſis? O quam pauci! quotuſquiſq;, qui pro hoc beneficio Divinæ Majeſtati gratias agit ex animo: *O quam rara avis in terris!* Audiamus de Jobo Tertullianum de pat. c. 3. *Quale*, inquit, *in illo viro feretrum Deus de Diabolo extruxit, quale vexillum de inimico ſua gloria extulit.* S. Olalia, quatuordecim annorum virgo, cum cæderetur, aſpiciebat lacera & ſanguinea membra, dicens: *Quam juvat hos apices legere, quia tria Chriſti trophæa notant - O mi Ieſu, quam libenter has lego notas! quàm animitus hos inſpicio characteres!*

Nam tua mi Jeſu Chriſte trophæa notant.

quæ tuli verbera, non jam verbera duco, ſed verba, utique verba vitæ, quæ ſuſtinui tormenta, non jam tormenta ſunt, ſed Elementa, Grammaticæ nimirum cæleſtis; quas ſenſi plagas, jam non plagæ ſunt, ſed literæ amoris Divini!

Nam tua mi Jeſu Chriſte trophæa notant.

§. 4. Vult, igne tribulationum com-

Jam vero, quod in hac etiam vita animadvertat in impios, clementia potius Divinæ, quam iræ, ſymbolum agnoſco. Quid enim eſt, quod ſuis intendit flagellis, nonne, ut à via tartari revocemur

Digitized by Google

cemur ad viam cœli? nonne, ut corrigamur in malo, & convertamur ad bonum? aliud certò nihil, ſed heu, nihil minus à nobis perpenditur: Corripimur, non corrigimur: flagellamur, non emendamur. Ignem fateor, ingnem tribulationis Deus ſubinde in corpora noſtra injicit, ſubinde in animas: at hoc igne nil niſi ſcelerum incendium intendit. Non nos cogitat comburere, ſed flagitia noſtra, ſed pravas affectiones noſtras, ſed deſideria immunda. Daniel. 3. juſſu ſuperbi Regis tres pueri conjiciuntur in flammas. Eleganter de his D. Chryſoſt. *Pueri ergo jactantur in flammas, ibat circa innocuos pedes novo libramine temperatus artifex ignis & ſola comburere vincula laborabat.* Planè talis ignis eſt ignis tribulationis, peccata noſtra ſunt vincula, vellet ea tolli Deus quid facit? excitat ignem, non ut anima comburatur, ſed peccata fortiſſima illa vincula animarum. Nunc igitur quid faciendum?

buri vincula noſtrorum peccatorum.

Patiendum nobis eſſe perſpicimus, ante omnia peccatum fugiendum, cavendum, ne offendamus Deum; hoc ſuppoſito inſtructionem ſuggeram bonam, quam in adverſitatibus ſervare oportet. Ad Jobum regredior, ſolidæ ſpeculum virtutis: hunc imitemur: cap. 1. verſ. 20. *Tunc ſurrexit, & ſcidit veſtimenta ſua, & tonſo capite corruens in terram, adoravit, & dixit: nudus egreſſus ſum; ſit nomen Domini benedictum.* Notate, ſcindit veſtimenta, ut oſtendat, ſe non curare omnia bona exteriora, quæ ſunt divitiæ, poſſeſſiones, agri, villæ, domus, armenta, pecora, nam hæ per veſtes denotantur. II. Abſcindit capillos, quo oſtendit, totum ſe Deo offerre ex ejus arbitrio: nam Sacerdotes offerebant capillos. III. Proſternit ſe humi, cognoſcens ſuam originem. IV. Orat. En quo pacto ſe quis gerere debeat in adverſis. Age fidelis anima, quid eſt, quod te in tantum cordis mœrorem adducit? jactura forſan, quam paſſa es in fortunis, in opibus, in honore, in deliciis? Jobum imitare, ſcinde veſtimenta, terrena contemne, cogita, quam ſint illa modica, quam fluxa, quam vana & inania! reſeca porro capillos, reſigna te bene pleneque in manus Dei tui, dic: *Mi Deus, ſi tibi ſic placitum, fiat: tuus ſum totus, non meus. Sit nomen tuum mi Domine benedictum, ex hoc nunc &*

§ 5. Quid agendum ſit in tribulationibus, exemplo Iob

uſque in ſæculum. Dic cum Anſ. Toloſano: *Divitiæ meæ Chriſtus, deſint cætera.* Præterea te in terram proſterne, agnoſce tuum nihilum, humiliare in conſpectu Dei tui, dic centies: Mi Jeſu, imo millies, hæc & majora merui flagella: non ſum ego innocens, non eſt quod querar aut murmurem. Denique laxa ut potes habenas ſanctis affectibus, & totus cum Jobo in Dei laudes effundere. En modum ac methodum, i nunc, & in praxin, quod dixi, redige.

§. 6. Tragica hiſtoria, quæ nos docet, quomodo in tribulationibus nos reſignare & orare debeamus.

Juvat rem exemplo quodam pathetico velut in ſpeculo cognoſcere. Eſt is Emanuel Soſa, nobilis ille, Luſitanum quem cum conjuge ac ſociis naufragum ſtylo eleganti atque ad commiſerationem appoſito deſcribit P. Maffejus hiſt. Indic. lib. 16. Non ego hîc ejus in Indias navigationem, non vitam ibidem actam commemoro: non recenſeo reditum ex Indiis, quando Cocini navim cum uxore Eleonora, liberis & ſexcentis ferè famulis conſcendit. Solum obiter adumbraſſe ſufficiat naufragium, quod ad promontorium bonæ Spei paſſus eſt ex horrenda illa tempeſtate, quæ navim alliſit ad ſcopulos, vectorum complures Oceano demerſit unà cum opibus atq; theſauris. Heu qualis & quanta tempeſtas! evaſit tamen naviculæ præſidio Soſa cum conjuge, liberis ac paucis comitibus Sed quid dico, evaſit? Oceani quidem procellas, at non famem, non ſitim, non ſolitudinem, non prædones, non calamitates alias ſexcentas. In incertum hinc inde cum ſuis vagatur in ſylvis, pone ſequitur Eleonora conjux cum liberis dilectis, itur per avia & invia, per ſaxa & teſqua, per montes, per valles. Cogitate vos, quanta hæc calamitas! quanta miſerorum afflictio! menſes omnino quatuor horridum hoc tenuit exilium, à quo tandem in latrones delapſi, veſtibus exuti, verberibus affecti; adeoq; barbarè ſunt habiti, ut & ipſa pudiciſſima matrona Eleonora multis licet lachrymis ne vel induſium tegendæ nuditati obtinere potuerit. O ſors acerba! ergo ſuis ipſa manibus arenam effodit, ſeq; ipſam umbilico tenus ſic quaſi contumulat, nec aliud primum, quam maritum Emanuelem inclamat. Verùm dilapſus ille jam fuerat cum pauculis in ſylvam: ſpectaculum triſtiſſimum! defoſſam hîc video Eleonoram, illic humi

jacentes

jacentes miſeros Eleonoræ natos, ſemivivos; nam ipſa jam fames illos propè exanimarat. Sed nunc ad rem meam propius. In hoc tam acerbo caſu mentem oculosq; levat ad Deum Eleonora; hujus omnia fieri permiſſu conſiderat, in hujus ſe manus paternas pleniſſimè reſignat, & hunc ferè in modum cum lachrymis precatur:

O mi Deus! ecce me tuam creaturam! nimirum quo ſtatu mundum hunc ſum ingreſſa, eodem egrediar: jam mediam corporis partem meis ipſa manibus ſepelivi. O mi Deus! exoſculor & adoro virgam, Juſtitiæ tuæ Divinæ virga eſt, quod paſſi ſumus naufragium, exoſculor hanc virgam: virga eſt, rerum omnium opumq; jactura; exoſculor; virga triſtis illa ſolitudo: virga fames & ſitis, quacum in ſolitudine conflictati ſumus tantopere; exoſculor. Virga ſquallor filiorum, quos ſemianimes conſpicio: ah, ah, & hanc ego virgam exoſculor: virga mariti abſentia, heu me afflictam, heu deſolatam! ſed quid effundor in gemitus, tuæ ſunt mi Deus hæ virgæ, tua eſt hæc diſpoſitio paterna; & hæc & plura alia gravioraq; ſceleribus noſtris commeruimus. Non adeo ſumus innocentes! *Juſtus es Domine, & juſtum judicium tuum*! Nunc obſecro, ſuſcipe animam mariti, ſi forte in vivis alicubi adhuc verſetur; ſuſcipe animas filiorum, & meam deniq; animam ſuſcipe, quam tibi Creatori meo ac Redemptori lubens unà cum corpore reſtituo, & toti orbi terrarum, patriæ dilectæ, amicis notisque omnibus valedico. Dum hæc ſecum Eleonora, ecce tibi revertitur Emanuel conjux, conjugem reviſit cum liberis, ſtupet ad ſpectaculum tam inſolens, horret, exclamat! Heu qualis & quantus dolor! quis hîc ſuſpiria, quis lachrymas utriusq; deſcribat? regreditur in ſylvas Soſa, an ut folia ſedandæ tum ſuæ, tum conjugis liberorumq; fami conquirat? an ut à tam triſti ſpectaculo oculos avertat? vos conjicite. Subinde, dum redit, ecce tibi jam ſingulos morte reperit extinctos. O vulnus cordis immane hîc, hîc ſuſpirat Soſa, tum conjugis filiorumque exoſculatur cadavera, lachrymis interim indulget uberrimis, ac tandem terræ mandat modo rituq; extemperaneo dilecta pignora: tum in ſylvarum abdita rurſum divertit, nec revertit unquam à feris forſitan, be- §. 7. *Proſecutio.*

 ſtiisque

ſtiisque conſumptus. Vos nunc conſulo Auditores mei. Dicite, an non luctuoſa hæc, an non tragica admodum hiſtoria? audio dicentes nonnullos, noſtra non fuit hactenus tanta, nec eſt, nec erit calamitas. Utinam! quis ſcit, quid ſerus veſper vehat? quis ſcit, quem bella, quæ toties adverſus Chriſtianum movet Imperium Ottomannicus hoſtis, ſortitura ſint exitum? nondum omnium dierum ſol occubuit. Non adeo ſecuri ſumus, ut nobis blanda omnia proſperaque polliceamur. Sed utut ſit iſtud, peccatores ſumus! gravium ſumus ſcelerum rei! heu! ſufficit! ſat magna, imo omnis eſt ita calamitas. Hinc flagella Juſtitiæ Divinæ, hinc pœnæ, hinc ſupplicia. Submittamus his omnibus cervicem, & cum Soſa ac Eleonora in ſpiritu humilitatis adoremus atque exoſculemur virgam Divinæ Dexteræ; ſive illa virga ſit paupertas; *exoſculemur*: ſive illa ſit contemptus; *exoſculemur*: ſive illa ſit injuriarum acerbitas; *exoſculemur*: ſive illa ſit morborum congeries; *exoſculemur*: ſive illa ſit jactura fortunarum temporalium; *exoſculemur*: ſive ipſa deniq; virga ſit mors in oculis hominum calamitoſa; *exoſculemur*.

§. 8. Immittit Deus tribulationes, ut ſimus memores cœleſtis gloriæ, cujus ſpes nos facit animoſos.

Jam verò illud agendum præterea, ut cogitemus, Deum immittere tribulationes, quo memores ſimus cœleſtis gloriæ, nam hujus ſpes, ſive ſpes mercedis ſcilicet cœleſtis gloriæ etiam ad ardua & difficilia intrepidum reddit hominem, atque animoſum: quis in vinea vel monte ita ſudaret, laboraret, niſi merces verſaretur præ oculis? unde bene S. Ambroſ. in c. 9. Lucæ: *Ne quis deſperatione frangatur, aut tædio*, mercedis facit mentionem. In reg. brevioribus quærit S. Baſilius, quinam frigidus Chriſtianus accendi poſſit, ut in vinea Domini ſtrenuè laboret? reſpondet: *Nempe ſi ei perſuaſum ſit, accepturum unumquemque propriam mercedem.* Sciat quis mercedem, eſſe cœlum, quiſquis hoc præ oculis habebit, in labores incumbet ſtrenuè, nihil ardui timebit, fortitudo exprimitur per cor latum. Sed bene Proverb. 21. v. 4. *Exaltatio oculorum eſt dilatatio cordis.* 4. Reg. 2. v. 11. adeſt è cœlo currus igneus, ut rapiat Eliam ad cœlum, ſic ait textus: *Ecce currus igneus, & equi ignei, & aſcendit Elias per turbinem in cœlum.* Hoc nunc miror, undique hic ignis proſilit, ignis ex rotis, ex

igneis

igneis equis, ex naribus ignes, & tamen Elias nihil terretur, ſed prout colligo ex Scriptura, ſtatim aſcendit; quid igne terribilius? ob quam etiam cauſam Cherub cum flammeo gladio ante paradiſum fuit collocatus, ad terrendos omnes, atque ingreſſu arcendos, Gen. 3. v. 24. Igneum currum Elias non tantum non pertimeſcit, ſed & illa velut aurea in rheda lætus atque triumphans evehitur! ſed unde iſte animus? S. Baſilius hom. de Bapt. pulchrè reſpondet: *Helias currus, equosque igneos minimè expavit, verum itineris ſuperni deſiderio incenſus contra formidoloſa eſt auſus, ac hilaris, gaudensque flammantes aſcendit currus, cum adhuc eſſet in carne.* Sciebat Propheta, illo curru patere viam ad cœlum, hunc currum elevare ad paradiſum, ideo contemnit flammas, ignes, ſcintillas, quia reſpiciebat cœlum, quo pergebat. Hinc nulla Eliam rotarum, nulla totius quadrigæ terrent incendia, Cœlum reſpiciebat. Scio, Auditores mei, & nobis quandoque igneos ſubmittit currus Divina Bonitas, hoc eſt, varias cruces, adverſitates diverſas. Quid facimus? reſiliunt alii, alii vociferantur, alii præcipiti ſeſe ſaltu de curru demittunt. Quæ cauſa? cœlum non reſpicimus, non imitamur Eliam, oculos in ignem illum ſublunarem, non ad Empyreum conjicimus. Non ſic mi homo, non ſic: ne te flammarum terreant ignivomi turbines, cœlum, cœlum reſpice. Audi Chryſoſtomum hom. 28. in Geneſin: *Talis neque gladium timet, neque præcipitium, neque ferarum dentes, neque tormenta, neque aliquid triſte in hac vita, ſed etſi videat carbones ſubſtratos quaſi prata, & paradiſos videns, tranſilit deſiderium enim futurorum mentem illius.* Qui oculos ponit in futuram mercedem, requiritur etiam, ut in vinea Domini ſtrenuè laboret. Labore comparatur merces, ſic & cœlum. S. Baſil. hom de Barlach. *Pericula non reſpicit Martyr, coronas reſpicit, plagas non horret, ſed præmia numerat, non videt lictores infernè flagellantes, ſed Angelos ſupernè lætis omnibus acclamantes imaginatur; non ſpectat ad temporalia pericula, ſed ad præmiorum æternitatem.* Per ignes ſcilicet, per ardua itur ad cœlum, qui præ oculis habet cœlum, in mediis tribulationibus gaudet.

Ut

§. 9. *Per mare tribulationus patet iter ad montes gloriæ.*

Ut idem ex Scriptura probem, ab igne venio ad aquas. Joan. 6. v. 1. dicitur de Chriſto D. cum pergeret ad illud miraculum multiplicationis pan. *Abiit trans mare*, & ſtatim dicitur, *ſubiit ergo in montem Ieſus*. Hic Rupertus quærit, an hæc ſit bona conſequentia, abiit trans mare, ergo venit in montem; non apparet, quod non, neq; enim trans mare ubiq; montes, quidquid de hoc ſit, in ſenſu myſtico, conſequentia eſt legitima, nam ut ſcitur ſymbolicè eſt mare tribulationum, montes verò gloriæ, hic ergo ſenſus, hic quiſquis patitur, olim gaudebit, hoc certum, hîc quiſquis laborat in vinea, conſequetur mercedem. Ut ergo in mari tribulationum, inter fluctus non deficias, reſpice montem, cœlum cogita, ut in mari tribulationum gaudeas, reſpice cœlum. Conſiderate v. 1. Pſ. 136. in capt. Babyl. ait populus: *Super flumina*; mirabilis modus loquendi, ut quis triſtis ad littus ſedeat, & queratur; tranſeat, ſed quid flumina Babylonis convertit in marmor? quomodo captivi tam leves, ut non fuerint ſubmerſi? reſpondent ipſi, dum record. &c. tenebamus in memoria eam gloriam de Sion, ideo in trib. orant fortes. Abbas Tuicienſis ſuper cit Pſ. *Illorum hoc erat deſiderare, qui recordabantur Sion, tales nimirum non ſub aquis fluminis abſorpti erant, ſed ſuperſedebant ſimiles aviculis paratis ad volandum.*

§. 10. *Spes gloriæ viam mandatorum facit levem.*

Spes mercedis levem reddit obſervationem mandatorum. Pſ. 118. v. 96. ait David: *Latum mandatum tuum nimis*, ſcilicet ô Domine, quàm lata, ampla, plana eſt via tuorum mandatorum, quaſi dicat, dum per illam curro, videor mihi incedere per hortos; ſic loquitur hoc loco. Pſ. 16, 4. videtur ſibi manifeſtè contradicere, ait enim: *Propter verba labiorum tuorum cuſtodivi vias duras*. Ecce eadem via hic dura, ibi plena, hic ſtrata ſpinis, ibi roſis. Videtur eſſe contradictio, ſed utrumque veriſſimum; Obſervatio pulchra, eſt difficilis illis, qui non recipiunt mercedem, facilis, ſed quod fundamentum hujus, reſpondet ex Scriptura pulcherrimum ex ipſo cit. Pſal. 118. v. 96. immediate enim ante, *Latum, &c.* ait: *Omnis conſummationis vidi finem*, quaſi diceret: O Domine, & anguſtæ ſunt mandatorum tuorum viæ, & latæ: & faciles ſunt, & difficiles: & molles ſunt & duræ; & roſis ſunt ſtra-

ſtratæ & ſpinis. Spineæ, duræ, difficiles, anguſtæ ſunt, cum oculos demitto in terram; at ubi illos in aſtra reflecto, ubi illam, quæ conſecutura eſt certò, cœli gloriam conſidero, ubi finem inſpicio laborum, jam ſpinæ vertuntur in roſas, jam via aſpera mutatur in planã, facilẽ, latam atque exoptatam. Dulce volupe eſt tibi ſervire, dulce, ſudare in tua vinea. Guar. l. 5. de advent. *Quodſi nimis arctam viam cauſaris, proſpice finem, quò te via ducit, ſi enim omnis conſummationis videris finem, continuo dices, latum, &c.* repeto, conſideratio mercedis in via crucis facit agiles, celeres.

Audiviſtis ſæpe de mirabili viſione quatuor animalium, Ezech. 1. v. 7. pedes animalium ſcilicet leonis ſic deſcribit: *Planta pedis eorum quaſi planta pedis vituli*, ſcilicet tardi & gravis animalis, quale eſt bos. LXX. verò legunt: *Pedes eorum pedes pennati*: ſed quomodo hæc duo conveniunt? ſi fuêre pedes bovis, quomodo volarunt? ut difficultas ſolvatur, notandum quid ante Propheta dixerit, ſcilicet: *Super capita animalium ſimilitudo firmamenti*, nunc intelligo, bos habet pedes tardos ex natura ſua, ſed volantes, cum ſuper caput illius ſimilitudo eſt firmamenti, ſic ſe res habet, natura ſumus tardi, ad bonum difficiles, inertes: undenam igitur quibuſdam volatus? dicam, ſuper capita illorum ſimilitudo firmamenti: hoc eſt, cœlum reſpiciunt, ſpes gloriæ cœleſtis illis & alas addit & animos. §. 10. *Profecutio.*

Imo ſpes hæc omnia reddit dulcia. Probabo dulciſſimo loco ex dulci Cant. c. 3. v. 2. ait Sponſa: *Surgam, & circuibo civitatem per vicos & plateas*, ut ſcilicet quæram dilectum. Sed Sponſa mea, quid ſi via ſtrata ſpinis, quid ſi obeundi tibi omnes urbis vici atque anguli? *Ibo*, quid ſi quem quæris, non ſis repertura? *Ibo*, quid ſi euntem nocturni vigiles invadant? *Ibo*, quid ſi duris te verbis aggrediantur? *Ibo*, quid ſi etiam verbis addant verbera? ibo tamen, ibo, & quæram, quem diligit anima mea; nec quieſcam, quoad illum & videro, & caſto amplexu ſtrinxero. Surgam, & circuibo. Vix hæc dixerat Sponſa, & Sponſus ait: *Ne ſuſcitetis, neque evigilare faciatis dilectam*; quaſi diceret, Sponſa mea ſuaviter quieſcit & dormit, nolite igitur illi faceſſere moleſtiam, ſed bene Doctor Angelicus: *Ecce, eodem loco Sponſa depingitur*, §. 11. *Reddit amara dulcia.*

Digitized by Google

tur, hinc vigilans, hinc dormiens in quiete, ſed ſi vigilat, quomodo dormit, contra angelicè reſpondet Doctor Angelicus, *Totus es vertendus, idem eſt, quærere Chriſtum, cælum, & dormire, quia ſuaviſſimus & dulciſſimus ſomnus eſt Chriſtum quærere.* Sed quid ſi occurrant ſpinæ? ſuaves ſunt, quia ducunt ad Chriſtum, ad cœlum. Unum adhuc adduco locum, Pſalmos ſic incipit David, *Beatus vir*, ſcilicet à beatitudine. S. Baſilius videtur, quod non benè, nam prius eſt pati, deinde eſſe beatum. Mox ſe corrigit, & ait, bene feciſſe Davidem, nam numeraturus erat labores, tribulationes, perſecutiones. Probat ergo, horum exitum felicem ac beatum fore, *ut bonorum nobis repoſitorum ſpe invitati nihil gravatim aut moleſtè quidquid occurrit doloris, aut triſtitia perferamus, Amen.*

CONCIO LXXXI.

FESTO NATIVITATIS BEATÆ VIRGINIS.

Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens?

Cant. 6. v. 9.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EXtollit externam pulchritudinem & ſplendorem Mariæ natæ, jacentis in cunis, tum torrentis inſtar ſe effundit in diverſiſſimos actus & deſideria amoris erga pulcherrimam Virginem.

§. 1. *Exordium natæ Virgini dicit mille ſalutes.*

§. 2. *Maria in cunis aurora tota lucida.*

§. 3. Ma-

§. 3. *Mariæ jacentis in cunis pulchritudo in formoſiſſimo corpuſculo.*
§. 4. *Explicatur illa per varias res pulchras.*
§. 5. *Oculi parvulæ ex cunis urunt nos, & feriunt.*
§. 6. *Miratur Auctor, ad cunas puellæ deſcendere Angelos.*
§. 7. *Sed adſunt, ut nobiſcum applaudant MARIÆ.*
§. 8. *Qualis in cunis jaceat puella.*
§. 9. *Maria in cunis Dei pictura, naturæ ſpeculum, cœli pupilla, mundi corculum.*
§. 10. *Conglobati affectus & deſideria amoris erga Mariam.*
§. 11. *Proſecutio.*
§. 12. *Affectuoſus Epilogus.*

LIceat mihi, Auditores, naſcentem hodie Virginem inter Angelicos choros, totiusque cœli & terræ feſta hilaria ſalutare, & hoc qualecunque genethliacon balbutire. Ave Eva innocens, naſcituri diei, & renaſcituri Orbis magna Mater, quæ naſcens progederis quaſi aurora conſurgens, pulchra ut luna, electa ut ſol. Ave aurora, ave luna, ave ſol, ave ſtella matutina in medio nebulæ hodie conſurgens. Quia hodie in naſcente Virgine impletum eſt lætiſſimum illud Iſaiæ vaticinium, cap. 11. verſ. 1. *Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet*; Ave virga, ave Virgo, ave radix, ave flos, ave fructus æternæ benedictionis. Merito hodie in te, ô beatiſſima puella, reſpiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, & per te, & de te, benigna manus omnipotentis, hodie quidquid creavit, recreat, ô mortales! habetis hunc diem in monimentum amoris & fœderis æterni, & celebratis eum ſolennem Domino in generationibus veſtris cultu ſempiterno. Exultemus, & ſicut gaudere ſolemus in Nativitate Chriſti, ita etiam gaudeamus in Nativitate Matris Chriſti. Hodie nata eſt Regina mundi, feneſtra cœli, janua paradiſi, tabernaculum Dei, ſtella maris, ſcala cœleſtis, hodie nata eſt ſplendidiſſima illa Virgo, ex qua proceſſit ſpecioſus forma præ filiis hominum, tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo. Hodie prodiit ex utero Matris, quâ templum fieri meruit Divinitatis, & requies SS. Trinitatis. Ave ô beatiſſima puella!

§ 1. *Exordium nata Virgini dicit mille ſalutes.*

la! ad beatiſſimæ puellæ cunas poſt dulciſſimum Ave, nonnihil ſubſiſtamus, ſolus ejus aſpectus corda noſtra beati amoris flammis inflammabit.

§. 2. *Maria in cunis aurora tota lucida.*

Immortalem mox oriturum ſolem nunc expectate mortales, hodie in auratis & roſeis cunis aurora exoritur, & quia Regii generis eſt aurora, dies ejus natalis vocetur Imperatorum dierum Regina, quâ mundi Imperatrix venit in lucem. Prima hæc natalis dies, innocentis & aurei ſæculi feliciſſimas calendas inſcribit, quibus caligo terræ ſcinditur, percuſſa auroræ ſpiculo, rebusque jam color redit, vultu nitentis ſideris. Si novum aliquod prodigium divinitus factum apparuiſſet in terris, illud ſolenne Veteres Romani ſervaverunt, ut ex Senatûs conſulto Antiſtes quindecim virorum aliquis libros adiret Sibyllinos, & mox Patribus & Quiritibus obſervata oracula renuntiaret. Oſtentum profectò mirabile hodiernâ die Joachim & Anna genuerunt, prægnante, niſi fallor, æthere univerſo: auroram ſcilicet in cunis. Nata ſiquidem hodie puella cernitur tanto lumine circumfuſa, ut ſolis perſonam, lunæ cothurnos, auroræ genas, cœli thiaram, ſtellarum omnium lucem induiſſe videatur. Calceata ſoleis lunâ plicatili bracteatis, ſtellisque plexis in fulgentibus cunis concinnata. Quid ſibi vellet cœlo tam charum, nobis tam dulce portentum, multis annis ante Cumana Phœbas divinavit, percelebri verſu, Magnus ab integro ſæclorum naſcitur ordo; Jam redit & Virgo, quæ inſtar auroræ & amici ſideris, jacens in cunis, feliciſſima & aurea ſæcula promittit Regina ſæculorum.

§. 3. *Mariæ jacentis in cunis pulchritudo in formoſiſſimo corpuſculo.*

O qualis Virgo! ô quales cunæ! ô beatas hac pupulâ! Huc caſtos oculos Sodales Parthenici, videte, quanta amœnitas pingit venuſtiſſimæ puellæ vultum, ut vernant flores in genis, ut candicant nives in fronte, ut ardent pyropi in labiis, ut flavent chryſolithi in comis, ut niveſcit Parium marmor, ut rubent hyacinthi in manibus, ut per has & totius corporis alabaſtrum, cœrulii venarum cyani oberrant, ut lucent radii micantium ocellorum, O pupula! permitte Auditoribus, ut quàm leniſſimè ſubmiſſi in genua ante tuas cunas, & inclinati ad vultum

vultum tuum, ab his flammeis labris tuis ô Maria dulciſſima prima baſia rapiamus, & ſimul ah! æſtuoſiſſimam flammam imbibamus.

§. 4. *Explicatur illa per varias res pulchras.*

O beatæ cunæ! ſupra quas, ô qualis, ô quam radians, ô quam flammans carbunculus jacet! qualis amethyſtus jacet! qualis ſmaragdus jacet! qualis cryſtallus jacet! ô cunas! ſupra quas, ô qualis aurora jacet, qualis ſol jacet, qualis ſtella jacet. O cunæ! ſupra quas qualis roſa jacet, qualis narciſſus jacet, qualis hyacinthus jacet! ſed: quæ pulchrarum rerum imagines meos ludunt oculos? & illis ludunt, nam, non carbunculus in cunis jacet, ſed nata pupula. Carbunculus eſt Maria, non amethyſtus; Maria jacet, ſed amethyſtus eſt Maria, hæc ſmaragdus eſt, hæc cryſtallus eſt, hæc aurora eſt, ſol eſt, ſtella eſt, roſa eſt, narciſſus eſt eſt, hyacinthus eſt. Omnibus formoſior Maria eſt.

§. 5. *Oculi Parvulæ ex cunis urunt nos & feriunt.*

Et quid mirum, quod Maria vix nata, illico ad vulneranda corda noſtra, non arcum, non tela, non ſagittas, non manus, quæ faſciis ligantur, ſed ocellos expediat, quod ab arcu ſuperciliorum radiantis luminis in nos vibret radios, & perita jaculatrix, primis nictibus, primis ictibus centrum cordium noſtrorum feriat? primis oculorum ictibus aſpiciendo nos vulneret? venuſtiſſimam puellam videre nos, aſpicere nos, eſt ex cunis ferire, lædere, urere, comburere. Nec mirum videri debet aut novum, quod parvula tam fortiter feriat; nam in parvula collecta virtus pulchritudinis eſt fortior, verum, ut iterum erro, quaſi in caſtiſſimo puellæ hujus amore, aliud ſit eſſe pulchram, aliud eſſe fortem, ubi pulchritudo, eſt fortitudo. Iterum puella nata cryſtallus eſt, pulchritudinis radios & ardorem colligit, intendit, ut fortius accendat, & acuat flammas amoris in cordibus noſtris, quid Andromeda aliqua vel Caſſiopea oculos veſtros fixos, immotoſque tenet? quid Veneris roſæ illos perſtringunt? quid vos alicujus Berenicis coma illaqueat? quid vos voluptatis lyra tam blandè demulcet. Cœlum ſuſcipite, MARIAM aſpicite, ut ipſa oculos veſtros teneat fixos & immotos, ut perſtringat, ut illaqueat, ut demulceat. Quid aliud cœlum, quam Ma-

Kkk kk 3 riam

riam requiritis? in qua tota cœli felicitas reconditur. Dicam candidè; In cœlo ego eſſe non volo, ſi abſint Jeſus & Maria. Ubi Jeſus & Maria, ibi cœlum eſt. In cœlo quies eſt & gaudium. Meum gaudium, mea quies eſt, amare Mariam, ergo Maria mihi cœlum eſt. In cœlo eſt voluptas, eſt felicitas, eſt beatitudo. In cœlo lux, vita, ſplendor, pulchritudo, dulcedo, ſuavitas. Utinam in æternum!

§. 6. *Miratur Auctor ad cunas puellæ advenire Angelos.*

Sed hem! dum ad cunas amoris me ſolum caſtis arbitror ludere & indulgere affectibus, nunquid huc Angelos advolare cerno? & quid vobis hoc loco rerum eſt Angeli? an jam advertiſtis vos, quæ nobis mortalibus hodiernâ die in fauſtiſſima Nativitate venuſtiſſimæ puellæ provincia obtigerit? an invidetis fortunæ noſtræ? & nos ab his amoroſis cunis depellere vultis, ut pro nobis ſuccedatis? & quid vobis in terris negotii eſt, cur aulam hanc acceditis, vos ætheris incolæ, quid rei novæ parturiit tellus, ut vos cœlum deſeratis? quid eſt, quod ſiderum Orbes, quos vobis Deus regendos commiſit, relinquitis, & humana curatis. Ite, & ne aſtra à ſuis gyris ceſſent, & mundi ordo & curſus turbetur. quid? ite! nos ad has cunas vigilabimus, quod ſi dicetis vos adeſſe, ut natam puellam videatis, nunquid non in cœlo, Dei vultu & claritate, & lumine fruimini? Ite igitur, & cœlo veſtro contenti, has delicias, aſpectum venuſtiſſimæ Virginis in terris nobis relinquite; volate, nec moleſti otia & feſta noſtra turbetis.

§. 7. *Sed adſunt, ut nobiſcum applaudant Mariæ.*

Verum, ad quas querelas & acerbas voces me abripit æmulatio, zelus & cura pro mea Maria? ut video cœleſtes genii, humaniſſimi ſpiritus mihi blandiuntur, quantum audio, ajunt, non ſe adveniſſe, ut noſtra gaudia turbent, ut noſtram nobis ſortem eripiant, ſed ſolum triumphi & gaudii ad virgineas cunas, veluti triumphalem amoris currum fore comites, & cum ego edita voce præivero, clamans: Nata eſt Maria. Io triumphe! Io triumphe! ſe repetituros has meas triumphales voces; Nata. O cœleſtes genii, date veniã, ſcitis, res eſt ſoliciti plena timoris amor, adeſte ergo, & unà nobiſcum in triumphum natæ Virginis vos jungite. Unà nobiſcum dicite, Io! nata eſt Maria! Io triumphe! Io triumphe!

Nata

Nata eſt Virgo! ô qualis puella! jacet in cunis, & eſt mare gratiarum, puellam jacentem in cunis Nyſſenus teſtatur *incomprahenſibilem abyſſum perfectionum.* *Ineffabilem* profitetur Damianus, *indicibilem* dicit Auguſtinus, *ineffabiliter ſublimatam* nominat Hugo, *inexhauſtam bonorum abyſſum* compellat Epiphanius. *Viſibilem ſolis juſtitia imaginem* Richardus, *Divinam ſimilitudinem* Damianus, *Deificatam* Dionyſius, Auguſtinus *Deiformem Mariam.* Hodie nata eſt. Io triumphe, gaudeamus & exultemus in Nativitate Mariæ. Qualis Virgo! jacet in cunis, & eſt Domina cunctis ſublimior ſedens ſuper alas Seraphim, eminentiſſima mortalium & immortalium ſuper omnia creata, gloria, honor cœli & terræ. Hodie enim in cunis apparuit ſignum magnum, pupula amicta ſole, coronata ſtellis duodecim, & luna ſub pedibus ejus. Cunis aureis literis inſcripſerunt Angeli, Regina Reginarum, & Domina Dominantium. §. 8. *Qualis in cunis jaceat puella!*

Itaque vos ad has cunas provoco, quotquot ſuperſtitioſæ vetuſtatis amatores, vel auroram, vel Pandoram, vel aliam admirati eſtis deam pulchritudinis. Erraſtis, dum illas venuſtatis præſides vocaviſtis *elegantiſſimas ſuperni Numinis picturas*, non errabitis, ſi talem vocetis Mariam etiam in cunis vagientem. Erraſtis, dum dixiſtis, fuiſſe *naturæ pulcherrima ſpecula*, non errabitis, ſi modo talem dicatis puellam jacentem in cunis! illa eſt pulcherrimum ſpeculum. Erraſtis, dum extuliſtis veluti *cœli pupillas*; non errabitis, ſi talem extollatis Dei matrem! O Virginem! ô cœli & omnis pulchritudinis pupillam, in qua veluti dulciſſimo labyrintho Deus ipſe ſe perdidit. Erraſtis, dum ſuavi encomio fabuloſas illas deas dixiſtis eſſe *corcula mundi*. Errorem corrigite, Virginem natam ſalutate, corculum mundi. O puellam! ô corculum mundi. §. 9. *Maria in cunis Dei pictura naturæ ſpeculum, cœli pupilla, mundi corculum.*

O quis mihi det tale cor, cui veluti annulo hoc corculum tam ſuave, tam dulce, tam pulchrum, veluti gemma includatur? ô quis mihi det, ut totus ſim oculus, ſed cujus pupilla ſit Maria. O quis mihi det, ut cor meum ſit altare, cui tam elegans pictura, cui Maria imponatur? Quis mihi det, ut fiam theca, quæ hoc venuſtatis ſpeculum complectatur? Quis mihi det, ut in corde §. 10. *Conglobati affectus, & deſideria amoris erga Mariam.*

meo

Digitized by Google

meo ardeant faculæ Seraphici amoris? ſed ſi illas accendat pulchritudo Mariæ, quis mihi det, ut amor meus ſit dulcisſimus, ſed ſi fluat ex fonte dulcedinis, ex corde Mariæ. Quis mihi det, ut amor meus ſit profundisſimus, ſed in abyſſo Marianæ pulchritudinis? quis mihi det, ut amor meus ſit amor complacentiæ, ſed ſi placeat, quod tam pulchra ſit Maria. Ut idem amor ſit appretiativus, ut Mariæ pulchritudinem tantum æſtimet, quantum ipſa meretur, vel certè quantum ego poſſum ac debeo. Quis mihi det, ut amor meus ſit fluctuans navicula, ſed in mari gratiarum; Permitto, ut dulci metamorphoſi cor meum fiat acus magnetica, ſed ut ſequatur magnetem pulchritudinis Marianæ. Permitto, ut mutetur cor meum in fontem, ſed ſi ſcaturigo ſit. Maria non abnuo, ſi cor meum vertatur in cryſtallinum vaſculum, ſed ſi balſamum vel nectar & ambroſiam infundat Maria. Quid ſi cor meum fiat palma! utinam ſi fructus ejus guſtet Maria? quid ſi ſol? utinam, ſi illo veſtiatur pulcherrima Virgo. Quid ſi luna? utinam, ſi calcetur aureis pedibus pulcherrimæ Virginis. Quid ſi ſtella? quid ſi floſculus? utinam ſi inſerantur ſerto ſpecioſisſimæ puellæ. Si cor meum ſit cera, volo, ſigillum eſſe Marianum. Si echo, volo, ut reſonet Mariam. Si circulus, volo, ut inclinetur ad MARIAM. Si ignea ſagitta, volo, ſcopum eſſe MARIAM. Si ſcopus, aureum telum ſit MARIA.

§ 11. *Proſecutio.* Quò magis amoris Mariani, & pulcherrimæ ejus pulchritudinis deſideriis me immergo, eò magis & fortius cor meum ſentio moveri, duplicem naturalem ejus motum dum vivo & ſuſpiro impedire non poſſum, dilatationis alterum, alterum conſtrictionis; bene habet, moveatur cor meum, ſed dilatet illud MARIA, ſed conſtringit MARIA, ſed quid ſi ob amoris vehementiam in ſuave cadat deliquium? O ſi, ſed MARIA ſtipet me floribus, fulciat me pomis! quid ſi cor meum accenſum ardenti deſiderio videndi pulcherrimam Virginem, impatiens ulterioris moræ inter creaturas, conſumptis viribus, & enervatis ſpiritibus corporis per vim amoris deficiat & langueat, quid ſi diutius vivere in terris non poſſet, ſi ſentiat

Digitized by Google

ſentiat pœnam in vita, quia mori deſiderat. O ſi! ſed cauſa languoris ſit pulchritudo Mariæ. O beatum languere! ô dulce mori! in beato languore, in dulci deliquio non deerunt amoroſa ſuſpiria, ſed in quam, ad quam, ad unam Mariam. Ecce pulcherrima Virgo, ab hoc momento hoc ſit amoris pactum inter me & te, quoties inſpiro & reſpiro, ad te Domina ſuſpiro & reſpiro, hoc uno ſuſpirio & reſpirio, O Maria dulciſſima, ſpes ſuſpirantis animæ!

Sed tempus eſt, ut finem inveniat meus amor erga venuſtiſſimam Virginem. Conſideratio 21. in ſchola Seraphici amoris ſic habet, ſignum animæ amantis eſt, vivere & mori ſimul. Mori in ſe, vivere in eo quod amat, unde amor deſinit, deſiderium animi morientis & viventis ſimul. Morientis in ſe, viventis in re amata. Ecce amorem, qui occidit ſimul & vivificat, dat mortem & vitam. Occidit amantem in ſe, vivificat animum in amato, cauſam dat S. Aug. *Quia anima amans ſuis renuntiat affectibus, & tota ſoli incumbit amori.* Sic vivamus, ſic moriamur Sodales Parthenici, moriamur nobis, vivamus Virgini, & in Virgine quam amamus, omnibus terrenis renuntiemus affectibus, ut toti & ſoli incumbamus pulcherrimo amori, pulcherrimæ Virgini. O beatum vivere! ô beatum mori! §. 12. *Affectuoſus Epilogus.*

CONCIO LXXXII.

FESTO S. MATTHÆI APOSTOLI.

Cum tranſiret inde Jeſus, vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine,

Matth. 9. v. 9.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Efficacia oculorum, ſive aſpectus Christi D. erga hominem, præſertim peccatorem.

§. 1. Chriſtus D. totus oculus, ut reſpiciat peccatores.

§. 2. Cur S. Ioannes in Apocalypſi oculos Chriſti Dom. vocet flammam ignis.

§. 3. Oculi Dei & Chriſti Domini ſunt ſuper ſolem lucidiores.

§. 4. Quod agnoverunt gentiles.

§. 5. Et Regius Pſaltes Pſal. 18. ſub typo ſolis.

§. 6. Matthæus erat peccator: tamen intuitus Chriſti D. illum convertit.

§. 7. Oculi Chriſti Domini poſſunt convertere graviſſimos peccatores.

§. 8. Proſecutio; & locus à contrario.

§. 9. Omnis durities cedit aſpectui Chriſti D.

§. 10. Idem intuitus ſolidat fragilia.

§. 11. Purificat fœda.

§. 12. Quales oculos habuerit Chriſtus D.

§. 13. Variæ operationes oculorum Chriſti Domini in ſancto Matthæo.

§. 14. Admiranda victoria Ionathæ contra Philiſtæos; & Chriſti Domini de obſtinatis peccatoribus.

§. 15. Memoria oculorum Dei eſt frænum, ne peccemus.

§. 16. Epilogus proponit utiliſſima documenta, ut non peccemus.

§. 1. Chriſtus D. totus oculus, ut reſpiciat peccatores.

VEteres Poetæ Argum quendã toto corpore oculatũ finxerunt, finxerunt autẽ, ut figmento hoc hominem vigilẽ, cautũ, & ad omnes eventus intentum exprimerent. Quod Poetæ de Argo finxerunt, hoc Evangeliſta Chriſti Joannes affirmat de Chriſto Salvatore noſtro. Sic enim ait Apocal. c. 5. v. 6. *Vidi, & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio Seniorum Agnum ſtantem tanquam occiſum, habentem oculos ſeptem, qui ſunt ſeptem ſpiritus, miſſi ſuper omnem terram.* Alcaſar ſatis concinnè ſeptem oculos, [præter alios duos naturales,] de quibus mihi jam ſermo eſt, in Agno ita depingit, ut in modum coronæ caput ſive ſummitatem frontis ambiant; & ſignificantur per illos primarii effectus Divinæ Providentiæ, quâ Chriſtus veluti Caput & Rex corpus myſticum ſuæ Eccleſiæ totumque univerſum, veluti regnum & imperium regit atque gubernat. Hi oculi Chriſti Domini ſunt oculi clari, lucidi, perſpicaces,

Digitized by Google

caces, benevoli, benigni, amabiles. His oculis Agnus Dei hodie aſpexit Matthæum, ſedentem in telonio, & ad meliorem vitam ſtatim attraxit; optarem equidem, ut Chriſtus benigniſſimus Salvator noſter iiſdem oculis nos hodie intueretur, quibus S. Matthæum; Ille enim intuitus Matthæi telonarii cor ſtatim illuminavit; peccata, in quibus ſedebat deſerenda edocuit, & ad Chriſtum perfectè & ſubitò ſequendum accendit? Sicut enim à corpore Chriſti frequenter virtus exibat, quæ ſanabat ægros corpore; ita de oculis Chriſti ſæpe prodierunt ſalutares radii, qui dura peccatorum corda penetrarunt & immutarunt. Agite Auditores, contemplemur hac Concione benigniſſimi Salvatoris noſtri oculos, ut videamus, quàm eorum aſpectus omnibus, ſed præcipuè peccatoribus, ſit benevolus & ſalutaris.

S. Joannes in Apoc. c. 1. v. 13. Chriſtum D. à ſe viſum deſcribens ait: *Converſus vidi ſeptem candelabra aurea, & in medio ſeptem candelabrorum aureorum, ſimilem filio hominis: caput ejus & capilli erant candidi, tanquam lana alba, & tanquam nix; & oculi ejus tanquam flamma ignis.* Scimus autem, flammam ignis duo potiſſimum efficere; illuminare & calefacere: oculorum vero officium eſt, intueri: itaque, dum S. Joannes oculos Chriſti D. deſcribit veluti flammam ignis; vult dicere, oculos Chriſti dum viveret in terris, & jam in cœlis, in intuendo eſſe planè vivaces, flammeos & igneos, ut iiſdem cor hominis, quem intuetur, ſtatim illuminetur & accendatur; quod expertus fuit Matthæus etiam ſedens in telonio, id eſt, affixus divitiis & vanitatibus hujus mundi; aſſuetus uſuris & fraudibus; nihilominus, quamprimum vidit illum Chriſtus, & ei dixit: *Sequere me. Surgens, ſecutus eſt eum.* Intuitus Chriſti cor Matthæi velut flamma ignis momento illuminavit; ut videret periculum, in quo verſabatur; & calore quodam ſpirituali accendit, ut ſurgeret, & in novitate vitæ Chriſtum ſequeretur.

§. 2. Cur S. Joannes in Apoc. oculos Chriſti vocet flammam ignis.

Deum & Chriſtum D. de cœlis nos intueri, ubicunque ſumus, certum eſt, teſte S. Paulo ad Hebr. 4. v. 12. *Vivus eſt ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens uſq; ad diviſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum,*

§. 3. Oculi Dei & Chriſti D. ſuper ſolem ſunt lucidiores.

 diſcretor

diſcretor eſt cogitationum & intentionum cordis; & non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus: omnia etiam nuda & aperta ſunt oculis ejus. Idem affirmat Salomon Proverb. 15. verſ. 3. *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos.* Eccleſiaſticus c. 23. v. 28. *Oculi Domini multò plus lucidiores ſunt ſuper ſolem; circumſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſſi; & hominum corda intuentes in abſconditas partes.* Abyſſus v. g. eſt cor & conſcientia hominis ſuperbi; abſconditas habet partes; omnes intuetur Deus. Labyrinthus v. g. eſt cor & conſcientia hominis luxurioſi; abſconditas, ut putat, volvit cogitationes; & minutiſſimæ patent Divinis oculis. [Hoc modo poteſt fieri lata & pulchra inductio.]

§. 4. *Quod agnoverunt gentiles.* Quæ veritas ipſis gentilibus cognita & credita fuit. Ita Homerus Deum definiens, ait: *Eſt ſol, qui omnia videt, & omnia audit.* Sic Ægyptii Deum hioglyphice depingentes, pingebant oculum baculo vel ſceptro innixum. Sic Thales Mileſius dicebat; homines ſibi perſuadere debere, deos omnia cernere. Epictetus: *Deus omnia intuetur, & omnibus magis adeſt, quam ſol.* Seneca ep. 84. *Sic certe vivendum eſt, tanquam in conſpectu vivamus; ſic cogitandum, tanquam aliquis in pectus intimum inſpicere poſſit: Et poteſt; quid enim prodeſt, ab homine eſſe aliquid ſecretum? Nihil Deo clauſum eſt; intereſt animis noſtris & cogitationibus mediis intervenit.*

§. 5. *Et Regius Pſaltes Pſ. 18. ſub typo ſolis.* Imago ſolis placuit Regio Pſalti, cum Pſ. 18. v. 6. Deum ſub imagine ſolis, qui eſt quaſi oculus hujus mundi deſcribens, ait: *In ſole poſuit tabernaculum ſuum; à ſummo cælo egreſſio ejus, & occurſus ad ſummum ejus. Nec eſt, qui ſe abſcondat à calore ejus.* Scimus, virtutem luminis ſolis omnia ſublunaria penetrare, & mira operari; adeo, ut dicant Philoſophi, ſi ſol non luceret, generationes ceſſaturas. Scimus omnem diei noctis diverſitatem non niſi à ſole eſſe: dum enim ſol lucet, & mundi noſtri plagam quaſi intuetur, dies eſt: dum autem occumbit, & quaſi vultum à nobis avertit, nox eſt. Sic oculi Domini omnia intuentur; & ab eorum intuitu vel averſione, eſt dies ſive lux; tenebræ, ſive nox & caligo; ab illis oculis nobis ineſt virtus animæ. Adeo, ut ſi miſericors

Digitized by Google

ſericors hic Dei oculorum intuitus ceſſaret; nemo amplius filius Dei per adoptionem in Chriſto gigneretur; nulla eſſet in mentibus noſtris dies gratiæ, ſed nox errorum porpetua. Et ita hodie S. Matthęo orta eſt dies gratiæ, quando eum intuitus eſt Jeſus. Tunc cœpit quaſi generari filius Dei, cum intuitus eſt eum Jeſus: mox enim viſo Chriſto, & audita ejus voce, quaſi alius homo genitus, ſurgens, ſecutus eſt eum. O ſi nobis omnibus contingat, ut & nos iiſdem oculis intueatur bonus Jeſus, quibus intuitus eſt Matthæum, ſedentem in telonio.

Verum; nunquid Matthæus fuit peccator? nunquid telonarius? uſurarius? &c. cur ergo tam facile ad Chriſtum D. fuit converſus? Reſpondet Evangelium: *Vidit eum Chriſtus in telonio ſedentem.* Hujus viſionis radii cor Matthæi penetrarunt & illuminarunt: hujus viſionis radii cor Matthæi calefecerunt & accenderunt; oculi enim Chriſti ſunt tanquam flamma ignis, qui illuminat & calefacit. Hujus viſionis radii tenebras peccatorum è corde Matthæi diſpulerunt, & diem gratiæ inceperunt. Hujus viſionis radii ſpiritum novum in corde Matthæi genuerunt; Oculi enim Chriſti ſunt lucidiores ſuper ſolem, à cujus lumine & radiis eſt omnis dies & virtus gratiæ. §. 6. *Matthæus erat peccator; tamen intuitus Chriſti D. illum convertit.*

Solent ſubinde homines cogitare & dicere de quibuſdam magnis & obſtinatis peccatoribus; difficile aut impoſſibile eſt, ut hic homo convertatur. Erras Chriſtiane: Chriſtus D. vel uno oculorum intuitu poteſt quemvis maximum peccatorem convertere, & hoc ſine difficultate vi ſua naturali. Quidam v. g. peccatores ſedent in denſiſſimis tenebris infidelitatis; unico tantum oculorum intuitu denſiſſimam hanc noctem Chriſtus D. diſſipare poteſt. Finge tibi noctem quamvis Ægyptiam, ita, ut tenebræ manibus palpari poſſint: ſi tamen ſol vel primam frontem intulerit, & tenebras illas aſpexerit; momento illuminantur. Nox cedit ſoli; fugantur tenebræ à tanta luce. Cùm nos ipſi altâ jam nocte cubiculum illuminare, & tenebras pellere volumus, quid facimus? modicum inferimus lumen vel lampadem, & ecce lucem. Lux oculorum Domini eſt ſuper ſolem, oculi illi ſunt lucidiores ſuper omnia ſidera; quid non operari poſſunt in corde alicujus peccatoris? O ſi bonus Jeſus, multos adhuc ex §. 7. *Oculi Chriſti D. poſſunt convertere graviſſimos peccatores.*

 nobis,

nobis, ſedentes in errorum tenebris aſpicere dignetur, ſicut aſpexit Matthæum! fugerent ocyus tenebræ! ocyus ſurgeremus, & Chriſtum D. Salvatorem noſtrum ſequeremur!

§. 8. *Proſecutio & locus à contrario.* Subinde miramur, quod quidam qui in hæreſi fuerunt pertinaciſſimi, poſtea ad fidem Catholicam converſi ſint illuminatiſſimi & zeloſiſſimi æmuli & imitatores S. Matthæi vel S. Pauli, vel alterius Sancti. Sed quid miramur, fugere tenebras; diem oriri illuſtrem, cum verus ſol illis lucet, cum ab oculis lucidioribus ſuper ſolem aſpiciuntur, irradiantur, illuminantur? Quid mirum eſt, tales illuminari & accendi, cum flamma ignis illos aſpicit? Oculi Chriſti ſunt tanquam flamma ignis. Econtra miramur, quoſdam, qui fuerunt in fide Catholica illuminatiſſimi & zeloſiſſimi, poſtea deficientes à fide Catholica, ſint pleni errorum tenebris, & frigeſcant in bonis operibus. Sed quid mirum, tenebras ingruere, & noctes frigere, cum ſol faciem ſuam avertit? quis miratur, nocte hypocauſtum tenebreſcere & frigeſcere, cum nulla ignis flamma lucet vel ardet? Oculi Chriſti ſunt ſol, mentes illuminans; oculi Chriſti ſunt flamma ignis, mentes irradians & calefaciens. Cum Chriſtus benedictos ſuos oculos, juſto judicio, avertit ab homine, nox & frigus peccatorum in illo exoritur. Auditores, ferventer oremus Chriſtum D. ut oculos ſuos benedictos à nobis non avertat.

§. 9. *Omnis durities cedit aſpectui Chriſti D.* Quidam peccatores ſunt in ſua malitia obſtinatiſſimi, & duri ſicut lapis aut æs. Unico tamen oculorum ſuorum intuitu duriſſima corda emollit Chriſtus. Quis neſcit, & non experitur, nil ita durum eſſe, quod flamma ignis non diſſolvat? nullum marmor tam durum, nullum metallum tam ſolidum, quod flamma ignis non ad fluxum uſque emolliat. Oculi Chriſti ſunt tanquam flamma ignis. Quid obſtinatius Saulo peccatore? aſpexit illum de cœlo Chriſtus, & quâvis cerâ factus eſt tractabilior: cor ejus inſtar liquidi metalli ſtatim fluxit in modulos Divinæ voluntatis, *Domine, quid me vis facere?* Actor. 9. v. 6. Quid frigidius & obſtinatius Petrio, in atro Pontificis calefaciens ſe ad ignem? publicè confeſſus, ſe non noſſe Chriſtum, etiam cum perjurio & execratione ſui Magiſtri? Reſpexit Chriſtus Petrum, & ſtatim ſolutus

Digitized by Google

ſolutus in lachrymas, exivit foras, & flevit amarè! Quid pertinacius Matthæo in telonio? Chriſtus tranſiens aſpexit illum ſedentem, & reſolutus Matthæus, & ſurgens, ſecutus eſt eum. O quàm facilè eſt Chriſto D. peccatores etiam obſtinatiſſimos momento ſolis oculorum ſuorum radiis emollire! Nemo deſperet de obſtinatis! qui hodie lapis eſt; ſi Chriſtus miſericordiæ ſuæ oculis eum aſpexit, cras quâvis cerâ erit tractabilior.

§. 10. *Rara hiſtoria.*

Res mira accidit in Peruvia Anno Chriſti 1582. Chriſtianus Indus, neſcio quâ cauſâ fugit ad quendam Regulum, frequenti Provinciæ dominantem. Cùm incolis forte delatam inter ſarcinulas Crucifixi effigiem oſtendiſſet, percrebuit inter Barbaros, & ad Principem delatum eſt, adeſſe hominem, qui famoſum illum, & victoriis mirificis formidatum Chriſtianorum Deum ſecum ferret. Accerſit eum Regulus. Erant cum eo, quà nobiles, quà ſatellites fere trecenti. His ſtantibus in atrio palatii, medius in iis Princeps hoſpitem jubet, ut ſibi Chriſtum, [quem dudum videre deſiderarat,] oſtendat. Promit ille Crucifixum: quo Barbarus in manus ſumpto; *Hiccine*, inquit, *ille Deus eſt, cujus ope cæleſti Peruviam Hiſpani, deleto Ingarum imperio, ſubegerunt?* Annuente illo: Atqui ſubjecit Princeps: *Hæc quidem homunculi infirmi & miſeri figura eſt, abi, ſis in rem malam cum iſto tuo Deo*; ſimul in ſacrum ſignum expuens, cum riſu & contemptu hoſpiti reddidit. Mira hinc res traditur, cui fidem abunde magnam Barbari Dynaſtæ mutatio mox ſecuta, & palam celebrata facit. Simul in manus Chriſtiani venerabile ſimulacrum rediit, repente cunctis clarè cernentibus caput movit, & ex dextera, in quam propendebat parte, in ſiniſtram ſe flectens, minacibus oculis Principem, cæteroſque, qui aderant, intueri cœpit; Omnes ſtatim præter unum illum, qui crucem manu tenebat, in terram concidunt, & mortuis ſimiles ſine ſenſu jacent. Fit concurſus populi ex urbe frequenti, mirantibus cunctis. Poſt tres fere horas exurgit Princeps, clarâ voce inclamans: *Verè magnus eſt Chriſtianorum Deus!* ingeminant idem Aulici, & ipſi ex longo ſtupore ſibi redditi. Miraculum hoc excepit Reguli, Filii, multorumque procerum baptiſmus, & ad fidem Chriſti converſio. Tantum

Digitized by Google

rum potuerunt oculi Crucifixi lignei, quid facient vivaces oculi Jeſu, ſtrictiſſimi Judicis.

§. 11. *Idem intuitus ſolidat fragilia.*

Sunt quidam peccatores toti terreni, fluxi & fragiles: hinc homini primum peccanti dictum eſt: *Terra es, & in terram ibis.* Unico tamen oculorum Chriſti intuitu velut ferrum & æs firmantur in bono: quod Job c. 28. v. 2. fuit admiratus: *Ferrum de terra tollitur; & lapis calore ſolutus in æs vertitur.* Scimus, ferrum & æs in profundis terræ, de terra gigni: quis gignit? virtus luminis ſolaris. Sic oculi Domini ſunt lucidiores ſuper ſolem; ut vel ſolo intuitu ex fragili peccatore ferreum heroem gignunt. Scimus, cum ferrum & æs è profundis terræ effoditur, nil adhuc eſſe ſolidi, ſed terram friabilem; quis ſolidat? flamma ignis: ſic oculi Chriſti ſunt tanquam flamma ignis, & miſericorditer intuendo, peccatorem fragilem, faciunt eum, ſicut æs ſolidum. Nemo itaque deſperet de fragilibus & terrenis! an non totus terreus Matthæus, qui nil niſi terrenas divitias æſtimabat. Sedebat in telonio: ſed ad unicum intuitum & vocem Chriſti, ferro & ære ſolidior, omnia terrena deſpexit & reliquit, ſurgens, ſecutus eſt eum.

§. 12. *Purificat fœda.*

Sunt quidam peccatores ita ſuis ſordibus immerſi, ut nihil illis ſapiat, niſi quod ſordidè in tenebris gerunt. Unico tamen oculorum Chriſti intuitu, veluti pulcherrimum aurum effulgeſcunt. Quis neſcit, in profundiſſimis terræ tenebris nobile aurum ex lutulenta materia & graveolentibus vaporibus gigni? & cujus virtute? vis luminis & caloris ſolis ibi aurum operatur; ubi in tenebris ſordes & putredo habitant. Sic oculi Chriſti ſuper ſolem lucidiores, dum fœda pectora aſpiciunt, ea velut in aurum convertunt. Quid putidius Magdalena? & qualis Magdalena, poſtquam eam Chriſtus miſericorditer aſpexit; hinc ſancta Eccleſia:

Æterni Patris Unice,
Nos pio vultu reſpice,
Qui Magdalenam hodie
Vocas ad thronum gloriæ.

Efficaciæ

§. IX. *Quales oculos habuerit Chriſtus D.*

Efficaciæ luminis oculorum Chriſti D. quis, etiam ferreus peccator reſiſtet? quis reluctabitur? illis oculis, qui Divinitatis radios in corda hominum ſolent evibrare, &c. De Cæſare Auguſto ſcribit Suetonius in vita Cæſaris: fulgorem quendam oculis ejaculari ſolitum. *Oculos*, inquit, *habuit claros & nitidos, quibus etiam exiſtimari volebat, ineſſe quiddam Divini vigoris: gaudebatque ſi quis ſibi contuenti, quaſi ad fulgorem ſolis vultum ſubmitteret*: cum enim in militem quendam Cæſar fortius reſpexiſſet, atq; ille quaſi radiis perſtrictus, oculos demiſiſſet, ab Auguſto rogatus cauſam, reſpondit: *quia fulgorem oculorum tuorum ferre non poſſum*. Sed quod hic miles, fortiſſis adulandi ſtudio, hoc de Chriſti oculis ex vero pronuntiavit S. Hieron. in Matth. c. 21. *Igneum quiddam atque ſidereum radiabat ex oculis ejus, & Divinitatis Majeſtas relucebat in facie.* Quod hodie fuit expertus S. Matthæus, *quem* [S. Chryſologus ſerm. 28.] *vidit - Jeſus, ſed plus divinis oculis, quàm humanis.* Auri fulgor Matthæi oculos in telonio ſedentis detinebat, in quem ut conjecti fuerunt oculi Chriſti, ita illum perſtrinxerunt, ut ad omnia humana caligaret, ſolum Deum agnoſceret: *Vidit illum Deus*, inquit Chryſol. *ut ille videret Deum. O vim! O virtutem oculorum Domini!* exclamat P. Engelgrave; Vidit hominem avaritiæ ſordibus immerſum, vidit in ſcelerum luto volutantem, vidit in denſa hujus mundi nocte caligantem & cœcutientem; quid mirum, omnem animi noxam, quæ nox eſt illicò evaneſcere, cùm oculi Domini, multò plus lucidiores ſole, in eum evibrantur. S. Chryſologus: *Vidit illum oculo miſericordiæ.* Et cum ita hominem, præſertim peccatorem reſpicit, [S. Greg. l. 5. mor. c. 8.] *cordis duritiem emollit.* Ante faciem ſolis videmus nivem colliqueſcere, glaciem reſolvi; ſed oculi Domini faciunt, & jam ſaxa liqueſcere, & rupes molleſcere. Iterum piè de ſancta Maria Magdalena, Mater Eccleſia:

Pater ſuperni Luminis,
Cum Magdalenam [vel Matthæum, vel S. Petrum] *reſpicis:*
Flammas amoris excitas,
Geluque ſolvis pectoris.

§. 13. *Variæ operationes oculorum Chriſti D. in S. Matthæo.*

Ita contigit hodie in S. Matthæo, dum vidit illum Chriſtus D. quod Eccleſiaſticus deprædicat cap. 11. v. 12. *Eſt homo marcidus, egens recuperatione, plus deficiens virtute, & abundans paupertate; & oculus Domini reſpexit illum in bono: & erexit eum ab humilitate ipſius, & exaltavit caput ejus; & mirati ſunt in illo multi, & honoraverunt Deum.* Talis erat Matthæus, abundans in paupertate inter ſuas divitias; nihil cogitans niſi terrena; & quis ſubito, vel quæ vis ita exaltavit cogitationes ejus; cogitationes excelſas & generoſas de deſerendo mundo, de contemnendis divitiis, de perfectiſſima Chriſti D. ſequela & imitatione? cum omnium ſtupore & admiratione; oculus Domini reſpexit illum. Cur antea ſedit in tenebris? non fuit illum intuitus ſol. Cur plus amavit terrena, quàm Deum? non fuit illum intuitus ſol, &c. Vidit illum Jeſus; & ſubito Matthæus factus eſt alius.

§. 14. *Admiranda victoria Jonathæ contra Philiſtæos; & Chriſti D. de obſtinatis peccatoribus.*

Mirabile, quid accidit Jonathæ I. 1. Reg. c. 14. v. 14. Magnis animis cum unico armigero præruptam conſcendit rupem, cui impoſita erat arx Philiſtinorum. Sed in rupis vertice offendit Philiſtæorum manum, animis efferatam, vultubus truculentam, armis formidandam; quid ageret, unico ſtipatus armigero per confertiſſimos hoſtium cuneos perrupit illæſus. O miraculum! ſine haſta, ſine clypeo, ſine gladio horrendam edit ſtragem. O miraculum incredibile! inermis proſtravit armatos & profligavit. LXX. Interpretes exponunt arma, quibus vicit Jonathas. *Videbant contra faciem Jonathæ, & cadebant*; hoc eſt, fulgor oculorum Jonathæ hoſtibus pavorem incuſſit, eosq; proſtravit. Iisdem planè armis Chriſtus D. Salvator noſter triumphat de obſtinatiſſimis peccatoribus. Contra faciem Jeſu Crucifixi, contra oculos illos ſanguineos, plenosque lachrymis ſtare non poſſunt. Hugo Card. in Pſ. 103. *Reſpicit oculo miſericordiæ terrena corda, & facit ea tremere*, per timorem ſanctum & ſalutarem.

§. 15. *Memoria oculorum Dei eſt frænum, ne peccemus*

Quiſquis hanc veritatem, quod perſpicaces Dei oculi nos ubique intueantur; non facile peccabit. Hoc clypeo ſe tuita fuit caſtiſſima Suſanna, ne incideret in peccatum. Dan. 13. v. 22. *Anguſtiæ ſunt mihi undiq; : ſi enim hoc egero, mors mihi eſt, ſi autem non egero, non effugiam manus veſtras. Sed melius eſt mihi abſq; opere incidere*

dere in manus veſtras, quam peccare in conſpectu Domini; tum elevans in cœlum oculos, gemibunda dixit: *Deus æterne! qui abſconditorum es cognitor, qui noſti omnia, antequam fiant, tu ſcis - tu cernis, quæ agantur*, & exclamavit voce magna, & ita malignos ſenes in fugam egit, puritatemque ſuam illæſam ſervavit; ſceleſtiſſimi vero ſenes, *Declinaverunt oculos ſuos, ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum juſtorum - & exarſerunt in concupiſcentiam Suſannæ.* Eleganter P. Celada ſuper v. 17. c. 33. Eccleſ. ubi impius ait: *Quis me videt? tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumſpicit me; quem vereor? delictorum meorum non memorabitur Altiſſimus.* Super hæc inquam verba exclamat citatus Interpres: *O impie, ſceleroſa vox! & ſcelerum lenocinium atque illicium!* nemo me videt! erras ſceleſte! Greſſus tuos ſemitasque [utor ferè verbis S. Auguſt.] conſiderat, & die noctequе ſuper cuſtodiam tuam vigilat, omnes ſemitas diligenter notans; ſpeculator perpetuus, veluti ſi totius creaturæ cœli & terræ oblitus, tantum te ſolum conſideret. - Ubicunque fueris, non recedit, quoniam ubique eſt. Quocunque ieris, inveniet te; ſine eo eſſe non potes Chriſtus D. Judex tuus, totus oculus eſt. Miraris & quæris, quomodo Deus videre poſſit omnia? Plato reſpondet: *Quia tota hæc rerum machina in conſpectu Dei eſt inſtar puncti*, in quo Divinis oculis patent omnia. Ex quibus Boetius infert l. 5. de conſol. Philoſ. Proſa 6. *Averſamini igitur vitia, colite virtutes; magna vobis indicta eſt neceſſitas probitatis, cum ante oculos agatis Iudicis omnia cernentis.* Tantum Divinis oculis licet, ut etiam peccatores adigant ad ſeriam converſionem.

Finio Concionem tribus maximis ex Apophthegmatibus Hebræis: *Tria tibi ſervanda ſunt, ut nunquam in peccatum labaris; ut attendas oculum omnia videntem; ut aurem, cui nec ipſum tacet ſilentium, in omni loco reverearis: ut cogites omnia & ſingula opera tua, in libro ſcientiæ illius eſſe exarata.* Videtur hæc legiſſe S. Aug. cum ep. 3. ad Fortunatum ſcripſit: *Deus totus oculus eſt, totus auditus totus, manus: & totus pes: quia omnes videt, omnia audit, omnia operatur, & ubiq; eſt.* Quæ cum conſideravit Suſanna, in conſpectu Domini peccare, conſtanter renuit; imitemur illam, &c. §. 16. *Epilogus proponit utiliſſima documenta, ut non peccemus.*

CONCIO LXXXIII.

FESTO S. MICHAELIS ARCHANGELI.

Angelis ſuis DEUS mandavit te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis,

Pſal 90. v. 11.

SYNOPSIS CONCIONIS.

SUnt Cuſtodes Angeli terribiles ſimul & amabiles; terribiles erga ſceleratos, amabiles erga devotos; hos recreant, illos flagellant.

§. 1. *Varia ex ſanctis Patribus Angelorum Cuſtodum nomina.*

§. 2. *Propoſitio.*

§. 3. *Diſcurſus de columna Exodi capite 13. quemnam repræſentarit.*

§. 4. *Repræſentavit Angelicum præſidium.*

§. 5. *Angeli aliis terribiles, aliis amabiles.*

§. 6. *Angeli cuſtodes ſæpe terrent impios.*

§. 7. *Exempla eorum, quos Angelus cuſtos ad ſalutem perterrefecit.*

§. 8. *Cuſtos Angelus tentato cadaver oſtendit.*

§. 9. *Simile aliud exemplum.*

§. 10. *Pars altera Concionis. Pios ſuaviter recreant Angeli.*

§. 11. *Proſecutio per varias virtutes adjunctis exemplis.*

§. 12. *Continuatio.*

§. 13. *Angeli ſunt ſolatio morientibus. Probatur exemplis.*

§. 14. *Quid agendum, ut & nos Angelos habeamus conſolantes.*

§. 15. *Sancti*

§. 15. *Sancti Angeli veri conſolatores.*
§. 16. *Confirmatur exemplo Chriſti in horto Olivarum.*
§. 17. *Angeli SS. Martyres recrearunt in tormentis.*
§. 18. *Epilogus.*

NEminem noſtrum ignorare arbitror, animam hominis rem eſſe nobilem admodum & pretioſam. Creata ſiquidem eſt à magno illo mundi architecto Numine, ad imaginem & ſimilitudinem ſuam: redempta eſt Divino ſanguine Filii Dei; electa eſt denique, ut vas eſſet & templum Spiritus ſancti. Et præter hæc omnia veriſſimum eſt, quod Divus obſervat Hieronymus in Matthæum: *Magna*, inquit, *dignitas eſt animarum, quod habeat unaquæque ab ortu nativitatis in cuſtodiam Angelum delegatum.* Hoc eſt, quod Regius Pſaltes commemorat: *Angelis ſuis DEUS mandavit de te, ut coſtodiant te.* Hinc cuſtodes Angelos tam præclaris elogiis celebrant ſancti Patres. *Sunt enim illi Paſtores noſtri*, [ſic vocat ſanctus Baſilius,] *ſunt fideliſſimi duces noſtri, Divinæ voluntatis interpretes, noſtri ad ipſum actores*, [ſic eos appellat ſanctus Dionyſius,] *ſunt noſtri pediſſequi*, [ſic nuncupat Hipponenſis ille Antiſtes Auguſtinus,] *ſunt noſtri propugnatores, præſides & ſponſores*, [ſic ſanctus Sophronius, Archiepiſcopus Hieroſolymitanus nominat,] *ſunt pædagogi noſtri*, [ſic eos veneratur Tertullianus,] *ſunt inſpectores noſtri*, [ſic eos reveretur ſanctus Gregorius Nazianzenus,] *ſunt noſtræ ſalutis miniſtri*, (ſic deſcribit ſanctus Cyprianus,) *ſunt oculi DEI*, (ſic exprimit doctiſſimus atque clariſſimus ille Philo,) *ſunt nuntii noſtri*, (ſic loquitur ſanctus Bernardus Doctor ille melliflüus.) §. 1. *Variæ ex SS. PP. Angelorum cuſtodum nomina.*

Ex quibus omnibus ac ſingulis illorum in genus humanum tum merita, tum officia quiſque facile perſpiciet. Mihi hac quidem dictione decretum eſt, cuſtodem Angelum hinc ſceleratos perterrefacientem, inde conſolantem afflictos, exhibere: idque tum ex S. literarum monumentis, tum ex ſanctis Patribus, tum denique ex aliis etiam ſelectis, fideque dignis hiſtoriis. Adeſte §. 2. *Propoſitio.*

 animis

animis Auditores benevoli, & eâ quâ ſoletis attentione, dicenti ſavete.

§. 3. *Diſcurſus de columna Exodi 13. quemnam repræſentarit?*

Inter admiranda brachii Divini opera, cum Deus Iſraelitas ex Ægypto in terram promiſſionis educeret, hoc mihi ſemper admiratione dignum præcipua viſum eſt, quod illis Divina bonitas ducem itineris columnam in aere conſpicuam, quemadmodum legere eſt Exodi 13. v. 21 ſubminiſtrarit. Fuit hæc columna tantæ & logitudinis & latitudinis, ut à tricies centenis hominum millibus ſpectari potuerit. Pierio teſte, ſpatium occupavit decem milliarium Italicorum. Cæterum de forma, colore, motu, atque aliis columnæ hujus adjunctis alibi diſſero. In diſceptationem nunc venit, quemnam hujus ſpecies columnæ repræſentarit. Sunt qui affirmant, repræſentatum in illa Chriſtum: nec malè. Fuit hic columna I. ob firmitatem atque invictam animi conſtantiam. II. Fuit hic columna ob S. crucem, de qua pulchrè S. Hieronymus in Pſal. 95. *Crux Chriſti*, inquit, *generis humani columna.* Fuit hic III. columna *ex nube*, quâ homo; *ex igne*, quâ Deus. Fuit hic IV. columna, ſuos protegens, defendens ducens: *Ego ſum via, veritas & vita.* Fuit hic V. columna de die ſimul & nocte. *De die*; in vita juſti eſt nubes, eſt blandus, eſt amabilis: *de nocte*; in vita peccatoris obſtinati eſt ignis, eſt ſeverus, eſt terribilis. Rurſus de die nubes: id eſt, dum vitæ hujus mortalis ſol lucet; benignus eſt Deus & miſericors: at de nocte, cum venerit nox illa, *quâ*, teſte Apoſtolo, *nemo poterit operari amplius*, cum ſol vitæ vergit ad occaſum, juſtus eſt Judex & inexorabilis. Præclarè de his diſſerit S. Gregorius hom. 21. in Evang. *Sunt, qui columnam illam populi Iſraelitici ductricem Spiritui S. accommodant: nec hoc ineptè, ille enim nos ducit, ille illuminat, ille Divini ſui amoris radios vibrat in corda mortalium; ille ignis eſt charitatis Divinæ; ille nubes eſt, deſtillans aquas conſolationum cœleſtium.* Alii B. Virginis figuram illam explicant columnam, nec ſine fundamento, præſertim, cum & complures SS. Patres illam hoc elogio venerentur.

§. 4. *Repræſentavit Angeli-*

Ego verò Auditores, ut quod res eſt, paucis ediſſeram, unà cum Doctorum atque Interpretum torrente aſſero, columnam illam

illam Angelici fuiſſe ſymbolum præſidii. Quid quot probabilis eſt Doctorum ſententia, ſub ſpecie atque figura hujus columnæ Angelum latuiſſe, populi Dei ductorem. Et favet huic ſententiæ textus ipſe Divinus: *Tollens ſe Angelus Dei, qui præcedebat caſtra.* Præterquam quod quæ de columna ibidem dicuntur, cuſtodi Angelo aptiſſimè omnia conveniant. Columna illa præceſſit populum: præcedit & cuſtos Angelicus: Columna illa viam monſtravit; monſtrat & ille; Columna illa lucem attulit media in nocte; affert & ille: Columna illa protexit timidos, protegit & ille: In hac columna ſuam Deus exhibuit potentiam; exhibet & illam in Angelo cuſtode. Sed hæc communia: non item illud quod ſequitur. Etenim, dum Ægyptii ad mare rubrum aſſequi conantur Iſraelitas, ſubitus illos terror horrorque invadit! cum ecce tibi in ſummis illis anguſtiis retrocedit columna, & velut mediam caſtra inter Pharaonis & caſtra Iſraelis conſtitit. Miro tamen diſcrimine! ſiquidem ex parte verſus Ægyptios nigram ſe exhibet, horridam, feralem, terribilem, obſcuram, igneam: adeo, ut terrore perculſi Ægyptii gradum ſiſtere coacti ſint. Quâ parte verò viam legebat populus Iſraeliticus, eadem ſe columna formoſam, candidam, radiantem atque amabilem præbuit: ſic, ut hi gaudio delibuti, prælatam veluti facem ſequerentur, & per mare rubrum ſecuro ſiccoque pede progrederentur. *cum præſidium.*

Videtis Auditores, præcipua duo cuſtodis Angeli erga hominem ſuæ curæ commiſſum officia? hinc terret, inde mulcet; hinc minatur, inde ſolatur: hinc fulgurat; inde ſerenat; hinc obſcurat, inde illuminatur: verbo, cuſtodes Angeli aliis ſunt terribiles, aliis amabiles. Nimirum impiis terrorem, piis autem deferunt honorem, impios excruciant, pios exhilarant. Primum habemus ſacris in literis expreſſum Exodi 23. v. 21. *Nec contemnendum illum putes,* [Angelum] *quia non dimittet, cùm peccaveris.* In Hebraico: *Nec eum ad amaritudinem provoces.* Peccata ſiquidem noſtra amara atque acerba ſunt Angelis, & ſi in Beatos illos ſpiritus cadere poſſet dolor aut triſtitia, non alio ex capite dolerent aut triſtarentur, quàm cùm noſtra ſpectare coguntur, atque etiam audire peccata. Præclarè S. Baſilius de peccato

§. 5. *Angeli aliis terribiles, aliis amabiles.*

cato diſſerens ſic inquit: *Sicut fumus apes, & fætor columbas fugat, ſic miſerabile & putidum peccatum repellit vitæ noſtræ cuſtodem Angelum.*

§. 6. *Angeli cuſtodes ſæpe terrent impios.*

Hinc eſt, quod impiis ſalutarem incutere terrorem non deſinant boni illi Angeli. Expertus eſt Pſeudo-Propheta ille Balaam, quem ab impio propoſito mediâ in viâ occurrens Angelus ſtricto gladio avertere conatus eſt. Et (quod mirum,) viſus eſt à jumento, cui Balaam inſidebat, prius, quàm ab ipſo homine ſeſſore Angelus ille vindex. O quò vos ruitis ſceleſti mortales! in quas vias abitis cum Balaamo? quæ non ſcelera machinamini? tandem, tandem oculos aperite, & veſtrum flammeo inſtructum gladio Angelum videte! Nam ſi quando mala vos urit conſcientia: ſcitote, faces illas admovet cuſtos Angelus. Si quando neſcio quos ſtimulos & ſpinas ſentitis in corde: ſcitote, has acuit ſpinas cuſtos Angelus. Si quando flagella vobis occurrunt impiorum: ſcitote, hæc vobis exhibet flagella cuſtos Angelus. Si quando perplexa conſcientia quandam vobis repræſentat ſpeciem inferni: ſcitote, hanc vobis figuram ponit ob oculos cuſtos Angelus. Ille urit, ille pungit, ille ſtimulat, ille minatur, ille flagellat, ille perterrefacit, ille omni quo poteſt modo, à ſcelere te revocare conatur.

§. 7. *Exempla porum, quos Angelus cuſtos ad ſalutem perterrefecit.*

An non audiſtis de alapa illa, quam incauto juveni ſuſpectam adeunti domum inflixit cuſtos Angelus? An non de Landelino illo legiſtis, cui idem cœleſtis genius conſodalem nuper mortuum, in mediis inferorum flammis ardentem exhibuit? ſed quod ſubjicio recentius. Anno 1602. Limæ in Peruvia peccator quidam vitæ profligatæ ſæpe peccata in ſacro pœnitentiæ tribunali depoſuit, ſæpe confeſſario vitæ morumque emendationem promiſit: ſed rediit canis ad vomitum, eadem ſemper in ſcelera relapſus infelix, ſic ut vel nulla, vel certè perquam exigua ſalutis ſpes reliqua affulgeret. Et quis putaſſet, cuſtodem Angelum ſui clientis in ſtatu illo tam deſperato fore memorem? meminit tamen: nam nocte quadam illi apparet, duos exhibens libros: erat alter vitæ, alter mortis: in altero electorum, damnandorum in altero ſcripta legebantur nomina. Cum gaudio videt primum in-

felix ille peccator nomen ſuum in libro vitæ: ſed vix vidit, & ecce idem ſuum nomen eradi ſpectat ab Angelo, & ex albo vitæ libro in nigrum mortis volumen referri. Ah! quis tum miſeri dolor? quis horror? quæ trepidatio? ergo ſeriam mox Angelo converſionem promittere, vitam deteſtari anteactam, cum lachrymis ſpondere ſeram quidem, ſed ſeriam pœnitentiam: & tum Angelus [ô miram cœleſtis genii clementiam,] reſumpto mox calamo priori vitæ libro ſui clientis nomen reſtituit. Audi, audi, quiſquis hic mihi aſtas dicenti peccator! ô ſi perpenderes! fortaſſis ex nutu Juſtitiæ Divinæ cuſtos tuus Angelus nomen tuum ex albo Beatorum expunxit! quid agis? en adeſt idem ille tuus Angelus; *ne contemnendum illum putes*; monet ille: monentem audi; age pœnitentiam, & nomen tuum ex nigro damnatorum in album Beatorum catalogum transferetur.

Pulchrum eſt, quod de Religioſo quodam memoriæ prodidit Vincentius Belluacenſis. Cogitabat ille, & jam plenè decreverat, deſertis vitæ religioſæ clauſtris mundum repetere; cum ecce tibi de nocte adeſt inexſpectatus eleganti formâ ac vultu juvenis, jubet ſe ſequi: ſequitur ille: rectà juvenis ille perſonatus cum Religioſo contendit ad templum; aperitur illud, ingrediuntur ambo, ad ſepulchrum itur, ſubſiſtitur! & ecce tumulus panditur, conſpiciendum ſe præbet cadaver turpe, deforme, horridum. Hic Angelus (neque enim alius erat juvenis ille formoſus) *videſne*, inquit, *hoc cadaver? bene aſpice, tu quoque non multo poſt talis futurus; proinde cogita, quid decernas.* Huic miſer contremiſcere, & toto corpore ſudare: Angelus verò ad alia illum ſepulchra videbatur ducturus; ſed ille: *Ah quæſo te*, inquiebat, *ſatis, ſatis eſt, mi Angele! vidi ſatis! en me nunc alium! dixi, nunc cœpi!* dixit, & fecit. *§. 8. Cuſtos Angelus tentato cadaver oſtendit.*

Affine huic eſt, quod de non nemine lego, quem mali tenacem propoſiti cuſtos Genius ad profundam duxit foveam, horrendum minatus præcipitium, ni mentem mutaret ſceleſtam. Mutavit ille quidem metu perculſus, ſed paulò poſt priora auſus eſt animo volvere facinora, & ecce alterâ etiam, imò poſt & tertiâ vice ab eodem Angelo ad longè terribiliorem foveam *§. 9. Simile aliud exemplum.*

præcipitandus deducitur, quoad tandem firmam in bono conſtantiam pollicitus, ipſo etiam facto verba comprobavit. Poſſem plura ejusmodi proferre in medium: ſed ut ad alteram progrediar dictionis partem, & tempus & rei ſeries exigit. Hoc certum, quam plurimos minando, terrendo, anguſtiando ad meliorem vitæ frugem cuſtodes Angeli traducunt.

§. 10.
Pars altera Concionis. Pios ſuaviter recreant Angeli.

Jam verò nec illud exploratum eſt minus, quod & conſolando, & quaſi amoris vinculis attrahendo, complures ad vitæ pietatem adduxerint. Non illud ego ex Tobiæ hiſtoria, non ex aliis aliàs à me dictis demonſtro exemplis, ſelectiora nunc affero. Virtutum ſpectemus pulchritudinem. Nunquid nobilis eſt virtus virginitas? hanc ſuadent Angeli & perſuadent. Teſtis eſt illa caſtiſſima Siciliæ Virgo, *Nympha* dicta, quæ jam nuptiales tædas caſtitatis liliis anteponere decreverat: ſed ubi eam inviſiſſet cuſtos Angelus, & virgineam ex liliis coronam obtuliſſet, illa virginitatis decus præferre didicit Hymenæo. Hortulani ſunt Angeli, decerptis ex roſeto lilietoque cœleſtis Sponſi floſculis caſtas recreant animas. Nunquid eximia eſt virtus, aſſiduus orandi fervor & ſtudium? ad hoc ſuos clientes ſuaviſſimè alliciunt ſancti Angeli. Teſtis eſt ſancta illa vidua Franciſca Romana, cui aureis etiam literis cuſtos Angelus deſcripſit ex officio Beatæ Virginis illos verſus, quos ab illa voluit cum devotione quadam præcipua recitari. Et quàm eſt illud affectuoſum, quod vidit aliquando ſancta Mechtildis! vidit nimirum cuivis ex ſuis monialibus aſtare cuſtodem Angelum cum aurato & liliato ſceptro, ſic ut quoties illæ ad *Gloria Patri* ſeſe inclinarent, toties aureum illud liligerumque ſceptrum iis ſancti Angeli præbuerint oſculandum. O quas non delicias creant ſuis clientibus cuſtodes Angeli? Elfrido è Divi Franciſci familia ſacris operante ſancti Angeli ſub offertorio, aureo in thuribulo viſi ſunt thus adolere. Ingenioſi ſunt Angeli, miras habent, ut ſuos exhilarent clientes, praxes & media. Nimirum ſic rapiuntur variis piorum mortalium virtutibus.

§. 11.
Projectionis

Nunquid pulchra eſt virtus devota viſitatio & adoratio ſanctiſſimæ

ctiſſimæ Euchariſtiæ? hic eſt dulciſſimus Angelorum panis, hoc manna, hoc nectar. Beata Angela de Fulginio pro more ſuo venerabile adoratura Sacramentum, reperit illud aliquando ſplendidâ ſanctorum Angelorum coronâ cinctum. Nimirum ſuum Regem ſequuntur famuli. Taceo de iis, qui ſe Sacerdoti ad aram ſacrum celebranti miniſtros præbuêre; nihil de iis loquor, qui Beato Stanislao Koſtkæ S. J. Viennæ graviter infirmo ſanctiſſimam Euchariſtiam attulêre. Hæ Angelorum deliciæ, hæc gaugia, hæc ſumma voluptas. Progrediamur in Angelico erga pios homines obſequio. Nunquid eximia eſt, & ab omnibus laudata patientiæ virtus? illius ſtudioſas animas mirè recreant ſancti Angeli. Hoc tuo probas exemplo, virgo patientiæ laude illuſtriſſima Ludwina! unicum tuus in morbis diuturnis acutiſſimisque poſt Jeſum & Mariam fuit ſolatium cuſtos Angelus, cujus præſentiâ ſummo cum gaudio fruebaris, & quo viſo, ajebas, omnis te mali ſenſum admittere. Præterea, nunquid egregia eſt virtus cultus Virginis Deiparæ? atqui hunc ſuadent, hunc urgent, hunc promovent, ad hunc modis omnibus nos excitant SS. Angeli. Fuit B. Joſepho Hermannus Virginum Virgini deſponſatus, [unde & nomen Joſephi ſortitus,] ſed pro illo prius peroraverunt SS. Angeli, oratores certè facundi. Quin & Paranymphi ſunt, & caſtas mentes cum Matre illa Virgineque caſtiſſimâ pulchro amoris vinculo conjungere celebrant. Sed pergamus:

per varias virtutes adjunctis exemplis.

§. 12. *Continuatio.*

Quàm item eſt nobilis ille rerum cœleſtium appetitus? hunc excitant ſancti Angeli. Expertus eſt Seraphicus ille ſanctus Franciſcus, qui ſive ſe nudum volutaret in nive; ſive, cum morbo, morbique doloribus conflictaretur, ſpectatores habuit Angelos, & ad cœli cœleſtiumque deſiderium oratores. Nobilis virtus igneus amor Dei. Hunc Angeli accendunt, hujus æſtu delectantur, & delectant æſtuantes. O quis illos exprimet ardores ignei cordis S. Franciſci de Paula, tum potiſſimum, cùm aureum illi ſcutum oſtendit Angelus, in quo aureis ſcriptum literis legebat, *Charitas.* Vulneratum novimus cor S. Thereſiæ, ſagittâ igneâ amoris: Quis vulnus infixit? Angelus. O dulce vulnus! vulnus animæ DEUM amantis! ô dulcia te-

 la!

la! tela amoris divini! ſed quis illa evibrat? Angelus. Nimirum & milites ſunt Angeli, in prælio amoris pugnare ſciunt & vulnerare: ſed non ſunt ad mortem hæc vulnera. Pergamus in contexenda nobili virtutum nobiliſſimarum catena. Nobilis eſt virtus ſedula ad piam mortem præparatio. Sed media quis ſugerit? Cuſtos Angelus. S. Nicolaus Tolentanas ſingulis noctibus per ſex omninò menſes ante obitum Angelicos audivit concentus, illud S. Pauli ad Philip. c. 1, 23. ſuaviter modulantes: *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.* Hinc quantum in animo Beati illus viri exarſerit deſiderium vivendi cum Chriſto, & vitam hanc deſerendi mortalem, vos cogitare facilius, quam ego potero explicare. Nobilis eſt virtus eleemoſyna: huic addictos miris afficiunt gaudiis Angeli. Placuit quod de ſancta Galla Romana vidua legiſſe memini: hæc enim, cum aliquando in pauperes amore Chriſti ſtipem erogaſſet, obvium eodem adhuc die habuit Angelum, à quo auream Beatæ Virginis effigiem accepit. Nimirum liberales ſunt, nec eos quiſquam facilè munificentiæ laude ſuperabit.

§. 13. *Angeli ſunt ſolatio morientibus Probatur exemplis.*

Multa hactenus in Angelorum pios homines amantium laudem non vera minus, quàm illuſtria: Illud verò, quod in ultimo illo morientium agone, ſingulari ope atque præſidio miſeris ſuccurrant, beneficium eſt longè maximum. Expertus eſt hoc ſolatium ſodalis ille Marianus Veſontionæ, qui cum in fatali illa lucta, non parum à damnatis illis ſpiritibus infeſtaretur, in has voces erupit: *Maria, juva me, Domine, nunquam te poſt hac offendam. Credo Domine, Ieſu miſerere mei, parce mihi.* Interim triumphale crucis ſignum certo loco, velut ibidem cerneret adverſarium, opponebat: quoad tandem triumphanti ſimilis, læta voce auditus eſt exclamare: *Victoria, victoria, victoria!* cujus mox cauſam rogatus, reſpondit *Angelorum ope vici!* dixit, & expiravit placidiſſimè. Quid memorem beatam illam Tuſcanam, cui jamjam morituræ hunc accinuere plauſum, *Veni Tuſcana, ſponſa Ieſu Chriſti, accipe coronam, quam tibi paravit Sponſus tuus dulciſſimus.* Quid roſeam illam virginem Roſaliam? cui ſub vitæ finem apparuit Angelus cuſtos, longè quàm unquam aliàs formoſior,

formoſior, & aurcam liliis roſisque diſtinctam coronam impoſuit. Quid illum Cordubæ beatum juvenem? qui dum animam agit, & accedentem notat cuſtodem Angelum, mox brachia extendit, velut amplexaturus dilectum, quo in conatu dum ſpirat, exſpirat. Quam dulcem eſſe neceſſe eſt auſtodis Angeli in hoc mortis articulo præſentiam.

Videor mihi Auditores, veſtra hîc audire ſuſpiria: ô ſi & nobis illa à SS. Angelis olim contingerent ſolatia! ô ſi & nos illorum frueremur aſpectu! vel ſaltem præſidio! ſuſpirium certe bonum! deſiderium laudabile! ſed ut voti reddamur compotes; illud D. Leonis ſer. 5. de Epiph. monitum audiamus, & ſequamur: *Confirmate*, inquit, *amicitias cum SS. Angelis.* Audin' tu iſtud? vis in agone adverſus animæ tuæ hoſtes firmo tegi præſidio? vis ſcuto defendi Angelico? vis ſummis in anguſtiis, ubi omnia deficiunt ſolatia humana, Angeli tui cuſtodis fidelem experiri præſentiam? age modò, confirma cum illo amicitiam; præſentem cogita, alloquere, invoca, cole, venerare, & quibus potes modis illum tibi demereri enitere. §. 14. *Quid agendum, ut & nos Angelos habeamus conſolantes.*

Et certè poſt Deum Deique Matrem nullum ego tibi vel in cœlis vel in terris ſolatium exhibere poſſem ſolidius, quàm illud, quod à ſancto tuo cuſtode Angelo proficiſcitur. Nota eſt ex S. literis illa de mœſtiſſima Agare Gen. 21. v. 16. hiſtoria. *Dixit enim: non videbo morientem puerum. Et ſedens contra levavit vocem ſuam & flevit. Exaudivit autem Deus vocem pueri, vocavitque Angelus Dei Agar de cælo, dicens, quid agis Agar? noli timere.* En cor verè afflictum! cor, cui nulla ex parte vel minima ſolatioli pars affluit! cor dolorum fluctibus obrutum! unus, unus & ſolus ſuccurrit Angelus, unus, unus & ſolus mœrentem alloqui dignatus eſt Angelus; unus, unus & ſolus ab omnibus deſertam Agarem erexit, animavit, firmavit. Videte Auditores, quàm fidelem ſe homini præſtet amicum cuſtos Angelus! cum fugiunt omnes, ille manet: cum te omnes deſtituunt, ille nequaquam derelinquet. Amicus verè fidelis eſt Angelus. §. 15. *SS. Angeli veri conſolatores.*

Et nonne in Lege nova, cum Salvatorem in luctuoſo illo Olivarum horto luctus, pallor, mœſtitia, quin ipſe etiam ſudor §. 16. *Confirmatur exem-*

 ſangui-

plo Christi in horto Olivarum. ſanguineus invaſiſſet, ideo ut conteſtaretur ipſemet, *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem!* Cum interim pars Diſcipulorum fugam præ metu corripuiſſet, pars alto preſſa ſomno jaceret, cum mortalium nemo ſuam Salvatori opem vel ſolatiolum addiceret? quis jacentem erexit; quis mœſto Domino ſolatium adhibuit? Angelus adhibuit, Angelus erexit: *Et apparuit Angelus de cœlo confortans eum.* Diſcite mortales ægri, diſcite languidæ, triſtes, afflictæ animæ quantum vobis ſpei in ſolatio illo Aneglico ſit repoſitum! Pervolvite mecum ſacras paginas, non minus mira, quàm vera hac de re percipietis documenta. Quis enim è Sodomæ flammis vindicavit Loth? Angelus. Quis extraxit è lacû leonum Danielem? Angelus. Quis ventum roris flantem in fornacem illam Babylonicam induxit? quis flammas avertit à tribus pueris? Angelus. Quis Heroinam illam fortiſſimam, Bethuliæ decus in caſtra hoſtium duxit atque reduxit incolumem? Angelus. Sexcenta ſunt talia, quæ modo brevitatis cauſa ſilentio prætereo.

§. 17. *Angeli SS. Martyres recrearunt in tormentis*

Et quis invictos Martyres, illos Chriſti pugiles, generoſos illos Athletas adeò in tormentis illis acerbiſſimis confortavit? Angelus. Quis pallio nitidiſſimo contexit ſanctum Sebaſtianum toto corpore vulneratum? Angelus. Quis ſancto Petro cruci affixo floridas oſtendit coronas, roſas & lilia? Angelus. Quis ſudorem abſterſit S. Theodoro, dum ſub lictorum manibus cruciatibus afficeretur horrendis? abſterſit Angelus: ſic enim poſt cruciatus exantlatos ipſe invictus Chriſti martyr dicere auditus eſt: *Non carui dolore, cum cæderer flagellis, cum plumbatis contunderer, cum facibus uſtularer: homo ſum, dolore non carui: ſed tamen aſtitit Angelus, qui tenuiſſimo linteo abſterſit ſudores, & aqua frigidiſſima corpus perfudit.* O magnum Cuſtodis Angeli beneficium! de quo quò plura dico, eò dicenda occurrunt plura ſemper & illuſtriora, quæque digna eſſent ut in medium adducerem:

§. 18. *Epilogus.*

At tempus eſt ut finiam; omninò finiam, ſed non niſi verbis Doctoris illius melliflui Bernardi, qui ſerm. 12. in pſ. *Qui habitat*, inter alia ſic loquitur: *Habetote familiares Angelos, frequentate eos ſedula cogitatione & devota oratione, qui ſemper vobis adſunt ad cuſtodiam*

ſtodiam & conſolationem. Sic ille, & meritò. Quid enim rationi conforme magis, quam ut colamus eos, atque omni honore, reverentiâ & affectu proſequamur, à quibus tot & tanta in nos indies beneficia derivantur. Paucis quæ dicta ſunt hactenus, timeamus cuſtodes Angelos, & diligamus: Timeamus, quia terribiles; diligamus, quia amabiles; Timeamus, quia vindices ſunt malorum; diligamus, quia fautores bonorum; Timeamus, quia flagellant ſceleratos, diligamus, quia devotos recreant, liberant, animant, ſalvant.

CONCIO LXXXIV.

FESTO SS. APOSTOLORUM SIMONIS ET JUDÆ.

Si mundus vos odit, ſcitote, quia me priorem odio habuit,

Joan. 15. v. 18.

SYNOPSIS CONCIONIS.

FAllax eſt mundus. Stultus, qui credit ſplendidis ejus promiſſis: declaratur variis ſimilibus & exemplis.

§. 1. *Quid Christus Dominus intellexerit per voculam* mundus.

§. 2. *Mundus eſt ſtatua Fencllæ.*

§. 3. *Quinam diligant mundum?*

§. 4. *Mundus eſt barathrum. Hiſtoria de Curtio.*

§. 5. *Similis carcer fuit Athenis. In variis Pſalmis de tali loco loquitur David.*

§. 6. *Reperitur quotidie in hoc mundo hiſtoria ex cap. 16. Numer. Eſt locus patheticus.*

§. 7. *Tragica venatio.*

§. 8. *Terribiles montes Islandiæ ſpecula hujus mundi.*

§. 9. *Tragicus apologus ex S. Damaſc.*

Sciendum,

§. 1. *Quid Chriſtus D. intellexerit per voculam mundus.*

SCiendum, Chriſtum D. non loqui de mundo hoc aſpectabili, de cœlo, elementis & iis creaturis, quarum collectio vocatur mundus, quam enim pulcher creator, creaturarum oſtendit pulchritudo, hoc ergo ſenſu Chriſtus Dom. de mundo non loquitur, ſed loquitur de hominibus, qui mundum incolunt, nec tamen omnibus, ſed peccatoribus, hi enim ferè Chriſtum D oderunt, hi perſequuntur. Vel loquitur illo ſenſu, quo in mundo ſunt infinita pericula, & occaſiones peccandi, vel peccata, prout Joannes, *Nolite diligere mundum.* Item, *totus mundus in maligno eſt poſitus.* Aures menteſq; advertite, & hac quidem concione quid ſit mundus, & qua de cauſa ſit fugiendus luculenter percipietis.

§. 2. *Mundus eſt ſtatua Fenellæ.*

Quid eſt mundus? meo judicio non malè reſpondebo, ſi dicam, eſſe ſtatuam Fenellæ: hujus filium, Eruthlinthum, & Druſſum affinem, necarat Kemethus Rex Scotorum. Ut impotens fœmina ſe vindicaret, ſtatuam mira arte fabricari juſſit, in cujus manu pomum aureum gemmis refertum erat, ea lege, ut quiſquis illam attigiſſet, multis mox jaculis confoſſus occumberet; eò Regem nihil ſuſpicantem invitatum verſipellis fœmina interemit. Idem planè facit Diabolus, ô quot & quantos interimit, dum mundum blandum quidem, ſed exitiale malum propinat, ſcilicet inauratus eſt mundus, promittit gemmas, ſed mittit ſagittas, & ſub larva ſplendoris hamum abſcondit æternæ damnationis. Pomum Kemthus ſi noviſſet, nunquam tetigiſſet; ſed quia incautus tetigit, infauſtus cecidit. Dicite Audit. an non idem olim protoparenti noſtro Adamo evenit? pomum vidit, & attigit. O utinam attigiſſet nunquam! attigit & cecidit! at non ſperabat lapſum! fateor, timere tamen debuiſſet. At erat dulce pomum, & aſpectu delectabile! fateor, ſed fallax ſimul. At Divnitatem promittebat! promittebat fateor, at tribuere non poterat: vitam promiſit, & mortem dedit. O fallax pomum! ô mundi gaudia doloſa! nimirum hic mundi genius eſt; oſtendit aurum, gemmas exhibet, promittit miros, imò aureos montes; ſed promittit tantùm, non mittit, dicit, & non facit, multa ſonat, ſed pauca donat! Nos interim pomum arripimus, ſpe

pleni, ſed momento fraus patet. Ludimus cum inſidiis noſtris, & mundum amamus, tanquam quoddam Fenellæ pomum. Sub roſeo cortice latet lurida mors, ſub pulchra cruſta dirum venenum propinatur. Periculum arridet, cui mundus arridet. Pomum eſt, ſed vermibus imò diabolis plenum.

Sed quinam tangunt? Iſaias Abbas pulchrè reſpondet, dum explicat, quid ſit mundus? de quo Joannes 1. c. 2. *Nolite diligere mundum.* Sic ait orat. 21. de pœnit. *Mundus eſt animi ad peccata deſtructio. Mundus eſt cum carnis voluptates implemus. Mundus eſt, cum majorem corporis quam animæ curam gerimus. Mundus eſt, cum iis, quæ caduca ſunt, gloriamur.* En quid ſit mundus, & quid ſit mundum diligere? nil aliud, quàm levitas, falſitas, vanitas: mundum amare & peccatum, ſynonyma dicam. Hæc enim illa eſt medulla, quam ſub cortice pulchræ arboris tegit; hoc illud eſt rubicundum pomum, quod dum offert, mortem affert. Cavete mortales! §. 3. *Quinam diligant mundum?*

Sed age quæramus porro, quid eſt mundus? reſpondeo, eſt profundum barathrum, abyſſus, puteus, fovea. Romæ aliquando [teſte Livio l. 7.] in media parte fori vaſto & repentino hiatu terra ſubſedit. Horrere hîc omnes, poſt paululum propius accedere & formidandæ altitudinis præcipitium mœſtis oculis intueri; nec quiſquam inventus eſt, præter unum adoleſcentem M. Curtium, qui ultro inſilire auderet. *Is ſolus militaribus inſignibus ornatus, equum conſcendit, eumque vehementer admotis calcaribus, præcipitem in illud profundum egit.* O quoties ab illo tempore tales vidit Curtios infidus mundus, imò non vidit tantum, ſed & impulit in foveam: ornat illos atq; exornat phaleris aureis, quicquid habet illecebrarum exponit; honores, opes, delicias, & quicquid novit blandum, dulce, delectabile, ponit ob oculos. Quem in finem? ut impellat in foveam. Grandis eſt fovea peccatum mortale: quid agis infelix homo? ſiccine re ludi ſinis à mundo, ut in mortem præcipiteris æternam? Crede mihi; §. 4. *Mundus eſt barathrum. Hiſtoria de Curtio.*

- - - facilis deſcenſus averni,
Sed revocare gradum, ſuperaſq; evadere ad auras,
Hoc opus hic labor eſt.

facilis eſt lapſus in foveam! non niſi momento opus! ſed à lapſu reſurgere, ſed emergere è fovea; hoc opus, hic labor eſt! non viſus eſt redire Curtius; innumeri pereunt poſt lapſum vel unicum peccatores.

§. 5. *Similis carcer fuit Athenis. In variis pſalmis de tali loco loquitur David.*

Teſte Cælio Rod. l. 9. tit. 34. locus Athenis fuit immenſæ profunditatis, in imo tamen mollis ſed cœnoſus; illuc rei deturbabantur; molli quidem ſoli excepti, viſcoſa tamen tenacitate ligati, nullâ ratione poterant eluctari. Hic locus vocabatur barathrum; hinc omnis locus, ex quo quis difficulter poteſt emergere, vocatur barathrum. Nomen depingendæ mundi fallaciæ perquàm idoneum! Barathrum eſt mundus! quam profundus ejus eſt lapſus, tam periculoſus! & quod peſſimum, in imo cœnoſus. Ubi pedem quis fixerit, vix refiget, vix eluctabitur, vix emerget, niſi illum ſingularis brachii illius Divini extrahat clementia. In hoc barathrum præceps olim abierat purpuratus ille Propheta: clamantem audi, ſi lubet, & ſuſpirantem Pſ. 129. v. 1. *De profundis*, ſcilicet loco planè periculoſo, in quem mea peccata me præcipitarunt. Pſ. 68. v. 15. *Eripe me de luto, ut non infigar.* Pſ. 39. v. 3 *Educ me de lacu miſeriæ, & de luto fæcis.* Pſal. 70. v. 20. *Converſus vivificaſti me: & de abyſſis terræ iterum reduxiſti me.* De hoc loco conſequenter Pſ. 68. v. 3 *Infixus ſum in limo profundi: & non eſt ſubſtantia.* & v. 16. *Non me demergat tempeſtas aquæ, neque abſorbeat me profundum, neque urgeat* [coarctet] *ſuper me puteus os ſuum.* Et hoc dolendum. David agnovit, alii non agnoſcunt. Rom. 18. v. 3. *In profundum veniens contemnit.* In barathro Athenis miſeri rei contabeſcebant. De mundo Joel. c. 1. v. 17. *Velut jumenta in ſtercoribus ſuis computruerunt.* De his Sophonias cap. 1. verſ. 12. *Defixi in fæcibus ſuis.* Pſ. 54. v. 24. Deus eos - *deducet in puteum interitûs.*

§. 6. *Reperitur quotidie in hoc mundo hiſtoria ex c. 16. Num. Eſt patheticus locus.*

Pergo in metaphora, barathrum eſt locus remotus à calore ſolis, ſterilis, turpis, lubricus, tenax, impurus, graveolens, peſtilens. Planè talis locus eſt mundus, ideo filii ejus tanto diſtant intervallo à calore Divinæ charitatis, ſunt frigidi; ſemper ſteriles, ſemper turpes, ſemper in lubrico, ſemper pleni fœtorum vitiorum, donec repentinus eos interitus obruat. Nimirum ſic renovatur

vatur hiſtoria ex Num. c. 16. v. 21. & ſeqq. ubi Deus puniturus ambitioſos & rebelles Moyſi, Dathan, Abiron & Chore; hunc in modum allocutus eſt Moyſen & Aaron: *Separamini de medio congregationis hujus, & eos repentè diſperdam.* Væ, væ illi, quem Divina quærit Juſtitia ad diſperdendum repentè! *Qui ceciderunt proni in faciem, atque dixerunt: Fortiſſime Deus, ſpirituum univerſæ carnis, num uno peccante contra omnes ira tua deſæviet?* precantur pro reis Moyſes & Aaron, at non deprecantur! *Et ait Dominus ad Moyſen: præcipe univerſo populo, ut ſeparetur à tabernaculis Chore, & Dathan & Abiron.* Dictum, factum! Quis tandem finis? audi & expaveſce. *Confeſtim igitur, ut ceſſavit loqui* (Moyſes) *diſrupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum, devoravit illos cum tabernaculis ſuis, & univerſâ ſubſtantiâ eorum, deſcenderuntque vivi in infernum operti humo, & perierunt de medio multitudinis.* O lapſum ſanè horrendum! infelix Chore! infelix Dathan! Abiron infelix! Quid veſtra jam vos juvant tabernacula? quid opes & divitiæ? ô fallax bonum! decepit vos mundus, & cepit infernus! Ite nunc filii hujus ſæculi, ite, & mundo fidete, hoc eſt, abyſſo, voragini, inferno fidete! habent uxores, ſua tabernacula, opes, ſed ecce I. ſæpe repentè diſperduntur, qui repentini caſus ſunt terribiliores. II. *Confeſtim igitur diſrupta eſt terra ſub pedibus eorum.* O miſeros, qui ſæpe pereunt (moriuntur) antequam cogitent ſe perituros. Nihil periculoſius illis malis, quæ non prævidentur. Ideo tam ſolicitè monet Chriſtus Dominus filios hujus mundi, Lucæ 21. v. 34. *Attendite vobis.* III. Quod & terribiliſſimum, vivi in infernum. Sed heus (ſic poterit nos forſitan interpellare nonnemo) nunquid infelices illi viderunt terræ paulatim dehiſcentis immanem rictum? nunquid dum hoc viderent, adhuc tempus erat & ſpatium pœnitentiæ? nunquid ſubito poterant conteri dolore de admiſſo ſcelere, atque adeo pœnas illas tam horrendas adhuc evadere? nunquid in ipſo etiam deſcenſu fieri id poterat? vix ac ne vix quidem, ut candidè dicam quod ſentio. Certè in caſibus ejusmodi ſubitis non ita ſumus repentè compotes ſanæ mentis, in illis eventibus de ſalute corporis potius quàm de animæ incolumitate laborare

 ſolemus.

ſolemus. Et interim, eheu! ruitur in tartara! & ubi ſunt opes noſtræ? ubi dignitates? ubi deliciæ; ubi amici? nuſquam, nuſquam comparent amplius. Sic ludit mundus & illudit: diſcite, & ſapite! teſtor experientiam, non mundani maximè graves peccatores ut plurimùm moriantur magis de corpore quàm anima ſolliciti? Videor mihi auribus haurire miſerandas illas pereuntium voces, illa lamenta, illa ultima ſuſpiria! ah, ah! ergo æternum perimus miſeri! ergò argenti aurique amor nos adeo potuit dementare! ô nos mali fati mortales! in fraudem inducti ſumus! plus quã oportet, mundo credidimus! væ nobis! ſpes nulla ſupereſt ſalutis! perimus æternùm miſeri, æternùm maledicti: ſic illi. At ſerò ſapiunt Phryges! lamenta nil proſunt talia, ubi talia jam incipiunt tormenta! Hoc eſt Auditores, quod Abacuc dicit c. 3. v. 10. *Dedit abyſſus vocem ſuam*; vocem ſcilicet triſtem, feralem, funeſtam? ſic pereunt qui mundo credunt: Et credunt tamen complures! non verò audiuntur hæ voces morientium: at non pœnitentium: perii heu perii miſer! deceptum me video! decepit me voluptas blanda, decepit me fulgor auri! decepit me dignitatum apex! perii heu perii miſer! At repeto quod dixi: *Talia non proſunt lamenta, cum jam talia incipiunt tormenta.* Quiſquis mundo fidit; oceano fidit; quid inconſtantius? glaciei fidit, quid fragilius? bullæ fidit, quid vanius? inimico fidit, quid periculoſius? terræ fidit: quid mobilius? ſcilcet rotundus eſt mundi globus! volvitur facilè, & ſuos ſecum devolvit amatores, ſæpè uſque ad tartara.

§. 7. Tragica venatio. Renovatur in homine, quod contingit in Saxonia inferiori, cum ante annos non adeò multos Cæſaris exercitus contra Danum pergeret. Proſiliit fors è dumeto lepuſculus, advertit hoc Eques Polonus, ergo citatis mox canibus, citato & ipſe equo feram ſequitur, perſequitur, & aſſequitur prope: cum ecce tibi ſubitò, in totius conſpectu exercitus dehiſcit tellus (paludem potius dicam) & momento equitem, canem & leporem abſorbet. Spectaculum triſte! perinde ac ſi evanuiſſent omnia in ictu oculi, ſic præter foveam molli tectam ceſpite, aliud nihil erat videre. O mortales! en hæc mundi ſuos abſorbentis clientes imago!

& quænam

& quænam eſt illa fera, quam ſtudio tam ardente, curſu tam incitato venamur? voluptatula momentanea: miſer lepuſculus! huic dum inhiamus, animam perdimus, in foveam damnationis æternæ præcipites agimur, & dum ludimus, illudimur.

Contingit, quod multis in Islandia. Habet illa tres altiſſimos montes, ſuperiori parte nive ſemper contectos, radices verò ardentes, cum fodinis ſulphuris Sed ait Gerardus Mercator p. 2. Atlantis. *Qui naturam tanti incendii contemplari cupiunt, & ob id propius ad montem accedunt, eos ſæpe ſubito ac inopinantes una aliqua vorago vivos abſorbet, nam & multæ ſunt, & in cineribus ita contectæ, ut ab ipſis ſibi ſatis cavere nemo poſſit.* Audit. non ſola talis eſt Islandia, totus terrarum orbis ſimilis mihi mons videtur: nullibi tutò pedem figes; cave; ubi tu Parnaſſum credis, montem illum Phœbo Muſisq; celebrem, ubi tu montem Veneris ſuſpicis & diligis; ubi tu roſas vides & lilia, ibi latet *Ignis ſuppoſitus cineri doloſo.* Noli propius accedere, nimis vicina ſunt nomina, *adire & perire:* ubi gaudia quæris, reperies incendia; ubi vitam indagas, mortem invenies: *Nolite diligere mundum, neq; ea quæ ſunt in mundo.* §. 8. *Terribiles montes Islandiæ ſpecula hujus mundi.*

Apud S. Damaſc. ſapientiſſimus Barlaam metaphoram hanc pulchro explicat apologo: *Eos, qui tam peſtifero ac crudeli Domino ſerviunt, qui rebus præſentibus inhiant; - nec futura ullo modo cogitant verum ad corporeas voluptates ſeſe conferunt.* [ecce filios hujus mundi] Cenſeo ſimiles adoleſcenti, qui dum fugit à facie unicornis, præcipiti curſu fertur in foveam, ruendo tamen manus extendens, arborem arripit, ſicque dum pendet, videt hinc duos mures rodentes arborem, ſubtus horribilem draconem avidum, ad latera quatuor aſpides, ſurſum reſpiciens, vidit aliquid mellis, & [o ſummam juvenis dementiam!] de ſolo melle cogitat, non illum terret præſentiſſimum vitæ diſcrimen, non draco horrendus adductis faucibus bolum exſpectans, non venenati ad latus ſerpentes: non illum movent hæc omnia, mel deſiderat, dulcedini mellis inhiat, melle ſe reficere optat. Dicite, an non hoc extremæ eſt dementiæ ſuſpirium? ô mortales! veſtra ſunt hæc vota, imo veſtra eſt hæc vita! unicornis vos perſequens mors eſt! diu noctequе inſequitur! §. 9. *Tragicus apologus ex S. Damaſc.*

tur! Fovea mundus eſt; quàm occulta, tam periculoſa! arbor eſt humanæ vitæ conditio perquam fragilis. Mures, albus unus, alius ater, ſunt nox & dies; ab his identidem radix arboris vitæque mortalis ſic arroditur, ut deficiat quotidie; ſerpentes ſunt ſcelera noſtra, diræ mortis venenum minitantia! Quis tandem draco? infernus. Aperuit hic draco os ſuum, fauces dilatavit, patulo rictu prædam expectat nobilem. Nos interim pendemus ex unico ramuſculo dictæ arboris, in ſingula momenta timendus eſt lapſus, heu qualis & quantus lapſus! Et tamen [prô pudor] de melle loquimur, de melle cogitamus, de melle ſomniamus! Et tamen in tot ac tantis periculis nos afficit blanda carnis mundique voluptas. O nos inſanos! ſic mundo dum credimus, à mundo prodimur, à mundo præcipites agimur in foveam, à mundo raptamur ad orcum. Quocirca qui ſapit, mundo non fidit, mundum contemnit, mundum in hoſtibus numerat, mundo nuntium remittit, & mentem ſuam cœlo cœlique moderatori Deo affigit.

CONCIO LXXXV.

FESTO OMNIUM SANCTORUM.

Aperiens os ſuum, docebat eos, dicens, Beati pauperes Spiritu,

Matth. 5. v. 3.

SYNOPSIS CONCIONIS.

QVænam ſit vera beatitudo hominis in hac vita, per quam quis poſſit obtinere felicitatem æternam.

§. 1. Hic

§. 1. *Hic mundus eſt larva decipiens; vera beatitudo eſt in altero mundo.*

§. 2. *Chriſtus Dominus aperiens os ſuum; aperuit ſimul theſaurum ſapientiæ.*

§. 3. *Proſecutio ex ſancto Bernardo & aliis.*

§. 4. *Eximium elogium Chriſti Domini.*

§. 5. *Suaviſſima de apertione oris Salvatoris.*

§. 6. *Gemmei gradus ad beatitudinem.*

§. 7. *Beati pauperes: & quinam ſint pauperes?*

§. 8. *Divitiæ ſunt primus gradus ad damnationem; contra paupertas eſt gradus ad cœlum.*

§. 9. *Beati mites, & quinam tales ſint.*

§. 10. *Beati qui lugent; quinam illi?*

§. 11. *Præmium & encomia lachrymarum.*

§. 12. *Epilogus.*

CUm Apelles inſpiceret imaginem Helenæ à diſcipulorum aliquo pictam, multo auro & gemmis ornatam, dixit: *O adoleſcens, cum non poſſes pingere pulchram, feciſti divitem.* Tales ſtatuas frequenter videmus in templis & plateis, virgines vel fœminas, quas natura parum ornavit, imò fœdavit, ipſæ tamen ſe pingunt coloribus, ornant auro & gemmis, ut ſaltem ſplendore externo aſpicientium oculos perſtringant. Talis virgo eſt beatitudo hujus ſæculi; tetrâ facie, plena ſpinis, cloaca ſcelerum; quia tamen ornata eſt auro, quia ſpinæ ſunt tectæ roſis, quia cloacæ dealbatæ, quia fel in aurato poculo ſplendet ut vinum, placet illa Babylonica meretrix ſub illis larvis filiis hujus ſæculi. Has larvas infami monſtro in hodierno Evangelio detrahit Salvator noſter, & veram oſtendit beatitudinis imaginem, virginem ſcilicet pauperem, mitem, lugentem, mundam, pacificam, arduis exercitam. Sed beatam illam pronuntiat, de qua veritate dubitare non licet. Quocirca poſteaquam in præſenti Evangelio octo beatitudines à Chriſto in Evangelio propoſitas, quantum per tempus licuerit, percurrero, facilè intelligetis, in quibus vera beatitudo hominis in hac vita conſiſtat, ut per hanc alteram beatam felicitatem & æternam in regno cœlorum aſſequatur. Tunc,

§. 1. Hic mundus eſt larva decipiens. Vera beatitudo eſt in altero mundo.

§. 2. *Chriſtus D. aperiens os ſuum, ſimul aperuit theſaurum ſapientiæ.*

Tunc cum æterna Sapientia novam mundo voluit prædicare doctrinam filiis hujus ſæculi planè paradoxam de paupertate, caſtitate, dilectione inimicorum, de patientia in tribulationibus, tunc cum ſcilicet ſummam nos voluit docere perfectionem, tunc cum oſtendere cuperet ſemitas rectiſſimas ad regnum cœleſte, tum benigniſſimus Salvator aperuit os ſuum. *Hæc* [ſequuntur verba Strabonis] *apertio oris profunditatem ſignificat myſterii.* D. Remig. *Vbicunque legitur, Dominus os aperuiſſe, inſpiciendum eſt, quia magna ſunt, quæ ſequuntur.* v.g. aperit os, magnum eſt quod ſequitur, *beati pauperes.* D Hilar. *Divina myſteria, quæ hactenus tacuerat, patefecit*; ne in principio ſuos Apoſtolos ab ardua via perfectionis abſterreret, multa diſſimulavit. Poſtquam dulciſſimæ ejus converſationi nonnihil aſſueverunt, tum tandem os ſuum aperuit, & altiſſima myſteria declaravit, pauperes, afflictos, mites eſſe omnino beatos. Ideo Gloſſa interlinearis hîc pulchrè addit: *Aperiens os ſuum, theſaurum ſapientiæ aperuit.* Puto non ſapientiæ carnis, non ſapientiæ hujus ſæculi, non ſapientiæ filiorum tenebrarum, quæ beatos pronuntiat divites, ſed ſapientiæ illius altiſſimæ & ſupernaturalis, quæ donum dicitur Spiritûs S. quâ hominis intellectus illuſtratus, ſpernit divitias, mortificat carnem, & ſola cœleſtia quærit, quos Salvator noſter beatos pronuntiat. Et cui potius credemus? mundo, an æternæ Sapientiæ? ego huic fidem adhibeo, mundus vanus, fallax, mendax, tranſitorius eſt. Chriſtus D. mentiri, errare, decipere non poteſt, verbum ejus manet in æternum.

§. 3. *Proſecutio ex S. Bern. & aliis.*

Suaviter quoq; de ſuaviſſimo ore Chriſti loquitur ſuaviſſimus Bern. ſer. 1. *Verè apertum eſt os ejus, in quo omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ ſunt reconditi - per Prophetam prædixerat, aperiam os meum, eructabo abſcondita à conſtitutione mundi, quid enim tam abſconditum, quam paupertatem eſſe beatam*; ſic eſt, theſaurus eſt paupertas, ſed coram hoc mundo abſconditus, ſic de aliis. Paſchaſ. l. 3. *Aperuit oſtium theſaurorum, ut dona divideret univerſis*; in prima beatitudine promittit cœlum, quale donum! promittit terram viventium pacem, viſionem Dei, qualia dona! S. Chryſ. hom. 5. *Doctrinam ſuam induit - ſub præmiis beatitudinum, ut ſermonem faciat gratiorem,*

tiorem; durum eſt, eſſe pauperem, ſed & ſanctum eſt. Theſaurus eſt, premi adeversâ fortunâ, pati calumnias, injurias tolerare; ſed theſaurus abſconditus! mundus illum ignorat, & quia ignorat, contemnit; æſtimat Deus, & quia æſtimat, ad illius amorem omnes invitat mortales. Theſaurus eſt lugere potius quàm ridere; ſed ô quàm pauci hunc quærunt vel amant theſaurum! Beati qui lugent, Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, Beati pauperes ſpiritu.

Negat quidem mundus, ſed affirmat Chriſtus. Rupertus: §. 4. *Eximium elogium Chriſti D.*
Hoc cecinit canticum beatitudinis, Cythara glorioſa, Cythara ſonora, & dulcis, cui tota erat & eſt infinita muſica Patris, infinita ſapientia Dei.

D. Paſchaſius ſuper cit. thema ait: *Aperuit oris januam,* §. 5. *Suaviſſima de apertione oris Salvatoris.*
ut fluenta eructaret abyſſi. Strabus: *Quaſi abyſſum os aperuit Chriſtus, quaſi fluvium paradiſi.* De ore juſti ait cap. 10. verſ. 11. Proverb. *Vena vitæ os juſti.* Veriſſimum hoc de ore Salvatoris. Gen. 2. v. 10. *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis, qui inde dividitur in quatuor capita.* Locus voluptatis eſt os Chriſti, fluvius qui hodie egreditur, in octo diviſus eſt rivulos vel venas vitæ. Tagus in Hiſpania dicitur aureus, magnus fluvius Baſileæ argenteus, mare oræ piſcariæ gemmeum. Longè pretioſius aurum & argentum, longè nobiliores gemmæ volvuntur in fluvio, qui hodie fluit ex ore Chriſti, gemma eſt paupertas. Paſchaſius: *Aperiens os Dominus, aperuit oſtium theſaurorum, ideſt, oſtia cæleſtis Jeroſolymæ oſtendit, pretioſorum lapidum exſtructa theſauro.* Chromatius: [cogitate vos videre civitatem ſanctam, quam vidit S. Joannes Apoc. 21. v. 18. ex auro.] *Gradus quoſdam firmiſſimos ex lapidibus pretioſis ſternit Dominus, per quos animæ poſſint aſcendere ad regnum cælorum; nam cum cælorum portas ex pretioſis lapidibus objeciſſet, ex eisdem confecit virtutum ſcalas.*

Primum gradum conſtruit Smaragdus pulcher: Pulcher §. 6. *Gemmei gradus ad beatitudinem.*
Smaragdus apud Eruditos ſymbolum eſt paupertatis. Alter gradus ſurgit ex radiante Chryſolyto; radians Chryſolitus ſymbolum eſt manſuetudinis, cujus ſplendor mundo incognitus cœlos cœliteſq; perſtringit. Ad hæc micat ſardonix: luctum intellige: fulgurat carbunculus; famem & ſitim accipe: ſplendet ſaphirus colore

decorus cœruleo? puritatem deſigna: Hiacynthus delectat? pacem exprime: Topazius arridet? miſericordiam exhibe. Durat Adamas? tu in perſecutione fac dures ſimiliter. Hi ſunt gradus illi gemmei, quos calcando Divi cœlites pervenerunt ad montem gloriæ, per eosdem & nos ſubire debemus. Sed ubi inveniemus has gemmas? ite, ite ad hodiernum Evangelicum montem, ecce Salvator noſter aperit os, nimirum fluvius hic eſt in quatuor diſtinctus rivulos, in primo paupertatis rivo invenitur ſmaragdus paupertatis, ex hoc conficiendus primus gradus ad cœlum; in ſecundo, hoc eſt, rivo manſuetudinis, fluit Chryſolitus manſuetudinis, ex illo gradum alterum erigite; in tertio rivo, qui à luctu & lachrymis nomen ſortitur, volvitur pulcher ille Sardonix, ex quo conficiendus eſt tertius gradus; in quarto rivo famis fluit rutilans ille Carbunculus, ex quo Sancti conſtruêre quartum gradum ad cœlum; in quinto, hoc eſt, rivo miſericordiæ, Topazius, hunc Chriſtus D. aſſignavit pro quinto gradu; in ſexto, in argenteo rivulo puritatis fluit Sapphirus, hic ſerviet pro ſextu gradu; in ſeptimo, in rivo pacis fluit Hyacinthus, uti color eſt cœleſtis, ſic ſervit pro ſeptimo gradu ad cœlum. In rivo perſecutionum fluit Adamas patientiæ, hunc ſi habemus, ſtamus in ultimo gradu ad cœlum. Sed examinemus hos gradus in particulari.

§ 7. *Beati pauperes, & quinam ſint pauperes?*

Beati pauperes! Varia eſt opinio Patrum, quos Chriſtus D. per pauperes Spiritu intellexerit. Nonnulli accipiunt humiles, D. Hilarius in Matth. *Chriſtus in Spiritus humilitate perfectæ beatitudinis poſuit exordium.* Idem habet D. Jeron. S. Aug. l. 1. de S. Domini in monte: *Recte hic intelliguntur pauperes Spiritu, humiles & timentes Deum, ſcilicet, non habentes inflantem ſpiritum.* Ejusdem ſententiæ fuerunt D. Greg. lib. 26. mor. c. 20. Greg. Nyſſenus in 1 de Beat. Theophylactus, Euthymius, S. Chryſoſt. rogat: *Qui ſunt pauperes ſpiritu*? reſpondet: *humiles mente atque contriti ſpiritu.* S. Baſilius in reg. brev. interrogatione 205. intelligit illos, qui opibus remittunt nuntium, Chriſtumque ſequuntur, juxta illud Matth. 19. v. 21. *Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo, & veni,*

Digitized by Google

ni, ſequere me. Chromatius Epiſcopus: *Hos pauperes ſignificat Chriſtus eſſe beatos, qui contemptis mundi divitiis ſpretaque ſæculi facultate, ut à Deo fierent divites, mundo pauperes eſſe voluerunt.* Si verò quis oblatam ſibi etiam quomodocunque mendicitatem ſuſceperit, & eam ad Dei voluntatem moderatus ſit, ut Lazarus, neque hic à beatitudine hac excluditur, quamvis negari non debeat, Chriſtum D. magis loqui de iis, qui amore ſui ultro opes abjiciunt, & pauperi ſibi ſe conformant. D. Baſilius: *Si vero quis oblatam ſibi etiam quomodocunque mendicitatem ſuſceperit, & eam ad Dei voluntatem moderatus ſit, ut Lazarus, neque hic à beatitudine illa excluditur.* Hanc interpretationem ſequitur D. Bern. ſer. 1. de omnibus Sanctis. Petrus Dam. D. Thomas, Lyranus, notandaque ſunt verba D. Bern. *Non ſimpliciter appellat Chriſtus pauperes, propter pauperes neceſſitate miſerabili, non laudabili voluntate. Pauperes ſpiritu, ſcilicet ſpiritali voluntate, ſpiritali intentione, deſiderio ſpiritali, propter ſolum beneplacitum Dei.* Quod deſiderium etiam in divitibus eſſe poteſt, ut ab hac beatitudine nequaquam ſint excluſi, dummodo ſaltem ſpiritu eſſe pauperes non abnuant. Hæc ergo voluntas ſe Divinæ voluntati in divitiis accommodandi, hic voluntarius amor paupertatem ultro amplectens, hæc contenta voluntas in paupertate primum gradum ſternunt ad cœleſtem beatitudinem. Hunc omnes Sancti tenuêre, è quorum numero nemo unus eſt, qui non pauper fuerit ſpiritu, etſi divitiis longè inſtructiſſimus; nemo unus, qui non amplexus Davidis monitum: *Divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.* Nemo unus, qui non divinæ ſe voluntati ſe conformarit, comparando ſeſe ad inopiam æquè ac abundantiam, ſi ita ſupremo Numini videretur.

Nam quemadmodum divitiæ, aurum, argentum, opes, primum gradum ponunt ad damnationem, ſic paupertas primum facit ad beatitudinem. Apoc. c. 17. v. 1. dicitur: *Veni, oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ, cum qua fornicati ſunt Reges terræ;* vult Spiritus S. nobis oſtendere damnationem hujus & habitum, & mores, geſtusque deſcribit. *Et mulier erat circumdata purpurâ, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioſo.* En quàm genuinis §. 8. *Divitiæ ſunt primus gradus ad damnationem. Contra, &c.*

Digitized by Google

genuinis depingat coloribus divitum ſortem S. Joannes! Quocirca adeſtum Auditores; oſtendam & ego vobis, quo habitu, quâ forma pompaq; ad inferos migrent opulenti. Videbitis illos in hoc orbe purpurâ indutos? à purpura rapientur ad flammam. Suſpicitis illos aureis coronis ſceptriſque inſignes, à ſceptris rapientur ad tartara. Miramini illorum ciſtas auro argentoque inſtructiſſimas; ab his gazis rapientur ad nunqnam finienda maledictæ æternitatis incendia. Heu qualis & quam mœſta ſors divitum! Econtra quàm eſt longe alia ſors pauperum; venite, & oſtendam vobis virginum Reginam auguſtiſſimam! *dum viveret, pauper erat & inops.* Venite, & oſtendam vobis purpuratos ſuo in ſanguine Martyres, liliatas ſua in puritate Virgines, fortes ſua in conſtantia Confeſſores, *dum viverent, pauperes erant & inopes.* Dicite, an non Beati pauperes ſpiritu? ſunt ſanè, ſiquidem hic primus ad aſtra gradus eſt. Paupertas eſt via ad cœlum, paupertatis præmium eſt regnum cœlorum. Dicite ergo cum Crate Thebano: *Abite peſſum mala cupiditates, ego vos mergam, ne ipſe mergar à vobis*; hæc dicens, aurum projecit in mare. S. Hier. *Melius eſt rem familiarem minui, quam ſalutem animæ perire.* S. Chryſol. *Athleta ad luctam nudus procedit, miles in acie non niſi expeditus ſtat, & qui tendit ad Philoſophiam, totum ante, quod in rebus eſt, contemnit.* Ita & nos procedamus in agonem, in quo pro cœleſti gloria nobis currendum, luctandum pugnandumque eſt.

§. 9. *Beati mites & quinam tales ſint.*

Beati mites. Paupertatem ſequitur manſuetudo, paupertas enim humilitatem & manſuetudinem parit, opes ſuperbiam gignunt. Scribit Plutarch. l. de induſt. animal. *Bucephalus Alexandri equus nudus, quemvis ſeſſorem admittebat, ornatus verò regiis phaleris & collaribus, non niſi ſolum Alexandrum admittebat, tum, accedentibus ingenti hinnitu occurrebat, inſultabatq́, & niſi cederent, calcibus proterebat.* Similes ſunt homines Bucephalo, ornati divitiis inſoleſcunt, cæteros proterunt, nudi vero ſunt humiles, mites, humaniſſimi Nonne talis Bucephalus erat Aman, ſed quàm deinde humilis ad crucem pergit! ſimilia quotidiana experientia nos docet, vide ſanctum Chryſoſtomum hom. vigeſima nona ad populum. Mites autem ſunt, qui in converſione ſuaves,

Digitized by Google

ves, mites, qui non facile iraſcuntur, mites, qui facile remittunt, mites, qui etiam iracundis ſuaviter reſpondent. D. Paſch. *Mitem non ira, non rixa, non contentio, non rancor, aut aſperitas mentis, vel fellis amaritudo, ſeu concupiſcentiarum livor afficit aut fatigat, ſed ſimplicitas fidei ad omnem injuriam ſuſtinendam patienter praeceptis Evangelicis informat.* Tales in vita fuerunt Sancti complures, & beati quia poſſident terram, dubium eſt quid Chriſtus Dom. per terram intellexerit, S. Bernardus corpus ex terra formatum intelligit, hoc mitis poſſidet, quia paſſionibus dominatur. Chrom. etiam corpus intelligit, ſed beatam poſſidebunt terram, ſcilicet erunt in corpore beato. D. Leo, *terra promiſſa mitibus caro SS. eſt, quae felici reſurrectione mutabitur, & immoralitatis gloria veſtietur.* D. Hieronymus, terram cœleſtem in præmium proponi exiſtimat. Non terram Judæ, non mundi, ſed terram quam Pſalmiſta deſiderat dicens, pſalmo 26. verſu 13. *Credo videre bona Domini in terra viventium.* In hac terra ſunt hodie ſancti, vident bona Domini. Nam quia mites fuerunt, impletum eſt quod Propheta David dixit pſalmo 36. verſu 11. *Manſueti hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis, vel delictabuntur* - ita, ita delicientur

Beati qui lugent. Similiter quæri poteſt, quinam lugentes beati dicantur, lugent enim multi, ſed non omnium lachrymæ beatæ prædicantur. Lachrymas beatas facit cauſa, ob quam quis luget. Itaque divus Hilarius illos beatos dici putat, qui lugent ob commiſſa peccata: *Non orbitates aut contumelias, aut damna mærentibus, ſed peccata vetera flentibus, & criminum conſcientia ærumnoſis conſolatio in cœlo præparatur.* Talis lugens erat David pſ. 6. v. 7. *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo.* Addit Theophylact. conſolationem etiam promitti illis, qui ob peccata proximi lugent. Chromat. *Beatos Chriſtus ſignificat eos, qui aut propria commiſſa peccata jugi lachrymarum fletu expiare contendunt, aut qui pio legis affectu iniquitatẽ ſæculi ac peccantiũ delicta lugere non deſinunt.* Gloſſa ordinaria illos etiam beatos vult, qui præ cœlorũ deſiderio lugent. Beati etiã ſunt, qui lugent propter Deum oppreſſi atq; vexati, juxta illud Joan. 16, 20.

§. 10. *Beati qui lugent, quinam illi?*

Florabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit. Beati ſunt, qui ſæculi ſpernunt delicias, riſus, animique compunctioni & pœnitentiæ ſe tradunt, ſic lugebant, qui Pſ. 136. v. 1. dicebant: *Super flumina, &c.* nam recordatio cœleſtis Sionis facilè elicit lachrymas in illis, qui ſedent, qui conſiderant, omnia mundi gaudia fluere, ſuſpendunt, ſcilicet nolunt lætari in terra aliena, differunt. Beati etiam ſunt, qui ex amore ſæpe flent, nam non ſemper juſtus flet. Ignis ex floribus elicit aquas, amoris ignis ex cordibus. Præmium horum eſt conſolatio, tum hic, tum maximè in cœlis; hortus ſine fonte amœnus eſſe non poteſt, hortus Chriſti eſt anima noſtra, ſed opus eſt, ut adſit fons lachrymarum, hoc virtutum herbæ, flores irrigantur, creſcunt. Poſt lachrymas ſequitur ſolatium. Sara ad Tob. c. 3. v. 22. *Poſt tempeſtatem tranquillum facis, & poſt lachrymationem & fletum exultationem infundis.* Non ſecus ac poſt imbres aër mundatur. Et hinc peculiaris ſequitur mentis dulcedo. D. Auguſt. Pſal. 127. *Dulciores ſunt lachrymæ orantium, quam gaudia theatrorum.* Sed qui experiri cupit, mundum mundique gaudia aſpernetur, neceſſe eſt. Poſt vitæ hujus conſolationem præcipua reſtat in cœlis. Pſal. 125. v. 5. *Qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent.* Utrumque experti ſunt Beati cœlites, dum adhuc mortalem vitam agerent in terris. Luctum habuerunt olim, nunc habent ſolatium. *Beati qui lugent, quoniam conſolabuntur.* Luctui vacarunt, lugendi cauſam præbuêre tot peccata, quibus benignum Numen quotidie offenditur. Luctui vacarunt; lugendi argumentum fuit ſalutis æternæ incertitudo, luctui vacarunt; deſiderium patriæ cœleſtis, longum in hac lachrymarum valle exilium, & ſexcenta alia ſatis ſuperque fortia illis erant ad luctum motiva. At nunc ex luctu ſolatium, nunc riſus ex lachrymis, nunc ex mœrore lætitia. *Beati qui lugent, quoniam conſolabuntur,* ut quis dicere poſſit cum David Pſ. 93. v. 19. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.*

§. II. *Præmia & encomia lachrymarum*

Contigit, quod Apoc. 21. verſ. 4. promiſſum eſt. *Abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor.* Ob hoc vel maximè beati qui lugent, quia Deus

Deus illos conſolabitur. D. Bern. *Felices lachrymæ, quas benigna manus Conditoris abſterget, & beati oculi, qui in talibus liqueſieri fletibus elegerunt.* Hæc maxima lachrymantium beatitudo, quod Deus non tantum per Angelos, per creaturas, ſed per ſe ipſum illos conſolari velit. Tum perfecta eſt conſolatio, cum Chriſtus ipſe ſolatur. Exemplo ſit illud omnium piè lachrymantium exemplar Magdalena; quæ poſt obitum Servatoris, Deum immortalem quàm triſtis & afflicta, quàm tota in lachrymarum Oceano natitat Magdalena? ſummo mane ſe proripit, viam init, properat ad monumentum, inquirit dilectum, lachrymis interim terram rigat, & ſaxa ceu rore matutino; apparent Angeli? illa plorat. Angeli ipſam verbis ad ſuavitatem compoſitis alloquuntur? illa plorat, audit reſurrexiſſe Salvatorem? plorat nihilominus, animos addere conantur ſociæ mulieres? fruſtra, plorat Magdalena, nec eſt, qui lachrymis ejus modum ponat. Non miror: unicus Jeſus eſt, qui verè ſolideque conſoletur afflictas animas. Pulchrè Origines: *Maria doloribus confecta, tota in exceſſu mentis poſita nullam recipit conſolationem, & ad nullum tendit conſolatorem.* Intelligitis jam credo, quàm ſint beati, qui lugent. Sed luctûs cauſa ſit Chriſtus, non mundus. Lachrymis indulges? ô te beatum; ſi tamen lachrymæ ſint, quas Chriſti amor expreſſit. *Beati qui lugent.* O triſtes animæ! pergite, flete, deflete peccata veſtra, flete, deflete ſtatûs veſtri vitæque ærumnas, flete deflete exilium veſtrum, in quo verſamini. *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Pacificos, mundos corde, miſericordes, eſurientes juſtitiæ, patientes in tribulatione alibi oſtendo beatos.

Tales fuerunt SS. ſed jam ſunt in gloria; tales oportet & nos eſſe, ſiquidem cum Sanctis regnare deſideramus in cœlis. Jam concludo. Lacedæmonii, ut juventutem ad majorum ſuorum imitationem accenderent, virorum fortium imagines ex ære aut marmore in curia erigebant, cum hac inſcriptione: *Si fueritis ſicut iſti, eritis ſicut iſti.* Perinde ac ſi dicerent: ſi campum Martis cum illis inieritis, cum illis inibitis & campum victoriæ. Idem facit dicitque Salvator. Hodie nobis oſtendit beatiſſimas §.12. *Epilogus.*

tiſſimas

tiſſimas Sanctorum ſuorum turmas, hodie nobis oſtendit glorioſos Sanctorum ſuorum exercitus; En hîc Martyres cum roſis, hîc Virgines cum liliis, hîc Apoſtoli cum hiacynthis, hîc Confeſſores cum ſuis narciſſulis. At vocem audite parænetícam: *Si fueritis ſicut iſti, eritis ſicut iſti.* Non coronabitur, niſi qui legitimè certaverit. Vis te Martyrum choro adſcribi? *Si fueritis ſicut iſti, eritis ſicut iſti.* Vis te Virginum albo inſeri? ſis Virgo, ſi fueris ſicut illæ, eris ſicut illæ.

Amantiſſime JESU, utinam ſimus ſicut tu, tuique Cælites! profectò non fuimus hactenus, erimus poſthac tuâ opitulante gratiâ, erimus ſicut tu tuique dilecti Sancti dum vivimus, ut fiamus ſicut tu & illi dum morimur, Amen.

CONCIO LXXXVI.

FESTO ANIMARUM.

Requiem æternam dona ejus Domine.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EXponitur miſer ſtatus animarum in purgatorio: quomodo nos poſſimus illis ſuccurrere.

§. 1. *Anima ex purgatorio hortatur Confeſſarium, ut ferventer dicat.*

§. 2. *Quanta ſint pœnæ animarum in purgatorio.*

§. 3. *Deus nobis illas repræſentavit per varia tormenta.*

§. 4. *In purgatorio non ſunt dæmones.*

§. 5. *Multæ animæ in purgatorio ardent diutiſſimè.*

§. 6. *Non poſſunt juvare ſe ipſas: nos poſſumus ſuccurrere.*

§. 7. *Offerendo præſertim pro illis ſanguinem Chriſti.*

§. 8. *Triplici modo.*

§. 9. *Cur*

§. 9. *Cur nullus ex crucifixoribus actualiter ſtatim fuerit punitus.*
§. 10. *Cur Societas Ieſu inſtituerit menſtruam Communionem.*
§. 11. *Cur meretrix Raab in Iericho fuerit ſalvata.*
§. 12. *Quomodo ſuccurrere debeamus piis animabus.*
§. 13. *Encomium noſtræ Communis.*
§. 14. *Epilogus.*

CUm pius & zeloſus Concionator ſecum perpenderet, quam materiam dictionis pro hodierno Feſto eligeret, anima ex purgatorio illi apparens dixit: Decrevit Deus hac die, magna miſericordia erga nos uti, dummodo vivorum ſuffragia accedant? id eſt, dummodo ſint, qui pro nobis orent. Vide tu, ut clames, inſtes, urgeas tuos Auditores, ut noſtri miſereantur. Idem mihi dictum arbitror. Proinde rogo vos Auditores; miſerandum inprimis animarum in purgatorio ſtatum perpendite. *§. 1. Anima ex purgatorio hortatur Concionatorem, ut ferventer dicat.*

Et primum quidem pœnæ, quas patiuntur, non ſunt diverſæ ab illis, quas patiuntur damnati; non niſi duratione differunt. Damnati ardent, ardent & uruntur iiſdem ignibus beatæ illæ animæ; damnati intolerandam in flammis ſitim patiuntur, teſtis eſt epulo ille Evangelicus; eandem patiuntur & animæ illæ beatæ. Damnatos excruciant horrendæ tenebræ; iiſdem involvuntur & illæ; damnatos rodit conſcientiæ vermis, rodit & pias animas; damnatis perquam moleſtus eſt graveolens fœtor, eſt & animabus fidelium; apud illos continuus eſt fletus & ululatus, etiam apud has; illos dira fames excruciat, etiam pias animas; illis terrorem tremoremque injicit loci horror, etiam piis animabus; illos triſtis ſocietas affligit, etiam pias animas: Verbo, ſola pœnarum æternitas iſtos reddit infeliciores quàm illas. Tanta illorum tormentorum eſt gravitas, ut ſecundum ſanctum Anſelmum pœnarum illarum minima major ſit pœnis maximis, quas mortalis homo in hac vita poteſt ſuſtinere. Colligite dolores ſanctorum Martyrum; in unum congerite cumulum, omnia, quibus diverſæ nationes excruciant reos variorum criminum tormenta. Colligite in faſciculum *§. 2. Quanta ſint pœnæ animarum in purgatorio.*

[piiſſimam hanc cogitationem mihi ſuggerit Angelicus Doctor,] inſtrumenta Paſſionis Chriſti, crucem, clavos, cogitare hos affigi cruci, illos flagellari, atrociora patiuntur animæ in purgatorio.

§. 3. *Deus illas nobis repræſentavit per varia ſpectacula.* Proinde placuit Deo, atrocitatem harum pœnarum nobis explicare per varia ſpectacula corporalia,. ſecundum varias apparitiones. Aliquæ ex his animabus ad ignem torquentur in verubus, aliæ aſſantur in craticulis, aliæ lacerantur ferreis igneisque forcipibus, aliæ immerguntur liquefactis metallis, volutantur aliæ in ollis pice plenis ac reſinâ, diſcerpuntur aliæ à ſerpentibus & draconibus, hinc animarum harum clamor & ejulatus tam eſt lamentabilis, ut ſi audiretur, ſaxea corda commoveri ad miſericordiam neceſſe foret. Auditor amantiſſime! quas has arbitraris eſſe animas? eheu! fortaſſis anima tui patris ad ignem in veru torquetur, fortaſſis anima matris tuæ aſſatur in craticula, quid cogitas? fortaſſis dilectus tuus frater ſedet in loco illo obſcuro, in tenebris & umbra mortis? quid ſentis? fortaſſis ſoror tua chariſſima piacularibus illis flammis manet involuta, & ſupplices ad cœlum palmas protendit? quid hac de re decernis? Eheu! fortaſſis amicorum tuorum intimi, jam dum hæc verba facio, jam dum me audis perorantem; ad te quoque & ad alios amicos lachrymabili voce perorant: *Miſeremini mei, miſeremini mei ſaltem vos amici mei!* ecquid ſtatuis?

§. 4. *In purgatorio non ſunt dæmones.* Jam verò miniſtros harum pœnarum exiſtimant aliqui, eſſe dæmones, verius tamen eſt, benedictas purgatorii animas non torqueri operâ, imo neque aſpectu dæmonum, quæ eſt una ex maximis pœnis inferni. Certè, tam horridus & teter eſt hic dæmonum aſpectus, ut referente S. Antonio, eo conſpecto religioſus moribundus dixerit, ſe ſi orbis univerſus ſulphureis ignibus conflagraret, ante in eum intraturum; accedit nequaquam decere, ut animæ Dei amicæ, dæmonumque debellatrices illis tradantur. Dei ergo Juſtitia eſt miniſter pœnarum.

§. 5. *Multæ animæ in purgatorio ar-* Accedit aliud, quod miſerum animarum ſtatum auget. Licet æternum non patiantur, tamen multæ multis annis hærere coguntur. Ludovico Regi Germaniæ apparuit parens, his verbis cum

eum allocutus: *Adjuro te in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, liberа me à tormentis quæ hic patior, ut demum vel poſt triginta annos hic conſumptos, ad vitam æternam tranſire poſſim.* Baronius tom. 1. Anno 874. Beda refert, cuidam perſonæ fuiſſe revelatum, aliquas animas paſſuras fuiſſe uſque ad diem judicii, niſi à vivis per ſuffragia adjutæ fuiſſent. Non poſſum modo complures ſimiles enarrare hiſtorias, hoc certum, multas animas multis annis pati oportere. O pia anima, ſi quæ in te pietas, miſerere parentis tui optimi, miſerere matris, miſerere fratrum, ſororum, cognatorum; miſerere illorum, quos intimè olim noviſti amaſtique ſodalium, quos jam ultrices flammæ excruciant. Motiva quæris? ex mille ſufficiat hoc unum: ſe ipſas juvare non poſſunt, ſibi ipſis opem ferre, vel ſi vellent, non poſſunt. Tu, tu potes, hoc unum ſupereſt, ut & velis. Voles ſi pœnarum acerbitatem, ſi miſerandum piarum animarum ſtatum probè conſideres. Nec differas: quò citius, eò melius. *dent diutiſſimè.*

Audi Chryſoſtomum, cujus hæc eſt digna lectu ſententia, toto nimirum tempore, quo durat v. g. miſſa, circumſiſtere Angelos, eaque finita ſtatim avolare ad purgatorium, & eas animas educere, pro quibus eſt impetratum. Certè hoc evenit animabus, quod S. Petro catenis vincto, huic, cum nihil minus cogitaret, aſtitit Angelus, decidêre catenæ, portisque reſeratis exiit liber; ſimili modo animæ in carcere purgatorii oneratæ ſunt catenis & doloribus. Fortaſſis hac horâ fuerunt vel aderunt Angeli cum noſtris orationibus, ſuffragiis, eleemoſynis, myſſarum ſacrificiis, piasque animas flammis vindicabunt! §. 6. *Non poſſunt juvare ſe ipſas. Nos poſſumus ſuccurrere.*

Verùm, quia de deſiderio pio Auditorum meorum affectu ſuccurrendi benedictis illis animabus non dubito, ad alterum progredior punctum, ut illo vobis præſcribam, unum alterumve ex præcipuis mediis, quibus animas ex purgatorii flammis vindicare poſſumus. Ex hoc carcere piæ animæ dupliciter liberantur, vel patiendo, id eſt, poſtquam arſerunt illo tempore, quod Divina Juſtitia præfixit, evolant ad cœlum; vel liberari poſſunt ſatisfaciendo per bona opera, non propria, ſed aliena, id eſt, nos bonis operibus pro illis ſatisfacere poſſumus. Litrum vero vel pretium §. 7. *Offerendo præſertim pro illis ſanguinem Chriſti.*

 certius

certius pro animarum iſtarum debitis, earumque liberatione offerre non poſſumus, quàm ſanguinem CHRISTI. Pretioſius hic ſanguis non vivis tantum prodeſt, ſed etiam defunctis; non vivorum tantum maculas eluit, ſed etiam defunctorum: Divinus hic ſanguis ros eſt, qui non tantum nos refrigerat, dum concupiſcentiæ ignes ſedat, ſed etiam animas defendit, dum purgatorii flammas extinguit; & quia ſanguis ille infiniti eſt meriti, quia unica ejus gutta, ſi DEO placuiſſet, ſufficiens fuiſſet ad redimendos mille mundos, ſequitur ulterius, ut non ſolùm pro noſtris, ſed pro omnium hominum peccatis offerre poſſimus. Hoc facimus, cum vel in noſtris Communionibus, vel auditione Miſſæ, vel ardentibus precibus DEO Patri præſentamus ſanguinem Filii pro nobis fuſum, ut illo motus, ſecundum peccata noſtra nos non puniat in furore: ſed ſecundum magnam miſericordiam ſuam noſtri miſereatur. Sanguis Filii Dei eſt pretium, quo facile ſatisfacere poſſumus pro debitis, quæ per peccata contraximus. Sanguis hic eſt litrum, quo nos liberare poſſumus ex captivitate & carcere, cui ultra nos incluſimus. Dum carcerem nomino peccati, neceſſario mihi occurrit carcer Juſtitiæ, in quo DEUS peccatores, niſi ipſi ante ſatisfaciant, neceſſario punit. Damnatos & planè reprobos punit in carcere inferni, & ex hoc nulla eſt redemptio. Animas verò eorum, qui filii Dei ex hoc mundo diſcedunt, ſed tamen cum maculis quibuſdam levium culparum caſtigat in carcere purgatorii, & quidem ignibus terribilibus. Sed hoc notandum, quod & ſuperius inſinuavi. Animæ in purgatorio ſe ipſas theſauri hujus participes reddere non poſſunt. Sunt in gratia, amant DEUM, laudant DEUM, patiuntur tormenta ſua libenter, illis tamen omnibus nec unicam guttam ſangninis Chriſti obtinere poſſunt. Sed nos juvare poſſumus multis modis, præcipuè tamen offerendo ſanguinem Chriſti.

§ 1. *Triplici modo.* Et hoc triplici modo. I. *Offerendo pro defunctis Miſſas*, in quibus Chriſti ſanguis peculiari modo offertur pro vivis & defunctis. II. *Fundendo ardentes preces*, cum memoria effuſionum

ſionum ſanguinis Chriſti, vel illius, quem fudit in ſudore ſanguineo, vel flagellatione, de his duobus modis egi feſto animarum. III. & nobiliſſimus eſt, *Devota Communio*; quia enim in hac nobiliſſimo modo reddimur participes ſanguinis Chriſti, quia in illa patent fontes Salvatoris, quia noſter eſt totus ſanguis Chriſti, conſtituimus diſpenſatores illius theſauri, proinde DEO Patri offerre poſſumus & pro vivis & defunctis. Hoc autem animabus illis eſt utiliſſimum, quia ad conſpectum ſanguinis filii ſui DEUS vindictam cohibet, pœnas avertit paratas. Hoc ex locis quibuſdam Scripturæ oſtendam, ut pateat, quam nobile medium liberandi animas ex purgatorio ſit Communio menſtrua.

§. 9.
Cur nullus ex crucifixoribus ſub cruce actualiter fuerit punitus?

Si lubet, revocate in memoriam trihorium triſtiſſimum, quo Chriſtus pependit in cruce; Ignoſcite Auditores, ſine ſingulari motu, ſine ſuſpiriis, imò lachrymis cordis, ſine affectibus contritionis & amoris JESU trihorii illius meminiſſe non poſſum. Pendet Chriſtus Dominus in infami ſtipite totus nudus, totus cruentus, imò totus diſcerptus, tamen quia Filius Dei eſt, quia creator orbis eſt, orbis terrarum ſe armat contra inſentatos. Luc. 23. v. 45. *Obſcuratus eſt ſol.* Matth. 27. v. 52. *Terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt*, omnia elementa ad tantum facinus fuerunt commota, & tamen nulli ex omnibus aſtantibus illatum fuit damnum, vel ab eclypſi ſolis, vel motu terræ. Sed quid hoc? quid agitis elementa? ubi veſtri ignes, ubi venena, ubi fluctus, ubi abyſſi? ecce ſub cruce ſtant crucifixores, ecce illos, qui Chriſtum Dominum exuerunt, ecce hîc ſtant furibundi illi latrones, [vel potius leones,] en hîc verſantur illæ crudeles tigrides, en hic illi ſunt, qui auſi fuerunt, manus injicere violentas in Filium DEI; illi, qui innocentiſſimum Agnellum raptarunt ad macellum; illi, qui Chriſtum D. proſtraverunt in crucem; illi, qui immanes ferreos clavos per manus pedesque adegerunt; illi, qui ſitientem felle potarunt & aceto; illi, qui blaſphemarunt Divini Numinis Majeſtatem. Et tu cœlum illos non fulminas? Tu tellus non abſorbes? vos dracones non devoratis? tu mare non ſubmergis? tu

flamma non redigis in cineres? non. Omnia parcunt; at cur parcitis? debuerunt parcere, illa die, qua Filius Dei mortuus eſt in cruce, & ſanguinem fudit, peccatori damnum inferre non potuerunt. Figuram habemus Exodi 12 v.29 nocte venit Angelus, & percuſſit *omne primogenitum in terra Ægypti, à primogenito Pharaonis uſque ad primogenitum captivæ.* Sed cædes illa facta fuit in ædibus Ægyptiorum, non Hebræorum, has Angelus percutiens ſuo gladio ingredi non potuit, cauſam lacer textus allegat: portæ Hebræorum illitæ fuerunt ſanguine Agni; hunc videns Angelus. Sanguis Agni Paſchalis movit Deum ad miſericordiam; hinc infero, meo judicio crucifixores Chriſti abſorpti fuiſſent à terra, vel tacti fulmine, niſi porta cœli, id eſt, ſanctiſſima Crux ſtetiſſet illita & aſperſa ſanguine Agni, hunc quia vidit cœleſtis Pater, commotus fuit ad miſericordiam, nimirum quo die filius ejus fudit ſanguinem, punire non potuit. Debeo diſcurſum & mentem hanc Authori græco apud Gretſerum t. 2. *Omnis ſub cælo creatura, ipſo honore inſtructa, & ad ultionem pro eo, qui in cruce pendebat ſumendam, erat præparata, niſi ab ipſo tamen, qui in cruce pendebat, prohibita.*

§. 10. *Cur Societas Ieſu inſtituerit menſtruam Communionem.* Ex toto hoc diſcurſu elicio cauſam, quare Societas JESU inſtituerit Communionem menſtruam; Sanctiſſima Euchariſtia eſt commemoratio paſſionis, *O ſacrum convivium - in quo recolitur memoria paſſionis ejus*; ergo in Communione peculiariter etiam memores ſumus effuſi ſanguinis à Chriſto. O felices, qui tali die ſerio confitentur; in confeſſione veluti balneo, ab omnibus maculis emendantur. Eundem ſanguinem cum deinde in Communione bibunt, fiunt veluti ſanguinei. Cor communicantis aſpergitur ſanguine Chriſti, fructus eſt, ut Deus in talem peccatorem, licet peccata ejus fuerint ut coccinum, condignis tamen ſuppliciis animadvertere non poſſit. O peccatores, nolite quæſo, nolite hos dies negligere! ſed animæ piæ, tali die non ſunt contentæ, ut ipſæ hoc ſanguine mundentur, ut hoc ſanguine maculas ſuas eluant, ut hic ſanguis pro ipſis clamet miſericordiam; ſed cuperent omnes peccatores hujus ſanguinis fieri participes. Imò ulterius procedit fervor, ferventes de-

ſcendunt

ſcendunt ad purgatorium, illumque ſanguinem, quem biberunt in Communione, quem ſuxerunt ex Vulneribus Chriſti, applicant animabus illis in flammis, & hoc modo illas ex ignibus educunt. Hac tali Dominica communicare, nihil eſt aliud, quàm inter flammas in purgatorio erigere crucem CHRISTI, ſtillantem ejus ſanguine, hâc visâ, tranſit Angelus percutiens, adſuntque alii Angeli, qui animas ex flammis ad cœlum educunt.

Joſue 6. v. 22. civitas Jericho, poſtquam ultro corruerunt muri, ferro & igne funditus vaſtatur, juvenes, ſeneſque cæduntur gladio. Unicæ meretrici Raab cum paucis parcitum fuit. Teſſera miſericordiæ fuit funiculus coccineus, quem ſuſpendit è feneſtra. Cum hunc vidit ingrediens, victorioſus Joſue ait ad ſuos: *Ingredimini domum, & producite eam - ingreſſique juvenes eduxerunt eam.* Unde coccino illa vis, ut illo viſo moveatur ad miſericordiam, ut parcat gladius, ut ex incendio educatur Raab? Conveniunt Patres & Interpretes, funiculum illum purpureum fuiſſe figuram ſanguinis Chriſti. O Raab! ô meretrices! ô peccatores! quoties vos percuſsiſſet gladius Domini, quoties vos invaſiſſet ignis, niſi irato Joſue, cœleſti Patri objeciſſetis funiculum coccineum, vel ſanguinem Filii? ſedat hic momento iras Patris. Sed modo accenſa Jericho ob oculos mihi ponit purgatorium! ô quam hic ſævit gladius & furor Domini. O quot hîc ardent animæ! & piæ. Si tamen volumus, poſſumus eripere & quidem rubris funiculis. Funiculus talis eſt fervens oratio, funiculus talis eleemoſyna, ſed præcipuè menſtrua Communio, in qua ſanguinem Chriſti purgatorio injicere poſſumus: Ideo Societas exponit venerabile Sacramentum, in illo ſanguinem Chriſti, quot guttas, tot funiculos, quos injicere poſſumus purgatorio, illis viſis, cœleſtis Joſue dicit Angelis, Ingredimini purgatorium, educite animas, & ecce, ad nutum præſto ſunt Genii illi cœleſtes, mox advolant cum gaudio, pias animas ſuo adventu mirè recreant, nec recreant tantum, ſed & vindicant è flammis, abſtrahunt à loco pœnarum, perducunt ad gaudia paradiſi.

§. 11. *Cur meretrix Raab in Jericho fuerit ſalvata.*

Libro

§. 12. *Quomodo ſuccurrere debeamus piis animabus.*

Libro ſecundo Regum capite 21. verſ. 20. præclaram invenio hiſtoriam. Nam poſtquam Gabaonitæ ſeptem filios Saulis cruci affixiſſent, Reſpha, aliquorum mater cucurrit ad locum ſupplicii, & - *tollens illa cilicium ſubſtravit ſibi ſupra petram, donec ſtillaret aqua ſuper eos,* - *& non dimiſit aves lacerare eos per diem, neque beſtias per noctem*, quis dicet, quas lachrymas triſtiſſima mater hic fuderit, quis exprimet ſuſpiria? alias cruces, alios equuleos, alias rotas vobis imaginamini, ſcilicet igneas in purgatorio, in illis optimas animas, in tormentis longè graviſſimis. Sed ſi vultis poteſtis liberare, vos eripere poteſtis à beſtiis, facite quod Reſpha fecit, induite cilicia, mortificate corpora, jejunate, flete, ante omnia currite ad montem Calvariæ, ad petram, quæ CHRISTUS eſt Crucifixus; hîc gemite, clamate, tundite pectora, fundite lachrymas, donec è cœlo ſanctiſſimorum Vulnerum ſtillet aqua, ſive roſeus ſanguis Chriſti ſuper animas. Oſcula libate benedictis Chriſti pedibus, quoad ex iis roſeus promanet liquor in refrigerium animarum fidelium; à pedibus ad manuum vulnera aſcendite, & illis ſacri amoris oſcula figite, ut ex his quoque fontibus ſcaturiat humor gratiarum cœleſtium. Denique ad dulciſſimi lateris JESU vulnus vos convertite; hic precibus inſtate, nec deſiſtite, quoad in favorem animarum illarum fidelium Divini Numinis clementiam exoretis. Et hæc ipſiſſima eſt oratio, ob quam Societas JESU menſtruæ Communionis præſtantiam tantopere ſollicitet.

§. 13. *Encomium menſtruæ Communionis.*

Quocirca in menſtrua hac Communione exemplo Chriſti Domini oportet nos eſſe liberales, & cum illo dicere Joan. capite 4. verſu 14. *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam*; bibitis hanc aquam ſive ſanguinem CHRISTI in Communione, ſed quæſo date etiam pro peccatoribus, pro inimicis, ſed præcipuè pro animabus in purgatorio, & erit illis fons vitæ, id eſt, è flammis educentur ad gloriam. Communicans dicere poteſt cum Propheta Iſaia capite 66. verſu 12. *Ecce ego declinabo ſuper eam quaſi fluvium pacis, & quaſi torrentem inundantem gaudium gentium. Videbitis, &*

gaudebit

Digitized by Google

gaudebit cor veſtrum. O piæ defunctorum animæ! ecce ego, ecce & hi mei Auditores, nos *declinabimus ſuper vos illum pacis fluvium*, nos torrentem illum *inundantem*, *gaudium gentium* derivabimus in locum pœnarum veſtrarum. Volo dicere, nos preces noſtras, & cum precibus SS. Synaxin menſtruam veſtro ſolatio adhibebimus. *Videbitis, & gaudebit cor veſtrum*. Merito gaudebitis; nam viſo hoc litro, *appropinquat redemptio veſtra*. Merito gaudebitis, nam illum, qui eſt Beatorum omnium gaudium, illum, qui eſt voluptas Angelorum, illum, qui eſt cœlorum delicium, videbitis, amabitis, æternumque poſſidebitis.

Dum finio, fructum hujus Concionis eſſe cupio, ut conemini ſubvenire animabus in purgatorio ſemper, ſed præcipuè & magno fervore primâ Dominicâ menſis, per ſacram Communionem in templo Societatis JESU, ob plenarias indulgentias per modum ſuffragii. *Crucifixe Ieſu, hunc tu mea huic Concioni fructum* [Tu enim unus & ſolus potes] *tribue, & gaudebit cor meum, gaudebunt & corda fidelium animarum, in gloriam tui benedicti Nominis; O Ieſu Crucifixe, per tuam infinitam miſericordiam, & per tua ſanctiſſima Vulnera ex intimis cordis mei viſceribus rogo ac precor, ut meas & omnium fidelium preces pro animabus in purgatorio effuſas, benignè exaudias, & haſce ex ardentibus flammis, quibus miſerandum in modum cruciantur, liberes, & ad cœleſtia gaudia, ad quæ tantopere ſuſpirant, deducas; Ieſu Crucifixe, exaudi orationem meam, & clamor meus pro hiſce miſeris animis ad te veniat.* §. 14. Epilogus.

Digitized by Google

CONCIO LXXXVII.

FESTO S. MARTINI EPISCOPI.

Nemo accendit lucernam, & in abſcondito ponit,

Luc. 11. v. 33.

SYNOPSIS CONCIONIS.

AGit de lucernis, quas ad imitationem ſancti Martini portare debemus, ut nos præparemus ad ſanctam mortem.

§. 1. *Varius ſenſus hujus voculæ* Lucernæ.

§. 2. *Lucernam portat, qui ſeſe ſedulò præparat ad mortem.*

§. 3. *Ad quam præparationem frequentiſſimè nos fuit adhortatus Chriſtus D.*

§. 4. *S. Martinus, quam paratus ſemper fuerit ad mortem.*

§. 5. *Quem oportet imitari.*

§. 6. *Vnde in quibusdam morientibus tanta lætitia.*

§. 7. *Verbi gratia in ſancto Hieronymo.*

§. 8. *Proſecutio.*

§. 9. *Talis quoque fuit mors ſancti Martini.*

§. 10. *Epilogus.*

§. 1. *Varius ſenſus hujus voculæ, Lucernæ.*

EX parva lucerna, de qua ad literam loquitur Chriſtus D. Salvator noſter, emicant clariſſimi variorum myſteriorum & cœleſtis doctrinæ radii. Nam primo Chriſtus D. *ſe ipſum vocat lucernam,* perſona Chriſti D. eſt ineffabilis. Ejus infinita perfectio à nemine comprehendi poteſt, ut tamen aliquam habeamus cognitionem, varias comparationes nobis proponit ſacra Scriptura, v. g. Chriſtum D. eſſe vitem, eſſe arbo-

rem,

Digitized by Google

rem, eſſe radicem, eſſe leonem, eſſe petram, eſſe fontem, eſſe Agnum, &c. Lucernam ipſe ſe vocavit ardentem, quæ tria complectitur elychnium, ceram, quæ illud operit, & lucem, quæ accenditur. Ita Chriſtus D. continet animam, corpus & lucem Divinitatis illis unitam; in quo completum eſt deſiderium Prophetæ Iſaiæ cap. 62. v. 1. *Propter Sion non tacebo, donec egrediatur ut ſplendor juſtus ejus, & Salvator ejus ut lampas accendatur.* In hebræo lampas idem eſt, ac facula, vel *lucerna* emittens radios doctrinæ ſuæ, & tantorum miraculorum. Secundo Chriſtus D. etiam ſuos Apoſtolos tanquam doctores mundi vocavit lucernas ardentes. Sive enim hæ illuminant, pellunt tenebras, ita Apoſtoli radiis veræ doctrinæ illuminarunt mundum, accenſæ ſunt præcipuè feſto Pentecoſtes à linguis igneis, ſive Spiritu S. ut nihil modo dicam de luce & radiis excellentiſſimarum virtutum. Tertio: Ob eandem cauſam lucernæ ardentes vocantur Apoſtolorum imitatores; ſive Confeſſores, ſive Doctores, ſive Epiſcopi, ſive Martyres, qui & ipſi radiis doctrinæ, radiis virtutum, radiis miraculorum univerſam Eccleſiam illuminarunt; poſiti in monte alto in aureo candelabro Eccleſiæ. Et quia virtutes præcipui ſunt radii, ait Chriſtus D. quarto in hodierno Evangelio: *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus.* Oculus autem eſt illa intentio, quam habemus, ut in omnibus adimpleamus Dei voluntatem, & illi in omnibus ſatisfaciamus. Oculi caſti, mundi, ſimplices, ſunt pulcherrimæ lucernæ ſive faces. Quinto: apud SS. PP. lucerna ardens eſt fervens oratio. Sexto: In horis hodie ex S. Ambroſio oravimus, Lucerna fides eſt, juxta quod ſcriptum eſt, *Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine. - Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Hodierno feſto in honorem S. Martini dicam, illum fuiſſe lucernam ardentem ob ſolicitam præparationem ad ſanctam mortem, quâ ex hac vitâ ad æternam & immortalem exceſſit: de benevola interim attentione veſtra non dubito.

§. 2. Lucernam portat qui ſe ſedulò præparat ad mortem.

Per lucernam ardentem intelligo hodie ſedulam & vigilem præparationem ad mortem, per ornatum apparatumque omnium virtutum, illarum præcipuè, per quas vigil paſtor ani-

Digitized by Google

marum, & quivis vigil Chriſtianus quavis hora & omni momento debet ornatus eſſe atque inſtructus, ut ſi per mortem ad ſponſum & ad nuptias Agni invitetur, ſine mora poſſit comparere. Illas virtutes comparabo veſtibus, & quidem pretioſis ac elegantibus, imò veſte nuptiali, cujus Luc. 14. v. 18. Matth. 22. v. 12. ſit mentio, & ideo ait Eccleſ. c. 9. v. 8. *Omni tempore ſint veſtimenta tua candida.* S. Joannes in Apoc. addit, *& lota in ſanguine Agni*; ubi Rabbi Salomon acutè annotavit, illud *omni tempore* non ſine cauſa poſitum, quia nempe neſcimus, quando Deus nos vocabit, & quandoquidem hora mortis tam eſt incerta, nullique niſi Filio hominis ſit nota, ideo omni tempore virtutibus, boniſq; operibus nos paratos eſſe oportet. Nam qui in nuptiis comparuit abſq; ornamento veſtis nuptialis, graviter fuit punitus, etſi enim ex tempore Dominus dixiſſet: *Exi cito in plateas & vicos civitatis, & pauperes ac debiles, cæcos & claudos introduc.* Etſi juſſiſſet: *Exi in vias & ſepes, & compelle intrare*; quod & fecerunt ſervi, *egreſſi in vias, congregaverunt omnes quos invenerunt, malos & bonos*; qui tamen veſte caruit nuptiali, pœnas incurrit graviſſimas. Itane? verum age, dic, ſi per vias, per ſepes, ſi ex tempore vocati ſunt, ſi compulſi intrare tales, quales in via, in ſuis laboribus incedebant, quomodo reperiri potuerunt in veſte nuptiali, quomodo cum lucernis ardentibus, quomodo cum ornatis & oleo plenis lampadibus? id quod aliæ parabolæ Chriſti Domini exigunt: Quis ille ruſticus, qui cùm exit ad arandum, ad ſeminandum, ex cingulo pendentem deferat lucernam? quis architectus, cum vadit ad ædificandum, dum laborat, juxta ſe de die portet lampadem? quis vinitor, cum procedit ad fodiendum & laborandum, nuptiali ritu egreditur, vel cum lucerna? Et tamen ille miſer ſine tali veſte non tantum à convivio ejectus fuit, ſed & Rex juſſit illum ligari, & projici in tenebras exteriores. Sic res ſe videtur habere, videtur miſer poſſe excuſari, ſed quid litem moveo? in ſenſu myſtico bene monet ſanctus Ephrem Syrus ſermone 2. de Aſcenſ. *Dum veſtem audis nuptialem, ne de veſtimentis, quibus induimur, id exiſtimes, ſed de bonis operibus.* Pari ratione per lucernas ardentes intelliguntur bona opera:

Digitized by Google

opera? proinde hoc ex illa miſeri hominis ejectione diſcere debemus, quod ſive in via, ſive in ſepibus, ſive domi, ſive in campo, ſive dies ſit, ſive nox, ſive prima, ſive ſecunda, ſive tertia vigilia, paratos nos eſſe oporteat, ut ſemper lucernam teneamus ardentem, ſemper ornati ſimus veſte nuptiali, ſemper in amore Dei, ſemper ornati virtutibus, dilectione proximi, humilitate, modeſtia &c. neque enim conſtat nobis, quando vocabimur, neſcimus, quando Rex dicturus ſit ſervis, vel Chriſtus Salvator morti: *Exi cito, voca illum ad nuptias*, ſed potius ſic ait, *Ito*, eſto in via, *Voca* illum, in via paratum eſſe neceſſe eſt; eſt in campo, *Voca*. Nox eſt, Domine, jacet in lecto & ſpeculatur, quomodo horrea amplificet, *Vade*, dormit, *Voca*, dum dormit, dormire debet in veſte nuptiali, dum jacet in lecto, habeat lucernam ardentem in manibus; omni momento neceſſe eſt; ut luceat ejus lampas, jam dudum omnes præmonui, cum dixi Luc. 12, 40. *Eſtote parati*. Matt. 24. verſu 43. *Vigilate, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet.*

Neque ſemel duntaxat Chriſtus D. ſed frequenter & variis modis nos monuit, ut lucerna præparationis ad mortem, per omnis generis virtutes & bona opera nos paremus ad mortem. Matth. 25. verſu 11. affert ſimilitudinem Virginum prudentum & fatuarum. Quæ paratæ fuerunt, quarum lucernæ & lampades fuerunt ornatæ repletæque oleo, & arſerunt, *intraverunt cum eo ad nuptias*. Illis, quæ diſceſſerant, ut emerent oleum, ut lampades ornarent, *illis*, inquam, *clauſa fuit janua*; & ex his Chriſtus D. intulit notiſſimam ſequelam: *Vigilate itaque, quia neſcitis diem neque horam*; iterum: *Quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate*. Deinde varia addit exempla ſui adventûs, furis in media nocte, in altiſſimo ſomno, effodientis parietem; ſupervenientis diluvii, laquei, aucupis vel venatoris, piſcatoris, &c. ut intelligamus, Dei propoſitum eſſe, homines non opinantes intercipere. Sed unde hoc? ut mors quoſdam occupet paratos, alios autem imparatos? miraris forſitan? cauſam indagas, deſine: ſic Numini placuit, omni nos horâ, omni momento vult eſſe paratos. Quod alium benè comparatum, alium

§. 3. Ad hanc frequentiſſime nos fuit adhortatus Chriſtus D.

Digitized by Google

minus benè inſtructum, atque ex improviſo mors obruat, atque ad Judicis tribunal evocet, myſterium eſt, quod videmus, non capimus, pertinent hæc ad abyſſum atque altitudinem judiciorum Dei. Luc. 12. v. 37. *Beati ſervi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes.*

§. 4. *S. Martinus, quam paratus ſemper fuerit.*

Advertite nunc, quâ ratione quâvis horâ tenentem lucernam ardentem, vel paratum ad mortem deſcribat S. Joannes in fine Apoc. ubi Dominus Deus ſpirituum mittet Angelum, per quem curat dici: *Et ecce, venio velociter.* Cap. 22. v. 7. - v. 10. *Tempus enim propè eſt, Ecce, venio cito, & merces mea mecum eſt, reddere unicuique ſecundum opera ſua.* Tum ait v. 17. *Et Spiritus & Sponſa dicunt, Veni. Et qui audit, dicat, Etiam venio cito, Amen. Veni Domine Ieſu.* Ita paratus fuit glorioſiſſimus Patronus noſter S. Martinus, cum enim Angelorum cantaret Chorus: *Veni Martine; Veni, Sponſus adeſt, & cum illo merces magna nimis. Veni, adeſt juſtus judex, ut tibi reddat ſecundum opera tua, Veni Martine, ecce cæli tibi aperti ſunt, & Regnum Patris cæleſtis;* ait ejus vita, *Oculis & manibus in cælum ſemper intentus, invictum ab oratione ſpiritum non relaxabat.* Mori paratus, vivere paratus. Rogatus, ut in labore conquieſceret, reſpondit: *Sinite me cælum potius, quam terram aſpicere.* In qua voce animam DEO reddidit. O felicem mortem, in cujus tranſitu Sanctorum cecinit numerus, & Angelorum exultavit Chorus. In qua S. Martino cœleſtium virtutum pſallentium occurrit exercitus. Cujus animam S. Michael aſſumpſit & deduxit in cœlum. Martinus dives cœlum ingreditur. Antiph. ante magnificat. O beatum virum, cujus anima paradiſum poſſidet, unde exultant Angeli, lætantur Archangeli, Chorus Sanctorum proclamat, turba Virginum invitat, mane nobiſcum in æternum.

§. 5. *Quem oportet imitari.*

Hæc fuit feliciſſima mors S. Martini: ſed dum vixit, ſemper in manibus tulit lucernam ardentem, omni tempore indutus fuit veſte nuptiali, omni tempore veſtimenta ejus fuerunt candida. Semper vigilavit, agricola fuit, architectus fuit, vinitor fuit, ſed cum Dominus venit, fuit paratus, & intravit cum Sponſo ad nuptias Agni. Quocirca, ſi hodie Patronum noſtrum

ſanctum

Digitized by Google

ſanctum Martinum colere volumus, imitemur, ſemper ubique, in via, in campo, diebus, noctibus ſimus parati. Numer. 11. cap. ait v. 17. *Abſtulit* [ſcilicet Dominus] *de Spiritu Moyſis, & dedit ſaptuaginta*; illis ſcilicet, qui cum Moyſe regere debebant populum. Utinam Spiritus S. auferat aliquid de ſpiritu S. Martini, & det nobis, ut nimirum lucernas habeamus ardentes, ut lampades noſtras ornemus omni ornatu virtutum, ut induti ſimus ſemper veſte nuptiali, ut quacunque hora mors nobis dixerit, *Veni*, dicamus venio, *Veni Domine Ieſu*, *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, Amen.*

Satis mirari non poſſum, quoties conſidero, quantâ lætitiâ & gaudio ex hac vita decedant viri ſancti, quantaque promptitudine occurrant ſponſo, dum vocat ad nuptias. Salomon Sap. 3. v. 1. de illis dixit: *Non tangit illos tormentum mortis*, etſi moriuntur, non anguſtiantur, mors non eſt illis tormentum, ſed gloria & lætitia. Jacob ob Joſephum, quem putabat mortuum, Geneſ. 37. tam erat mœſtus, ut licet reliqui fratres conarentur illum conſolari, tamen dicit textus v. 35. *Noluit conſolationem accipere*; Cum audiret, Joſephum vivere, & ſe ab illo vocari, ut deſcendat in Ægyptum, in hæc verba erupit: *Iam lætus moriar*. Et certè deinde, cum mori debuit, ait cap. 49. v. 32. *Collegiſſe pedes ſuos in lecto, & obiiſſe.* LXX. *Suſtollens pedes ſuos ſuper lectum, obiit.* Quod expendens S. Chryſoſt. hom. 67. in illud caput ait: *Vide mortem juſti, magno miraculo plenam, ſublevavit pedes ſuos in lectum, quaſi cum voluptate rem aggrederetur, ſuſtulit pedes, hoc eſt, planos & rectos fecit & extendit.* Jacob mortuus eſt cum magna lætitia. Pari gaudio moriuntur viri ſancti. Nam ut eleganter ait ſanctus Bernardus in ſermone ex variis: *Veniet quidem mors, ſed ſomnus erit dilectis Domini, & erit hæreditas ejus, erit januâ vitæ, erit initium refrigerii, erit ſancti illius montis ſcala, & ingreſſus in locum tabernaculi admirabilis*. Ideo juſti læti moriuntur.

§. 6. *Vnde in quibuſdam morientibus tanta lætitia.*

Suaviſſima fuit mors S. Hieron. ut refertur in epiſtola Euſebii ad Damaſum, tranſiens enim de hoc mundo ad Chriſtum, totus lætus & alacer in hæc prorupit verba: *Abjicite veſtimenta luctus & triſtitiæ, pſalmum dicite nomini Domini, quoniam hucuſque*

§. 7. *Verbi gratia in ſancto Hieronymo.*

tranſivi

tranſivi per ignem & aquam, & ecce nunc induet me in refrigerium. O quantum lucrum mihi eſt mori, quoniam vivere deinceps mecum Chriſtus erit, ecce terreſtris domus hujus habitationis diſſolvitur, ut alia ſuccedat, non manufacta, ſed æterna in cœlo, & quod mortale eſt, veſtimentum exuor, ut æternum induar. Mirabilis ſecuritas! quam ſine tremore, ſine trepidatione mori deſiderat – *Hucuſque peregrinatus ſum;* Pergit ſanctus Hieronymus: *Iam redeo ad patriam, ecce bravium capio, pro quo in agone decurri, ecce portum attingo, quem tanto deſiderio deſideravi. Ecce de tenebris ad lucem, de inopia ad divitias, de prælio ad victoriam, de triſtitia ad gaudium de temporali vita ad perpetuam – vehor.*

§. 8. *Proſecutio*

Abrumperem hunc locum de morte S. Hieron. ſi mihi perſuadere poſſem verba morientis Cygni, non fore vobis ſuaviſſima & plena ſolatio, ſic lætiſſimus Cygnus pergit canere: *O mors dulcis & jucunda! non certe mors! quæ vitam largiris, quæ fugas febres & vulnera, famem extinguis & ſitim, Veni ſoror mea ſponſa, amica mea, dilecta mea, oſtende mihi, ubi paſcat ſponſus meus, ubi cubet Chriſtus meus. Exſurge,* [mi Jeſu] *porrige mihi manum, trahe me poſt te, apertum eſt cor meum, ut exſurgam, ut poſt te curram in odorem unguentorum tuorum – Veni amica mors – Veniam per te in hortum dilecti mei, & comedam fructum pomorum tuorum. Ecce jam venit tempus miſerendi mei, &c. – Aperi mihi dulcis ſoror,* [mortem vocat ſororem] *expolia me iſtâ mortali tunicâ, ergo jam bona mors propera, confringe arma, ſuſcipe me ulceribus plenum, & colloca me in ſinu Abrahæ.* Quid dulcius cani potuit? quid jucundius, quid delectabilius? quem ita lætificat omne mundi gaudium, uti mors S. Hieronymum? Sic Sancti cum Apoſtolis cupiunt diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, quia, ut graviter dixit S. Auguſt. *Qui cupit diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, non patienter moritur, ſed patienter vivit, & delectabiliter moritur; Iuſtus autem, ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Hoc eſt, in lætitia & gaudio tripudians & exultans.

§. 9. *Talis quoque fuit mors S. Martini.*

Regredior tandem ad glorioſum Patronum noſtrum ſanctum Martinum, talis fuit mors illius. Illa morientis verba ad fratres: *Si populo ſum neceſſarius, non recuſo laborem, ſed fiat voluntas.*

Digitized by Google

luntas. Hæc, inquam, verba, quid aliud fuerunt, quàm ſi diceret, ſi Deus me vult vivere, vivam, ſi vult mori, moriar, & lætus moriar, quia voluntas Dei fuit, ut moreretur, mors illi non fuit tormentum, ſed gloria. Jacob oſtendit collectione pedum ſe non invitare vitam commutare cum morte. S. Martinus id fecit elevatis oculis in cœlum, inter ardentia ſuſpiria & deſideria cœleſtis gloriæ. Venit tandem mors, vel potius venit illi ſomnus. Mors S. Martino fuit janua vitæ, ſcala montis ſancti, ingreſſus in æterna tabernacula, ſanctum ſuum corpus, jacens in aſſere, exhaſtum jejuniis, fractum morbis & mortificationibus depoſuit quaſi veſtimentum luctus. In ipſa lucta mortis non relaxavit ſpiritum ab oratione à pſalmis, à laude Dei. Per annos fere 80. S. Martinus peregrinatus fuit in hoc mundo, per ſanctam mortem cum magno gaudio intravit in patriam. Fuit curſor, attigit bravium, portum attigit, quem tanto deſiderio deſideravit; de tenebris eductus eſt in lucem, de inopia ad divitias, de vita temporali ad æternam. Nolo repetere deſideria ſancti Hieronymi, iisdem ſanctus Martinus vocanti Sponſo reſpondit: *Adſum, venio Domine Ieſu, porrige mihi manum.* Adfuit tandem & mors & Jeſus, per illam cum hoc deductus fuit in paradiſum. Ideo exultant Angeli, ideo lætum hoſpitem læti excipiunt Genii cœleſtes, ideo piiſſimam animam ad nuptias Sponſi cœleſtis deducunt paranymphi, quia non defuit ei lucerna ardens & lucens, quia cum amore & deſiderio ſeſe ad beatum ex hac vita tranſitum comparavit. O mors beata, mors jucunda, mors feliciſſima! Utinam moriatur & anima mea morte ſancti hujus noſtri Patroni! Mors Martini mors exoptata, mors aurea!

Sed ad vos in fine regredior Auditores, placet vobis haud-dubie mors viri ſancti, ſed etiam vita placere debet. Vita ſancti Martini fuit lucerna ardens, id eſt, continuum ſtudium virtutum, talis debet eſſe vita noſtra. Vita ſancti Martini fuit lucerna ardens, id eſt, continua vigilia, aſſidua præparatio ad mortem per annos octoginta, talis & debet eſſe vita noſtra. Paratus fuit Martinus, ſimus parati & nos; peregrinus fuit Martinus, §.10. *Epilogus.*

flamma non redigis in cineres? non. Omnia parcunt; at cur parcitis? debuerunt parcere, illa die, qua Filius Dei mortuus eſt in cruce, & ſanguinem fudit, peccatori damnum inferre non potuerunt. Figuram habemus Exodi 12 v. 29 nocte venit Angelus, & percuſſit *omne primogenitum in terra Ægypti, à primogenito Pharaonis uſque ad primogenitum captivæ.* Sed cædes illa facta fuit in ædibus Ægyptiorum, non Hebræorum, has Angelus percutiens ſuo gladio ingredi non potuit, cauſam ſacer textus allegat: portæ Hebræorum illitæ fuerunt ſanguine Agni; hunc videns Angelus. Sanguis Agni Paſchalis movit Deum ad miſericordiam; hinc infero, meo judicio crucifixores Chriſti abſorpti fuiſſent à terra, vel tacti fulmine, niſi porta cœli, id eſt, ſanctiſſima Crux ſtetiſſet illita & aſperſa ſanguine Agni, hunc quia vidit cœleſtis Pater, commotus fuit ad miſericordiam, nimirum quo die filius ejus fudit ſanguinem, punire non potuit. Debeo diſcurſum & mentem hanc Authori græco apud Gretſerum t. 2. *Omnis ſub cœlo creatura, ipſo honore inſtructa, & ad ultionem pro eo, qui in cruce pendebat ſumendam, erat præparata, niſi ab ipſo tamen, qui in cruce pendebat, prohibita.*

§. 10. *Cur Societas Ieſu inſtituerit menſtruam Communionem.*

Ex toto hoc diſcurſu elicio cauſam, quare Societas JESU inſtituerit Communionem menſtruam; Sanctiſſima Euchariſtia eſt commemoratio paſſionis, *O ſacrum convivium - in quo recolitur memoria paſſionis ejus*; ergo in Communione peculiariter etiam memores ſumus effuſi ſanguinis à Chriſto. O felices, qui tali die ſerio confitentur; in confeſſione veluti balneo, ab omnibus maculis emendantur. Eundem ſanguinem cum deinde in Communione bibunt, fiunt veluti ſanguinei. Cor communicantis aſpergitur ſanguine Chriſti, fructus eſt, ut Deus in talem peccatorem, licet peccata ejus fuerint ut coccinum, condignis tamen ſuppliciis animadvertere non poſſit. O peccatores, nolite quæſo, nolite hos dies negligere! ſed animæ piæ, tali die non ſunt contentæ, ut ipſæ hoc ſanguine mundentur, ut hoc ſanguine maculas ſuas eluant, ut hic ſanguis pro ipſis clamet miſericordiam; ſed cuperent omnes peccatores hujus ſanguinis fieri participes. Imo ulterius procedit fervor, ferventes de-

ſcendunt

Digitized by

ſcendunt ad purgatorium, illumque ſanguinem, quem biberunt in Communione, quem ſuxerunt ex Vulneribus Chriſti, applicant animabus illis in flammis, & hoc modo illas ex ignibus educunt. Hac tali Dominica communicare, nihil eſt aliud, quàm inter flammas in purgatorio erigere crucem CHRISTI, ſtillantem ejus ſanguine, hàc visâ, tranſit Angelus percutiens, adſuntque alii Angeli, qui animas ex flammis ad cœlum educunt.

Joſue 6. v. 22. civitas Jericho, poſtquam ultro corruerunt muri, ferro & igne funditus vaſtatur, juvenes, ſenesque cæduntur gladio. Unicæ meretrici Raab cum paucis parcitum fuit. Teſſera miſericordiæ fuit funiculus coccineus, quem ſuſpendit è feneſtra. Cum hunc vidit ingrediens, victorioſus Joſue ait ad ſuos: *Ingredimini domum, & producite eam - ingreſſique juvenes eduxerunt eam.* Unde coccino illa vis, ut illo viſo moveatur ad miſericordiam, ut parcat gladius, ut ex incendio educatur Raab? Conveniunt Patres & Interpretes, funiculum illum purpureum fuiſſe figuram ſanguinis Chriſti. O Raab! ô meretrices! ô peccatores! quoties vos percusſiſſet gladius Domini, quoties vos invaſiſſet ignis, niſi irato Joſue, cœleſti Patri objeciſſetis funiculum coccineum, vel ſanguinem Filii? ſedat hic momento iras Patris. Sed modo accenſa Jericho ob oculos mihi ponit purgatorium! ô quam hic ſævit gladius & furor Domini. O quot hìc ardent animæ! & piæ. Si tamen volumus, poſſumus eripere & quidem rubris funiculis. Funiculus talis eſt fervens oratio, funiculus talis eleemoſyna, ſed præcipuè menſtrua Communio, in qua ſanguinem Chriſti purgatorio injicere poſſumus: Ideo Societas exponit venerabile Sacramentum, in illo ſanguinem Chriſti, quot guttas, tot funiculos, quos injicere poſſumus purgatorio, illis viſis, cœleſtis Joſue dicit Angelis, Ingredimini purgatorium, educite animas, & ecce, ad nutum præſto ſunt Genii illi cœleſtes, mox advolant cum gaudio, pias animas ſuo adventu mirè recreant, nec recreant tantum, ſed & vindicant è flammis, abſtrahunt à loco pœnarum, perducunt ad gaudia paradiſi.

§. 11. *Cur meretrix Raab in Jericho fuerit ſalvata.*

Libro

§. 12. *Quomodo ſuccurrere debeamus piis animabus.*

Libro ſecundo Regum capite 21. verſ. 10. præclaram invenio hiſtoriam. Nam poſtquam Gabaonitæ ſeptem filios Saulis cruci affixiſſent, Reſpha, aliquorum mater cucurrit ad locum ſupplicii, & - *tollens illa cilicium ſubſtravit ſibi ſupra petram, donec ſtillaret aqua ſuper eos, - & non dimiſit aves lacerare eos per diem, neque beſtias per noctem*, quis dicet, quas lachrymas triſtiſſima mater hic fuderit, quis exprimet ſuſpiria? alias cruces, alios equuleos, alias rotas vobis imaginamini, ſcilicet igneas in purgatorio, in illis optimas animas, in tormentis longè graviſſimis. Sed ſi vultis poteſtis liberare, vos eripere poteſtis à beſtiis, facite quod Reſpha fecit, induite cilicia, mortificate corpora, jejunate, flete, ante omnia currite ad montem Calvariæ, ad petram, quæ CHRISTUS eſt Crucifixus; hîc gemite, clamate, tundite pectora, fundite lachrymas, donec è cœlo ſanctiſſimorum Vulnerum ſtillet aqua, ſive roſeus ſanguis Chriſti ſuper animas. Oſcula libate benedictis Chriſti pedibus, quoad ex iis roſeus promanet liquor in refrigerium animarum fidelium; à pedibus ad manuum vulnera aſcendite, & illis ſacri amoris oſcula figite, ut ex his quoque fontibus ſcaturiat humor gratiarum cœleſtium. Denique ad dulciſſimi lateris JESU vulnus vos convertite; hic precibus inſtate, nec deſiſtite, quoad in favorem animarum illarum fidelium Divini Numinis clementiam exoretis. Et hæc ipſiſſima eſt oratio, ob quam Societas JESU menſtruæ Communionis præſtantiam tantopere ſollicitet.

§. 13. *Encomium menſtruæ Communionis.*

Quocirca in menſtrua hac Communione exemplo Chriſti Domini oportet nos eſſe liberales, & cum illo dicere Joan. capite 4. verſu 14. *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam*; bibitis hanc aquam ſive ſanguinem CHRISTI in Communione, ſed quæſo date etiam pro peccatoribus, pro inimicis, ſed præcipuè pro animabus in purgatorio, & erit illis fons vitæ, id eſt, è flammis educentur ad gloriam. Communicans dicere poteſt cum Propheta Iſaia capite 66. verſu 12. *Ecce ego declinabo ſuper eam quaſi fluvium pacis, & quaſi torrentem inundantem gaudium gentium. Videbitis, &*

gaudebit

Digitized by Google

gaudebit cor veſtrum. O piæ defunctorum animæ! ecce ego, ecce & hi mei Auditores, nos *declinabimus ſuper vos illum pacis fluvium*, nos torrentem illum *inundantem, gaudium gentium* derivabimus in locum pœnarum veſtrarum. Volo dicere, nos preces noſtras, & cum precibus SS. Synaxin menſtruam veſtro ſolatio adhibebimus. *Vibebitis, & gaudebit cor veſtrum.* Merito gaudebitis; nam viſo hoc litro, *appropinquat redemptio veſtra.* Merito gaudebitis, nam illum, qui eſt Beatorum omnium gaudium, illum, qui eſt voluptas Angelorum, illum, qui eſt cœlorum delicium, videbitis, amabitis, æternumque poſſidebitis.

Dum finio, fructum hujus Concionis eſſe cupio, ut conemini ſubvenire animabus in purgatorio ſemper, ſed præcipuè & magno fervore primâ Dominicâ menſis, per ſacram Communionem in templo Societatis Jesu, ob plenarias indulgentias per modum ſuffragii. *Crucifixe Ieſu, hunc tu meæ huic Concioni fructum* [Tu enim unus & ſolus potes] *tribue, & gaudebit cor meum, gaudebunt & corda fidelium animarum, in gloriam tui benedicti Nominis; O Ieſu Crucifixe, per tuam infinitam miſericordiam, & per tua ſanctiſſima Vulnera ex intimis cordis mei viſceribus rogo ac precor, ut meas & omnium fidelium preces pro animabus in purgatorio effuſas, benignè exaudias, & haſce ex ardentibus flammis, quibus miſerandum in modum cruciantur, liberes, & ad cœleſtia gaudia, ad quæ tantopere ſuſpirant, deducas; Ieſu Crucifixe, exaudi orationem meam, & clamor meus pro hiſce miſeris animis ad te veniat.* §. 14. Epilogus.

CONCIO LXXXVII.

FESTO S. MARTINI EPISCOPI.

Nemo accendit lucernam, & in abſcondito ponit,

Luc. 11. v. 33.

SYNOPSIS CONCIONIS.

AGit de lucernis, quas ad imitationem ſancti Martini portare debemus, ut nos præparemus ad ſanctam mortem.

§. 1. *Varius ſenſus hujus voculæ* Lucernæ.

§. 2. *Lucernam portat, qui ſe ſedulò præparat ad mortem.*

§. 3. *Ad quam præparationem frequentiſſimè nos fuit adhortatus* Chriſtus D.

§. 4. *S. Martinus, quam paratus ſemper fuerit ad mortem.*

§. 5. *Quem oportet imitari.*

§. 6. *Unde in quibusdam morientibus tanta lætitia.*

§. 7. *Verbi gratia in ſancto Hieronymo.*

§. 8. *Proſecutio.*

§. 9. *Talis quoque fuit mors ſancti Martini.*

§. 10. *Epilogus.*

§. 1. *Varius ſenſus hujus voculæ, Lucernæ.*

EX parva lucerna, de qua ad literam loquitur Chriſtus D. Salvator noſter, emicant clariſſimi variorum myſteriorum & cœleſtis doctrinæ radii. Nam primo Chriſtus D. *ſe ipſum vocat lucernam*, perſona Chriſti D. eſt ineffabilis. Ejus infinita perfectio à nemine comprehendi poteſt, ut tamen aliquam habeamus cognitionem, varias comparationes nobis proponit ſacra Scriptura, v. g. Chriſtum D. eſſe vitem, eſſe arborem,

rem, eſſe radicem, eſſe leonem, eſſe petram, eſſe fontem, eſſe Agnum, &c. Lucernam ipſe ſe vocavit ardentem, quæ tria complectitur elychnium, ceram, quæ illud operit, & lucem, quæ accenditur. Ita Chriſtus D. continet animam, corpus & lucem Divinitatis illis unitam; in quo completum eſt deſiderium Prophetæ Iſaiæ cap. 62. v. 1. *Propter Sion non tacebo, donec egrediatur ut ſplendor juſtus ejus, & Salvator ejus ut lampas accendatur*. In hebræo lampas idem eſt, ac facula, vel *lucerna* emittens radios doctrinæ ſuæ, & tantorum miraculorum. Secundo Chriſtus D etiam ſuos Apoſtolos tanquam doctores mundi vocavit lucernas ardentes. Sive enim hæ illuminant, pellunt tenebras, ita Apoſtoli radiis veræ doctrinæ illuminarunt mundum, accenſæ ſunt præcipuè feſto Pentecoſtes à linguis igneis, ſive Spiritu S. ut nihil modo dicam de luce & radiis excellentiſſimarum virtutum. Tertio: Ob eandem cauſam lucernæ ardentes vocantur Apoſtolorum imitatores; ſive Confeſſores, ſive Doctores, ſive Epiſcopi, ſive Martyres, qui & ipſi radiis doctrinæ, radiis virtutum, radiis miraculorum univerſam Eccleſiam illuminarunt; poſiti in monte alto in aureo candelabro Eccleſiæ. Et quia virtutes præcipui ſunt radii, ait Chriſtus D. quarto in hodierno Evangelio: *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus.* Oculus autem eſt illa intentio, quam habemus, ut in omnibus adimpleamus Dei voluntatem, & illi in omnibus ſatisfaciamus. Oculi caſti, mundi, ſimplices, ſunt pulcherrimæ lucernæ ſive faces. Quinto: apud SS. PP. lucerna ardens eſt fervens oratio. Sexto: In horis hodie ex S. Ambroſio oravimus, Lucerna fides eſt, juxta quod ſcriptum eſt, *Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine. - Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Hodierno feſto in honorem S. Martini dicam, illum fuiſſe lucernam ardentem ob ſolicitam præparationem ad ſanctam mortem, quâ ex hac vitâ ad æternam & immortalem exceſſit: de benevola interim attentione veſtra non dubito.

§. 2. Lucernam portat qui ſe ſedulò præparat ad mortem.

Per lucernam ardentem intelligo hodie ſedulam & vigilem præparationem ad mortem, per ornatum apparatumque omnium virtutum, illarum præcipuè, per quas vigil paſtor ani

Digitized by Google

marum,& quivis vigil Chriſtianus quavis hora & omni momento debet ornatus eſſe atque inſtructus, ut ſi per mortem ad ſponſum & ad nuptias Agni invitetur, ſine mora poſſit comparere. Illas virtutes comparabo veſtibus, & quidem pretioſis ac elegantibus, imò veſte nuptiali, cujus Luc.14.v.18. Matth.22.v.12. fit mentio, & ideo ait Eccleſ. c.9. v.8. *Omni tempore ſint veſtimenta tua candida.* S. Joannes in Apoc, addit, *& lota in ſanguine Agni;* ubi Rabbi Salomon acutè annotavit, illud *omni tempore* non ſine cauſa poſitum, quia nempe neſcimus, quando Deus nos vocabit, & quandoquidem hora mortis tam eſt incerta, nullique niſi Filio hominis ſit nota, ideo omni tempore virtutibus, boniſq; operibus nos paratos eſſe oportet. Nam qui in nuptiis comparuit abſq; ornamento veſtis nuptialis, graviter fuit punitus; etſi enim ex tempore Dominus dixiſſet: *Exi cito in plateas & vicos civitatis, & pauperes ac debiles, cæcos & claudos introduc.* Etſi juſſiſſet: *Exi in vias & ſepes, & compelle intrare;* quod & fecerunt ſervi, *egreſſi in vias, congregaverunt omnes quos invenerunt, malos & bonos;* qui tamen veſte caruit nuptiali, pœnas incurrit graviſſimas. Itane? verum age, dic, ſi per vias, per ſepes, ſi ex tempore vocati ſunt, ſi compulſi intrare tales, quales in via, in ſuis laboribus incedebant, quomodo reperiri potuerunt in veſte nuptiali, quomodo cum lucernis ardentibus, quomodo cum ornatis & oleo plenis lampadibus? id quod aliæ parabolæ Chriſti Domini exigunt: Quis ille ruſticus, qui cùm exit ad arandum, ad ſeminandum, ex cingulo pendentem deferat lucernam? quis architectus, cum vadit ad ædificandum, dum laborat, juxta ſe de die portet lampadem? quis vinitor, cum procedit ad fodiendum & laborandum, nuptiali ritu egreditur, vel cum lucerna? Et tamen ille miſer ſine tali veſte non tantum à convivio ejectus fuit, ſed & Rex juſſit illum ligari, & projici in tenebras exteriores. Sic res ſe videtur habere, videtur miſer poſſe excuſari, ſed quid litem moveo? in ſenſu myſtico bene monet ſanctus Ephrem Syrus ſermone 2. de Aſcenſ. *Dum veſtem audis nuptialem, ne de veſtimentis, quibus induimur, id exiſtimes, ſed de bonis operibus.* Pari ratione per lucernas ardentes intelliguntur bona

opera:

Digitized by Google

opera? proinde hoc ex illa miſeri hominis ejectione diſcere debemus, quod ſive in via, ſive in ſepibus, ſive domi, ſive in campo, ſive dies ſit, ſive nox, ſive prima, ſive ſecunda; ſive tertia vigilia, paratos nos eſſe oporteat, ut ſemper lucernam teneamus ardentem, ſemper ornati ſimus veſte nuptiali, ſemper in amore Dei, ſemper ornati virtutibus, dilectione proximi, humilitate, modeſtia &c. neque enim conſtat nobis, quando vocabimur, neſcimus, quando Rex dicturus ſit ſervis, vel Chriſtus Salvator morti: *Exi cito, voca illum ad nuptias*, ſed potius ſic ait, *Ito*, eſto in via, *Voca* illum, in via paratum eſſe neceſſe eſt; eſt in campo, *Voca*. Nox eſt, Domine, jacet in lecto & ſpeculatur, quomodo horrea amplificet, *Vade*, dormit, *Voca*, dum dormit, dormire debet in veſte nuptiali, dum jacet in lecto, habeat lucernam ardentem in manibus; omni momento neceſſe eſt; ut luceat ejus lampas, jam dudum omnes præmonui, cum dixi Luc. 12, 40. *Eſtote parati*. Matt. 24. verſu 43. *Vigilate, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet*.

Neque ſemel duntaxat Chriſtus D. ſed frequenter & variis modis nos monuit, ut lucerna præparationis ad mortem, per omnis generis virtutes & bona opera nos paremus ad mortem. Matth. 25. verſu 11. affert ſimilitudinem Virginum prudentum & fatuarum. Quæ paratæ fuerunt, quarum lucernæ & lampades fuerunt ornatæ repletæque oleo, & arſerunt, *intraverunt cum eo ad nuptias* Illis, quæ diſceſſerant, ut emerent oleum, ut lampades ornarent, *illis*, inquam, *clauſa fuit janua*; & ex his Chriſtus D. intulit notiſſimam ſequelam: *Vigilate itaque, quia neſcitis diem neque horam*; iterum: *Quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate*. Deinde varia addit exempla ſui adventûs, furis in media nocte, in altiſſimo ſomno, effodientis parietem; ſupervenientis diluvii, laquei, aucupis vel venatoris, piſcatoris, &c. ut intelligamus, Dei propoſitum eſſe, homines non opinantes intercipere. Sed unde hoc? ut mors quoſdam occupet paratos, alios autem imparatos? miraris forſitan? cauſam indagas, deſine: ſic Numini placuit, omni nos horâ, omni momento vult eſſe paratos. Quod alium benè comparatum, alium

§. 3. Ad hanc frequentiſſime nos fuit adhortatus Chriſtus D.

minus benè inſtructum, atque ex improviſo mors obruat, atque ad Judicis tribunal evocet, myſterium eſt, quod videmus, non capimus, pertinent hæc ad abyſſum atque altitudinem judiciorum Dei. Luc. 12. v. 37. *Beati ſervi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes.*

§. 4. *S. Martinum, quam paratus ſemper fuerit.* Advertite nunc, quâ ratione quâvis horâ tenentem lucernam ardentem, vel paratum ad mortem deſcribat S. Joannes in fine Apoc. ubi Dominus Deus ſpirituum mittet Angelum, per quem curat dici: *Et ecce, venio velociter.* Cap. 22. v. 7. - v. 10. *Tempus enim propè eſt, Ecce, venio cito, & merces mea mecum eſt, reddere unicuique ſecundum opera ſua.* Tum ait v. 17. *Et Spiritus & Sponſa dicunt, Veni. Et qui audit, dicat, Etiam venio cito, Amen, Veni Domine Ieſu.* Ita paratus fuit glorioſiſſimus Patronus noſter S. Martinus, cum enim Angelorum cantaret Chorus: *Veni Martine; Veni, Sponſus adeſt, & cum illo merces magna nimis. Veni, adeſt juſtus judex, ut tibi reddat ſecundum opera tua, Veni Martine, ecce cæli tibi aperti ſunt, & Regnum Patris cæleſtis;* ait ejus vita, *Oculis & manibus in cælum ſemper intentus, invictum ab oratione ſpiritum non relaxabat.* Mori paratus, vivere paratus. Rogatus, ut in labore conquieſceret, reſpondit: *Sinite me cælum potius, quam terram aſpicere.* In qua voce animam DEO reddidit. O felicem mortem, in cujus tranſitu Sanctorum cecinit numerus, & Angelorum exultavit Chorus. In qua S. Martino cœleſtium virtutum pſallentium occurrit exercitus. Cujus animam S. Michael aſſumpſit & deduxit in cœlum, Martinus dives cœlum ingreditur. Antiph. ante magnificat. O beatum virum, cujus anima paradiſum poſſidet, unde exultant Angeli, lætantur Archangeli, Chorus Sanctorum proclamat, turba Virginum invitat, mane nobiſcum in æternum.

§. 5. *Quem oportet imitari.* Hæc fuit feliciſſima mors S. Martini: ſed dum vixit, ſemper in manibus tulit lucernam ardentem, omni tempore indutus fuit veſte nuptiali, omni tempore veſtimenta ejus fuerunt candida. Semper vigilavit, agricola fuit, architectus fuit, vinitor fuit, ſed cum Dominus venit, fuit paratus, & intravit cum Sponſo ad nuptias Agni. Quocirca, ſi hodie Patronum noſtrum ſanctum

ſanctum Martinum colere volumus, imitemur, ſemper ubique, in via, in campo, diebus, noctibus ſimus parati. Numer. 11. cap. ait v. 17. *Abſtulit* [ſcilicet Dominus] *de Spiritu Moyſis, & dedit ſaptuaginta*; illis ſcilicet, qui cum Moyſe regere debebant populum. Utinam Spiritus S. auferat aliquid de ſpiritu S. Martini, & det nobis, ut nimirum lucernas habeamus ardentes, ut lampades noſtras ornemus omni ornatu virtutum, ut induti ſimus ſemper veſte nuptiali, ut quacunque hora mors nobis dixerit, *Veni*, dicamus venio, *Veni Domine Ieſu, Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, Amen.*

Satis mirari non poſſum, quoties conſidero, quantâ lætitiâ & gaudio ex hac vita decedant viri ſancti, quantaque promptitudine occurrant ſponſo, dum vocat ad nuptias. Salomon Sap. 3. v. 1. de illis dixit: *Non tangit illos tormentum mortis*, etſi moriuntur, non anguſtiantur, mors non eſt illis tormentum, ſed gloria & lætitia. Jacob ob Joſephum, quem putabat mortuum, Geneſ. 37. tam erat mœſtus, ut licet reliqui fratres conarentur illum conſolari, tamen dicit textus v. 35. *Noluit conſolationem accipere*; Cum audiret, Joſephum vivere, & ſe ab illo vocari, ut deſcendat in Ægyptum, in hæc verba erupit: *Iam latus moriar.* Et certè deinde, cum mori debuit, ait cap. 49. v. 32. *Collegiſſe pedes ſuos in lecto, & obiiſſe.* LXX. *Suſtollens pedes ſuos ſuper lectum, obiit.* Quod expendens S. Chryſoſt. hom. 67. in illud caput ait: *Vide mortem juſti, magno miraculo plenam, ſublevavit pedes ſuos in lectum, quaſi cum voluptate rem aggrederetur, ſuſtulit pedes, hoc eſt, planos & rectos fecit & extendit.* Jacob mortuus eſt cum magna lætitia. Pari gaudio moriuntur viri ſancti. Nam ut eleganter ait ſanctus Bernardus in ſermone ex variis: *Veniet quidem mors, ſed ſomnus erit dilectis Domini, & erit hæreditas ejus, erit januâ vitæ, erit initium refrigerii, erit ſancti illius montis ſcala, & ingreſſus in locum tabernaculi admirabilis.* Ideo juſti læti moriuntur.

§. 6. Vnde in quibuſdam morientibus tanta lætitia.

Suaviſſima fuit mors S. Hieron. ut refertur in epiſtola Euſebii ad Damaſum, tranſiens enim de hoc mundo ad Chriſtum; totus lætus & alacer in hæc prorupit verba: *Abjicite veſtimenta luctus & triſtitiæ, pſalmum dicite nomini Domini, quoniam hucuſque*

§. 7. Verbi gratia in ſancto Hieronymo.

tranſivi

luntas. Hæc, inquam, verba, quid aliud fuerunt, quàm ſi diceret, ſi Deus me vult vivere, vivam, ſi vult mori, moriar, & lætus moriar, quia voluntas Dei fuit, ut moreretur, mors illi non fuit tormentum, ſed gloria. Jacob oſtendit collectione pedum ſe non invitare vitam commutare cum morte. S. Martinus id fecit elevatis oculis in cœlum, inter ardentia ſuſpiria & deſideria cœleſtis gloriæ. Venit tandem mors, vel potius venit illi ſomnus. Mors S. Martino fuit janua vitæ, ſcala montis ſancti, ingreſſus in æterna tabernacula, ſanctum ſuum corpus, jacens in aſſere, exhauſtum jejuniis, fractum morbis & mortificationibus depoſuit quaſi veſtimentum luctus. In ipſa lucta mortis non relaxavit ſpiritum ab oratione à pſalmis, à laude Dei. Per annos fere 80. S. Martinus peregrinatus fuit in hoc mundo, per ſanctam mortem cum magno gaudio intravit in patriam. Fuit curſor, attigit bravium, portum attigit, quem tanto deſiderio deſideravit; de tenebris eductus eſt in lucem, de inopia ad divitias, de vita temporali ad æternam. Nolo repetere deſideria ſancti Hieronymi, iisdem ſanctus Martinus vocanti Sponſo reſpondit: *Adſum, venio Domine Ieſu, porrige mihi manum.* Adfuit tandem & mors & Jeſus, per illam cum hoc deductus fuit in paradiſum. Ideo exultant Angeli, ideo lætum hoſpitem læti excipiunt Genii cœleſtes, ideo piiſſimam animam ad nuptias Sponſi cœleſtis deducunt paranymphi, quia non defuit ei lucerna ardens & lucens, quia cum amore & deſiderio ſeſe ad beatum ex hac vita tranſitum comparavit. O mors beata, mors jucunda, mors feliciſſima! Utinam moriatur & anima mea morte ſancti hujus noſtri Patroni! Mors Martini mors exoptata, mors aurea!

Sed ad vos in fine regredior Auditores, placet vobis haud dubie mors viri ſancti, ſed etiam vita placere debet. Vita ſancti Martini fuit lucerna ardens, id eſt, continuum ſtudium virtutum, talis debet eſſe vita noſtra. Vita ſancti Martini fuit lucerna ardens, id eſt, continua vigilia, aſſidua præparatio ad mortem per annos octoginta, talis & debet eſſe vita noſtra. Paratus fuit Martinus, ſimus parati & nos; peregrinus fuit Martinus, §.10. *Epilogus.*

 peregri-

BElla, quibus ardent nobiliſſima Europæ Regna; graviſſimæ & diuturnæ Chriſtianorum Principum atq; Magnatum rixæ, diſſenſiones atque diſcordiæ; novæ hæreſeos contra Catholicam Religionem & Petri naviculam conſpirationes; afflictiſſimus potentiſſimi Regni Poloniæ ſtatus, novæ virgæ & flagella, quibus iratus Deus ob peccata noſtra in nos videtur velle animadvertere; moverunt Alexandrum VII. ſollicitum & vigilantem Eccleſiæ Patrem atque Paſtorem, ut ſcripſerit ad omnes Principes & Prælatos ſerias literas, quibus paternè jubet, ut omnium ſubditi moneantur ad ſeriam pœnitentiam, morum & vitæ emendationem, aliaque media, quibus iratum Deum facile placare, & imminentia flagella à nobis avertere poſſimus. Ejusmodi media ſunt ferventes & publicæ orationes, proceſſiones, eleemoſynæ, præcipuè, ſi accedant exactæ peccatorum confeſſiones & devotæ Communiones, cum efficaci morum emendatione. Inter alia invenio in præteritorum temporum hiſtoriis; prædeceſſores noſtros in publicis & magnis Eccleſiæ, Regnorum atque Urbium neceſſitatibus, imò Principes, Belli-Duces, Reges atque Imperatores peculiare auxilium quæſiviſſe apud potentiſſimam cœli Reginam, miſericordiæ Matrem; ad eam confugiebant veluti ad Eccleſiæ, Regnorumque defentricem, veluti ad Chriſtianorum auxilium, peccatorum refugium, afflictorum conſolatricem, veluti muniſſimam turrim David, ex qua pendent mille clypei, quos vel hoſtibus, vel iræ Divinæ objicere poſſumus. Hodierno itaque Virginis in templo præſentatæ feſto conabor Auditoribus meis perſuadere, idem ut faciant. Fieri id utiliter, oſtendam ex pulchris figuris ſacræ Scripturæ, ex SS. PP. & paucis ſed ſelectis hiſtoriis. Spero vos interim Auditores benevolos, hoc eſt, Mariæ cultui amorique addictos. *§. 1. In communibus neceſſitatibus confugiendum ad B. Virginem.*

Jus Civile imperat, ut in omni bene ordinata Republica publicis ſumptibus alatur minimum unus advocatus pauperum, qui gratis eorum cauſas in publicis judiciis agat & defendat. Optandum eſſet, ut in quavis urbe & civitate, apud Principes & Judices eſſent tales advocati, præcipuè in negotiis magni mo- *§. 2. B. Virgo humani generis advocata.*

Digitized by Google

menti, ut cum ſæpè, de viduarum, pupillorum & pauperum ſubſtantia, opibus, honore, ſanguine, vitaque tractatur. Viſibilis Chriſti D. in terris Eccleſia, nil aliud eſt, quàm credentium ordinata quædam reſpublica, vel pulchra civitas, vel regnum ab ortu uſque ad occaſum ſolis dilatatum. Multi in eo pauperes, multi triſtes & afflicti, qui indigent advocato peccatores, qui apud iratum judicem Deum graviter accuſantur. Solatio ſit his omnibus v. 1. primæ Joannis c. 2. *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Ieſum Chriſtum*: ideo S. Bernard. ſerm. de Nat. Mariæ peccatorem alloquitur: *Ad Patrem vereris accedere? Ieſum tibi dedit mediatorem, advocatum habere vis ad Ieſum? ad Mariam recurre.* Hæc humani generis, præcipuè peccatorum eſt advocata tam excellenti modo, ut B. Germ. Patriarcha Conſt. de zona & faſciis Deiparæ dixerit: *Quis poſt - filium ita generis humani curam gerit, ſicut tu? quis ita nos defendit in noſtris tribulationibus? quis adeo pugnat pro peccatoribus? nullus enim eſt, qui ſalvus fiet, O Sanctiſſima, niſi per te: nemo eſt qui liberetur à malis, niſi per te - nemo eſt cujus miſereatur gratia, niſi per te.* Itane? ergo dum tribulationes eos premunt, dum bella imminent, dum ira divina parat pœnam, merito ad B. V. confugimus, merito clamamus *Sub tuum præſidium*, ut DEUS & filius per ipſam noſtri miſereantur.

§. 2. *B. Virgo arca ut in ea cum Noe ſalvemur.*

Geneſ. 7. v. 11. præſtituta hora, *rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ, & cataractæ cœli apertæ ſunt, & aquæ diluvii inundaverunt terram, conſumptaq; eſt omnis caro quæ movebatur ſuper terram - univerſi homines*, præter Noe cum pauculis liberis, hi ſalvati ſunt in arca, nam quamprimum Noe vidit cogi in unum nubes, diſſolvi in aquas, incipere pluvias, cum ſuis confugit ad arcam. Colligo ex v. 13. cap. cit. *In articulo diei illius ingreſſus eſt Noe.* Præterita bella comparantur merito diluvio, quo Deus invectus eſt in Germaniam, heu quot millia hominum conſumpta ſunt? quot urbes, regiones, imo regna vaſtata? & quod dolendum maxime, quot ex illis demiſſi ad tartara? Vix à belli hujus diluvio reſpiravimus, & inquietus Septentrio, inquieta hæreſis vel potius iratum cœlum, minatur novum diluvium. Quid

ſupereſt,

Digitized by Google

ſupereſt, niſi ut confugiamus ad Beatam Virginem, nam ipſa eſt *Arca Dei tutiſſima*, ſic eam vocat Bloſius. Ipſa eſt *Arca viva & animata*; ſic eam vocat Methodius; *Ipſa eſt arca, arca Noe latior, longior, illuſtrior*; ſic eam vocat Heſychius. In hac arca contra omnia pericula tuti erimus, modò tempeſtivè ad illam nos recipiamus.

Geneſis c. 19. v. 24. iratus Deus pluit ſulphur & ignem ſuper Sodomam & Gomorrham, univerſique habitatores urbium illarum ſunt combuſti, præter Lothum cum pauculis, qui ſalvati ſunt in monte & civitate parva Segor, eò Loth confugit, cum cœlum flammis pluere cœpiſſet, cauſa punitionis, aggravata Sodomorum peccata. Auditores, peccata multorum, ubiq; aggravantur nimis; ita ut clament ad cœlum; videtur Dominus deſcenſurus, ut puniat novis ignibus, id eſt, novis bellis, novis cladibus; ſi vobis vita ſalusque cordi eſt, quæſo confugite ad Beatam Virginem, quia eſt *mons Sanctus*, ſic ſæpius eam vocat David, ipſa eſt *mons Dei, mons Sion*, ipſa eſt *mons, in quo placuit habitare Altiſſimo.* Ipſa eſt *urbs refugii, civitas ſancta, civitas magni Regis, civitas Domini Virtutum, civitas Dei, de qua dicta ſunt glorioſa.* In hoc monte, in hac civitate erimus tuti contra omnia pericula. *§. 4. Item mons.*

Jud. 9. v. 53. Abimelech fortiter oppugnabat excelſam turrim in media civitate Thebes; ipſe præciſos circumponebat ramos, ipſe ignem ſupponere nitebatur, ipſe admovebat ſcalas, *& ecce una mulier fragmen molæ deſuper jaciens - illiſit capiti Abimelech, & confregit cerebrum ejus*. Poſt hoc proprius armiger interfecit illum. Turris excelſa eſt Eccleſia Chriſti, fundata in petra, quæ Petrus eſt; nulli Tyranni, nullæ Hæreſes, nulli graviſſimarum perſecutionum fluctus illam hactenus diruere potuerunt; plurimis in hoc aſſultu confractum eſt cerebrum. Scimus ex hiſtoriis, quot tales Eccleſiæ perſecutores occiſi ſint gladio, quot morte repentina, quot peſte, quot igne & fulmine de cœlo è medio ſint ſublati. Nihilominus novi parantur aſſultus, novæ præparantur ſcalæ, cuduntur ignes, quæſo ad B. Virginem confugite, & nolite timere, ipſa eſt terribilis, ipſa eſt for- *§. 5. Mulier confregit caput Abimelech de turri. Figura Mariæ.*

tis illa heroina & mulier, quæ turrim Eccleſiæ propugnat, quæ inſultantibus hoſtibus caput confringet; ſcit enim contribulare capita draconum.

§ 6. *B. Virgo contrivit Julianum apoſtatam.* Quando turris Eccleſiæ majori fuit in periculo, quàm ſub Apoſtata Imperatore Juliano; cum è bello Perſico redux excidium minaretur Cæſareæ? certè S. Baſilius cum omni populo ſe contulit ad ædem Dei Matris, ejus opem impensè efflagitans. Quo fructu? audite: viſio mirabilis viro ſancto aliiſque compluribus objecta fuit. Conſidebat in throno gloriæ Regina cœli, quæ S. Mercurium Martyrem [cujus corpus in illa Eccleſia quieſcebat, & arma aſſervabantur] jubebat hoſtem Eccleſiæ interimere. Ea ipſa hora in caſtris comparuit ignotus miles, tyrannum lanceâ confodit, & ſtatim diſparuit. Viſionem probavit eventus, lancea Martyris ſanguine conſperſa, & mors tyranni. Itaque Cæſarea, totaque Eccleſia à præſentiſſimo fuit vindicata periculo. O Beata Virgo! ubi, ubi ſunt illi cœli milites, qui pro nobis ſic pugnent? ubi tales lanceæ & arma? ſed ne ſitis ſolliciti, confugite ad templa B. Virginis, orate ferventer, & omnes hoſtes à nobis depellet, imò capita confringet; ſic licet iratum Numen minetur diſcolis filiis virgam diſciplinæ, oſtendat arma furoris, exhibeat bella triſtia, clades neceſque, necdum tamen jacta eſt alea, advocata noſtra erit apud filium mater, apud Judicem Domina, apud Deum Maria. Hujus opem imploremus, ſub hujus præſidium confugiamus, ipſa nos non deſpiciet in neceſſitatibus & anguſtiis noſtris.

§. 7. *B. Virgo cœleſtis Abigail.* Primo libro Regum c. 25. v. 22. pergit David, ut ulciſcatur calumnias Nabal: *Hæc faciat Dominus inimicis David, & hæc addat, ſi reliquero* - vel unicum. Sed obviam illi occurrit Abigail cum muneribus, & cum vidiſſet David, deſcendit de aſino, & procidit coram David ſuper faciem ſuam, & dixit: *In me ſit Domine mi hæc iniquitas - audi obſecro verbum famulæ tuæ: ne ponat oro Dominus meus Rex cor ſuum ſuper virum iſtum iniquum Nabal: ſtultus eſt, Domine mi, ne venias in ſanguinem, ſuſcipe benedictionem hanc,* [& munera] *quam attulit ancilla tua tibi Domino meo,* peroravit hæc tam ſuaviter, ut motus David dixerit v. 33. *Benedictum eloquium*

quium tuum, & benedicta tu, quæ prohibuiſti me hodie, ne irem ad ſanguinem, & ulciſcerer me manu mea. Alioquin vivit Dominus Deus Iſrael - niſi citò veniſſes in occurſum mihi, non remanſiſſet Nabal. Vade pacificè - ecce audivi vocem tuam. Nos ſumus Nabales; qui Deum graviſſimis injuriis irritamus. Dicebat ille, *quis eſt iſte David? & quis eſt filius Iſai? - neſcio unde ſit?* ſic loquuntur ingrati peccatores? quis eſt iſte Deus? quis ille Jeſus? imo offendunt graviſſimè, ideo in procinctu eſt, ut puniat! O quoties juſtus ille Judex ſuas vibraſſet lanceas, niſi occurreret pulcherrima Abigail, B.V. Judicem Filium ſuum ſic alloquens, Ah fili audi vocem matris, in me ſit iniquitas hæc, peccarunt, ſed modo contriti jacent ad pedes meos, petunt miſericordiam, ideo ego ſatisfaciam. Neſciverunt quid facerent. Ah fili, non venias ad ſanguinem, filii mei ſunt, quos in cruce mihi dediſti, quos ſanguine tuo redemiſti. Tali oratione mater filium ſæpiſſimè movit ad miſericordiam; ut merito dicere poſſimus: O benedicta Abigail, benedictum eſt eloquium tuum, quæ prohibuiſti, ne filius iret ad ſanguinem, tu illa es, quæ toties ſuppreſſiſti bella ſanguinolenta; Tu illa es, quæ ſævam luem toties extinxiſti, Tu illa es, quæ divinum Davidem ad clementiam non ſemel ſed millies compoſuiſti. Et non cauſas habeamus te amandi? te colendi? te modis omnibus tanquam Dominam, Advocatam, imo & Matrem noſtram venerandi?

§ 8. *Item cœleſtis Thecuitis.*

Legite quæſo c. 14. l. 2. Reg. v. 5. & ſeqq. Juſſu Abſolonis in convivio occiſus fuit frater ejus Amnon. Senſit acerbè David, adeo, ut Abſolon fugere debuerit, & aliquot annis manere in exilio, donec tandem mulier Thecuitis Regem iratum placavit; Induta enim veſte lugubri, quaſi lugens mortuum ingreſſa eſt ad Regem, ſicque peroravit: *Serva me Rex, petitur unicus meus filius, ut occidatur - recordetur Rex Domini Dei ſui, ut non multiplicentur proximi ſanguinis ad ulciſcendum, & nequaquam interficiant filium meum. - quare cogitaſti hujuſcemodi rem contra populum Dei; - ah faciat Rex verbum ancillæ ſuæ.* Advertit tandem David, Thecuitim ex inſtinctu Joab orare pro Abſolone; commotusque

motusque dixit: *Ecce placatus feci verbum tuum, vade, revoca puerum Abſalon.* Ah Auditores, nos ſumus Abſolones, qui interfecimus fratrem noſtrum, imò Filium DEI, dum vitiis noſtris rurſum crucifigimus. Nos rei ſumus effuſi ſanguinis in cruce, novis quotidie ſceleribus cauſam damus, ut ſanguis ille vindictam clamet; quod clamet, colligimus ex imminentibus pœnis. Quid medii? quæſo quæramus aliquam Thecuitim, quæ loquatur pro nobis ad iratum Regem; O quoties id fecit MARIA! ô quoties proſtrata ad pedes Filii, plóransque dixit: Fili, *ſerva meos*; nam ſi mei, ſunt & tui: *Serva meos*, qui ſuum in me amorem tot jam annos conſtanter probarunt; *Serva meos*, qui mihi in ſodalitatibus meis ſub vexillo meæ Maternitatis militant; *Serva meos*, quibus amore mei ſolenne fuit ſtatas quotidie preces perſolvere, ſtipem erogare in pauperes, jejuniis corpus emaciare; *Serva meos*; En jam quæruntur ad pœnam, rapiuntur ad ſupplicium. Sed ô mi Fili, quid eſt, quod talia machinetur juſtitia tua divina contra populum meum, contra urbem meam ſervitio cumprimis addictam? parce Fili, ſi matrem amas, parce. Sic orat Virgo, & perorat advocata profectò potentiſſima.

§. 9. *Item cœleſtis Eſther.* Scitis ex capite 5. verſu 8. Eſther, juſſu Aſſueri, conſilio Amani ſuſpenſum edictum, quo jubebatur, ut omnes Judæi internecioni darentur. Sed una mulier Hebræa periculum avertit, iratumque Regem placavit, ſcilicet Eſther. Oratio ejus ad Regem fuit affectuoſa: *Si inveni gratiam in oculis tuis O Rex dona mihi populum meum, pro quo obſecro, traditi enim ſumus ego & populus meus, ut conteramur, jugulemur & pereamus.* Oratio brevis, ſed efficax; revocavit Rex edictum, Aman ſuſpenſus fuit in patibulo. Cauſas habemus cogitandi, in tribunali Juſtitiæ terribile contra nos ſcriptum eſſe edictum, ut Germania puniatur novis bellis, ut veniant hoſtes, ut arma, arma rapiantur, ut bella bellis concitentur, ut ingruat ſæva lues, ut affligat annonæ caritas, ut ſexcenta alia mala nos premant. Quò miſeri confugiemus? quem in portum nos recipiemus? ad Eſtherem ſuadeo, ad Eſtherem convolemus, illa nos recipiet,

Digitized by Google

cipiet, illa cauſam noſtram tractabit feliciter, illa Divinum Aſſuerum ſuâ quâ præpotens eſt amabili eloquentiâ à furore ad amorem, à bello ad pacem, à ſeveritate ad clementiam revocabit.

Finio Concionem ex Bozio libro 24. de ſignis Eccleſiæ capite 6. Tempore Henrici IV. innumera prodigia, graviſſimis hominum peccatis, accenſam DEI vindictam portendebant. Inundationes terribiles, quibus integræ urbes abſorptæ. Fluvii inſtar murorum ſe erigentes, terræ motus, monſtra, nives tam altæ, ut ſylvas opprimerent, pluviæ ſanguinis, armorum ſtrepitus, incendia cœlitus emiſſa, peſtis, morbi. Ingens trepidatio! in communi conſternatione per totam Italiam indictum fuit triduanum jejunium, ut Matris Dei patrocinium ferventibus precibus imploraretur. Et ecce Cremonæ, infantulus vix natus in cunis loqui incepit, aſſerens: ſibi viſam Dei Genitricem ante tribunal CHRISTI ſupplicantem, ut Filius grave judicium in homines exercendum ſuſpendat, & contigit illico, ceſſarunt prodigia, ſopita incendia, ſuppreſſæ morborum flammæ, terræ motus ſedati, averſa lues, colliquefacti nivium aggeres; & hoc ſine dubio per interceſſionem Deiparæ obtinuerunt; Simus ergo & nos ferventes hujus fideliſſimæ Matris amatores & cultores, & ſic quoque à nobis multa ampendentia mala per ſuam interceſſionem apud ſuum dilectum Filium Chriſtum Jeſum avertentur, & in bonum mutabuntur.

§. 10. *Hiſtoria ex Bozio.*

CONCIO LXXXIX.

FESTO S. ANDREÆ APOSTOLI.

Venite poſt me,

Matth. c. 4. verſ. 19.

SYNOPSIS CONCIONIS.

SAnctiſſima Jesu Crucifixi & S. Andreæ Apoſtoli crux variis elogiis exornatur.

§. 1. *Gratulatur S. Andrea de martyrio crucis.*

§. 2. *SS. Crux gladius eſt, ſcutum eſt & corona.*

§. 3. *Sanctiſſima Crux eſt lancea, qua Chriſtus Dominus eripit electos ex periculo æternæ damnationis.*

§. 4. *Digreſſio ad ſanctum Andream & Auditores.*

§. 5. *In cruce victoria.*

§. 6. *A cruce vita!*

§. 7. *A cruce ſalus & omnes gratia.*

§. 8. *Digreſſio ad ſanctum Andream.*

§. 9. *Sanctiſſima Crux nos ducit ad cælum.*

§. 10. *Etiam per tempeſtuoſum mare hujus ſæculi. Figura fuit tranſitus Iſraelitarum per mare rubrum.*

§. 11. *SS. Crux armatura fortium contra potentes hoſtes.*

§. 12. *Proſecutio.*

§. 13. *Digreſſio ad S. Franciſcum Xaverium.*

§. 14. *Epilogus.*

§. 1. *Gratulatur S. Andrea de martyrio crucis.*

EX animo gratulor glorioſiſſimo Apoſtolo S. Andreæ; quod ex illorum fuerit numero, de quibus S. Cyprianus dixit ſer. de Reſurr. Domini: *De ſapientibus & potentibus hujus mundi*, quibus crux Chriſti viſa fuit ſtultitia - *in nomine Ieſu Crucifixi pauperes ſpiritu*, piſcatores, *potentiſſimè trium-phارunt*

pharunt. Sic triumphavit S. Andreas: exemplo ſui ducis, qui [Philothæus Conſtant. orat. de cruce] nudus quidem fuit affixus cruci, - *ſed toto terrarum orbe inſpectante, tanquam generoſus quidam Athleta adverſarias virtutes, ſublimis ex ligno pendens contrivit & disjecit.* Quod ducis ſui exemplum præ oculis habuiſſe videtur S. Andreas, cum ante crucem in loco ſupplicii procumbens in genua, exclamavit: *O bona crux, diu deſiderata, & jam concupiſcenti animo præparata: ſecurus & gaudens venio ad te, ita & tu exultans ſuſcipias me, diſcipulum ejus, qui pependit in te.* Sic loqui ſolent generoſi athletæ & milites ſub vexillo ſanctiſſimæ Crucis; gaudeo, talem heroem fuiſſe S. Andream! Cum jam biduo vivens penderet in cruce, pro Chriſti nomine, non defuerunt, qui illum de cruce voluerunt liberare, ſed elevatis in cœlum oculis, ardentiſſimè oravit: *Non me permittas Domine, famulum tuum à te ſeparari, O pretioſa crux, accipe me, tene me, & redde me Magiſtro meo, ut per te me recipiat, qui per te me redemit.* Et hæc dicens, rogavit populum, *ut non impediret paſſionem ejus*; ut non ſolveretur de cruce. Sic nimirum loqui ſolent, ſic in doloribus, in tormentis, in afflictionibus orare conſueverunt generoſi pugiles ſub labaro crucis; & ſic exemplo Jeſu Crucifixi pugnant, vincunt, triumphant de hoſtibus.

Cogito ſanctiſſimam Chriſti D. & S. Andreæ crucem in hac Concione variis exornare elogiis; ingreſſum eſſe cupio verſum Pſal. 5. v. 13. *Domine, ut ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos.* His verbis Regius Pſaltes loquitur de ſcuto bonæ voluntatis, quod ſimul ſit triumphalis corona. Sed quale illud ſcutum? ſcio, ſcuta conflari ex ære, ferro & chalybe, ſed ex bona voluntate, qua ratione poteſt conflari vel formari ſcutum aut clypeus, & quidem fortium. Theophylactus in orat. in adorationem crucis reſpondet, bonam voluntatem, quâ ſervi & milites Chriſti amant & colunt SS. Crucem, ſimul fieri illis ſcutum, quo ſic ſe defendunt ab hoſtibus, ſic pugnant hoc gladio & lanceâ, ut triumphent de ſpiritualibus hoſtibus, & eadem crux, ſive amor crucis, & gaudium, ſive conſolatio in afflictionibus, patientia in adverſis, illis fiat corona; ut meo judicio, cruci S. Andreæ aureis lite- **§. 2. SS. Crux gladius eſt, ſcutum eſt & corona.**

 ris

ris inſcribendum ſit hoc elogium crucis ex citato Theophyla-cto: *Simul armat & coronat.* Præparate benevolas aures Auditores, ut in gloriam JESU Crucifixi ſive ſanctiſſimæ Crucis, & honorem glorioſiſſimi Apoſtoli ſancti Andreæ plura talia elogia cum piis animi affectibus attenti excipiatis.

§. 3. SS. Crux eſt lancea, quâ Chriſtus D. eripit electos ex periculo æternæ damnationis

Cum magno myſterio Habacuc capite 3. verſu 11. dixit de Meſſia: *In ſplendore fulgurantis haſtæ ſuæ - egreſſus eſt in ſalutem populi ſui.* De hac haſta videtur loqui Pſaltes Pſal. 9. *Infixæ ſunt gentes in interitu, quem fecerunt.* Theophanes Cerameus orat. in exalt. S. Crucis: *Quid ſibi vult his verbis? Quia Dominus dæmones fixit in Cruce; in qua Dominum periturum arbitrabantur, & funditus interierunt;* ſcilicet hoſtes Chriſti. Sed an inde ſalus populi ſui? an ideo Chriſtus D. per crucem liberavit mundum? *in ſplendore fulgurantis haſtæ.* Elogium hoc ſanctiſſimæ Crucis liberat à morte, pulcherrimè explicabit hiſtoria, quam refert Sigibertus in Chronico ſuo de Longobardorum Regibus, de quibus ait: *Horum primus fuit Rex Agelmundus: Secundus Lamiſſio, ſic dictus, quod à Lama, id eſt, voragine fuit extractus. Nam mater ejus, ſeptem uno partu enixa, cum eos in piſcinam projeciſſet, & Rex Agelmundus iter faciens, eos haſtâ revolveret, is haſtam ejus firmiter tenuit, & ab eo nutritus, eò virtutis proceſſit, ut in regno ei ſuccederet.* Quid pulchrius? per lanceam miſerabilis infans è tanto periculo fuit ereptus: ecce ſanctiſſimæ Crucis œconomiam. Longobardorum fœmina uno partu ſeptem peperit filios, quos omnes morituros projecit in aquas; ſic prima fœmina Eva, quotquot peperit, morituros expoſuit, & à ſe infectos abjecit. Agelmundus Rex iter faciens, vidit in piſcina coacervatos ſeptem illos puerulos à matre abjectos, & haſtâ ſuâ extenſâ illos revolvit: eorum unus manu haſtam preſſit, & inde extractus, & nutritus à Rege in regnum venit, & deinde ſui Salvatoris hoſtes confregit. Sic rex regum Jeſus, veniens in mundum, dum viatoris ageret vitam, vidit univerſos Evæ natos, in barathro & voragine miſeriarum morti expoſitos, & in æternam perditionem abjectos. Quid tunc, haſtam crucis extendit, ſed ſanguineis quidem brachiis atque vulneratis manibus, quicunque eam apprehendunt,

dunt, à maſſa perditionis extrahuntur, nutriuntur ejus menſâ, donec Reges fiant, qui hoſtes Chriſti debellant.

§. 4. *Digreſſio ad S. Andream & Audit.*

Gratulor S. Andreæ, idololatriæ domitori, ſcelerum extirpatori, tyranni & diaboli victori. In ſplendore fulgurantis haſtæ SS. crucis lanceam Jeſu Crucifixi apprehendens, non tantum è maſſa perditionis extractus eſt, non tantū Chriſti hoſtes vicit, ſed aditum ſibi aperuit ad regnum cœlorum. Illa nos frequenter cogitatio perturbat, num fortaſſis & nos adhuc jaceamus abjecti in voragine hujus mundi, cum periculo æternæ damnationis, expoſiti furori tot hoſtium, attendite, num cum S. Andrea ametis crucem Jeſu Crucifixi! num fulgurante hac lanceâ pugnetis! num placeat vobis hæc maxima, ex ſchola & de cathedra SS. Crucis, promulgata, Glorioſum eſſe, facere ardua, & pati multa pro Chriſto! Inſcribite cruci S. Andreæ hoc elogium, liberat à perditione æterna.

§. 5. *In cruce victoria.*

De generoſo animo ſtrenui Chriſtiani militis pulchrè dixit S. Ambr. l. 2. de Abraham c. 7. *Exercitata mens* [contra diabolicas & aërias poteſtates] *non aquilarum præfert imagines,* [non turres, non lilia, non lunas, non leones,] *nec dracones, ſed in cruce Chriſti, & in nomine Ieſu progreditur ad prælium; hoc ſigno fortis, hoc ſigno fidelis*, hoc ſigno victrix. Ideo Conſtantinus M. poſtquam in hoc ſigno vicit, in publico foro æream ingentis magnitudinis crucem erexit, quam vocavit, & cui inſcripſit græcam voculam, *νίκη*, id eſt, victoria. Eodem titulo hodierno feſto ornare volo crucem S. Andreæ, in hoc enim ſigno vicit. Pugnaturus contra idololatras & tyrannos, non prætulit aquilas, non dracones, ſed in cruce Chriſti, in nomine Jeſu progreſſus eſt ad prælium, hoc ſigno fortis, hoc ſigno fidelis Chriſti ſervus; cui proinde Angeli accinuêre: Intra in gaudium Domini tui. Pari ratione nos Auditores per crucem obtinere debemus I. omnes gratias & cœlum. II. victoriam contra noſtros hoſtes, ſi cœleſtis coronæ bravium oculos animoſque noſtros accendat, quod ulterius oſtendo.

§ 6 *In cruce vita.*

Pulchrum elogium S. Crucis invenio apud S. Leonem ſer. 8. de Paſſione: *Crux tua bone Ieſu, omnium fons benedictionum, omnium eſt gratiarum cauſa, per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte.* Loquitur tum

Ttt tt 3 de

de vita gratiæ, tum de vita æterna & perenni gloria, cujus ſemen eſt gratia: radix autem gratiæ eſt radix ſanctiſſimæ Crucis, in qua Jeſus Redemptor noſter nos redemit. Cum percutiens Angelus pertranſivit Ægyptum, illas ædes pertranſiit, quarum poſtes aſperſæ erant ſanguine Agni, & notatæ ſigno T. hæc litera autem deducitur ab Hebræo, *tichie*, quod idem ſonat ac vives, id eſt, à cruce, in cruce eſt vita; in hac vita, vita animæ, quæ conſiſtit in gratia & charitate, in altero ſæculo poſt mortem vita æterna.

§. 7. *A cruce ſalus & omnes gratiæ.* Radix, fons, cauſa omnium gratiarum & benedictionum, quæ ab infinita DEI miſericordia conferuntur in juſtum & electum, apud Theologos eſt prima prædeſtinatio vel electio vel voluntas Dei eligentis ad vitam æternam, de qua ait S. Auguſt. *Prædeſtinatio eſt praſcientia & praparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, qui liberantur.* Hæc porro præparatio facta eſt partim ab æterno, à libera Dei voluntate, quæ ex prævisione meritorum cujuſvis, hos prævidit & præſcivit ſalvandos, hos damnandos. Nihil aliud de hac Dei voluntate addo, niſi illud ſancti Pauli: *O altitudo divitiarum!* altera contigit in tempore, à Chriſto JESU Redemptore, & quidem illo trihorio, quo pependit in cruce, quo ſuam mortem & ſanguinem crucis cœleſti Patri obtulit pro toto genere humano, quod reprobis illa oblatio non proſit, ſibi aſcribant & ſuis ſceleribus. Electis in cruce præparavit omnia illa beneficia, omnes gratias, quibus certiſſimè ſalvantnr, qui ſalvantur.

§. 8. *Digreſſio ad S. Andream* Revocate jam in memoriam gratias, quæ ab infinita Dei bonitate collatæ ſunt in S. Andream; inter mille alios vocatus eſt à Jeſu ad Apoſtolatum. Fuit gratia crucis Chriſti. Ingens gratia fuit ille zelus, quo doctrinam & crucem Chriſti gentibus prædicavit. Ille zelus fuit gratia crucis Chriſti! ingens gratia, ille amor erga Jeſum Salvatorem & crucem, ille ardor, moriendi in cruce, perſeverandi in cruce; meræ gratiæ crucis Chriſti! Crux tua bone Jeſu omnium fons benedictionum, hos fructus crucis, illius palmæ, S. Andreas deguſtarat, ideo verbis tam ſuavibus arborem illam benedictam ſalutavit. *O Crux.* Non dubito Auditores,

Digitized by Google

tores, quia deſideratis eſſe inter electos, ad hoc gratiæ efficaces ſunt neceſſariæ, quod attinet Chriſtum D. ipſe in cruce illas vobis præparavit, ſed à vobis requiritur, ut cum S. Andrea crucem amplectamini, in hac gratias, benedictiones, vitam, imò Redemptorem Jeſum invenietis; S. Bern. *Circumire poſſum cælum & terram, mare & aridam, & nuſquam te inveniam, niſi in cruce, ibi dormis, ibi paſcis, ibi cubas in meridie - In hac cruce te invenit, quicunque invenit.*

§. 9. *SS. Crux nos ducit ad cælum.*

Per crucem pervenire debemus ad cœlum. Pulchrâ metaphorâ illud declarat Maximus Taurinenſis ſer. de cruce: *Grande ſacramentum, quod cum à nautis ſcinditur mare, prius arbor erigitur, velum diſtenditur, ut cruce Domini facta, aquarum fluenta rumpantur.* Ad portum cœleſtis gloriæ aditus nobis non patet, niſi per tempeſtuoſum mare maligni hujus mundi, per varios tribulationum ventos, per tentationum fluctus, per adverſitatum ſcopulos, qui illos vult rumpere & ſcindere, quiſquis ſine naufragio cogitat pertranſire, erigat ſignum & arborem crucis. Eleganter ſanctus Auguſtinus in Pſal. 51. *Naufragium fugis, & plumbum amplecteris? ſi non vis mergi, tabulam apprehende, ligno portare, crux te perducat.* Deinde pergit: *Sic contingit homini in hac vita tanquam ſi videat de longinquo patriam, & mare interjaceat, videat quò eat, ſed non habeat quà eat. Sic nos ad ſtabilitatem noſtram, quæ in cælis eſt, pervenire volumus, ſed interjacet mare humani ſæculi. Ut ergo eſſet quà iremus, venit inde - filius Dei, & modum oſtendit - & quid fecit? inſtituit lignum, quo mare tranſeamus; nemo enim poteſt tranſire mare hujus ſæculi, niſi cruce Chriſti, & lignum contemnis? O ſapientia ſuperba! irridens Chriſtum Crucifixum!* nam ſic ipſe pertranſiit, ſic pertranſiit ſanctus Andreas, ſic tranſierunt omnes electi, aliter nos pertranſire non poterimus.

§. 10. *Etiam per tempeſtuoſum mare hujus ſæculi. Figura fuit tranſitus Iſraeli-*

Ut maneam in metaphora, recordor ex S. literis maris rubri, quod poſtquam Moyſes virgâ ſuâ illud aperuiſſet, ſalvi tranſierunt Iſraelitæ; in ſumma omnium deſperatione ob inſtantem Pharaonis exercitum, Moyſes manum, quâ ſolitam ſibi virgam tenebat, ſuper Arabici ſinus æquor expandit; & vix extende-

rat,

tarum per mare ru-brum.

rat, cum repente, mare illud ingenti hiatu diſruptum eſt, latitudinis ampliſſimo ſpatio, quodq; tot millium ſimul transgredientium capax foret, longitudine verò ſex circiter milliarium, eodem temporis momento ventus coortus fuit rapidiſſimus, qui flatus impetu vehemente fundi maritimi limoſam humiditatem ſiccaret, eamque populi perambulaturi veſtigiis, duritie neceſſaria præpararet; ſed terrebat eos [neque mirum] inſurgens & erectum undique, murorum in formam, altitudinemque mare, ſuſpenſis & velut à ſtationis impatientia, fluctuum inſano fragore frementibus undis, verebantur ingredi, pelagi ſtrepentis in capita ſua, ruinam formidantes. Nec puerorum tantum, imbellisque ſexûs ille metus erat, ſed plerorumque virorum confuſæque vocibus inſani maris, parvulorum, mulierum, an pavidæ plebis, voces etiam fortiſſimorum virorum, quorumque corda trahebant in timoris conſenſum, at non eadem animi mollitie Dux Moyſes, qui primus tranſitum aperuerat, primus apertum irrumpit. Trepidabant tamen adhuc reliqui, ſed mox Aminadabo Judææ tribus Principe, cum Principe vexillo ſubſequente, alii alacriores exemplo ductorum, certatim contendunt ſequi; & licet in maris medio, quantò depreſſiores valles ſe ſubmittebant, tantò ſurgebant altiores aquarum montes, tamen duces ad alterum littus ſecuti ſunt. Moyſes virgâ, Aminadab vexillo [ſi quæ Rabinis eſt fides,] viam aperuerunt. Hic Iſraelitarum per mare rubrum tranſitus figura & imago fuit tranſitus noſtri ad cœleſtem Palæſtinam, horridum, tempeſtuoſum interjacet mare, ſed poſtquam Chriſtus Jeſus virgâ SS. Crucis illud aperuit, poſtquam Chriſtum tot ſtrenui duces inſecuti ſunt, nam Aminadab fuit S. Petrus, Aminadab S. Andreas, Aminadab S. Philippus, hos innumerabiles alii per eandem viam in cœli gaudia penetrarunt, ut ſciamus, & nobis eandem viam tenendam eſſe. Iſa. 35. v. 8. *Erit ibi ſemita & via, & via ſancta vocabitur, & hæc erit nobis directa via, ita, ut multi non errent per eam, ſcilicet ſtulti propter Chriſtum.* S Bern. *Sinite ergo, ſinite ſapientes hujus mundi, de ſpiritu mundi tumentes, ſapienter deſcendere in infernum. Vos autem ſicut cœpiſtis ſtulti facti eſſe propter Chriſtum humilem apprehendite diſciplinam aſcendendi ad cœlum.*

Metapho-

Digitized by Google

Metaphoram, in qua aliquamdiu hæſi, exornet emblema Alciati, ſive clypeus illius militis, qui dum clypeo ſuo hoſtem ad ripam fluminis diu ſuſtinuiſſet, nec amplius poſſet, cum clypeo ſe projecit in amnem, quem cum clypeo veluti cymbâ trajeciſſet, in altera ripa illum exoſculatus, dixit: *Hic verè amicus, & ſolus mihi fuit, cum premererque ſalo, cum premererque ſalo.* Quinam hoſtes illud mare, in quo navigamus, obſident, ut nos oppugnent, non ignoramus, ſed ſtrenuus Chriſti miles, aliquis S. Andreas ipſorum aſſultus ridet, neque enim navis tantum eſt SS. Crux, ſed clypeus, ſub quo tutiſſimi pugnamus. S. Martialis ep. 1. c. 2. ad Burdegal. *Crux Domini armatura eſt invicta contra ſathanam, galea cuſtodiens caput, lorica protegens pectus, clypeus tela maligna repellens, eſt gladius* - eſt lancea. Hoc ſolo ſigno cœleſtis victoria data eſt nobis. Sub metaphora maris feci vos nautas, & viam oſtendi ad cœlum. Sub metaphora clypei facio vos milites, & arma oſtendo, quibus ſathanam ſuperare poſſumus hoc ſigno, id eſt, per crucem; Divus Chryſoſt. orat. de ador. crucis: *Vides, quomodo militem Rex cælorum armet; non dedit ſcutum, non galeam, non arcum, non thoracem - nec quid ſimile, ſed quod iis omnibus firmius & valentius eſt, præſidium à cruce, hoc gladius, hoc clypeus eſt, hoc thorax, hoc galea, hoc tutum propugnaculum, hoc portus, hoc refugium, hoc corona, itaque crux eſt univerſa noſtra armatura.* Ex hoc loco cauſam advertite, ob quam S. Andreas contra Chriſti hoſtes, contra idololatriam, contra ſathanam tam ſtrenuè depugnarit, armatus fuit galea, id eſt, cruce. §. 11. *SS. Crux armatura fortium contra potentes hoſtes.*

Quiſquis hoc ſigno munitus eſt, ridet hoſtium conatus. Apoc. cap. 7. verſ. 1. vidit ſanctus Joannes *quatuor Angelos ſtantes ſuper quatuor angelos terræ, tenentes quatuor ventos* - paratos, ad ſumendam de impiis vindictam, ſed vidit *alterum Angelum aſcendentem ab ortu ſolis, habentem ſignum Dei vivi, & clamavit voce magna quatuor Angelis, quibus datum eſt nocere terræ & mari, dicens, nolite nocere terræ & mari - quoadusque ſingnemus ſervos* **DEI** *noſtri in frontibus eorum.* Signum illud eſt I. Sanguis Agni, quo ſignatæ domus Hebræorum immunes fuerunt ab Angelo, §. 12. *Profecutio*

Digitized by Google

gelo, qui percuſſit primogenita Ægypti, Exod. 12. v. 12. II. ajunt aliqui, eſſe titulum inſcriptum tiaræ Pontificis, Sanctum Domino. Exodi 28. III. eſt litera Tau, quâ ſignati ſunt gementes in Jeruſalem in fronte, Ezech. 9. v. 4. ſive ſignum crucis Chriſti, quam S. Paulus ait ſe portare in corpore ſuo, velut ſtigmata Jeſu, ad Galat 6. v. 17. In ſenſu morali hoc ſigno ſignati ſunt amatores crucis. Hi, licet undique ſpirent venti, id eſt, ſecundum Lyranum, licet minentur crudeliſſimi tyranni & perſecutores crucis Chriſti, ſecundum Alcaſar, licent furant dæmones, verbo, licet ſpirent venti tribulationum, tamen amatores crucis Chriſti, non cedunt, ſed animosè pugnant, gloriosè vincunt & triumphant. Orig. hom. 8. in diverſos: *Gaudentes, hoc ſignum levemus in frontes, quod dæmones cum viderint, contremiſcant; nam qui aurea capitolia non timent, crucem timent.*

§. 13. *Digreſſio ad S. Xaverium.* Talis amator crucis & imitator S. Andreæ fuit S. Xaverius, qui dicere ſolebat, Domine, ne auferas à me hanc crucem, niſi das majorem. Tantum præſidium naſcitur à cruce. S. Cyprianus l. 5. ep. 12. *Quid glorioſius, quidve felicius ulli hominum poterit ex divina dignatione contingere, quam inter ipſos carnifices interritū confiteri Dominum? quam collegam paſſionis cum Chriſto, in Chriſti nomine factum eſſe? quam ipſam quæ ab omnibus metuitur mortem moriendo ſubegiſſe? quam per ipſam mortem immortalitatem conſecutum fuiſſe? quam omnibus ſevitiæ tormentis excarnificatum, ipſis tormentis tormenta ſuperaſſe? quam omnibus dilaniati corporis doloribus robore animi reluctatum fuiſſe? quam ſanguinem ſuum profluentem non horruiſſe.* Applica pulchrè ſancto Andreæ.

§. 14. *Epilogus.* Finio cum S. Naz. or. 43. in Paſcha: *Omnibus diebus & omnibus motibus nos duo ſacrificemus - per paſſiones paſſionem imitemur, - crucem alacres conſcendamus. Dulces ſunt clavi, tametſi valde acerbi. Præſtat cum CHRISTO & pro CHRISTO pati, quàm cum aliis in deliciis verſari.* Applica rurſum ſancto Andreæ.

CON-

CONCIO XC.

FESTO DEDICATIONIS ECCLESIÆ.

Hodie ſalus huic domui facta eſt,

Luc. 19. v. 9.

SYNOPSIS CONCIONIS.

TRactantur tria. I. Quàm Zachæo aſpectus Chriſti Salvatoris fuerit ſalutaris. II. Cui aſcribenda ſit feſtinata ejus converſio. III. Qualis illa fuerit præterea.

§. 1. *Exordium.*

§. 2. *Propoſitio.*

§. 3. *Chriſtus D. ſollicito aſpectu quaſivit peccatores.*

§. 4. *Quaſivit illos ubiq; indulgentiſſimâ curâ.*

§. 5. *Peccator, qui viciſſim Ieſum videt, facile convertitur.*

§. 6. *CHRISTVS Dominus ſuos oculos plerumque conjecit in miſeros.*

§. 7. *Videns IESVS defunctum Lazarum, ſtatim illum ſuſcitavit.*

§. 8. *Si IESVS non reſpexiſſet Zachæum, non fuiſſet converſus.*

§. 9. *Faventes Chriſti oculi erga electos.*

§. 10. *Præſertim erga S. Petrum & Zachæum.*

§. 11. *Cum difficile ſit ſalvari divitem & avarum.*

§. 12. *Quod fuſius probatur.*

§. 13. *Cui ergo aſcribenda ſit feſtinata Zachæi converſio?*

§. 14. *Nimirum CHRISTO Domino tanquam experto Medico.*

§. 15. *Cur in Cruce pendens Ieſus convertit latronem, non Pilatum, non Iudam.*

§. 16. *Qualis fuerit converſio Zachæi.*

§. 17. *Proſecutio.*

§. 1. *Exordium.*

APud Ezechielem ſic inter alia minatur Deus cap. 24. v. 25 *Tollam ab eis fortitudinem eorum, & gaudium dignitatis & deſiderium oculorum eorum, ſuper quo requieſcunt animæ eorum.* In quæ verba præclarè more ſcilicet ſuo comentatur noſter Cornel à Lapide, aitq; deſcribi hic templum Dei, ut quod primò munitiſſimum eſſet, & ſitu & protectione Dei. 2. quod ſua pulchritudine & ornatu omnes recrearet, & gaudio afficeret. 3. quod ſua dignitate & Majeſtate Divinæ præſentiæ omnibus gentibus eſſet venerationi. Itaque templum Judæis aſylum erat in bello, gaudium domi, foris gloria. Potiori jure Auditores nos idipſum de noſtris templis affirmare poterimus, adeoq; habemus, quod hodie ſacro huic loco congratulemur; nam dum illius dedicationem ſolenni annuoq; ritu obimus, ejus & fortitudinem & dignitatem, Majeſtatemq; verbis & factis celebramus. *Hodie ſalus huic domui facta eſt.* Fiet & ſalus templis Dei ſpiritualibus, hoc eſt, cordibus noſtris, ut loquitur Gentium Doctor, ſi cum Zachæo audita Domini voce confeſtim deſcendamus ſycomoro: hoc fiet, ſi prius clementiæ ſuæ oculos in nos converterit, qui hodiedum tranſit Salvator.

§. 2. *Propoſitio Concionis.*

Quocirca præſenti Concione tria de Zachæo pertractanda ſuſcepi. Primum eſt, quàm ſalutaris illi fuerit aſpectus Salvatoris. 2. Cui aſcribenda ſit feſtinata ipſius converſio. 3. Qualis illa fuerit.

§. 3. *Chriſtus D. ſollicito aſpectu quaſivit peccatores.*

Oſtendit Chriſtus D. in hodierno Evangelio, ſe eſſe illum patrem, de quo Luc. 15. v. 20. dixerat: *Cum autem adhuc longè eſſet,* [filius, qui ſubſtantia decocta, fame penè enectus patriam domum repetebat] *vidit illum pater ipſius, & miſericordia motus eſt.* Ecce, pater prior illum videt, prior illi occurrit, ad demonſtrandum tenerrimum ſuum amorem erga filium etiam prodigum. Idem contigit Zachæo, qui plenus deſiderio videndi Jeſum, præpeditus turbâ, quia ſtaturâ puſillus erat, aſcendit in arborem ſycomorum, ut videret eum, quia inde erat tranſiturus; ſed innuit ſacer textus, præveniſſe Jesum, dum ait: *Suſpiciens Ieſus, vidit illum, & dixit ad eum, &c.* Sanctus Chryſoſtomus: *Conſpicitur, & vocatur, & illico in domum ejus ad convivandum*

Digitized by Google

dum declinaturum ſe eſſe promiſit. Vides, quia credituri fidem prævidens CHRISTVS, latentem in arbore, quaſi peccatorem tenebris obumbratum ſollicito, ut ovem perditam requiſivit aſpectu, & venire cunctantem vocat, venientem quaſi humeris ſuſcipit.

Variæ hic proponi poſſunt quæſtiones. Divus Laur. Novarienſis Chriſto D. hanc proponit hom. de pœn. *Domine, quid eſt hoc, quod Zachæum vides prior, quod ſuaviter alloqueris, quod ad te voces & trahas - Publicanus eſt Zachæus, videre te ſolum cupit, nunquid de ſola viſione debet jam ſalvari?* Aſcendit in arborem ut videret, necdum ingemuit, nunquid confeſſus eſt maculam, aut flagitia replicavit. Nunquid flevit? ut Magdalena? nunquid clamavit cum cœco: *Ieſu præceptor?* nihil horum fecit; - *& cur eum viſitas?* qui quæſtionem propoſuit, reſpondit, iterum ſuaviter alloquendo Chriſtum D. *Bone Ieſu! - hoc tui officii eſt, & indulgentiſſima cura, ut quæras & ſalves peccatores.* Ideo ingreſſus Jeſus, perambulavit Jericho. Ad mare quæſivit Apoſtolos, ad fontem Samaritanam, in templo adulteram, in domo Simonis Magdalenam, in telonio Matthæum, in campis cœcos & leproſos, in via publica Cananæam, in cruce latronem, in Jericho in ſycomoro quæſivit Zachæum. Non fuit nimirum locus, quem charitas Chriſti erga peccatorem non penetraret, non eſt, qui ſe abſcondat à calore ejus, imo inter ſpinas vagabundam quæſivit oviculam.

§. 4. Vbique indulgentiſſima cura quæſivit peccatores.

Quærunt alii, cur Zachæus tam cito de arbore deſcenderit; Clarius, cur ſubito ſe converterit? cur ſtatim perdiderit amorem erga ſuas divitias? Reſpondet Titus: *Quærebat videre Ieſum; utpote qui nunquam eum viderat; quin ſi vidiſſet, jam ſe recepiſſet à nequitia publicana. Si quis enim Ieſum videt, non poteſt nequitiis immorari.* Cui JESUS ſapit, deſipit mundus. Qui Chriſtum videt, mundo facillimè moritur; imo mori deſiderat. Summum Simeonis deſiderium fuerat videre Salvatorem mundi; ut vidit, exclamavit: *Nunc dimittis ſervum tuum.* D. Hier. *Forma eſt utique, quod qui Chriſtum videt, jam ſit ſæculo moriturus.* Ut convertantur peccatores, Chriſtus debet illis proponi.

§. 5. Peccator, qui viciſſim Ieſum videt, facilè convertitur.

 poni.

poni. S. Bern. l. 4. de conſid. *Regibus Ioannem exhibe, Ægyptiis Moyſen, fornicantibus Phineen, Eliam idololatris, Eliſæum avaris, Petrum mentientibus, Paulum blaſphemantibus, negotiantibus - id eſt avaris, uſurariis, fraudulentis, &c.* Chriſtum propono, ut videant, quàm Jeſus ſuaviter egerit cum Zachæo, ut aperiant oculos, ut videant & intelligant, quis ſit Jeſus. Si hoc fiat, convertuntur. Quamprimum Zachæus illum vidit, gaudens omnia fecit, quæ intellexit ſibi eſſe facienda.

§. 6. *Chriſtus D. ſuos oculos plerumque conjecit in miſeros.*

Quocirca benigniſſimus fuit hic Chriſti Domini aſpectus. Matth. 8. v. 14. *Cum veniſſet Dominus in domum Petri, vidit ſocrum ejus jacentem & febricitantem.* Multa fuerunt, quæ potuerunt rapere Chriſti oculos: v. g. effuſa turba, ornatus domûs, ſed nulla fit mentio, talia Divinos oculos incurriſſe. Objectum fuit effœta ætate fœmina, febribus æſtuans. Nempe nihil aliud Divinorum oculorum aciem ita ad ſe rapit, quàm hominum miſeriæ & ærumnæ; S. Petrus Chryſol. hic: *Cum veniſſet Ieſus in domum Petri, vidit ſocrum ejus jacentem, & febricitantem; ingreſſus in hanc domum, ad quod venerat vidit, non ſalutantium pompam, non familiæ concurſum; certè neque præparationis ornatum, ſed inſpexit gemitum languentis, febrientis attendit incendium, vidit periculum deſperatæ. Nec ante ad humana diſcubuit Chriſtus, quàm mulier, quæ jacebat, conſurgeret ad Divina.* Eodem modo in conſideratione hodierni Evangelii diſcurrere poſſumus. Cur bonus Jeſus pulcherrimos oculos non conjecit in amœnos hortos? cur non in turbam, quæ bene multa confluxerat? cur non in vicini maris ſpumantes fluctus? cur non in ædium vicinarum tecta? ecquid eſt, quod in Sycomorum potius ſuſpicere placuit Salvatori noſtro? nimirum miſerabilis ſtatus publicani [qui tamen deſiderabat videre Jeſum] ejus oculos ad ſe convertit. Ad quod venerat, vidit. Inſpexit gemitus Zachæi, attendit avaritiæ incendium, quo flagrabat. Vidit periculum, mox attulit ſubſidium, vidit ignes, mox aquas apportavit, vidit ruinæ proximum, mox manum extendit, ut labentem apprehenderet: nec ante diſcedendum ſibi ab hoc loco duxit, quàm deſideratam obtinuiſſet prædam, animam, inquam, Zachæi, de æterna ſalute ſummopere periclitantem.

Joannis

Digitized by Google

Joannis 11. v. 22. advenienti Chriſto occurrunt Martha & Magdalena cum triſti nuntio, mortuum fratrem Lazarum, imò jam & terræ mandatum eſſe; & ait Dominus: *Vbi poſuiſtis eum?* dicunt ei: *Domine, veni & vide.* Legi pulcherrimum conceptum S. Chryſologi ſerm. 64. ad hæc verba lachrymatum eſſe Jeſum. *Mirum ſanè eſt, non ploraſſe, cum audivit mortem Lazari, non effudiſſe lachrymas, cum vidit lachrymas Magdalenæ, cum audivit aſtantium ejulatus; ſed tum cum dixerunt, ut veniret & videret Lazarum. Denique non quando plorantes vidit, tunc plorat Chriſtus; ſed quando interrogat. Et in reſpondentibus videt nihil fidei manere. Putaverunt enim neſcire, ubi poſitus fuerat in terris.* Scilicet nihil eſt, quod Chriſtus æquè moleſtè ferat, acſi homines de ſua erga eos cura minus fidentes viderit. Nunquam mihi diſplicent aurei Chryſologi conceptus, arbitror nihilominus, Magdalenam & Martham protuliſſe hæc verba cum magna & fiducia reſuſcitandi fratris ad vitam, dummodo obtinerent à Jeſu, ut videat cadaver fratris, quod contigit; aperto ſepulchro Jeſus intuens defunctum Lazarum, lachrymatus eſt, & miſericordiâ motus, ſuſcitavit à mortuis. Tantæ fuit efficaciæ dulciſſimi Jeſu aſpectus. Eandem efficaciam expertus eſt Zachæus, corpore aſcendit Sycomorum, anima ejus jacebat in ſepulchro vitiorum. O bone Jeſu! veni! accede arborem! & vide Zachæum; venit, acceſſit, vidit, & convertit illum. §. 7. *Videns Ieſus defunctum Lazarum, ſtatim illum ſuſcitavit.*

Levitici c. 26. v. 9. *Reſpiciam vos, & creſcere faciam, multiplicabimini, & firmabo pactum meum vobiſcum.* Hæc verba Origines exponit hom. 16. in Levit. ductâ ſimilitudine à ſole, qui radiis & aſpectu ſuo cuncta calefacit, & germinare facit Longè melius Deus aſpectu ſuo benigno auget, & ad maturitatem perducit cuncta. *Reſpiciam, inquit, ergo vos, & augebo vos, tanquam ſi ſol reſpiciat ſegetem, & afferat fructus. Vtique enim, ſi non reſpexiſſet, infructuoſa manſiſſet.* Sic Zachæum reſpexit Salvator. Reſpexit, & creſcere fecit. Reſpexit, & expectatos jam pridem fructus produxit. O felix Zachæe, fœcunda factus es arbor, hodie cœpiſti germinare fructus vitæ, in acceptis hoc referas divino ſoli; manſiſſes ſterilis, niſi radios ſuæ infinitæ clementiæ in te vibraſſet ſol mundi Jeſus. §. 8. *Si Ieſus non reſpexiſſet Zachæum, non fuiſſet converſus.*

Ita

§. 9. *Faventes Christi D. oculi erga electos.*

Ita cum Eccleſiaſtico c. 11. v. 13. dicere poſſumus, *Oculus Dei reſpexit* [Zachæum] *in bono.* Regia. In bona, id eſt, ut Zachæo prodeſſet. Addit Vatablus: *Oculo favente*, ſuo enim aſpectu omnia Deus vivificat. Divino aſpectui tribuit bona: unde David Pſal. 24. v. 16. *Reſpice in me, & miſerere mei.* Sapient. 4. v. 15. *Reſpectus in electos illius.* Ideo reſpectus Chriſti D. hodie fuit in Zachæum, tanquam in electum, qui ſtatim converteretur. Pſal. 13 v. 2.. dixit David: *Dominus de cœlo proſpexit, ut videat, ſi eſt intelligens, aut requirens Deum.* Talis erat Zachæus, requirebat videre Jeſum; & Jeſus ſtatim proſpexit. Citatum verſum Sapient. S. Ambroſius. ita exponit: *Quoniam gratia Dei & miſericordia eſt in Sanctos ejus.* Omnia in idem recidunt, Chriſtus D. reſpexit Zachæum, & exhibuit illi magnas gratias, & præſtitit miſericordiam, proinde tanta quoque vis fuit illi aſpectui Chriſti D. ut Zachæum ad ſe confeſtim attraxerit.

§. 10. *Præſertim erga S. Petrum & Zachæum.*

Guarricus ſer. 3. de ramis, ducta ſimilitudine à ſole, [ut ſuperius memini] vim oculorum Dei exponit. Sol enim ſuis radiis vapores extrahit, & ſurſum agit, quos iterum ſuo calore liquefacit, & terræ imbrem infundit: quo fœta omnem fructum parit, eadem ratione Dei proſpectus omnem animæ virtutem infundit Audi Guarricum. Mox ut Dominus reſpexit Petrum, Petrus de clementia piiſſimi vultus ſuſcepit imbrem ſerotinum. lachrymas poſt peccatum. Hoc habes Luc. 22. v. 61. *Et converſus Dominus, reſpexit Petrum, & egreſſus foras, flevit amarè.* Eleganter Origines lib. 16. in Levit. *Plenum beatitudinis eſt hoc ipſum, ſiquidem reſpicit Deus. Vis videre, ſi reſpiciat Deus ad hominem, quanta ſit ſalus? Petrus aliquando penè perierat, diabolo per os ancillæ Pontificis inſpirante, ſed ubi reſpexit ad eum Ieſus, ubi ad eum placidè vultus ora convertit, ſtatim reverſus in ſemetipſum, & prolapſus de præcipitio, revocans pedem, flevit amariſſimè. Atque ita proſpectus à Deo, locum ſuum flendo recepit, quem negando perdiderat.* Quidni Auditores, idem ego hodie de Zachæo noſtro aſſeverare poſſim? iidem oculi Petro, iidem Zachæo ſalutem attulerunt. Periiſſet Petrus, niſi reſpexiſſet illum Jeſus, periiſſet & Zachæus. Petri pectus emolliit unicus oculorum obtutus; emolliit & pectus Zachæi.

Digitized by Google

chæi. Laxat habenas lachrymis Petrus, laxat & Zachæus. Ex eodem uterque fonte ſalutis haurit principium.

Quærunt alii; Cum Chriſtus D. ſæpius & apertè docuerit, divitem difficulter ſalvari, & proinde difficulter converti, cum tamen Zachæus noſter fuerit *Princeps publicanorum, & ipſe dives.* Reſpondeo imprimis, veriſſimum hoc eſſe. Exemplum habemus in Juda, Matth. 26. *Et confeſtim accedens ad Ieſum, ait, Ave Rabbi, & oſculatus eſt eum.* Vide Domini patientiam; qui omnem admoverat lapidem, ut eum converteret, tandem oſculum admittit, & offert, an vel hoc pacto cor ejus emolliri poſſet. Et tamen fruſtra; ut videamus, quanta vis ſit avaritiæ, ad conſtringendum in laqueis avaritiæ divitem. S. Chryſoſt. *In ipſo proditionis momento oſculari ſe ab eo ſuſtinuit, ſed nihil hanc conſecutus eſt; tantus certe, tamq; incredibilis avaritiæ furor eſt.* Hæc enim illum & proditorem nequiſſimum, & ſacrilegum nefandiſſimum fecit. S. Auguſt. *Non dubitavit accepta pecunia ipſum Dominum vendere.* Audite hæc omnes avari, quique graviſſimo morbo Judæ laboratis; Chriſtus quotidie cum illo fuit, in ſe illi oſtendit ſpeculum paupertatis; egit cum illo blanditiis, egit minis, lavit pedes, Judas tamen à facinore cohibere ſe non potuit. Nimirum difficilis eſt avari divitis converſio. §. 11. *Cum difficile ſit ſalvari divitem & avarum*

Cum dives epulo Luc. 16. v. 24. fruſtra ab Abrahamo petiviſſet guttam aquæ, ad refrigerium ardentis linguæ; aliam petitionem proponit his verbis v. 27. *Rogo te Pater Abraham, ut mittas eum in domum patris mei, habeo enim quinque fratres, ut teſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum.* Et ait illi Abraham: *Habent Moyſen & Prophetas, audiant illos,* at ille dixit, *non Pater Abraham, ſed ſi quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent.* Latet in his verbis patheticus ſenſus. Habeo, inquit ardens epulo, quinque fratres, non tam ob generis conſanguinitatem, quam ob morum ſimilitudinem; epulantur quotidiè ſplendidè, ut ego feci, ſunt immiſericordes, ut ego fui; præcipuum eſt, quod incumbant divitiis, quod quærant opes, quod ſint avari, propterea ô Pater Abraham, non convertentur, non agent pœnitentiam, niſi quis ex altero mundo ad illos amandetur, qui illis referat & con- §. 12. *Hoc fuſius probatur.*

 teſtetur,

teſtetur, quæ aguntur apud inferos. Tanta eſt vis avaritiæ, ut niſi talis mittatur Concionator, non ſit ſpes converſionis.

§. 13. *Cui ergo adſcribenda ſit feſtinata converſio Zachæi.* Cauſam eleganti ſimilitudine proponit S. Chryſoſt. hom. 12. in c. 4. 1. ad Corinth. *Quemadmodum febris in ipſis principiis, non nimia ſiti ægrotum torquet: aucta autem jam ejus flamma, intolerabili ſiti conficit, & quamvis ad ſatietatem quis potum præbeat, non exſtinguitur tamen, ſed incenditur vehementius: ſic & in hoc effectu uſu venit.* Hinc ruina in quævis gravia ſcelera, fraudes, dolos, immiſericordias; hinc difficultas converſionis, hinc præſens periculum æternæ damnationis.

§. 14. *Nimirum Chriſto D. tanquam experto medico.* Nunc tandem reſpondebo propoſitæ quæſtioni, quomodo ergo Zachæus tam ſubito fuerit converſus & ſalvatus. Quare Chriſtus D. avaros præſertim homines, Matthæum, Zachæum, publicanos & latronem traduxit ad meliorem frugem? reſponſum mihi ſuggerit S. Chryſoſt. ſumpto ſimili à medicis: Qui nomen quærit medici excellentis, eos præcipuè quærit ægrotos, qui deſperatæ prorſus ſunt valetudinis, ut artis ſuæ præclarum præbeat experimentum. *Propterea* [inquit S. Chryſoſt.] *& peccatorum maxima Chriſtus peregrinatus in terris remiſit, latronem in paradiſum introduxit, publicanum fecit Evangeliſtam, blaſphemum Paulum, orbis Apoſtolum, ut peccans tu minus deſperes, ſed peccatum fatendo deleas, ſalubremque ingrediaris viam.* Si cum Zachæo hoc faciant divites, etiam poſſunt ſalvari.

§. 15. *Cur in cruce pendens Jeſus converterit latronem, non Pilatum, non Judam.* S. Ambroſ. in Pſ. 39. agens de ſancto latrone: *Nemo eſt, qui poteſt excludi, quando receptus eſt latro.* Altior huic latet ſenſus; puto S. Ambroſ. hoc voluiſſe inſinuare, dum Chriſtus D. cruci affixus, pro hominum flagitiis debitas pœnas perſolvit, januas cœli aperturus, æquum fore videbatur, ut multis variiſque criminibus oppreſſos abſolveret, quo facto tantæ medicinæ efficacia appareret; at [juſto Dei judicio] contrarium factum eſt, nam & Judæos oblatrantes, & proditorem diſcipulum, & judicem injuſtum ſuorum criminum daturos pœnam, flagitiis immerſos reliquit, nullumque omnino tunc abſolvit; Verum multorum inſtar latronem ſecum in paradiſum adduxit; Nam vel hoc uno de tartari faucibus erepto ſatis conſultum iri exiſtimavit ſuæ mortis efficaciæ.

Digitized by Google

ficaciæ. Tam enim difficile eſt hominem alienis inhiantem pecuniis abſolvere, ut qui latronem liberavit, oſtendit, poſſe ſe aliorum peccatorum morbos curare. Idem hodiernâ die demonſtravit in Zachæo.

Quærunt alii, qualis fuerit converſio Zachæi? reſpondeo breviter primò. Confeſtim fuit alius, cum dixit, *Ecce dimidium*; hoc voluit dicere [cum Chriſtus D. intravit ædes ejus, audivit murmuratores, dicentes, quod Dominus Jeſus ad hominem peccatorem divertiſſet, & maneret; his dixit;] *Ecce!* quaſi dicat: *Iam non ſum publicanus, non ſum ille Zachæus, non ſum prædo, non ſum fur*; id eſt, Chriſto D. adhærens, ſum totus alius: hic eſt fructus veræ pœnitentiæ. Reſpondeo ſecundò. Confeſtim. Non moras traxit, non procraſtinavit, non in alios dies vel tempora, ut fieri ſolet, meliora rejecit Diſce peccator, cum te vocat Numen, confeſtim ſequi, noli prorogare, tranſit Jeſus, ubi tranſierit, non revertetur fortaſſis. § 16. *Qualis fuerit converſio Zachæi?*

Denique & tertiò reſpondeo. Eleemoſynis peccata ſua redemit, ſecutus monitum Sapientis: ſi quem defraudavit, reſtituit quadruplum. Quid vos avari divites? an non complures ſunt, quos defraudavit avaritiæ veſtræ cupiditas? quot pupillos? quot viduas? quot alios inopes in fraudem, imò & in calamitatem extremam induxiſtis, ite, & ſi cum Zachæo peccaſtis, cum eodem & fructus dignos facite pœnitentiæ; ſi cum Zachæo conſcendiſtis arborem iniquitatis, ſycomorum, hoc eſt, ficum arborem, cum eodem mox dum tranſit Jeſus & vocat, deſcendite, & ſequimini hunc ſalutarem Medicum, & ipſe veſtra omnia animæ vulnera ſanabit. § 17. *Profecutio.*

Finis Partis quartæ Alvei ſexti.

Digitized by Google

INDEX THEMATUM,

In omnia totius Anni Feſta, in Parte tertia & quarta Alvei Sexti.

THEMA.
Pro Feſto S. Franciſci Xaverii Indiarum Apoſtoli.
Mirabilis Deus in Sanctis ſuis, Pſ. 67. v. 36. 543

THEMA.
Feſto Immaculatæ Conceptionis B. Virginis.
Quaſi oliva ſpecioſa in campis, Eccleſ. 24. v. 19. 554

THEMA.
Feſto S. Thomæ Apoſtoli.
Thomas autem unus de duodecim, Joan. 20. v. 24. 565

THEMA.
Feſto Nativitatis Chriſti D.
Evangelizo vobis gaudium magnum, Luc. 2. v. 10. 574

THEMA.
Feſto S. Stephani Proto-Martyr.
Et lapidabant Stephanum, Actor. 7. 57. 588

THEMA.
Feſto S. Joannis Evangeliſtæ.
Converſus Petrus, vidit Diſcipulum illum, quem diligebat Ieſus, Joan. 21. v 20. 597

THEMA.
Feſto Circumciſionis Domini.
Vocatum eſt nomen ejus Ieſus, Lucæ 2. v. 21. 605

THEMA.
Feſto Epiphaniæ.
Ecce venerunt Magi ab Oriente, Matt. 2. v. 1. 616

THEMA.
Feſto Purificationis B. Virginis.
Tulerunt Ieſum in Ieruſalem, ut ſiſterent eum Domino, Lucæ 2. v. 22. 624

THEMA.
Feſto Matthiæ Apoſtoli.
Venite ad me omnes, qui laboratis, Matth. 11. v. 28. 633

EXHOR-

Digitized by Google

EXHORTATIO.
Feſto S. Joſephi, Sponſi B. Virg.
Iacob genuit Ioſeph, virum Mariæ, Matth. 1. v. 16. 643

THEMA.
Feſto Annuntiationis B. Virgin.
Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum, Lucæ 1. v. 38. 650.

THEMA.
Feria II. Paſchatis.
Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis? Luc. 24. v. 32. 661

THEMA.
Feria III. Paſchatis.
Surrexit vere Dominus, Lucæ c. 24. v. 34. 668

THEMA.
Feſto SS. Apoſtolorum Philippi & Jacobi.
In domo Patris mei manſiones ſunt multæ, Joan. 14. v. 2. 676

THEMA.
Feſto Aſcenſionis Chriſti D.
Videntibus illis, in cælum elevatus eſt, Actor. 1. v. 9. 684

THEMA.
Feria II. Pentecoſtes.
Sic Deus dilexit mundum, Joan. c. 3. v. 16.

THEMA.
Feria III. Pentecoſtes.
Et factus eſt repente de cælo ſonus, tanquam advenientis ſpiritus vehementis, Act. 2. v. 2. 703

THEMA.
Feſto Corporis Chriſti.
Caro mea vere eſt cibus, Joan. 6. v. 56. 711

THEMA.
Feſto S. Joannis Baptiſtæ.
Ioannes eſt nomen ejus, Joan. 1. v. 63. 720

THEMA.
Feſto SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.
Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, Matth. 16. v. 18. 729

THEMA.
Feſto Viſitationis B. Mariæ Virginis.
Exſurgens Maria, abiit in montana cum feſtinatione, Lucæ. 1. verſ. 39. 740

THEMA.
Feſto S. Mariæ Magdalenæ.
Vides hanc mulierem? Luc. 7. v. 44. 749

THEMA.
Feſto S. Jacobi Apoſtoli.
Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum, Matthæi 20. verſ. 22. 757

THEMA.
Feſto S. Ignatii Lojolæ, Fundatoris Soc. Jeſu.
Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris, Luc. 12. v. 35. 767

THEMA.
Feſto S. Laurentii.
Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert, Joan. 12. verſ. 25. 781

THEMA.
Feſto Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis.
Maria optimam partem elegit, Lucæ 10. v. 43. 788

THEMA.
Feſto S. Bartholomæi.
Exiit Ieſus in montem orare, Luc. 6. v. 12. 795

THEMA.
Feſto Nativitatis B. Virginis.
Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, Canticor. 6. v. 9. 806

THEMA.
Feſto S. Matthæi Apoſtoli.
Cum tranſiret inde Ieſus, vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine, Matth. 9. verſ. 9. 813

THEMA.
Feſto S. Michaelis Archangeli.
Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis, Pſal. 90. v. 11. 824

THEMA.
Feſto SS. Apoſt. Simonis & Judæ.
Si mundus vos odit, ſcitote, quia me priorem odio habuit, Joan. 15. v. 18. 835

THEMA.
Feſto omnium Sanctorum.
Aperiens os ſuum, docebat eos, dicens: Beati pauperes ſpiritu, Matth. 5. v. 3. 842

THEMA.
Feſto Animarum.
Requiem æternam dona eis Domine. 852

THEMA.
Feſto S. Martini Epiſcopi.
Nemo accendit lucernam, & in abſcondito ponit, Lucæ. 11. verſ. 33. 862

THEMA.
Feſto Præſentationis B. Virginis.
Beatus venter qui te portavit, Luc. 11. v. 27. 880

THEMA.
Feſto S. Andreæ Apoſtoli.
Venite poſt me, Matth. 4. v. 19. 878

THEMA.
Feſto Dedicationis Eccleſiæ.
Hodie huic domui ſalus facta eſt, Luc. 19. v. 9. 887

FINIS.

Digitized by Google